LECTIONES PHILOSOPHICAE DISTINCTAE IN LOGICAS, PHYSICAS ET...

Agostino De Angelis

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
7 F
12

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-9. h 9.

Digitized by Google

AVGVSTINI DE ANGELIS LECTIONES PHILOSOPHICAE:

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliothecae Seminarii Coll. Rom. Soc. Jesu.

LECTIONES PHILOSOPHICAE

DISTINCTAE IN LOGICAS, PHYSICAS, ET METAPHYSICAS.

AVCTORE
R. P. AVGVSTINO DE ANGELIS
CONGREGATIONIS SOMASCHAE
In Collegio MACEDONIO Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſore.

Cùm Triplici Indice Locupletiſſimo. Primus eſt Titulorum, Secundus Locorum, ſeù Textuum Ariſtotelis, Tertius Rerum Notabilium.



NEAPOLI, Ex Typographia Lucæ Antonij Fuſci. M. DC. LII.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO.

FRANCISCO MARINO CARACCIOLO ARCELLA

Abellinatum Principi, Tripaldentium Duci, Sanſeuerinatum Marchioni, Galeratæ, Et Status Sereni Comiti, Lancuſiorum Dño, Cataphractorum Duci, Regnique Magno

CANCELLARIO.

Auguſtinus de Angelis Fauſtitatem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

LVbens tuas euolat in manus mea hæc Philoſophia, PRINCEPS EXCELLENITISSME, quæ MACEDONIA cùm ſit, & vrbana veluti cognatione Stagyriticam, hoc eſt Ariſtotelicam, vndequaque ſapiat Apodixim, noluit theatralis in morem proſcænij exhiberi cuiq; promiſcuè, ſed ſuo ſibi iure Te nouum noſtri temporis Alexandrum, & animi magnitudine, & omnium comprehenſione diſciplinarum Arbitrum expoſcit, & Patronum; rata nimirum, quòd quæ ſui tenuitate non eminet, Tui repetet á nominis Amplitudine dignitatem, vt lucem ab adſcitis auri fulgoribus obſcuriores emendicant vniones. Geſtit etiam illa cùm alijs lectiſſimæ, locupletiſſimæq; Tuæ Bibliothecæ Libris vndique

Digitized by Google

quę ſtudioſiſſimé conquiſitis recenſeri, atque alias inter Scientias, quibus Animum deſpondiſti Tuum, immiſceri, quando Vir omnium Virtutum es, Tuæque ſub Iuuentæ Crepundijs præcocem ſenilis Ingenij Prudentiam omnibus in rebus ſapientiſſimè profiteris. Et ſanè quidni mea ſuperbiat PHILOSOPHIA, ſi tuũ eleuabitur in Muſæũ, ſi Tuæ ſe viderit EXCELLENTIAE familiarẽ? Experta fuit olim, & quidem inter cunabula litterariam Vrbis Gentium Dominæ maieſtatem noſtro in Collegio ab humaniſſima Clemẽtis VIII. Fundatoris Munificentia CLEMENTINO; probauit ALDOBRANDINAE Gentis patrocinium in dies ſingulare; Adulta iam Neapolitano ſub Cęlo, cuius Tu Decus, ac Delitium es, noluit alienam experiri Clementiam, ſed Te nobiliſſimum ALDOBRANDINÆ familiæ Germen, ipſaque vultus, & oris maieſtate ſimillimum, vt expreſſum antiquæ beneficentiæ ſimulacrum agnouit, velut Tuo iam eſſet in ære, Tuæ ſe libentiſſimè mancipauit ſeruituti. Non hic longam Diſputationum, ac Controuerſiarum farraginem obtendo; meis enim procul à conatibus quicquid faſtidioſam expetit prolixitatem, quia longo ſemper in itinere fatigatur Intellectus, ſuſceptoque deflectunt à tramite, qui tortuoſis cauillantium paralogyſmorum in mæandris perfidioſè detinentur; Et maleferiatus equidem adiudicarer, ſi Te, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, maioribus addictum Studijs, humillimis hiſce noſtræ PHILOSOPHIAE hypomnematibus etiam, atque etiam interpellarem. Interim viue fælix, & Phœnicis annos aſſequere, qui Phœnix es Ingeniorum. Vale. Ex Macedonio Collegio ſextó Kalendas Julias. 1651.

Digitized by Google

AVDITORIBVS AVCTOR.

NOſtrum quiſquis ingrederis Athenęum, & altiſſimis Iuriſprudentiæ Legibus, quibus Hominum Vita ad Iuſtitiæ Canones concinnata, honeſtè traducitur, informari ſeriò cupis, & ſedulò laboras; in meis hiſce Logicæ, ſeu mauis, Dialecticæ Summulis tantiſper immoreris, nè properanti deficias in Curſu; cùm ſalebroſos Legum diſcurſus attigeris; quando, vel in plano claudicare condiſcit, quicunque per ſaltus ad metam euolat intempeſtiuè. Licèt enim Philoſophiam Vniuerſam, ipſam imò Logicam fuſè tractatam ad *Legum* peritiam ex voto comparandam, plerique minimè neceſſarias arbitrentur, neminem tamen hucuſquè noui, qui ſaltem Summulas, ſeu Logicæ Compendium ſibi Legalibus in Scientijs informando non eſſe priùs addiſcendum, aut neceſſariò præmittendam, fateatur. In Votis inſuper eſt, obſtruſos quoque Logicæ totius anfractus aperire, & Tibi iucundiſſimum Vniuerſæ Philoſophiæ proſpectum explicare, ſi prægustatis hiſce Præludijs, & experimento quodam comprobata non minus Logicæ, quàm totius vtilitate Philoſophiæ ad Iuriſprudentiam, & reliquas ſubinde Scientias perfectè, & methodicè proſequendas, ipſe monſtraueris meos exoptare, nedum expectare labores, quos calamo molior, & cogitatione comprehendo. Aggrediar opus, ſi manum admouebis. Ingrediar Prouinciam, ſi tuas aditum in aures reſerabis. Hoc equidē vnū ſatis, hucuſq; probauit, ac prorſus euicit experientia, Philoſophiæ nempe candidatos mira non modò facilitate, ſed etiam perfectione longè maiori, quàm alios Philoſophicis in Studijs aſymbolos *Legum* Peritiam quàm fœliciſſimè conſequutos. Ità ſanè de Clar. Orat. teſtatur Tullius, Seruium Sulpitium ideò ad ſummam Iuriſprudentiæ gloriam perueniſſe, quia Logicis egregiè ſe prius inſtruxerat diſciplinis. Baldum, quem inſignem memorant Philoſophum, Iuriſperitum agnoſcimus præſtantiſſimum, quia quicquid aſſerit, Rationibus oſtendit; Ratio autem eſt *Legum* Anima. *L. cum ratio, ff. de portionibus, quæ liberis damnatorum.* Ioannes à Rebertaria, & Nicolaus Euerardus, Hugone Grottio teſte, ſuis teſtatum voluerunt in monumentis, quàm neceſſaria ſit *Iuris* in Studio Doctrina Topicorum. Et ſanè, qui fieri poteſt, vt *Iuriſprudentia*, vel alia quæcunque Scientia rectè comparetur, ni prius intellectuales regulentur, ac dirigantur operationes, & illis ab erroribus extrahatur, in quos vitiatæ cauſa naturæ noſter & ſæpiùs, & miſerè delabitur Intellectus? Sola Logica verus vti Pædagogus Intellectum oportunis moderatur regulis, ſapientiſſimis informat præceptis, nè ſcilicet hic apprehendendo, iudicando, & ratiocinando præceps ruat, & procul erret à meta veritatis. Vndè meritò *D. Auguſtinus 1. de ordine c. 13.* Logicam appellat Ianuam Scientiarum, qua aperta omnes aperiuntur, & qua clauſa clauduntur omnes. Quoniam verò Ars longa, & Vita; heù nimium breuis; Ero breuis, ità tamen, vt omnem effugiam obſcuritatem: Ab altiſſimis Theologorum Quæſtionibus abſtinebo, nè videar artopticium panem edētulis apponere; & quia *Legum* Studioſis ſcribo, meis æquam Auditoribus materiam aſſumo. Legant, quibus meum hoc fortaſſe Conſilium diſplicet, æquè aptam, ac eruditam Melchioris Cani *de Locis Theol. lib. 9. cap. 7.* Summi olim

Theo-

Theologi, & in re Philoſophica verſatiſſimi Sententiam ad verbū hic tranſcriptam, vt meam agnoſcant tanto cum Viro, quàm benè vocem accommodem, & Inſtitutum.

Errant Philoſophi, dùm eas Quæſtiones etiam latiſſimè perſequuntur, quibus Porphirius abſtinuit, homo impius, ſed in hac re prudens tamen, vt Platonis, Ariſtotelisque diſcipulum poſſis agnoſcere, qui nec quicquam, niſi opportunis, & loco, & tempore tractauere, nec Quæſtiones vllas perſecuti ſunt, quæ Iuuenum ingenia obruerent: noſtri autem Theologi importuna, vel locis, longa de his oratione diſſerunt, quæ nec Iuuenes portare poſsūt, nec Senes ferre: quis enim ferre poſſit Quæſtiones illas de Vniuerſalibus, de nominum Analogia, de Primocognito, de Principio Indiuiduationis, deque alijs huiuſmodi ſexcentis, quæ ego etiam, cùm nec eſſem ingenio minus tardo, nec his intelligendis parum temporis, & diligentiæ adhibuiſſem, animo vel informare non poteram. Puderet me dicere, non intelligere, ſi ipſi intelligerent, qui hæc tractarunt. Hucuſque Melchior Canus. Sed iam Nos Operi manum admoueamus.

APPROBATIONES.

D. Paulus Carrara Præpoſitus Generalis Congregationis Somaſchæ.

LEctiones Philoſophicas Reu. Patris D. Auguſtini de Angelis noſtræ Congregationis Theologi, typis mandari, Præſentium tenore concedimus, præhabita virorum grauium, quibus illius examen commiſimus, approbatione. Et in fidem has literas manu propria ſubſcriptas, ſigilloque noſtri Officij munitas dedimus. Venetijs in Collegio Sanctiſſimæ Trinitatis 3. *Kal.* Iulij M.DC.LII.

D. Paulus Carrara Præpoſitus Generalis Congr. Somaſchæ.

D. Ludouicus Mucianus à Secretis.

IMPRIMATVR, Gregorius Peccerillus Vicarius Generalis.

Fr. Ioſeph de Rubeis Ordin. Minor. Conuent. S. T. D. Eminentiſs. Cardin. Philamar. Theolog. Congreg. Secr. & Conſultor S. Officij Vidit.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

LEctiones Philoſophicæ, quas ad inſtruendos Iuriſprudentiæ Candidatos inſtituit Admodum Reu. Pater D. Auguſtinus de Angelis in Collegio Macedonio, Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſor, Angelicum in Auctore præmonſtrāt Ingenium, & quicquid aſſeruntiaut Regnum, aut Regem inſpicias Catholicę Maieſtatis Iuriſdictioni non aduerſatur. Quare proficuis, vt addatur ſtudijs, quod ſcribendo temporis inſumitur, Typis imprimendas, cenſet.

Excellentiæ Veſtræ

Seruus Humillimus

D. Vincentius Vitus Congregationis Somaſchæ.

Vidit Regius Conſiliarius Io. Baptiſta Amendola pro Reuiſione Librorum Commiſſarius ſpecialitèr Delegatus per S.E.

Io. Baptiſta Amendola.

Viſa ſupraſcripta relatione, Imprimatur.

Zufia Regens, Capycius Latro Regens, Garzia Regens.

Digitized by Google

INTRODVCTIO IN ARISTOTELIS ORGANVM, SEV LOGICAM.

AVCTORE

R. P. AVGVSTINO DE ANGELIS

CONGREGATIONIS SOMASCHÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PROEMIVM.

INtroductio, ideſt, parua, & breuis Logica, iure appellatur quoque Summa, ſeù Summula Logicæ, quia eſt eiuſdem Logicæ Compendium; Dicitur autem Introductio, quia ſicuti per inferiores colores ad Purpuram lana diſponitur, & introducitur, ità per rudem hanc, & compendiariam Logicalium Terminorum cognitionem ad ipſam Logicam fusè tractatam, & Quæſtionibus varijs illuſtratam Studioſorum Animi aptè diſponuntur, introducuntur, & veluti manuducuntur.

Diuiditur Introductio, ſicuti & Logica in tres Partes, quia tres ſunt Intellectus noſtri Operationes, quas habet pro ſui obiecto; in prima parte agit de his, quæ ſpectant ad regulandam primam operationem; in ſecunda de his, quæ ſpectant ad regulandam ſecundam; & in tertia demum de his, quæ ſpectant ad regulandam tertiam operationem intellectus noſtri; quæ diuiſio, & diſtributio fundatur in Ariſtot. qui vt benè notat D. Thomas in Præfat. ad lib. Perhier. in lib. Prædicam. agit de his, quæ ſpectant ad primam operationem, in lib. Perhierm. de ijs, quæ ſpectant ad ſecundam; denique de his, quæ ſpectant ad tertiam agit in conſequentibus libris Priorum, Poſteriorum, & Elenchorum. Logica definitur, quòd ſit Ars actiua, ſeù Scientia practica dirigens operationes noſtri Intellectus in ordine ad comparandam Veritatem, ſeù acquiſitionem Scientiarum; Cæterum Logica tribus nominibus appellatur; primò enim ab Ariſt. di-

Digitized by Google

citur Organum, ideſt nobile Inſtrumentum, inſeruiens ad comparandas alias Artes, & Scientias. Secundò dicitur Dialectica à verbo Græco διαλιγίσθαι, quod latinè redditum, diſputationem ſignificat, quia Logicæ munus eſt, tradere regulas benè diſputandi, & diſſerendi; tertiò, & magis communiter, appellatur Logica à verbo Græco λόγος, quod ſermonem internū, & rationem ſignificat, quia Logica agit, tanquam de proprio ſui Obiecto, de ſermone intellectuali, ideſt, de operationibus intellectus.

Neceſſitas, ſeù Vtilitas Logicæ apertè oſtenditur ab *Ariſt. 1. Top. 2.* vbi appellans Logicā diſputandi Methodū ait. *Vtilis hæc Methodus eſt ſanè ad tria, ad exercitium, ad colloquia, ad ipſas ſecundum Philoſophiam diſciplinas. Quod igitur ad exercitium vtilis ex his planum eſt, nam Methodum habentes facilè de propoſito argumentari poterimus. Ad colloquia autem, quoniam multorū annumerantes opiniones, non ex alienis, ſed ex proprijs dogmatibus ſermocinabimus ad eos tranſmutantes, quoniam non benè videntur nobis dicere. Ad diſciplinas quidem ſecundum Philoſophiam, quoniam potentes ad vtraque dubitare facilè, & in ſingulis ſumemus verum, & falſum.*

Deindè 1. *Elench. cap. 9.* oſtendit Antiquos Syllogizantes ſine ordine, confusè locutos, & imperitè, inſtar addiſcentium Artes mechanicas, quarum nulla traditur certa via.

Finis Logicę duplex eſt, intrinſecus, & extrinſecus; finis intrinſecus eſt, per ſuas Regulas, & præcepta inducere rectitudinem in operationes noſtri Intellectus; finis extrinſecus eſt comparatio veritatis, ſeù acquiſitio Scientiarum: ſicut in Arte frenufactoria, finis intrinſecus eſt per ſuas regulas, & præcepta inducere figuram fræni in ferrum; finis vero extrinſecus eſt equum dirigere, & benè equitare,

Officium, ſeù munus Logicæ cum ipſomet ſuo fine intrinſeco confunditur, eſt enim, tradere regulas, & præcepta idonea ad regulandum Intellectum in ſuis operationibus ad conſequendam veritatem, in qua tanquam in ſuo bono vltimato, & fine perfectiſſimo conquieſcit.

Obiectum Logicæ materiale, ideſt, materia, quam tractat Ars Logica, eſt triplex Operatio Intellectus; Obiectum formale, ideſt, forma, quam producit, ſeù inducit in triplicem Operationem, eſt rectitudo; ſicut in Arte lignaria, lignum eſt obiectum materiale, ſeù materia quam tractat, obiectum formale, ſeù forma, quam producendo inducit in lignum, eſt figura Cathedræ.

Cæterum Operatio Intellectus nihil eſt aliud, quam eius motus, ſeu cognitio, ſicut operatio potentiæ viſiuæ eſt viſio, & operatio potentiæ audi-tiuæ eſt auditio: quia verò triplici modo diuerſo operatur intellectus, ideo triplex conſtituitur eius operatio; videlicet, ſimplex apprehenſio, iudicium, & diſcurſus.

Simplex apprehenſio fit, cùm Intellectus cognoſcit, & apprehendit aliquod obiectum non affirmando, neque negando aliquid de illo, ideòque etiam alio nomine dicitur indiuiſibilium intelligentia, non quia habeat pro Obiecto aliquid indiuiſibile; ſæpè enim obiectum ſimplicis apprehenſionis eſt aliqua integra Propoſitio, ſed quia fertur in obiectum modo indiuiſibili, ideſt, non affirmando, neque negando, quia negare aliquid de aliquo, eſt per intellectum diuidere, ſicut affirmare aliquid de aliquo, eſt per Intellectum componere, & vnire aliquid cum alio:

Iudicium, ſeù ſecunda operatio intellectus eſt, cum intellectus affirmat,

mat, vel negat aliquid de aliquo;& quidem,quādo affirmat dicitur Compoſitio,quando negat, dicitur Diuiſio; Appellatur quoque hæc ſecunda operatio communiter Propoſitio,& Enunciatio.

Diſcurſus demum, ſeù tertia operatio Intellectus eſt, cum ex vna cognitione progreditur, & procedit intellectus ad aliam; dicitur enim diſcurſus ducta analogia à motu progreſſiuo animalis, quod quidem tunc dicitur diſcurrere, quando ex vno loco tranſit, & procedit ad alium, ſic intellectus noſter tunc dicitur diſcurrere, quando ex vna cognitione trāſit,& progreditur ad aliam, qui ſanè progreſſus ſolet explicari per particulam illatiuam,ergo,vel, igitur. Solet etiam hæc tertia operatio dici Ratiocinatio,Argumentatio,& Syllogiſmus.

Actus imperij,actus attentionis,& dubitationis, qui etiam ſæpè ab intellectu noſtro eliciuntur,reducuntur ad tres operationes iam enumeratas:quæ inter ſe hunc ordinem ſeruant, Prima ſupponitur à ſecunda, & tertia;Secunda ſupponit primam, & ſupponitur à tertia; Tertia à nulla ſupponitur,ſed ſupponit ſemper illas duas priores.

PRIMA PARS
INTRODVCTIONIS IN LOGICAM.

Cognitio Termini ſpectat ad dirigendam primam operationē Intellectus, quia eſt Obiectum ſimplicis apprehenſionis,& conſequenter ſpectat ad Primam Partem Introductionis,& Logicæ.

LECTIO I.

Terminus, & varia eius Diuiſio.

Terminus,ſi in tota ſua latitudine accipiatur,eſt id, intrà quod eſt totū id,cuius dicitur terminus, & extrà quod nihil illius eſt adinuenire, ità puncta dicuntur termini lineæ,quia intrà puncta eſt aſſignare totam lineam, extrà vero puncta nihil lineæ eſt reperire; verum apud Logicos terminus eſt idem,ac vox, ſeù dictio apud Grammaticos; aptè autem appellatur terminus,quia terminat, & claudit propoſitionem, tanquam eius extremum,& pars componens, v.g. in hac Propoſitione, Petrus eſt homo, *τὸ Petrus*, & *τὸ homo*, ſunt termini, ſeù extrema,ſeù partes illius Propoſitionis; vnde quamuis particula,eſt,& ipſa ſit dictio,& vox,quia tamen non eſt extremū, ſed potius connexio extremorum, ſeù copula,non poteſt dici terminus; ſumitur hæc termini explicatio ex *Ariſt.* 1. *Prior.*1.vbi definit terminum: *terminum voco in quem reſoluitur Propoſitio, vt prædicatum,& quo de,id vel appoſito, vel ſeparato eſſe,vel nō eſſe,prædicatur.* Cæterum Propoſitio, & qualibet alia res reſoluitur in ſua extrema, ſeù partes, ex quibus conſtat,& componitur.

Primò diuiditur terminus in mentalem,vocalem,& ſcriptum:terminus mētalis eſt is,qui mente concipitur; vocalis vero is,qui voce exprimitur, & pronuntiatur, ſcriptus denique qui ſcriptis cō ſignatur,vnde eadem ſane vox, & terminus,v.g. leo,prout mente concipitur,dicitur terminus mentalis,prout ſcribitur, appellatur ſcriptus.

Secundò diuiditur terminus mētalis,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

in terminum primæ intentionis, & in terminum ſecundæ intẽtionis; terminus primæ intentionis eſt ille, qui ſignificat obiectum ſecundum eſſe, quod habet à parte rei independenter ab opere intellectus, vt hic terminus, homo, ſignificat naturã humanam. Terminus ſecundæ intentionis eſt is, qui ſignificat obiectum ſecundum eſſe, quod habet beneficio intellectus, ita terminus homo, vt cognitus ab intellectu, dicitur terminus ſecundæ intentionis, licet enim intentio propriè dicatur de actu voluntatis, attribuitur etiam, & appropriatur actui intellectus, & cognitioni, quæ & ipſa dicitur intentio.

Tertiò diuiditur terminus mentalis in vltimatum, & inultimatum; terminus vltimatus eſt, quando vox aliqua non ſumitur in ſenſu materiali, & pro ſe ipſa, quatenus eſt compoſitum quid ex literis, & ſyllabis, ſed pro re, quam ſignificat, & in ſenſu formali; è contra inultimatus terminus eſt, quando vox aliqua ſumitur in ſuo ſenſu materiali, ità terminus, Leo, ſi ſumatur, vt vox eſt diſſyllaba, eſt terminus inultimatus, ſi accipiatur, vt ſignificat naturam Leonis, eſt terminus vltimatus.

Quartò diuiditur terminus mentalis in directum, & reflexum; terminus directus eſt, cum intellectus directè, & immediatè prima vice attingit obiectum, ſeu prima vice cognoſcit obiectum; terminus verò reflexus eſt, cum intellectus ſuprà ſe ipſũ reflectitur, & iterum cognoſcit illud idem obiectum, non quidem immediatè attingendo obiectum, ſed immediatè attingendo cognitionem ſuam, qua cognouit obiectum, atque adeo illud cognoſcit, vt aliàs à ſe cognitum; proprium eſt enim naturæ intellectualis ſupra ſeipſam reflectere, cognoſcendo ſuos actus, & ſuas proprias cognitiones.

LECTIO II.

Terminus Vocalis, & varia eius Diuiſio.

TErminus vocalis deſcribitur, vt ſit vox ſignificatiua ad placitum: dicitur vox ſignificatiua, ad excludendas voces non ſignificatiuas, vt blitri; & quia vox ex *Ariſt. 1. Perhier. eſt ſignum earum, quæ in animo latent, paſſionum,* ideò additur, ad placitum; quia ſignum eſt duplex, aliud naturale, ideſt à natura factum ad aliquid ſignificandum, vt riſus ſignum lætitiæ, fumus ſignum ignis latentis: aliud ad placitum, ideſt, impoſitum ad aliquid ſignificandum ex beneplacito hominum, vt Sonus Campanæ, qui eſt ſignũ Lectionis.

Terminus ergo vocalis eſt ſignum ſignificatiuum ex hominum beneplacito; Nomine ſigni venit id, quod præter ſui cognitionem, in alterius nos cognitionem inducit, ità imago Regis præter cognitionem imaginis, ducit nos in cognitionem ipſius Regis, quem repræſentat.

Primò igitur terminus vocalis diuiditur in terminum Categorematicum, & Sincategorematicum; Categorematicus eſt is, qui ſe ſolo, & per ſe aliquid determinatè ſignificat, vt homo, leo; Sincategorematicus eſt vox ſe ſola nihil determinatè ſignificans, ſed coniuncta cum voce determinatè per ſe ſignificatiua aliquid perfectè ſignificat, vt omnis, nullus; dixi, perfectè, quia ſe ſolo terminus Sincategorematicus, & ipſe habet ſignificationem quandam, ſed valdè imperfectam.

Nonnulli hic addunt terminum mixtũ cuiuſmodi ſunt aduerbia, vt doctè, ſapienter.

Sed reuerà, cum non habeant rationem ſubiecti, aut prædicati & conſequentèr cũ non ſint extrema propoſitionis, non ſunt propriè terminus, ſed potius ſunt ſignum, & modus termini.

Secundò diuiditur terminus in compoſitum, ſeu complexum, & in ſimplicem, ſeu incomplexum: Terminus complexus eſt is, cuius partes ſeparatæ retinent eandem ſignificationem, quam habebant, quando erant vnitæ, vt homo rationalis, Terminus incomplexus eſt his, cuius partes ſeparatæ non retinent eandem ſignificationem, vt Dominus.

Tertiò diuiditur terminus ſimplex in finitum, & infinitum; terminus finitus eſt is, qui rem aliquam determinatè, & finitè ſignificat, vt homo, terminus infinitus is eſt, qui nihil determinatè ſignificat, ſed habet particulam, *non*, immediatè ante ſe poſitam, vt non homo, nõ Leo. Dixi immediatè antè ſe poſitam; quia ſi illa particula, *non*, ponatur antè verbum ſubſtantiuum, eſt, erit terminus negatus, non infinitus.

Quartò diuiditur terminus finitus in Abſtractum, Concretum, Abſolutum, & Connotatiuum: terminus Abſtractus eſt ille, qui ſignificat formam Abſtractam, ſeù ſeparatam à ſubiecto, vt albedo; concretus,

eſt

Digitized by Google

eſt is, qui ſignificat formam concretam, ſeu compoſitam cum ſubiecto, illique cõiunctam, vt album. Connotatiuus ſignificat formam per modum adiacentis in ſubiecto, & à Grammaticis dicitur nomen adiectiuum, vt albus, alba, album. Abſolutus eſt is, qui ſignificat formam ad modũ per ſe ſtantis, vt homo.

Porrò differũt hi quatuor termini inter ſe, quia licet omnis connotatiuus ſit concretus, vt album v.g. non tamen omnis cõcretus eſt connotatiuus, nam homo v.g. eſt terminus concretus, ſed non eſt terminus connotatiuus, quia non eſt adiectiuus. Similiter omnis abſtractus eſt abſolutus, humanitas enim eſt terminus abſtractus, & eſt abſolutus, ideſt, ſubſtantiuus, ſed nõ omnis abſolutus eſt abſtractus, homo enim eſt terminus abſolutus, & ſubſtantiuus, ſed non eſt abſtractus.

Subdiuiditur terminus cõnotatiuus, ità vt alius ſit intrinſecus, alius extrinſecus; terminus connotatiuus intrinſecus ſignificat formã intrinſecè inhærẽtẽ, vt albũ, terminus connotatiuus extrinſecus ſignificat formã extrinſecè inhærẽtẽ, vt cognitum.

Quintò diuiditur terminus in denominantem, & denominatum; terminus denominatus eſt is, qui ab alio accipit ſuam denominationem, vt fortis à fortitudine; terminus denominans eſt is, qui alteri tribuit denominationem, vt fortitudo, quæ tribuit denominationem fortis.

Sextò diuiditur terminus in ſingularem, & communem; terminus ſingularis eſt, qui vnum ſignificat, vt Petrus; vel etiam ſignificat plures, ſed ad modum vnius, vt Ciuitas, Populus; terminus communis eſt, qui de pluribus dicitur, vt animal, homo. Terminus ſingularis ſubdiuiditur, ità vt alius ſit determinatus, vt hic homo, alius indeterminatus, vt quidam homo, quidam lapis, & communi vocabulo dicitur, indiuiduum vagum.

Terminus communis ſubdiuiditur, ità vt alius ſit trãſcendens, alius non trãſcendens; non trãſcendens de pluribus prædicatur, ſed non de omnibus; tranſcendens verò de omnibus dicitur, & affirmatur: termini trãſcendentes ſunt numero ſex, qui adiuuandæ memoriæ gratia hac vna voce continentur, *Renbau*, ideſt, res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum.

Nonnulli ad aſſignatã Diuiſionẽ addũt terminũ ſupertrãſcendentẽ, qui dicitur, & affirmatur de nõ entibus, vt intelligibile, cognoſcibile.

Sed ſi cognoſcibile, eſt terminus ſupertranſcendens, talis quoque erit non ens, quia ex *Ariſt.* 4. *met.t.*2. non ens eſſe non ens dicimus.

Terminus communis non tranſcendens ſubdiuiditur in Vniuocum, AEquiuocum, & Analogum. Terminus Vniuocus vnum nomen eſt, & vnam habet ſignificationem importatam per tale nomen in omnibus ſuis inferioribus, vt homo, qui vnus terminus eſt, vnũ nomẽ eſt, & ſignificat eandem naturam humanam in omnibus indiuiduis importatam per illud nomen. Terminus æquiuocus vnum nomen eſt, ſed non ſignificat eandem naturam in omnibus ſuis inferioribus, vt canis comparatus cum cane cæleſti, terreſtri, & marino; dixi canis comparatus cum cane cæleſti, terreſtri, & marino, quia ſi compararetur cum indiuiduis canis terreſtris, eſſet terminus vniuocus æquè, ac eſt terminus homo comparatus cum ſuis indiuiduis.

Terminus Analogus vnum nomen eſt, ſed ſignificat naturam partim eandem partim diuerſam, vnico verbo, ſimilem, in ſuis inferioribus; ſed hic triplex eſt, primum eſt proportionis, & ſimilitudinis; alius attributionis, & ordinis; Tertius inæqualitatis; primus eſt, qui primò impoſitus ad aliquid determinatè ſignificãdum, deindè propter ſimilitudinem, quam habet cum altero, extenditur etiam ad illud alterum ſignificãdum, vt vox iſta pes, quæ primò eſt impoſita ad ſignificandum pedem animalis, ſed extenditur ad ſignificãdam radicem montis, quia inter pedem animalis, & radicem montis eſt aliqua ſimilitudo; ſecundus terminus Analogus eſt, qui primò impoſitus ad aliquid ſignificandum, deindè propter ordinem, quem dicit ad aliud, ſignificat etiam illud aliud, vt ſanum, quod primò dicitur de corpore animalis, in quo verè eſt ſanitas, deindè extenditur ad medicinam, & colorem; medicina dicitur ſana, quatenus cauſat ſanitatem, & color dicitur ſanus, quia eſt ſignum ſanitatis.

Tertius eſt analogus inæqualitatis, cùm ratio communis inæqualiter participatur ab inferioribus, quia perfectiori modo ab vno, quàm ab alio, ità ratio entis perfectiori modo participatur à Deo, quàm à Creaturis.

Septimò diuiduntur termini in terminos pertinentes, & terminos impertinentes; hi ſunt, quorum vnus non ſpectat, nec pertinet ad alium, vt Luna, & lapis; termini

mini pertinentes ſunt, qui ſe inuicem, vel inferunt, vel excludunt; ſi ſe inuicem inferant, vt homo, & riſibilis, dicuntur pertinentes ſecundum ſequelam, quia ex vno ſequitur alius, valet enim eſt homo, ergo eſt riſibilis: ſi verò ſe inuicem excludant, dicuntur pertinentes ſecundum repugnantiam, vt lux, & tenebræ; hi autem ſunt quatuor, videlicet poſitiuè contrarij, vt calor, & frigus; priuatiui, vt lux, & tenebræ; relatiui vt pater, & filius; contradictorrij, vt lapis, non lapis; horum fuſior explicatio aptius habebitur in ſubſequentibus Lectionibus, & materijs.

LECTIO III.

Vniuerſalia, & Prædicabilia.

VNiuerſalia, & Prædicabilia ſunt termini ſecundę intentionis, & horum explicatio conducit ad intelligenda Prædicamenta; Porrò Vniuerſale, & Prædicabile differunt, vt ſuperius, & inferius; Vniuerſale eſt quid commune, & ſuperius ad quinque ſua inferiora, ideſt, quinq; Prædicabilia, quæ ſunt Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Vniuerſale, & terminus communis idem ſunt; vniuerſale enim eſt terminus ſignificans naturam vnam aptam eſſe in multis; vt homo, eſt terminus communis, & eſt vniuerſalis, quia ſignificat naturam humanã, vnam ſpecie, & aptam eſſe in multis indiuiduis participantibus illam naturam.

Terminus vniuerſalis, ſeù communis, vel eſt Genus, vel eſt Species, vel eſt Differentia, vel eſt Proprium, vel eſt Accidens.

Genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid, vbi τὸ *quid* ſignificat partem eſſentiæ explicatam termino ſubſtãtiuo; ſic animal eſt Genus, quia prædicatur de hominibus, & Leonibus, qui differunt ſpecie, ſeù natura, & eſt pars eſſẽtiæ eorum, explicata termino ſubſtantiuo; Hinc interroganti, quid eſt homo, vel Leo, benè poſſumus reſpondere, eſt animal. triplex autẽ eſt Genus, nimirũ, Genus generaliſſimum, ſupra quod non eſt aliud Genus; Genus mediũ ſuprà, & infrà quod eſt aliud, & genus infimum, ſuprà quod eſt aliud Genus, ſed non infrà, ut patet in ſequenti deſcriptione, quam nonnulli Porphirij Arborem appellant à figura Arboris, quam ſolent deſcribere.

Corporea	*Subſtantia*	*Incorporea*
Animatum	*Corpus*	*Inanimatum*
Senſitiuum	*Viuens*	*Inſenſitiuum*
Rationale	*Animal*	*Irrationale*
Petrus	*Homo*	*Paulus.*

Vbi ſummum Genus eſt ſubſtantia, Genus medium, quod ſolet etiã dici ſubalternum, eſt corpus, uiuens. Genus infimum eſt animal. Termini à latere cuiuſque Generis poſiti ſunt differentię ſuo generi correſpondentes, nullum enim eſt aſſignare Genus, quod ſuas non habeat differentias ſupremas, medias, ſeù ſubalternas, & infimas, ſeu atomas, & ultimas.

Species prædicatur de pluribus differentibus numero in quid: ubi τὸ *quid*, importat totam, & completam eſſentiam, u.g. homo eſt Species, quia prædicatur de Petro, Franciſco, Paulo, & cæteris indiuiduis, & eſt tota eorum eſſentia, ſeu natura, unde interroganti, quid eſt Petrus, bene reſpondetur per Speciem, eſt homo. Triplex quuoque eſt ſpecies, ſuprema, media, ſeu ſubalterna, & infima, ſeu athoma, & ultima, & explicatur eodem mòdo, ac ſupra explicauimus Genus.

Differentia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, uel numero in quale quid, ubi τὸ *quale quid*, ſignificat partem eſſentiæ explicatam termino, ſeu nomine adiectiuo, ut rationale; dixi ſpecie, uel numero, ut illa definitio applicaretur æquè differentiæ ſubalternæ, ſeù mediæ, & infimæ ultimæ, ſeu atomę; quia illa prior prędicatur de pluribus differentibus ſpecie, vt ſenſitiuum, hæc uerò poſterior prædicatur de pluribus differentibus numero, ut rationale, Hinc interroganti; quale quid eſt homo, bene reſpondetur per rationale.

Proprium quartum prædicabile dupliciter ſumitur, primò quidem, prout eſt proprietas, & paſſio emanans ab eſſentia rei, & ſic dicitur à nõnullis ſumi primo intentionaliter, quia ſic ſumptum eſt terminus primæ intentionis: Secundò ſumitur prout eſt quartum Prædicabile, & ità dicitur ſumi ſecundò intentionaliter, quia eſt

Digitized by Google

eſt terminus ſecundæ intentionis; Proprium primo modo acceptum eſt quadruplex, primum eſt, quod cõuenit ſoli, ſed non omni, vt ſoli homini cõuenit eſſe Iuriſperitum, ſed non omni. ſecũdum eſt, quod conuenit omni, ſed non ſoli, vt habere duas aures omni homini conuenit, ſed non ſoli; Tertium eſt, quod conuenit omni ſoli, ſed non ſemper, vt caneſcere conuenit omni ſoli homini, ſed nõ ſemper, & quocumque tempore ætatis, ſed ſolum in ſenectute; Quartum denique eſt illud, quod conuenit omni, ſoli, ſemper, & conuertibiliter dicitur de eo, cuius eſt Proprium, vt riſibile reſpectu hominis, valet enim, eſt homo, ergo riſibilis; eſt riſibilis, ergo homo.

Proprium ſecundo modo acceptum definitur eſſe illud, quod prædicatur de pluribus differẽtibus numero *accidentaliter*, ſed neceſſariò; ybi per *τὸ* accidentaliter differt Proprium à tribus ſupra enumeratis Prædicabilibus, quæ prædicantur, vt eſſentia ſiue completa, ſiue incompleta; per *τὸ neceſſariò*, differt ab accidente, quod prædicatur contingenter de ſuis inferioribus.

Accidens demum, & ipſum ſumitur primò intẽtionaliter, & ſic definitur vulgata illa definitione; Accidens eſt illud, quod poteſt adeſſe, & abeſſe à ſubiecto præter eiuſdem ſubiecti corruptionem. ſi ſumatur ſecundò intentionaliter, definitur per prædicari de pluribus accidentaliter, & contingenter.

LECTIO. IV.

Prædicamenta.

PRædicamenta, quæ phraſi Ariſtotelica dicuntur Categoriæ, & ipſa ſunt termini primæ intentionis, ſignificant enim res ſecundũ eſſe quod habent ex ſe, & à parte rei independenter ab opere intellectus; Cæterum quidquid eſt in hac rerum Vniuerſitate reduxit Philoſophus ad hæc decem ſumma rerum capita, ſeu genera, vno tamen excepto Deo, ſunt autem, ſubſtantia, quantitas, qualitas, Actio Paſſio, Relatio, Locus, Tempus, Situs, & Habitus; memoriæ gratia hoc diſticho continentur.

Arbor, ſex, pueros, ardore, refrigerat, vſtos.
Rurì, cras, ſtabo, ſed tunicatus ero.

Subſtãtia, eſt apta nata per ſe ſubſiſtere, & alteri non inhærere tanquam ſubiecto, è contra accidens eſt illud, quod eſt aptum natum alteri tanquam ſubiecto inhærere: dixi accidens eſſe aptum natũ inherere, quia datur aliquod accidens, quod actu non inhæret ſubiecto, ſed per ſe ſubſiſtit, & tamen verè eſt accidẽs, quia adhuc eſt aptum natum inhærere.

Quantitas eſt accidens dans rebus formaliter, quòd ſint quãtæ, & extẽſæ; tunc autem res dicuntur extenſæ, quando vna eſt extrà aliam, & vna eſt extrà locum alterius, quatenus non eſt in loco, in quo eſt altera; hinc eſt, quòd non quanta, vt Angeli, poſſint plura eſſe in vno, eodemque loco.

Qualitas eſt accidens, dans ſubiecto formaliter eſſe quale, vt album, muſicum; eſt autem quadruplex; prima eſt habitus, & diſpoſitio, habitus eſt qualitas firmiter in ſubiecto radicata, ideoque difficile ab eo remouibilis, ità eſt Sciẽtia sũmo ſtudio, & labore acquiſita, diſpoſitio eſt qualitas in ſubiecto nõ ità firmiter radicata, ideoque facilè ab illo remouibilis, talis eſt ſanitas in conualeſcente. Secunda eſt naturalis potentia, & impotentia; naturalis potẽtia eſt naturalis vis ad aliquid faciendum, vel patiendum, talis eſt vis naturalis ad ſtudendum, naturalis impotentia eſt naturalis incapacitas ad aliquid faciendum, vel patiendum, ut naturalis hebetudo ingenij ad diſcendum. Tertia eſt paſſio, & paſſibilis qualitas, & hæ ſunt qualitates ſenſibiles, quæ ſi facilè à ſubiecto remoueantur, dicuntur paſſiones, talis eſt rubor ex verecundia ortus; ſi verò cum aliqua difficultate remoueri à ſubiecto poſſint, dicuntur qualitates paſſibiles, talis eſt pallor ex longa ægritudine contractus. Quarta eſt forma, & figura; forma eſt illa externa diſpoſitio lineamentorum, & externa figura rerum; figura eſt modus quãtitatis mathematicè acceptæ, vt triangulum, quadrangulum.

Actio, eſt operatio agentis, quæ prout exit, & fit ab agente, dicitur Actio, prout vero recipitur in paſſo, dicitur Paſſio.

Relatio eſt, per quã vnũ reſpicit aliud ita vt ſine illo nec eſſe, nec intelligi poſſit, ità Pater habet relationem ad filium, quia reſpicit filium, nec poteſt eſſe, aut intelligi, aut definiri Pater ſine filio.

Locus, eſt aliquo loco circumſcribi, ſicut & Tempus, eſt aliqua temporis differentia definiri. Situs eſt, eſſe ità diſpoſitũ in ordine ad locum; deniq; Habere eſt aliquo

quo indumento eſſe veſtitum; ſufficiat in præſenti rudis hæc, & compendioſa Prædicamentorum deſcriptio, quia fuſa eorũdem explicatio habebitur partim in Logica, partim in Phyſicis.

LECTIO V.

Proprietates Terminorum.

ORdo naturæ & doctrinæ poſtulat, vt cognita natura, & eſsẽtia Terminorũ progrediamur ad cognoſcendas, & declarandas eorundem proprietates: ſunt autem, Quantitas, Qualitas, Suppoſitio, Status, Diſtractio, Alienatio, Ampliatio, Reſtrictio, Appellatio, & Diminutio.

Quantitas termini eſt eiuſdem extenſio ad plura, vel pauciora ſignificanda, id autem cognoſcitur per appoſitionem quarundem particularum, quæ ob id ſigna dicuntur, vt omnis, nullus, aliquis, quidam. Quantitas ergò termini ſumitur ab vniuerſalitate, vel particularitate, ſicuti Qualitas deſumitur ab affirmatione, vel negatione; quare interroganti, quantus eſt terminus, reſpondebis, vniuerſalem, vel particularẽ, prout fuerit antepoſitum ſignum vniuerſale, vt ſunt omnis, nullus, vel particulare, vt aliquis, quidam. Interroganti ſimiliter, qualis eſt terminus, reſpondebis, affirmatiuus, vel negatiuus iuxtà qualitatem ſigni antepoſiti; quòd ſi nullum ſit antepoſitum ſignum, terminus uel erit ſingularis, ut Petrus, uel communis, vt homo; & ſi ſit communis erit indefinitus, ideſt, per nullum ſignum finitus, & limitatus.

Suppoſitio termini, ut colligitur ex *Ariſtot. initio Elenchorum*, eſt uſus, ſeu acceptio termini pro ſe, uel pro ſuo ſignificato; termini enim res ipſas ſignificant, & loco rerum, quas diſputando non poſſumus in medium afferre, utimur, & rerum loco ſupponimus. Verum quia terminus aliquando pro ſeipſo ſupponit, & ſeipſum ſignificat, & aliquãdo ſupponit pro re alia, ſeu rem aliam ſignificat, ideò quando terminus ſupponit pro ſeipſo, ut terminus homo, prout ſignificat ſe eſſe terminum diſſyllabum, tunc dicitur ſupponere materialitèr; quando uero ſupponit pro re alia, quam importat, & ſignificat, tunc terminus dicitur ſupponere formaliter.

Suppoſitio formalis eſt duplex; ſimplex, & perſonalis. Simplex eſt, cum aliquis terminus uniuerſalis accipitur pro ſuo immediato ſignificato, ut homo, prout ſignificat naturam humanam; perſonalis eſt, cum accipitur pro ſuo mediato ſignificato, ut homo, cum accipitur pro indiuiduis, quæ mediatè ſignificat. Iterum ſuppoſitio perſonalis eſt duplex, nimirum diſtributiua, & collectiua: diſtributiua eſt, cum terminus uniuerſalis ſupponit pro omnibus, & ſingulis, ut cùm dicitur, Apoſtoli ſunt Sancti, hæc enim propoſitio non ſolum uerificatur de omnibus Apoſtolis ſimul acceptis, ſed etiam de ſingulis. Suppoſitio collectiua eſt, cùm terminus uniuerſalis ſupponit pro indiuiduis ſimul collectiue acceptis, ut cum dicitur, Apoſtoli ſunt duodecim.

Status termini eſt, ſeù tunc terminus dicitur eſſe in ſuo ſtatu, quando terminus non importat tempus diuerſum ab eo, quod importatur per copulam, *eſt*, vt cum dicitur, Petrus eſt doctus, tunc vero terminus dicitur nõ eſſe in ſuo ſtatu, ſed potiùs ampliari, & diſtrahi, quando importat tẽpus diuerſum ab eo, quod importatur per copulam, *eſt*, vt cum dicitur qui eſt ſtudens diſputabit; ſenſus enim eſt, qui eſt, & erit ſtudens, diſputabit, vbi terminus, ſtudens, non ſolum importat tempus præſẽs, quod importatur à copula, *eſt*, ſed etiam importat tempus futurum.

Diſtractio ab Ampliatione non diſtinguitur, quoties enim terminus importat tempus diuerſum ab eo, quod importatur per copulam, *eſt*, toties dicitur ampliari; aut diſtrahi: niſi uelimus dicere, quòd tunc fit diſtractio, quando terminus unã tantũ tẽporis differentiã ſignificat diuerſam ab ea, quam importet copula, *eſt*, ut cum dicitur, cęci uident, ſenſus eſt, hi qui fuerunt cęci, uident.

Ampliatio uero tunc fit, quando terminus ſignificat plures temporis differentias diuerſas ab ea, quam aliàs importaret copula, *eſt*, ut cum dicitur, qui eſt ſtudens, diſputabit; ſenſus enim eſt, qui fuit, eſt, & erit ſtudens, diſputabit.

Alienatio eſt tranſlatio termini à propria ſignificatione ad impropriam, & metaphoricã, ut cũ dicitur homo pictus.

Reſtrictio, ſeù Diminutio fit, cũ terminus, qui de ſe plura ſignificaret per additionem alterius termini ſignificat pauciora, ut cum dicitur, Ariſtoteles eſt bonus Philoſophus, *τὸ bonus*, ſignificat de ſe bonitatem in omni genere, ſed quia additus eſt alius terminus, *τὸ Philoſophus*, reſtricta eſt ſignificatio ad bonitatem in genere Philoſophiæ tãtũ; dixi, Reſtrictio,

ſeu

ſeù Diminutio, quia apud me, duo illa non diſtinguuntur, niſi velis dicere, quòd Diminutio fiat per additionem alicuius termini in obliquo poſiti, vt cum dicitur AEthiops eſt albus ſecundum dentes, Reſtrictio vero fiat per additionem alicuius termini in recto, & in nominatiuo poſiti, vt in exemplo mox adducto.

Appellatio eſt, quando vnus terminus tribuit alteri ſuam ſignificationem, atque adeò illum determinat, v.g. cum dico, Petrus eſt magnus Logicus; *τὸ magnus*, eſt terminus appellans, & cadens ſuprà Logicum, importat in Petro eſſe magnam Logicam: è contra vero ſi diceretur, Petrus magnus eſt Logicus, ſenſus eſſet, quòd Petrus magnæ molis, & quantitatis, haberet Logicam.

SECVNDA PARS
INTRODVCTIONIS IN LOGICAM.

AD ſecundam Introductionis; atque adeò Logicæ partem ſpectat agere de Propoſitione, ſeù Enunciatione, quæ eſt ſecunda operatio Intellectus, qui prout affirmat, vel negat aliquid de aliquo, dicitur elicere ſecundam Operationem, ſeù exercere ſui ſecundum actum.

LECTIO I.

Definitio, & Diuiſio Propoſitionis.

DEfinitur ergo communiter à Philoſophis Propoſitio, quòd ſit Oratio perfecta affirmans aliquid de aliquo verè, vel falsè. Fundatur iſta definitio in *Ariſt.* 1. *Prio.* 1. & primò quidē in ea dicitur, quòd ſit *Oratio*, id eſt plures termini nexu aliquo grammaticali coniuncti; dicitur ſecundò, *perfecta*, quia debet habere perfectum ſenſum, & non relinquere ſuſpenſū animum Auditoris, vndè iſta oratio, ſi Petrus ambularet, non eſt propoſitio, ſicut nec iſta alia. Petre fac ignem, quia licèt ſit affirmatiua, & animum auditoris non relinquat ſuſpenſum, tamen adhùc non eſt oratio perfecta, quia non conſtat prædicato, & ſubiecto; cæterum neceſse non eſt, quòd prædicatum expreſsè, & explicitè ponatur, ſed ſufficit, ſi contineatur implicitè in propoſitione, ſeù lateat in verbo. quòd ſi reſoluatur in participium, & verbum ſubſtantium, *eſt*, ſtatim apparebit, vt Petrus legit, reſoluitur, ſic, Petrus eſt legens, vbi *τὸ legens*, eſt prædicatum; verbū, *eſt*, inſeruit, vt copula coniungens prædicatum cùm ſubiecto, & ſemper in propoſitionibus vſurpatur; habemus ergo ad propoſitionem tria requiri, ſubiectum, prædicatum, & copulam; ſubiectum eſt id, de quo aliquid affirmatur; prædicatum eſt id, quod de alio affirmatur, vel negatur, copula eſt verbum ſubſtantiuum, *eſt*. Demum in ea definitione dicitur verè, vel falsè, quia in qualibet propoſitione debet eſſe veritas, vel falſitas.

Propoſitio primò diuiditur in ſimplicem, ſeù Categoricam, & in Compoſitam, ſeù Hypotheticam: Propoſitio ſimplex, vel eſt vna tantum, vt homo eſt animal, vel ſunt plures propoſitiones ad modum vnius, vt Petrus, & Paulus ſunt homines docti. Propoſitio compoſita ſunt plures propoſitiones ſimul vnitæ, vt fuſiùs infrà.

Propoſitio ſimplex ſubdiuiditur in eā, quæ dicitur de ineſſe, in qua affirmatur tantùm prædicatum ineſſe ſubiecto; & in eam, quæ dicitur modalis, in qua aſſignatur modus, quo prædicatum ineſt ſubiecto, vt homo neceſſariò, ſeù eſſentialiter eſt animal. Iterum ſubdiuiditur in eā, quæ eſt de ſecundo adiacente, & in eam,

Digitized by Google

quæ eſt de tertio adiacente, & quia prædicatum eſt illud, quod dicitur adiacere ſubiecto propoſitionis, quando in propoſitione explicitè ponitur prædicatum, dicitur propoſitio de tertio adiacente, quando vero implicitè ponitur, dicitur propoſitio de ſecundo adiacente, vt Petrus legit, eſt de ſecundo adiacente, ſed reſoluitur in iſtam, Petrus eſt legens, & fit propoſitio de tertio adiacente.

Denique diuiditur Propoſitio in naturalem, & directam, innaturalem, & indirectam: propoſitio naturalis, & directa illa eſt, in qua prædicatur id, quod verè debet prædicari, & ſubijcitur id, quod verè, & naturaliter debet ſubijci; cæterum verè, & naturaliter prædicari debet id, quod eſt ſuperius, & debet ſubijci id, quod eſt inferius; apud Logicos id dicitur ſuperius, quod eſt vniuerſale, & magis latè patens, è contrà id dicitur inferius, quod eſt particulare, & minus latè patens, iſta ergo propoſitio, homo eſt animal, eſt propoſitio naturalis, & directa, hæc alia, animal eſt homo, eſt innaturalis, & indirecta.

Denique Propoſitio ſimplex, alia eſt identica, in qua idem de ſe ipſo affirmatur, vt homo eſt homo, alia eſt non identica, in qua prædicatum eſt omninò diuerſum à ſubiecto, vt cum dicitur, homo eſt lapis.

Materia Enũciationis, ſeu propoſitionis proxima ſũt termini, ex quibus conſtat, remota ſũt res ſignificatæ per terminos.

Copula explicata per particulam, *eſt*, habet locum Formæ.

Propoſitio aliquando dicitur eſſe in materia neceſſaria, ſi, videlicet, prædicatum ſit eſſentiale ſubiecto, vt homo eſt animal; aliquãdo dicitur eſſe in materia contingenti, ſi prædicatum ſit accidens ſubiecti, vt homo eſt albus.

Quantitas Propoſitionis ſimili modo, quo ſupra dicebamus de quantitate Terminorum ſumitur penès Vniuerſalitatem, & particularitatẽ, ſingularitatem, & indefinitionem, ſicuti & Qualitas penès Affirmationem, & negationem; & propterea penes veritatem, & falſitatem, quælibet enim Propoſitio, ſicuti debet eſſe affirmatiua, vel negatiua, ità debet eſſe vera, vel falſa.

LECTIO II.

Oppoſitio Propoſitionum.


PLura ſunt hic explicanda de Oppoſitione, Æquipollentia, & Conuerſione Propoſitionum, quæ in diſcurſu Scholaſticarum concertationum, vel quàm rariſſimè, vel ferè nunquam occurrunt, & quia difficillima, valdè torquent Tyronũ ingenia, ideò omitterem ea libenter, niſi obſtaret ſolemnis æquè, ac inueterata Summuliſtarum conſuetudo.

Oppoſitio ergo Propoſitionũ eſt duarum propoſitionum eiuſdem prædicati, & ſubiecti repugnantia in quantitate, aut qualitate; ſi pugnent in quantitate, & qualitate ſimul, erunt Contradictoriæ, & ità Contradictoriæ ſunt, Vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua; vt omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal; eodẽ modo opponuntur Vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, vt nullus homo eſt animal, aliquis homo eſt animal, ad hoc genus oppoſitionis reducitur oppoſitio duarum ſingularium, vnâ affirmatiua, altera negatiua, vt hic homo non eſt lapis, hic homo eſt lapis. Si duæ propoſitiones pugnent in quantitate tantum, erunt Subalternæ, vt omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal.

Si pugnent in ſola qualitate, & ſint ambæ Vniuerſales, erit oppoſitio Cõtraria, vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal; quòd ſi ambæ ſint particulares, erit oppoſitio Subcontraria, vt aliquis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal. Patet hæc doctrina clarius inſpicienti, & conſideranti ſequentem figuram.

Omnis

Digitized by Google



Porrò circa Veritatem, & falſitatẽ harum Propoſitionum explicato modo oppoſitarum ſequentes regulæ tradi ſolent.

Prima regula pro Contrarijs eſt, eas non poſſe eſſe ſimul veras in materia neceſſaria, ſed neceſſariò vna earum debet eſſe vera, altera falſa, vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal; at in materia contingenti non poſſunt eſſe ambæ veræ, ſed vtraque poteſt eſſe falſa, vt omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus.

Secunda regula pro Subcontrarijs eſt, poſſunt eſſe ſimul veræ in materia contingenti, ſed non ſimul falſæ, vt aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus; in materia neceſſaria vna debet eſſe vera, altera falſa.

Tertia regula pro Subalternis eſt, quòd in materia neceſſaria poſſint eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ, vt omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal; nullus homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal; primæ ſunt ambæ veræ, aliæ duæ ſunt ambæ falsæ. at in materia contingenti, quia particularis continetur ſub Vniuerſali, tãquam inferius ſub ſuo ſuperiori, ideò ſi vniuerſalis ſit vera, aut falſa, particularis quoque erit vera, aut falſa; vnde quia falſa eſt iſta, nullus homo eſt albus, falſa quoque erit hæc alia, aliquis homo non eſt albus.

Quarta regula pro oppoſitione Cõtradictoriarum, quæ eſt omnium maxima, eſt: Contradictorias non poſſe eſſe ſimul veras, & ſimul falſas in quacunque materia, ſed neceſſariò vna earum debet eſſe vera, altera falſa; ratio eſt, quia vna ex his negat omne id, quod affirmat altera, & quia idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe, ſed neceſſariò aut eſt, aut non eſt, ideò ſi vna Contradictoriarum affirmatiua ſit vera, altera negatiua debet eſſe falſa; vt omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus.

Verum diligenter aduertendum eſt hic, aliquas Propoſitiones videri Contradictorias, quæ tamen Contradictoriæ non ſunt, vel quia in ijs aſſumuntur termini uniuerſales, qui videntur eſſe particulares, & è contra; vel quia variatur ſuppoſitio terminorum, vel quia non eſt negatio, & affirmatio de eodem reſpectu eiuſdem ſecundum eandem rationem, eodem loco, & eodem tempore, ideòque, vt propoſitiones ſint Contradictoriæ, ſeruanda eſt conſtantia terminorum ex *Ariſtot. 1. Perhier. 4. opponi autem eam dico, quæ eſt eiuſdem de eodem, & non æquiuocè.*

Illud etiam eſt, quàm maximè aduertendum in Propoſitionibus contradictorijs, quòd ſicuti inter diſputandum nihil eſt turpius, aut abſurdius, quàm contradictoria reſpondendo admittere, aut concedere, ità nullum eſt Argumentum efficacius, aut plauſibilius eo, quo Reſpondentem cogimus, contradictoria admittere, & concedere.

Aduertendum eſt denique, Propoſitiones indefinitas in materia neceſſaria æquiualere Vniuerſalibus, vt homo eſt animal, sẽſus eſt, omnis homo eſt animal; in materia verò contingenti æquiualere particularibus, vt homo eſt albus, ſenſus eſt, aliquis homo eſt albus.

Aliquando Propoſitio indefinita æqui-

Digitized by Google

ualet vniuerſali in materia contingenti, ſi prædicatum habeat connexionem inſeparabilem cum ſubiecto, vt iuſti ſaluabuntur: ſenſus eſt, omnes iuſti ſaluabuntur, quia ſalus ex vi diuinæ promiſſionis habet cōnexionem inſeparabilem cum iuſtis.

LECTIO III.

AEquipollentia Propoſitionum.

DIalectici vtuntur AEquipollentia ad obſcuras Propoſitiones elucidandas, & clarius explicandas: eſt autē AEquipollentia duarum propoſitionum cæteròqui oppoſitarum eadem vis, & valor per additionem particulæ negatiuæ, *non*; quæ particula ideò dicitur malignātis naturæ, quia tollit, & negat quidquid reperit poſt ſe, & ſi ſeipſam reperiat, etiam ſeipſam negat & tollit, in quo fundatur commune dictum; duæ negationes affirmant: hinc eſt etiam, vt plus neget negatio, quàm affirmet affirmatio, ideò vt vera ſit iſta Propoſitio, paries eſt coloratus, ſufficit, ſi paries habeat albedinem: ad hoc verò vt ſit vera iſta alia; paries non eſt coloratus, non ſolum debet excludere albedinem, ſed omnem alium colorem.

Cęterum Propoſitiones oppoſitæ non eodem modo fiunt æquipollentes, ſeù idē valentes: & quidem contradictoriæ fiunt æquipollentes, ſi negatio præponatur ſigno alicuius propoſitionis contradictoriæ, tunc enim vna contradictoria æquiualet, ſeù æquipollet alteri: ſint iſtæ propoſitiones contradictoriæ.

Omnis homo eſt animal,
Aliquis homo non eſt animal.

Si vni earum anteponatur negatio, & quidem in fronte propoſitionis, & dicatur, nō omnis homo eſt animal, iſta iam æquiualet alteri, aliquis homo non eſt animal, & ſimiliter ei illi, aliquis homo nō eſt animal, anteponatur negatio ſic, non aliquis homo non eſt animal; æquiualet huic alteri, omnis homo eſt animal.

Contrariæ verò fiunt æquipollentes, ſi negatio ponatur poſt ſubiectum propoſitionis contrariæ, quæ ſtatim alteri æquiualebit; hæc enim, omnis homo eſt animal, eſt contraria huic alteri, nullus homo eſt animal, ſed ſi primæ addatur negatio ſic, omnis homo non eſt animal, iā ęquiualebit huic alteri, nullus homo eſt animal: ſimiliter ſi dicatur, nullus homo non eſt animal, ęquiualet huic alteri, omnis homo eſt animal, eodem modo fiunt æquipollentes ſubcontrariæ.

Denique ſubalternæ fiunt æquipollentes, ſi anteponatur, & poſtponatur ad ſubiectum negatio; hæc enim omnis homo eſt animal, fit æquipollens huic alteri, aliquis homo eſt animal, ſi efformes ità, non aliquis homo non eſt animal, nam non aliquis homo non eſt animal, & aliquis homo eſt animal, idem valent, & æquipollent; ſicuti & hæc altera, aliquis homo non eſt animal, fit æquiualens huic alteri, nullus homo eſt animal, ſi dicamus ità, non aliquis homo non eſt animal; nam nullus homo eſt animal, & non aliquis homo nō eſt animal, idem valent, & æquipollent.

Hæ regulæ, vt memoria retineantur, concluduntur hoc carmine.

Præ contradic, poſt contra, præ poſtque ſubalter.

LECTIO IV.

Conuerſio Propoſitionum.

AD dilucidandas etiam Propoſitiones vtūtur Dialectici alio medio, nempè Cōuerſione; quę nihil aliud eſt, quā neceſſaria conſequentia, ſeù illatio vnius propoſitionis ex altera per tranſpoſitionem prædicati, & ſubiecti, ſeruata eadem quantitate, & qualitate, vt ſi dicamus; nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo, vbi Propoſitio, quæ conuertitur, dicitur Conuerſa; illa altera, in quam conuertitur, dicitur conuertens, ipſa tranſpoſitio dicitur, Conuerſio.

Triplex eſt Cōuerſio, nimirum ſimplex, ſeù in terminis: per accidens, ſeù in partē: & per Cōtrapoſitionē. Conuerſio ſimplex, ſeù in terminis fit cū ſoli termini tranſponuntur, & nō mutatur quantitas, ſicuti nec qualitas, vt in exemplo adducto, nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo. Conuerſio per accidēs, ſeù in partē fit, quādo non ſolum termini tranſponuntur, ſed etiam quantitas variatur, ſi nimirum Vniuerſalis fiat particularis, ità omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo. Conuerſio demum per contrapoſitionem fit, cum ſeruata eadem quantitate, et qualitate termini tranſponuntur, et fiunt infiniti, vt omnis homo eſt animal, ergo omne non animal eſt non homo.

Quæ autē Propoſitiones, debeāt cōuerti ſimpliciter, et quæ per accidens, aut per cōtrapoſitionē ſequēti diſticho indicātur.

Sim-

Digitized by Google

Simpliciter Feci, conuertitur Eua, per Acci.
Adſto per contra; ſic fit Conuerſio tota.
In his verbis tres voces obſeruandæ ſunt, *Feci, Eua, Adſto*, quia in ſingulis ſunt hæ vocales A. E.I.O. quæ vocales quid denotent, ſequentia carmina indicant.
Aſſerit A. negat E. ſunt Vniuerſaliter ambæ.
Aſſerit I. negat O. ſunt particulariter ambæ.
A. igitur ſignificat vniuerſalem affirmatiuam, E. vniuerſalem negatiuam; I. particularem affirmatiuam, O. particularem negatiuam.

Ex his iam facilè colligitur, quę Propoſitiones, & quo modo conuerti debeant: nam Vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua debent conuerti ſimpliciter, ità oſtendunt vocales E. I. quæ ſunt in hac voce, *Feci*; Vniuerſalis negatiua, & affirmatiua conuertuntur per accidens, ſignificantur enim per illam vocem, *Eua*; deniquè Vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua, quæ continętur in voce, *Adſto*, debent conuerti per contrapoſitionem.

Porrò, vt Conuerſio rectè fiat; Nota primò, in propoſitionibus de ſecundo Adiacente ſignificationem verbi ponendam eſſe loco ſubiecti, quando fit Cõuerſio, ità ſi fiat hæc propoſitio, homo currit, conuerti debet ſic, currens eſt homo, non autem debet conuerti hoc alio modo, currit homo, quia aliàs eſſet inutilis, & nugatoria Conuerſio.

Nota ſecundò, ſignum poſitum iuxtà ſubiectum non eſſe ponendum iuxtà prædicatum, quando fit Conuerſio, ità ſi iſta propoſitio, nullus homo eſt lapis, eſſet cõuertenda, non deberet dici, ergo lapis eſt nullus homo, ſed potius, ergo nullus lapis eſt homo; ratio eſt; quia tale ſignum afficit ſubiectum, vt ſubiectum, atque adeò non eſt pars termini occupantis locum ſubiecti.

Nota tertiò non eſſe variandam ſignificationem Propoſitionis, neque enim iſta propoſiio, ſenex fuit iuuenis, poteſt conuerti in iſtam aliam, ergo iuuenis fuit ſenex, fieret enim propoſitio omninò falſa, vt de ſe patet, ergo ſic conuerti debet, ille, qui fuit olim iuuenis, nunc eſt ſenex, nam prioris propoſitionis ſenſus erat, qui nunc eſt ſenex, fuit olim iuuenis.

LECTIO V.

Propoſitiones Modales.

PErſtringemus breuiter ea, quæ ad Modales propoſitiones pertinent, quia vt benè notat *Boetius in Præfatione ad libros Ariſt.* hæc valdè obſcura, & parum neceſſaria ſunt.

Propoſitio ergo Modalis eſt illa, quæ non ſolum affirmat prædicatum ineſſe ſubiecto, vt facit propoſitio, quæ propterea dicitur de ineſſe, ſed etiam aſſignat modum, quo prædicatum ineſt ſubiecto & quidem non eſt ſermo de modis modificantibus, & qualificantibus terminos, vt fit in hac propoſitione, Petrus diligenter ſtudet, ſed eſt ſermo de modis modificantibus, & qualificantibus propoſitiones ipſas: hi autem quatuor ſunt, Neceſſarium, Contingens, Poſſibile, Impoſſibile; hi faciunt quatuor propoſitiones modales, nimirum, Neceſſarium eſt, hominem eſſe animal, Contingens eſt, hominem eſſe album, Poſſibile eſt, hominem eſſe doctum; Impoſſibile eſt, hominem eſſe lapidem.

In quibus propoſitionibus duo ſunt, Dictum, & Modus; Dictum eſt ipſa propoſitio, Modus eſt vnus ex quatuor aſſignatis, & quia in iſtis Propoſitionibus modus eſt principaliter attendendus, ideò Quantitas, & Qualitas harum Propoſitionum non debent deſumi ex Dicto, ſed ex Modo, qui ſi ſit affirmatiuus, & vniuerſalis, propoſitio erit affirmatiua, & vniuerſalis; ſi Modus ſit negatiuus, & particularis, etiã ſi dictum non ſit huiuſmodi, propoſitio erit negatiua, & particularis. Ita, impoſſibile eſt, hominem eſſe lapidem, eſt propoſitio modalis negatiua, quia, τò *impoſſibile*, eſt terminus negatiuus, licèt hominem eſſe lapidem, ſit dictum Affirmatiuum.

Ex quatuor ergo illis modis: *neceſſarium, & impoſſibile*, ſunt modi vniuerſales, quia ſe extendunt ad omne tempus, ſicut enim ille terminus dicitur vniuerſalis, qui ſe extendit ad omnia ſubiecta, ità *neceſſe, & impoſſibile* ſunt modi vniuerſales, quia ſe extendunt ad omne tempus, quod enim neceſſariò eſt tale, ſemper, & omni tempore eſt tale, ſicut quod impoſſibile eſt, ſemper, & omni tempore eſt impoſſibile. Alij duo modi, *poſſibile, & cõtingens*, ſunt modi particulares, & ambo affirmatiui, primi duo ita ſe habent, vt impoſſibile ſit terminus negatiuus, neceſſarium ſit affirmatiuus.

Digitized by Google

Oppoſitio, Æquipollentia, & Conuerſio harum Propoſitionum eodem modo fiunt, et iiſdem regulis concluduntur, quibus Propoſitiones de ineſſe, et ſimplices, ſi tamen hoc vnum peculiariter attendas, in propoſitionibus modalibus Modum eſſe attendendum, non Dictum.

LECTIO VI.

Propoſitiones Hypotheticæ.

QVòd ſpectat ad propoſitionẽ Hypotheticã, ſeù Côiunctã, hæc nihil eſt aliud, quã plures Propoſitiones ſimplices ſimul vnitę, et côiûctę: ideò autẽ dicuntur Hypotheticæ, quia prima ſpecies harum propoſitionum habetur per particulam côditionalem, *ſi*, qua poſita ſtatim intelligitur fieri hipotheſis; ſunt ergo quatuor ſpecies Propoſitionũm hypotheticarũ, uel enim plures propoſitiones ſimplices coniunguntur per particulam conditionalem, ſi, et reſultat propoſitio coniuncta, ſeù per antonomaſiam hypothetica, ſeù etiam conditionalis, vt ſi Sol eſt ſuper terram, dies eſt, uel plures propoſitiones ſimplices coniunguntur per particulam cauſatiuam, *quia*, et fit hypothetica cauſalis, quia Petrus ſtudet, euadet doctus; uel plures propoſitiones ſimplices coniunguntur per particulam disiunctiuam, *vel*. & fit hypothetica diſiunctiua, vt homo, vel eſt rationalis, vel eſt irrationalis. Denique plures Propoſitiones ſimplices poſſunt coniungi per particulam copulatiuam, *Et*, & fit propoſitio hypothetica copulatiua, vt diſcipuli ſtudent, & laborant.

In his Propoſitionibus id ſolum notabile eſt, quòd earum veritas, vel falſitas deſumatur penes particulam coniunctiuam; & quidem in conditionalibus illa propoſitio eſt vera, vel falſa, quæ habet veram, vel falſam dependentiam vnius ſimplicis propoſitionis ab altera, ideò vera eſt iſta propoſitio, ſi Sol eſt ſuper terrã, ergo dies eſt: vera eſt, quia inter diem, & Solem eſſe ſuper terram, eſt vera, & realis connexio, & dependentia; falſa autem eſt hæc alia, ſi Sol eſt ſuper terram, Petrus ſtudet, quia inter ſolem eſſe ſuper terram, & ſtudium Petri, nulla eſt connexio, aut dependentia; ſimiliter & in cauſalibus illa eſt vera, vel falſa, cuius cauſalis eſt vera, vel falſa.

In copulatiuis illa propoſitio eſt vera, cuius omnes partes, ideſt, omnes propoſitiones ſimplices ſunt veræ, è contrà in diſiunctiuis, ad hoc vt propoſitio diſiunctiua ſit vera, ſufficit vt vna ſimpliciũ ſit vera, etiamſi altera ſit falſa, vt Petrus, vel eſt doctus, vel indoctus.

Quando autem inter vnam, & alteram propoſitionem ſimplicem nulla eſt cônexio, aut dependentia, quamuis adsit particula conditionalis, ſeù hypothetica *ſi*, non fit propoſitio conditionalis, ſed remanet hypothetica extremi conditionati, v. g. ſi Sol illuminaret, Petrus ſtuderet, vel non ſtuderet?

Ad Propoſitiones hypotheticas reducitur Propoſitio coniuncta illatiua, quæ fit per particulam, *ergo*, vel *igitur*, quæ propterea dicitur particula illatiua, vt homo eſt, ergo eſt ſenſitiuus.

Reducuntur quoque propoſitiones exponibiles, quæ quia obſcuræ, per alias declarantur, & exponuntur. Harum quinque ſunt ſpecies; vel enim fiunt per particulas excluſiuas, *tantum, ſolum, dumtaxat*, ideò primò hinc oriuntur propoſitiones exponibiles excluſiuæ. Secundò ſunt aliæ particulæ exceptiuæ: vt *præter, præterquamquod*, & hinc oriuntur propoſitiones exceptiuæ: tertio ſunt aliquæ particulæ diuerſificatiuæ, vt *aliud, diuerſum, differt*, & dicuntur propoſitiones de verbo differt. quartò enumerantur particulæ inceptiuæ, vt verbũ *incipit*, & *deſinit*, & fiunt propoſitiones inceptiuæ; denique ſunt particulæ reduplicatiuæ *quatenus, in quantum, prout*, & fiunt propoſitiones reduplicatiuæ: hæ omnes ſunt Propoſitiones obſcuræ, & ideò exponibiles per alias, quas ſtudium, & diligentia opportunè ſubminiſtrabunt.

LECTIO VII.

Definitio, & Diuiſio.

TRia ſunt Inſtrumenta, quibus Logici vtuntur ad cognoſcendas, & introſpiciendas eſſentias, & naturas rerum, ſeù obiectorum; vel enim obiectum aliquod eſt ſimplex, & huius natura, & eſſentia definitione innoteſcit, uel eſt compoſitũ, & ità per diſtributionem ipſius in ſuas partes tùm proximas, tum remotas aperitur, & patet; uel denique unum obiectum habet connexionem cum alio, & ſic per argumentationem dilucidatur, & eruitur; Definitio, Diuiſio ad ſecundam operationem Intellectus, atq; adeò ad ſecundã tùm Introductionis, tùm Logicæ partem

tem ſpectant; ideò de his in præſenti, poſtea de Argumentatione tractabitur.

Definitio igitur, ut colligitur ex *Ariſt.* 2. *Poſt.* 10. definitur eſſe, Oratio manifeſtatiua, et declaratiua naturæ, et eſſentiæ rei: Dicitur autem Definitio ducta analogia à terminis agrorum, sicut enim agri intrà ſuos terminos clauduntur, itaut extrà illos nihil Agrorum ſit aſſignare, ita definitione concluditur natura, & eſſentia rei, ità vt extrà definitionem nullum prædicatum eſſentiale rei definitæ ſit aſſignare.

Eſt autem definitio duplex, nominis, & rei; definitio nominis eſt Oratio explicans nominis ſignificationem, vt ſi dicas; magnanimus eſt, qui magnum animum gerit. Definitio rei eſt Oratio, quæ latentem ipſius rei naturam euoluit, & explicat.

Sed Definitio rei duplex aſſignatur, prima dicitur eſſentialis, ſeù definitio ſimpliciter; altera eſt accidentalis, & vocatur Deſcriptio: definitio eſſentialis, eſt Oratio rei naturam explicans per partes eſſentiales: accidentalis verò, ſeù deſcriptio, eſt Oratio explicās rei naturam per proprietates, vel per accidentium certam congeriem, vel etiam per externas cauſas: verbi cauſa, ſi definiatur homo, animal diſciplinę capax.

Definitio eſſentialis ſubdiuiditur in phyſicam, & metaphyſicam; Phyſica eſt, ea, quæ rem explicat per eius phyſicas partes, nempè per materiam, & formam, vt ſi hominem definias, compoſitum ex materia, & anima rationali per ſe vnitis; Metaphyſica definitio eſt, quæ rei eſſentiam explicat per eius metaphyſicas partes, hoc eſt, per proximum eius genus, & per differentiam eſſentialem; verbi cauſa, ſi definias hominem, animal rationale.

Vt definitio ſit bona, & legitima, poſtulat has conditiones. Prima eſt, vt conſtet genere proximo, & differentia maximè propria: quare non benè definires hominem, viuens rationale, cùm viuens non ſit proximum hominis genus. Secunda cōditio eſt, vt ſit clarior definito: abſurdū enim eſt ignotum explicare per ignotius.

Tertia eſt, vt definitio ſit breuis, & conciſa, quantum fieri poteſt: ſic enim iuuatur memoria. Quarta denique eſt, vt definitio reciprocetur cum definito, ſeù vt ſit adæquata definito. Hinc axioma: cui conuenit definitio, conuenit & definitum.

Diuiſio eſt totius in ſuas partes diſtributio: quare diuiſionis cognitio pendet ex notitia totius. Totum autem vel eſt reale, vel vocale.

Totum vocale, & per modum ſigni eſt vox æquiuoca, quæ varios habet ſignificatus, vt hæc vox canis.

Totum reale eſt, quod ex ſuis partibus conſtat: ſed totum reale duplex: vnum eſt actuale, alterum dicitur potentiale, ſeù poteſtatiuum.

Totum actuale eſt, quod intrà ſe continet actu ſuas partes, vel ſaltem earum faciendarum entitatem. Duplex eſt. Vnum eſt totum per ſe: alterum verò eſt totum per accidens.

Totum per ſe, vel eſt eſſentiale, vel integrale.

Totum per ſe eſſentiale, vel eſt phyſicum, vel metaphyſicum.

Totum phyſicum eſt compoſitum ex potentia, & actu phyſicis, ideſt, ex materia, & forma ſubſtantiali.

Totum metaphyſicum eſt compoſitum ex actu, & potentia.

Totum integrale, ſeù continuum eſt, quod non includit quidem partes actu diſtinctas (ſaltem intrinſecus) ſed entitatem in partes intrinſecus ſimiles diuiſibilem.

Horum exemplum ſit, homo. Nam primò eſt totum eſſentiale phyſicum, quatenus conſtat ex materia, & forma, ſeù anima rationali. Secundò eſt totum metaphyſicum, quatenus conſtat ex genere, & differentia, nimirum animalitate, & rationalitate. Tertiò, eſt totum integrale, quatenus cōſtat capite, brachijs, pedibus, &c. hinc enim brachio, vel pede mutilatus, non dicitur amplius integer.

Totum potentiale eſt, quod infrà ſe continet ſuas partes, quale genus eſt, aut ſpecies. Genus quidem infra ſe continet ſpecies: ſpecies verò infrà ſe habet indiuidua.

Totum per accidens multiplex. Primum eſt concretum accidentale, quod ſcilicet conſtat ex potentia, & actu, ſed diuerſi generis, vt album, quod exurgit ex ebore, & albedine: nimirum ebur eſt potentia, quia recipit; albedo verò forma, ſeù actus, quia in ebore recipitur; ſed ſunt diuerſi generis: ebur enim ſubſtantia eſt: albedo verò eſt accidens.

Secundum eſt totum per ordinem, conſtatque multis entibus, quæ naturaliter, ideſt, ex natura ſua non conſpirant in mutuū nexum: ſic paries conſtat ex lapidibus, cæmento, & ligno, quæ non ex naturali ſua propenſione, ſeù ex fine proprio, ſed ex ar-

Digitized by Google

artificis intentione conſpirant in vnum totum. Cuius rei hoc indicium eſt, quòd ex hac vnione nihil perfectionis acquirant, nec illis meliùs ſit ità vniri, quàm ſeparari. Sic etiam exercitus conſtat Imperatore, Præfectis, & militibus.

Tertium eſt per meram aceruationem, conſtatque rebus nullo planè vinculo inter ſe connexis, vt aceruus lapidum; ex his patebit,

Diuiſio triplex, nempè, realis, mentalis, & vocalis.

Realis, ſeù phyſica diuiſio eſt, per quam totum aliquid realiter diſſoluitur: ſic morte ſoluitur Anima à corpore: ſic etiam lignum ſecatur à fabro. Diuiſio mentalis, dum totum aliquod mente diuiditur. Diuiſio vocalis mentalem exprimit, & ſequitur.

Rurſus diuiſio totius realis, vel eſt totius actualis, vel totius potentialis.

Diuiſio totius potentialis, eſt diuiſio generis in ſpecies, vel ſpeciei in indiuidua, vel alicuius Continui in ſuas partes, vt ligni quadripalmaris in quatuor palmos.

Diuiſio totius actualis duplex eſt. Prima diuiſio eſt totius per accidens, vt diuiſio albi in ſubiectum, & albedinem, vel exercitus in Imperatorem, Præfectos, & milites: altera eſt diuiſio totius per ſe, quę rurſus duplex eſt. Prima eſt totius eſſentialis, ſeu Phyſici, vt hominis in materiam & formam: ſeù Metaphyſici, vt hominis, in animalitatem, & rationalitatem, altera eſt diuiſio totius integrantis, vt hominis, in caput, thoracem, ventrem, & artus.

Agnoſcitur & alia triplex diuiſio. Prima eſt accidentis in ſua ſubiecta, vt dum dicimus, alborum aliud eſt lilium, aliud marmor.

Alia ſubiecti in ſua accidentia, vt dùm dicimus, marmorum aliud eſt nigrum, aliud album, aliud maculatum: tertia eſt accidentis in accidentia, vt alborum aliud dulce, aliud amarum, aliud calidum, aliud frigidum.

Sequuntur Leges Diuiſionis accuratæ. Prima eſt, vt membra diuidentia opponãtur, quantùm fieri poteſt: non benè igitur hominem diuideres in caput, & oculos, ſiquidem in capite oculi continentur. Secunda eſt, vt diuiſio fiat in membra proxima: quare malè diuideretur viuens in hominem, & brutum, ſiquidem priùs diuidi debuit in plantam, & animal. Tertia eſt, vt diuiſio non redundet, nec plura, quã decet, membra contineat. Quarta deniq; eſt, vt totum diuiſum latiùs pateat ſingulis partibus ſingillatim acceptis, ſed tamen adæquetur omnibus partibus collectiuè ſumptis, & ideò dicitur, quòd Diuiſio debet eſſe adæquata Diuiſo.

TERTIA PARS
INTRODVCTIONIS IN LOGICAM.

Argumentatio, tertia videlicet Intellectus Operatio, eſt tertium Inſtrumentum, atque adeò principale, & potiſſimum, quia per illam vltimò eruitur Veritas, & quæ latebat ignota, manifeſtatur.

LECTIO I.

Argumentatio Definitur, & Diuiditur.

Definitur Argumẽtatio, quòd ſit Oratio, in qua vnũ ex alio ſequi denotatur per particulã, *ergo*, *vel igitur*, quæ particula propterea dicitur illationis, ſeu cõſequentiæ ſignum, & nota. Ex qua definitione patet, tria reperiri in qualibet argumentatione, nempè id, ex quo aliud ſequitur, & dicitur antecedens, id quod ſequitur, & dicitur conſequens, deníque ipſa illatio,

latio, ipſa conſequentia, quæ indicatur per particulam, *ergo*: hæc ſi deſit, non erit Argumẽtatio: ratio eſt, quia tota eſſentia, & vis argumentationis non conſiſtit in veritate Propoſitionum, quæ in ea aſſumuntur, ſed in connexione antecedentis cum conſequente, quæ connexio denotatur per particulam, *ergo*.

Hinc eſt, vt aliquando verum ſit conſequens, & falſa conſequentia. Pro exemplo ſit; Petrus eſt lapis, ergo Petrus eſt animal, verum eſt conſequens, ſed falſa eſt conſequentia, quia inter antecedens, & cõſequens; inter lapidem, & animal, nulla eſt connexio. Aliquando eſt vera conſequentia, & falſum conſequens, vt ſi dicamus, Petrus eſt lapis, ergo lapis eſt inſenſitiuus, falſum conſequens, vt de ſe patet, ſed vera eſt cõſequentia, quia inter lapidem, & inſenſitiuum, inter antecedens, & conſequens adeſt vera connexio.

In idem recidit, quod alij dicunt, conſequentiam aliquando eſſe bonam materialiter, & malam formaliter, & aliquando formaliter bonam, & materialiter malam, vt patet in adductis exemplis, id enim quod formaliter ſe habet in Argumentatione, eſt ipſa illatio, & conſequentia, propoſitiones verò, quæ in ea aſſumuntur, antecedens, & conſequens, ſe habẽt materialiter.

Argumentationis quatuor ſunt ſpecies, Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, & Exemplum.

Syllogiſmus definitur ab *Ariſt. 1. Prior. 1. Oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eo quòd hæc ſunt.*

Definitionis hic ſenſus eſt, Syllogiſmus eſt Argumentatio, in qua Præmiſſis, nempè maiori, & minori poſitis, ſeu conceſſis, ſequitur Concluſio à Præmiſſis diuerſa, & neceſſariò concedenda, eò quod hæ, nempè Præmiſſæ, conceſſæ ſint. Dicuntur autem Præmiſſæ, quia mittuntur antè Concluſionem.

Enthymema eſt imperfectus, ſeù mutilatus Syllogiſmus; vel, vt *Boetio placet*, eſt Argumentatio, quæ propoſita tantùm altera præmiſſarum, præcipitem infert Concluſionem. Poteſt Enthymema reduci ad Syllogiſmum, ſi præmiſſa, quæ deeſt, adijciatur: vt Enthymema, omne animal ſentit, ergo omnis homo ſentit.

Adde hanc propoſitionem pro minori: ſed omnis homo eſt animal, euadet perfectus Syllogiſmus.

Epagoge, ſeù Inductio, eſt Argumentatio, in qua ex ſingularibus, aut minùs vniuerſalibus ſufficienter enumeratis, colligitur aliquid vniuerſalius, ſiue per affirmationem, ſiue per negationem: verbi cauſa, hic, ille, iſte, cæterique ignes ſunt calidi, ergo omnis ignis eſt calidus.

Paradigma, ſeu Exemplum eſt, dum ex vno ſingulari, vel paucis, aliud ſingulare concluditur propter ſimilitudinem; verbi cauſa, ſi quis ità concludat,

Athenienſes non debent bellum inferre Thebanis, ergo nec Thebani Phocenſibus.

Noto autem ex *Ariſt. 8. Top. c. 2. Vtendum eſſe Syllogiſmo quidem ad Dialecticos magis, quàm ad multitudinem; Inductione verò contrà ad multitudinem magis. ad diluciditatem autem Exempla, & Similitudines afferendum, exempla autem accommodata, ſic enim clariùs erit, quod proponitur.*

LECTIO II.

Syllogiſmi Materia, & Forma.

DE Syllogiſmo duo occurrunt examinanda hic, nẽpè Materia, & Forma, materia Syllogiſmi duplex eſt, proxima ſcilicet, & remota; remota ſunt termini numero tres, nimirum prædicatum Quæſiti, ſeù Quæſtionis, quod dicitur maius extremum, quia eſt magis vniuerſale. & magis latè patet, quam ſubiectum eiuſdem Quæſiti, ſeù quæſtionis; quod proptereà dicitur minus extremum Quæſiti, ſeù Quæſtionis, tertius terminus dicitur medius terminus, ſeù terminus extraneus, qui ab extrinſeco, & deforis aſſumitur ad coniungendum, vel disiungendum prædicatum Quæſiti cum ſubiecto eiuſdem.

Materia proxima Syllogiſmi ſunt tres Propoſitiones, quarum prima dicitur maior, quia in ea adeſt maius extremum, ſeu prædicatum quæſiti. Altera dicitur minor, in qua eſt minus extremum, ſeu ſubiectum quæſiti, tertia dicitur Concluſio, quæ prout venit in quæſtionem, dicitur Quæſtio, Dubitatio, Controuerſia, ſeù Quæſitum.

Illuſtratur hæc doctrina ſequentibus exemplis; dubitat aliquis, an Logica ſit habitus intellectualis, hæc appellatur Quæſtio, in qua, *habitus intellectualis*, eſt prædicatum, ſeù maius extremum, Logica, eſt ſubiectum, ſeù minus extremum, ſi accipiatur aliquis terminus medius, exempli gratia, *Virtus*, ecce iam tres termini. Tum

ſi ille medius terminus cũm maiori extremo coniungatur, & dicatur, omnis virtus eſt habitus intellectualis, iam reſultabit prima propoſitio, quæ appellatur maior, quia medius terminus coniungitur cum maiori extremo Quæſtionis, ſi verò iterum coniungatur cum minori extremo, & dicatur, Logica eſt Virtus, en ſecunda propoſitio, quæ appellatur minor, quia medius terminus eſt coniunctus cũm minori extremo Quæſiti, quibus ità conſtitutis, ſtatim reſultabit tertia propoſitio, quæ dicitur Concluſio.

Pari modo, ſi velimus deducere Concluſionem negatiuam, v.g. Logica non eſt Scientia, ſicuti in ſuperiori exemplo adinuenimus medium cum vtroque extremo cõiunctum, ità hic debet inueniri medius terminus cum vno coniunctus, & cùm altero ſeparatus, & ità inferemus Logicam non eſſe Scientiam, atque adeò eſſe ſeparata duo illa extrema; medius terminus erit Ars quæ eſt ſeparata à Scientia, & coniuncta cum Logica; ità, Ars non eſt Scientia, Logica eſt Ars, ergo Logica non eſt Scientia.

Forma ſyllogiſmi eſt ordinatio Propoſitionum, & Terminorum: & quidem ordinatio propoſitionum eſt Modus; ordinatio terminorum eſt Figura, & quia triplex eſt ordinatio, & diſpoſitio medij termini cum extremis, ideò triplex eſt Figura; vel enim medius terminus ſubijcitur in maiori, & prædicatur in minori, & ſic fit prima Figura, vel prædicatur in vtraque præmiſſa, & fit ſecunda Figura, vel demum in vtraque præmiſſa ſubijcitur, & fit tertia Figura; memoriæ gratia duo hæc carmina ſunt compoſita:

Prima priùs ſubijcit medium, dein prædicat ipſum,
Altera bis dicit, bis Tertia ſubijcit ipſũ.

Modi autem omnium Figurarum nouẽdecim numerantur, his quatuor carminibus comprehenſi.

Barbara, Celarẽt, Darij, Ferio, Baraliptõ,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocco, Darapti.
Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.

In hiſce Carminibus obſeruandæ ſunt primæ tres ſyllabæ, de alijs enim nulla eſt habenda ratio, quia poſitæ ſunt metri gratia, & in tribus illis primis ſyllabis notandæ ſunt Vocales quatuor; A. E. I. O. nam A. ſignificat. *Vniuerſalem affirmatiuã* E. *Vniuerſalem negatiuam*, I. *particularem affirmatiuam* O *particularem negatiuam*.

LECTIO III.

Principia, in quibus fundatur Vis Syllogiſtica.

QVia ex *Ariſt. 8. Top. 3. Impoſſibile eſt demonſtare quidpiam eum, qui non incipit à primis Principijs, & connectit vſque ad vltima*, ideò oportet aſſignare hic Principia prima, in quibus vis Syllogiſtica fundatur.

Verum non omnes Philoſophi conueniunt in aſſignatione horum Principiorum.

Nonnulli, vt *Vaſq. p. 1. q. 123. Auerſa hic Arubal. p. 1. Diſp. 101. cap. 2.* Volunt principia, in quibus vis Syllogiſtica fundatur, eſſe duo; nimirum, dici de omni, & dici de nullo.

In primo, vtpotè affirmatiuo, fundari omnes Syllogiſmos primæ Figuræ, & ſenſus illius eſt, quidquid dicitur de Vniuerſali, dicitur, & affirmatur de quolibet particulari, ſeù inferiori eius.

In ſecundo verò vtpotè negatiuo fundari omnes ſyllogiſmos negatiuos, & ſenſus illius eſt; quidquid negatur de Vniuerſali, negatur etiam de particulari, ſeù inferiori eius. & ità quidquid affirmatur, vel negatur de Homine, affirmatur, vel negatur de Petro, Paulo, & cęteris indiuiduis; in omni ergo Syllogiſmo debet eſſe aliqua Propoſitio Vniuerſalis.

Sed hæc Doctrina non videtur verificari in Syllogiſmo Expoſitorio, qui cõſtat ex ſolis particularibus, & tamen habet ſuã vim, & efficaciam, vt patet hoc exemplo. hic homo currit, Petrus eſt hic homo, ergo Petrus currit; Præterea in Diuinis illa Principia locum non habent, quia in Diuinis non aſſignare eſt aliquam rationem Vniuerſalem, quia Deus vnus numero eſt, & perfectiſſimè ſingularis.

Alij ergo, vt *Fonſeca lib. 7. Inſtit. cap. 24. Ochamus 3. p. Log cap. 26.* Fundant vim, & efficaciam Syllogiſmorum in illo alio Principio; Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: & volunt duo illa Principia ſuperius aſſignata fundari, & reſolui per hoc aliud principium; in tantum enim eſt verum, quòd quidquid affirmatur de Superiori, affirmatur etiam de Inferiori,

in

Digitized by Google

in quantum inferius eſt identificatum ſecundum ſe totum cum ſuperiori.

Sed neq; hæc Doctrina videtur eſſe vniuerſaliter vera; in primis enim non habet locum in Diuinis, vbi Pater, & Filius idẽtificātur cum eſſentia, tanquam cum tertio, & tamen non identificantur inter ſe, vndè non valet hoc argumentum: Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, ergo Pater eſt Filius.

Deindè non eſt verum, inferius ſecundum ſe totum eſſe identificatum cum ſuo Superiori, nam ſi Petrus ſecundum ſe totũ eſſet identificatus cũ homine, Paulus ſimiliter eſſet ſecundum ſe totum idẽtificatus cum Homine, ergo iam eſſent idẽ inter ſe.

Puto dicendum, quòd ſicut in Moralibus non poteſt aſſignari Regula ità vniuerſaliter vera, quæ aliquam non patiatur exceptionem, ità fieri non poteſt, vt *omnium Ratiocinationum eadem Principia ſint*, ex *Ariſt. 1. Poſt. cap. 25.* Quare duo illa Principia, dici de omni, & dici de nullo, valent in omnibus, prçterquam in Diuinis, et Syllogiſmo Expoſitorio; Tertium verò Principium; Quæ ſunt eadem &c. valere in Syllogiſmo Expoſitorio, & etiam in Diuinis, ſi tamen aliquam admittamus limitationẽ, & explicationem ex multis, quas circà tale Principium adducunt Theologi p. p. vbi agunt de myſterio Sanctiſſimę Trinitatis.

LECTIO IV.

Modi Figurarum.

PRima Figura, vt diximus, habet medium terminum ſubiectũ in maiori, & prædicatum in minori; habet quatuor priores modos directos, & naturales, quia in ijs id, quod eſt prædicatum in maiori, tale eſt etiam in Concluſione, & id, quod eſt ſubiectum in minori, eſt etiam ſubiectum in Concluſione, idcircò manifeſta eſt, & adeò clara eorum in concludendo vis, vt ſolum lumen naturale ſufficiat ad eam cognoſcendam, oppoſitum accidit in alijs quinque modis indirectis, & innaturalibus, qui tamen locum non habent in ſecunda, & tertia Figura, quia in ſecunda medius terminus ſemper prædicatur, & in tertia ſemper ſubijcitur.

Modorum primæ figuræ hæc ſunt exempla.

Bar *Omne animal ſentit:*
ba *Omnis homo eſt animal:*
ra *Ergo omnis homo ſentit:*
Ce *Nullum animal eſt lapis:*
la *Sed omnis homo eſt animal:*
rent *Ergo nullus homo eſt lapis.*
Da *Omne animal eſt ſentiens:*
ri *Sed aliquod viuens eſt animal:*
i *Ergo aliquod viuens eſt ſentiens.*
Fe *Nullus homo eſt equus:*
ri *Sed aliquod animal eſt homo:*
o *Ergo aliquod animal non eſt equus.*
Ba *Omne animal eſt ſenſitiuum:*
ra *Sed omnis homo eſt animal:*
liptõ *Ergo aliquod ſenſitiuum eſt homo:*
Ce *Nullum animal eſt lapis:*
lan *Sed omnis homo eſt animal:*
tes *Ergo nullus lapis eſt homo.*
Da *Omnis homo eſt rationalis:*
bi *Sed aliquod animal eſt homo:*
tis *Ergo aliquod rationale eſt animal.*
Fa *Omnis homo eſt animal:*
peſ *Sed nullus equus eſt homo:*
mo *Ergo aliquod animal non eſt equus.*
Fri *Aliqua qualitas eſt habitus:*
ſe *Sed nulla quantitas eſt qualitas:*
ſom *Ergo aliquis habitus nõ eſt quãtitas*

Secunda Figura quatuor habet modos, quorum ſequuntur exempla.

Ce *Nullum bonum eſt fugiendum:*
ſa *Sed omne furtum eſt fugiendum:*
re *Ergo nullum furtum eſt bonum.*
Ca *Omne marmor eſt lapis:*
mes *Sed nullus homo eſt lapis.*
tres *Ergo nullus homo eſt marmor.*
Feſ *Nullus fœlix eſt malus:*
ti *Sed aliquis diues eſt malus:*
no *Ergo aliquis diues non eſt fœlix.*
Ba *Omnis homo eſt animal:*
roc *Sed aliquod viuens non eſt animal*
co *Ergo aliquod viuens non eſt homo.*

Tertia Figura ſex habet modos. En exempla.

Da *Omnis Leo eſt rugitiuus:*
rap *Sed omnis Leo eſt animal*
ti *Ergo aliquod animal eſt rugitiuum.*
Fe *Nullus homo eſt lapis:*
lap *Sed omnis homo eſt animal:*
ton *Ergo aliquod animal non eſt lapis.*
Diſ *Aliquod animal mouetur*
a *Sed omne animal eſt ſubſtantia*
mis *Ergo aliqua ſubſtantia mouetur.*
Da *Omnis homo eſt rationalis*
ti *Sed aliquis homo eſt iuſtus*
ſi *Ergo aliquis iuſtus eſt rationalis.*

Bro	*Aliquod corpus non eſt viuens:*
car	*Sed omne corpus eſt ſubſtantia:*
do	*Ergo aliqua ſubſtantia non eſt viuēs*
Fe	*Nullum animal eſt lapis:*
ri	*Sed aliquod animal eſt rationale:*
ſon	*Ergo aliquod rationale non eſt lapis.*

Ex his tribus Syllogiſmorum Figuris, Prima eſt aliarum perfectior, & in diſputationibus adhibenda. Audi *Ariſt.1. Poſt. cap. 11. Prima autem Ratiocinationis Figura, maximè ad ſcientiam ipſam accommodatur, mathematicæ namquè ſcientiæ, vt Arithmetica, Geometria, & Perſpectiua per hanc demonſtrationes afferunt ſuas, atque etiam omnes ferè, quæ ipſius propter quid eſt, faciunt conſiderationem.*

Deinde hac tantum Figura ipſius quid eſt, venari ſcientiam poſſumus; Inſuper hæc Figura cæterarum non indiget, at indigent huius illæ profectò.

LECTIO. V.

Inuentio medij Termini.

PLures ex Summuliſtis valdè laborant in tradendis Regulis, & Præceptis de Inuentione medij termini; & ſanè mediū terminum inuenire tardioribus Ingenijs eſt valdè arduum, & perdifficile; ideoque medij Termini Inuentio Pons Aſinorum ſolet appellari; Ego ſanè rem non eſſe tantæ difficultatis ſemper exiſtimaui; & varijs, ac multiplicibus ea de re præceptis, & regulis implicari potiùs, quàm erudiri, aut expediri Tyronum ingenia, iudicaui; longè difficiliùs eſt reſpōdere, quàm interrogare; deſtruere, quàm conſtruere Argumenta, ideò Socrates ſolitus ſemper fuit, arguere, & interrogare, reſpondere autem ſemper profeſſus eſt, ſe neſcire; Hinc prouerbium, multi ſunt arguentes, pauci verò ſoluentes.

Placet autem hic vnum, vel alterum Ariſtotelis præceptum adducere.

Primum tradit 1. Top c.5. *In rationibus promptum eſſe ad Principia, & propoſitiones memoria ſcire, oportet*; ideſt, prima Principia, Definitiones, & Axiomata, ſed Dignitates in primis oportet benè noſſe, & memoria tenere eum, qui facilè velit medium adinuenire, & argumenta conficere.

Secundum Præceptum. *Ampliùs Terminorum copioſos eſſe oportet, & probabilium, & primorum ſe habere promptos, nā per hæc fiunt Syllogiſmi.*

Tertium denique, *tentandum, & in ea, quæ ſæpiſſimè incidunt, diſputationes tenere*; frequentes enim diſputationes, & exercitationes facilè nos in mediorum inuentionem manuducent, vndè illud *Caietani*, Circulus, & Calamus fecerūt me doctum.

Sed antè omnia; *oportet ad id bono eſſe ingenio, & hoc eſt ſecundum veritatem bonum ingenium, poſſe eligere verum, & diffugere falſum, quod qui nati ſunt benè, poſſunt probè facere, ex Ariſt.* loc. cit.

LECTIO VI.

Regulæ Generales, & Particulares Figurarum.

QVatuor ſunt Regulæ cōmunes omnibus Figuris, quarum hæc prima eſt; vi formæ nihil concluditur ex puris particularibus. Dico ex puris particularibus, nam ex ſingularibus conficitur Syllogiſmus ille, quem vocant Expoſitorium. Regulæ veritas oſtenditur hoc exemplo,

Aliquod animal eſt equus.
Sed aliquis homo eſt aliquod animal.
Ergo aliquis homo eſt equus.

Dixi nihil concludi vi formæ, nam ex particularibus poteſt valere Concluſio ratione materiæ, verbi cauſa,

Aliquod animal eſt ſubſtantia;
Sed aliquis homo eſt animal:
Ergo aliquis homo eſt ſubſtantia:

Secunda Regula hæc eſt, ex purè negantibus nihil ſequitur vi formæ, quare non concludit hic Syllogiſmus,

Nullus homo eſt lapis,
Sed nullum marmor eſt homo;
Ergo nullum marmor eſt lapis.

Tertia Regula hæc eſt, ſi altera præmiſſarū ſit particularis, Cōcluſio particularis eſto. Quarta Regula priori ſimilis eſt, ſi præmiſſarū altera negatiua ſit, Concluſio quoque negās eſto. Propter has duas leges ſtatuūt Philoſophi hoc axioma: Concluſio ſequitur deteriorem partem: Cæterū propoſitio particularis eſt deterior vniuerſali, & negans affirmante.

Hūc etiā pertinet cōmunis Regula: medius terminus debet ſaltem ſemel ſumi diſtributiuè, hoc eſt vniuerſaliter in vna præmiſſarum, alioquin Syllogiſmus nullus eſt. Huius conditionis defectu non valet iſte Syllogiſmus.

Homo eſt albus:

Sed

Digitized by Google

Sed AEthiops eſt homo :
Ergo AEthiops eſt albus .

At inquies, medium in ſecunda Figura nũquam diſtribuitur, cum in vtraque præmiſſa ſit prædicatum.

Reſpõdeo, in affirmatiuis quidem propoſitionibus hæc particula (*omnis*) non diſtribuit, niſi ſubiectum: ſiquidem dũ dico, omnis homo eſt animal, ſenſus non eſt, quòd omnis homo ſit omne animal, alioquin falſa eſſet propoſitio; & hinc eſt, quòd vniuerſalis affirmans non conuertatur ſimpliciter; at in propoſitionibus negatiuis diſtribuitur non tantùm ſubiectũ, ſed etiã prædicatum; quare dũ dico, nullus homo eſt lapis, hic ſenſus eſt, nullus homo eſt nullus lapis; & hinc eſt, quòd vniuerſalis negans conuertatur ſimpliciter, vt alibi dictum eſt.

Porrò in ſecũda Figura ſęper alterutra præmiſſarũ eſt negans, ac proindè ſemper in aliqua diſtribuitur mediũ, imò licèt negatiua ſit particularis in aliquo modo ſecundæ Figuræ, putà in Barocco, mediũ tamen ſumitur diſtributiuè, vt dum ità concludo.

Omnis homo eſt animal:
Sed aliquod viuens non eſt animal:
Ergo aliquod viuens non eſt homo :

In minori propoſitione mediũ, nempè animal, ſumitur uniuerſaliter, ſeù diſtributiuè, dum enim dico, ſed aliquod viuens non eſt animal, ſenſus hic eſt, quòd aliquod uiuens nullum animal ſit.

Præter allatas regulas generales, ſunt quædam aliæ propriæ ſingulis Figuris.

In prima Figura duæ ſunt regulæ; prima eſt ex minori negatiua nihil ſequitur; vndè peccat hic Syllogiſmus.

Omnis homo eſt ſubſtantia.
Sed nullus equus eſt homo;
Ergo nullus equus eſt ſubſtantia.

Secunda Regula hæc eſt; ex maiori propoſitione ſingulari, aut particulari, nihil concluditur ui formæ; quare uitioſus eſt iſte Syllogiſmus.

Aliqua ſubſtantia eſt homo :
Sed omnis equus eſt ſubſtantia.
Ergo aliquis equus eſt homo.

Cęterum hę duę regulę intelligendę sũt de directis modis primę figurę, non autem de indirectis.

Ad ſecundam Figuram pertinent quoquè duę regulę, prima eſt; ex duabus præmiſſis affirmantibus nihil concluditur, ut patet hoc exemplo.

Omnis homo eſt ſubſtantia,
Sed omnis equus eſt ſubſtantia;
Ergo omnis equus eſt homo.

Secunda regula hęc eſt, ex maiori particulari nihil ſequitur; quare nullus eſt hic Syllogiſmus.

Aliqua ſubſtantia eſt homo;
Sed nullus equus eſt homo;
Ergo aliquis equus non eſt ſubſtantia.

Denique ad tertiam Figuram pertinẽt hæ duæ regulæ; quarũ prima eſt; ex minori negatiua nihil ſequitur, patet in hoc exemplo.

Omne corpus eſt ſubſtantia.
Sed nullum corpus eſt ſpiritus;
Ergo nullus ſpiritus eſt ſubſtantia.

Altera regula hæc eſt in tertia Figura, nunquam concluſio eſt vniuerſalis. Hinc deficit hic Syllogiſmus.

Omnis equus eſt irrationalis:
Sed omnis equus eſt animal.
Ergo omne animal eſt irrationale.

LECTIO VII.

De Reductione Enthymematis, Inductionis, & Exempli ad Syllogiſmum.

Enthymema, Inductio, & Exemplum ſunt imperfecti Syllogiſmi, ideoq; in tantum vim habent, in quantum reducũtur ad Syllogiſmum; Enthymema igitur reducitur ad Syllogiſmum, ſi addatur Propoſitio, quæ deeſt; vt autem, quæ Propoſitio deſit, facillimè cognoſcatis, obſeruãdum eſt, an terminus ille, qui bis repetitur in Enthymemate Locũ habeat prædicati, an ſubiecti in Concluſione; ſi habeat locum prædicati, ſignum erit propoſitionẽ de nouo addẽdam, debere poni loco minoris, ſi verò terminus ille, qui bis repetitur, locum habeat ſubiecti in concluſione, propoſitio addenda debebit poni loco maioris, quia propoſitio, quæ continet maius extremũ eſt maior, propoſitio verò, quæ cõtinet minus extremum, eſt minor, v.g. omne animal eſt ſenſitiuum, ergo omnis homo eſt ſenſitiuus: terminus, qui bis repetitur, eſt ſenſitiuum, & eſt maius extremum, ergo ſignum eſt, quòd Enthymemati addenda ſit minor, ſic

Omne animal eſt ſenſitiuum;
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt ſenſitiuus.

Inductio reducitur ad Syllogiſmum, ſi accipiatur ſubiectum Quæſtionis, & connecta-

necta-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

nectatur cum medio termino, & fiat minor, ſemper enim Antecedens Inductionis, ſtat loco maioris, v.g. Petrus eſt animal, Paulus eſt animal, Andræas eſt animal, & ſic de cæteris indiuiduis humanis, Ergo omnis homo eſt animal: reducitur, inquam, hoc modo, Petrus eſt animal, Paulus eſt animal, Andræas eſt animal, & ſic de cæteris indiuiduis humanis, ſed omnis homo eſt Petrus, Paulus, Andræas, &c. Ergo omnis homo eſt animal.

Exemplum denique, ſiue Argumẽtum à paritate rationis, non poteſt reduci ad primam Figuram immediatè, quæ non admittit maiorem particularẽ, ſed prius reducendum eſt ad Inductionem, vt fit vniuerſalis propoſitio, quæ ponatur loco maioris, v.g. Niniuitis pænitentiam agẽtibus Deus pepercit, ergo etiam nobis parcet. Formãda eſt hæc vniuerſalis propoſitio, omnibus peccatoribus pœnitentibus Deus parcet, Sed nos ſumus peccatores pænitentes, ergo etiam Deus nobis parcet.

Subnectenda hic eſſet reductio Syllogiſmorum imperfectorum ad perfectos, ſed res eſt ſummę difficultatis, & nullius vtilitatis, nunquam enim vſu venit, aut ad praxim reducitur in Diſputationibus, ad quid ergo in re prorſus inutili, tempus terere, & ingenia?

LECTIO VIII.

De Varia Syllogiſmorum Diuiſione.

Variæ aſſignantur Syllogiſmorum ſpecies, & primò quidẽ diuiditur Syllogiſmus, ità vt alius ſit Categoricus, ſeù ſimplex, qui ſcilicet conſtat propoſitionibus ſimplicibus, ſeù Categoricis, & alius eſt Syllogiſmus Hypotheticus, qui ſcilicet cõſtat propoſitionibus hypotheticis, ſeù coniunctis; quòd ſi Propoſitiones coniunctæ, ſeù hypotheticæ ſint copulatiuæ, Syllogiſmus erit hypotheticus copulatiuus, ſi verò ſint diſiũctiuæ, vel cõditionales, Syllogiſmus erit hypotheticus diſiunctiuus, vel conditionalis; Syllogiſmus hypotheticus eſt parum in vſu, vtimur enim ſemper in Diſputationibus Scholaſticis Syllogiſmo ſimplici, & categorico.

Eſt & alia ſpecies Syllogiſmi, qui dicitur Syllogiſmus modalis, cum videlicet aliqua ex tribus propoſitionibus concurrentibus ad Syllogiſmum eſt modalis. en exemplum.

Omne animal ſentire neceſſè eſt.
Sed omnem hominem eſſe animal neceſſe eſt, ergo.

Diuiditur ſecundò principaliter Syllogiſmus in eum, qui dicitur ex obliquis, & in expoſitorium. Syllogiſmus ex obliquis eſt is, qui conſtat aliquo termino obliquo, vt ſi dicatur.

Omnis rei creata datur principium,
Mundus eſt aliqua res creata,
Ergo mundi datur principium.

In hoc Syllogiſmo ſępè variatur ſuppoſitio terminorum, & committitur Syllogiſmus fallax, & ſophiſticus, exemplũ.

Nulla pluuia æſtiua eſt animal,
Ranæ ſunt à pluuia æſtiua,
Ergo ranæ non ſunt animal.

Copula, *eſt*, in maiori inſeruit, vt copula; in minori, *tò ſunt*; non ſolum eſt copula; ſed præterea ſignificat dependentiã à cauſa efficiente.

Syllogiſmus Expoſitorius eſt is, qui clarè explicat, & exponit ea, quæ communiter, & vniuerſaliter dicuntur; conſtat terminis ſingularibus, vt hic Homo currit, Petrus eſt hic homo, ergo Petrus currit.

Diuiditur tertiò principaliter Syllogiſmus in Demonſtratiuum, Topicũ, & Sophiſticum; Demonſtratiuus eſt is, qui cõſtat propoſitionibus neceſſarijs: illa eſt propoſitio neceſſaria, in qua prædicatum neceſſariò ineſt ſubiecto, ſeù habet neceſſariam connexionem cum ſubiecto; hic autem ſubdiuiditur in Demonſtratiuum à priori, cum effectus probatur per cauſam, quæ ſemper eſt prior effectu ſuo; & in Demonſtratiuum à poſteriori, & fit cũ cauſa probatur per effectum, qui poſterior eſt cauſa. Syllogiſmus Topicus eſt is, qui conſtat vna ſaltem propoſitione probabili, in qua, ſcilicèt, prædicatum contingenter inſit ſubiecto. Denique Syllogiſmus Sophiſticus eſt, qui conſtat aliqua propoſitione falſa, quæ tamen apparenter ſit vera.

In Demonſtrationibus ſæpè accidit fieri Circulũ, & Regreſſum; Circulus eſt, cum res ignota per aliam æquè ignotam viciſſim demonſtratur, vt ſi demonſtres, Petrum habere gladium, quia habet enſem, & rurſum, Petrum habere enſem, quia habet gladium.

Regreſſus eſt, cum ex notis procedimus

mus

Digitized by Google

mus ad ignota, & rurſus ex aliàs ignotis, ſed alio medio cognitis ad prius nobis nota regredimur, verbi gratia eſt, Riuiſibilis, ergo Homo; eſt Homo (quod tamen alia via, & alio medio, nobis innotuit) ergo eſt riſibilis. Circulus omninò reijcitur, quia eſt contra formalitatem Diſcurſus ab ignotis demonſtrationem incipere.

Sæpè quoque fit Petitio Principij, cũ id, quod eſt in Quæſtione, non probatur, ſed aſſumitur, vt probatum iam, atque notum ex *Ariſt. 2. Prior. c. 18. Principium autem petere eſt, quod in Queſtione eſt, non probare, ſed ſumere.*

LECTIO IX.

De Syllogiſmo Sophiſtico, ſeù Fallacijs.

DE Fallacijs, ſeù de Syllogiſmis Sophiſticis agunt Logici, vt Medici de venenis, docent enim, quomodo debeant euitari, & eludi. Vtile eſſe de Syllogiſmis Sophiſticis, ſeù litigioſis agere oſtendit *Ariſt. 2. Elench. c. 1.* ob tria *Primum, quia ex (ideſt argumentationes Sophyſticæ) vt plurimum circa dictionem fiũt, quo meliùs quadrupliciter quidquè dicatur, & quæ ſimiliter, quæque ſecus in rebus, & in nominibus habeant, ſciamus, efficiunt; Secundò autem ad eas inquiſitiones, quas apud nos ipſos peragimus, nam ſi quis ab alio facilè fallitur, atque id non ſentit, ipſe quoque à ſeipſo ſæpè circumuenitur. Tertiò verò, poſtremòque ad gloriam, eo quòd in omnibus exercitatus eſſe videbitur, & nulla in re inexpertus eſſe.* Syllogiſmi ergo Sophiſtici, ſeù fallaciæ tunc fiunt, cùm aſſumuntur res, vel voces aptæ ad decipiendum; quando aſſumuntur voces, cõmittitur fallacia dictionis, quando aſſumuntur res ipſæ, committitur fallacia extrà dictionem.

Fallaciæ dictionis ſunt numero ſex: prima dicitur fallacia æquiuocationis, cum videlicet terminus, qui plura ſignificat in maiori ſupponit pro vna re, & inminori pro alia, verbi gratia.

Omnis Taurus eſt mugibilis.
Aliquis mons eſt taurus.
Ergo aliquis mons eſt mugibilis.

Secunda fallacia dicitur fallacia à non diſtributo ad diſtributum, v.g. quicunq; dicit te, eſſe animal, dicit verum, ſed quicunque dicit, te eſſe aſinum, dicit te eſſe animal, Ergo quicunq; dicit, te eſſe aſinũ, dicit verum; *τὸ* animal, non diſtribuitur in maiori, & diſtribuitur in minori.

Tertia dicitur fallacia amphibologiæ; ea fit, cum tota aliqua propoſitio duplicem habet ſenſum, v.g. quicunque ſunt Epiſcopi, ſunt Præſules, hi Aſini ſunt Epiſcopi, ergo hi aſini ſunt Præſules; Minor enim duplicem habent ſenſum, ſcilicet, quòd Epiſcopi ſint domini aſinorum, & quòd aſini habeant dignitatem Epiſcoporum.

Quarta dicitur fallacia compoſitionis, fit, cum ſumuntur coniuncta, quæ ſumẽda eſſent diuiſa, v.g. quod eſt, ſemper, erit, Petrus eſt, Ergo Petrus ſemper erit; *τὸ ſemper* in maiori coniungitur cùm *τὸ eſt*, & in conſequentia coniungitur cum *erit*, à quo debet diuidi.

Quinta dicitur fallacia diuiſionis, cum ea, quæ deberent ſumi compoſita, ſumũtur, vt v.g. vnita, quæcunq; ſunt duo, & tria ſunt paria, & imparia, Sed quinque ſunt duo, & tria, Ergo quinque ſunt paria, & imparia. *τὸ quinque*, in minori ſumitur cõiunctim, & in maiori ſumitur diuiſim.

Sexta dicitur fallacia vocis, vel accentus, cum ſcilicet vox aliqua mutat quantitatem, ſcilicet, in vna propoſitione producitur, in altera corripitur, v.g.

Omnis populus eſt arbor
Sed gens Neapolitana eſt populus.
Ergo gens Neapolitana eſt arbor.

τὸ populus, in maiori habet primam productam, & ſignificat arborem, in minori habet correptam, & ſignificat gẽtẽ, Vel dicitur fallacia aſpirationis, v.g. quiſquis hamat, capit piſces, Sed Petrus amat, Ergo Petrus capit piſces. Item fallacia diphtongi, v. g. qui deſiderat equum, deſiderat æquitatem, ſed Petrus deſiderat equum, Ergo Petrus deſiderat æquitatem.

Sequuntur Fallaciẹ extra dictionem, quarum.

Prima dicitur fallacia accidentis, & fit cum tribuitur ſubiecto, quod conuenit accidenti, v.g. eſſe doctum eſt accidẽs, Petrus eſt doctus, Ergo Petrus eſt accidens. Vel cum de eodem ſubiecto prædicantur duo diuiſim in antecedente, quæ de eodem ſubiecto coniunguntur in cõſequente, v. g. hic aſinus eſt pater, & eſt tuus, Ergo hic aſinus eſt pater tuus.

Secunda dicitur fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter, & fit, cũ ex eo, quòd aliquid eſt tale ſecundum partem, arguitur, quòd ſit tale ſecundum totum, v.g.

Digitized by Google

in gymnaſio non licet dormire, Ergo nullibi licet dormire.

Tertia dicitur Fallacia ex ignorantia Elenchi, id eſt, ex ignorantia argumenti, & fit, cum quis putat ſe conceſſiſſe contradictoria, quæ contradictoria non ſunt, v.g. ſi quis dicat, homo eſt corruptibilis ſecundum corpus, incorruptibilis ſecundum animam, Ergo homo eſt corruptibilis, & incorruptibilis, quæ verè contradictoria non ſunt, quia non verificantur de eodem reſpectu eiuſdem.

Quarta dicitur Fallacia conſequentis, & fit cum quis ex eo, quòd intulerit antecedens ex conſequēti, vult etiam ex cōſequenti inferre antecedēs, v.g. ſi quis dicat, eſt homo, ergo eſt animal, & deinde velit iterum inferre; eſt animal, ergo eſt homo.

Quinta dicitur fallacia ſecundum cauſam, & fit cum ex præmiſſa impertinenter ſe habēte vult quis, inferre concluſionem, ſiuè illa præmiſſa vera ſit, ſiuè falſa, v.g. Petrus eſt albus, ergo Petrus diſcurrit: Albedo .n. non eſt cauſa diſcurſus in Petro. Et hęc de Fallacijs, & litigioſis Syllogiſmis.

LECTIO X.

Regulæ Diſputantium.

Diſputatio eſt Oratio inter duos, quorum vnus interrogat, opponit, impugnat, ſeù argumentatur; Alter verò reſpondet, ſoluit, propugnat, ſeù defendit. Plures Philoſophus tradit regulas obſeruandas à Reſpondente, & ab Argumentāte in duobus Libris Elenchorum; ex quibus potiſſimas, & magis oportunas trado, vt vterque ſcilicet; tàm is, qui defendit, & ſoluit, quàm qui argumentatur, & impugnat methodicè, aptèque procedat.

Partes igitur opponentis ſunt.

Primò; Argumenta præmeditari, atque conſtruere apta, & idonea ad conuincendum Reſpondentem: quod facilè aſſequetur, ſi argumenta conficiat, & conſtruat in prima Figura, hæc enim, vt dixi Lect. 4. ex Ariſtotele, eſt magis apta, & accommodata ad comparandas Scientias, ad veritatem inquirendam, & declarandam.

Secundò: Proponere argumentā ſtrictè, & breuiter, quantum res ipſa, de qua eſt Diſputatio, patitur, nam ex 2. *Top c.4. eſt quoddā, & idem in Syllogiſmos peccatum, quando oſtenditur per longiora, quod contingit per breuiora:* nunquam tamen à breuitate ſeparanda eſt Claritas, quæ cuiuſque Orationis eſt Anima.

Tertiò: Si Propoſitio, quam aſſumit impugnandam, plures habeat ſenſus, præmittenda eſt eius diſtinctio, & aſſignandus ſenſus, in quo eam intendat, impugnare, nè tempus inutiliter teratur, & in æquiuoco laboret Argumentum.

Quartò. Propoſitionem à Reſpondente negatam, impugnet; vel ſi allata fuerit à Reſpondente diſtinctio, illam partem impugnet, à qua timet eius argumentum infirmari, aut deſtrui.

Partes Reſpondentis ſunt.

Primò. Proponere Concluſiones, non quaſcunque, ſed quæ ſint Probabiles; ea eſt Propoſitio probabilis quæ *videtur omnibus, vel pluribus, vel Sapientibus, & his omnibus, vel plurimis, vel maximè notis non inopinabilis, ex Ariſt. 1. Top. 8.* Propoſitiones enim euidēter falſas, aut contra Fidem Orthodoxam, & bonos mores non debet proponere, nam ex eodem *Ariſt. 8. Top 3. Inopinabilem poſitionem cauendum eſt, ſuſtinere,* & 1. *Top. 9. non oportet omne problema, & omnem poſitionem conſiderare, ſed quam dubitabit aliquis ratione indigentium, non pœna aut ſenſu; nam dubitantes, vtrùm oporteat Deos honorare et parentes amare, an non, pœna indigent; qui verò vtrum nix alba an non, ſenſu.*

Secundò procedet ad diſſoluenda, & deſtruenda argumenta duplici via; deſtructione, & infirmatione, vt loquitur *Ariſt. loco cit. Elench.* Deſtructione quidem, negando propoſitionem, quæ ſibi videbitur falſa; aut ſuæ Concluſioni oppoſita. Infirmatione, diſtinguendo, aut oſtēdendo fallaciam, ſi quæ fuerit in Argumento.

Tertiò. Si Argumentū ſit in formā benè diſpoſitū, nunquā negabit conſequētiā cōceſſa maiori, & minori; Contrà verò ſi argumentum non ſit in recta forma, negabit conſequentiam, ſed ſimul non eſſe in recta forma diſpoſitum, oſtendet.

Quartò licèt Reſpondenti, & ſui iuris eſt; allatam diſtinctionē explicare, ad dilucidandam doctrinā exempla, & ſimilitudines afferre, inſtantias, & Syllogiſmos in alia ſimili materia adducere. Audi *Ariſt. 2. Top. 5. omninò autem diſputationis gratia diſceptātibus tentādū afferre, aut Syllogiſmū de aliquo, aut propoſitionē, aut ſolutionē, aut inſtātiā, ſiuè rectè quis dicat, ſiuè pperā vel ipſe, vel alter, et ad quidpiā vterq.*

Deniq; in Diſputationibus proteruia vitanda eſt, debet enim tam interrogās, quā Reſpondens veritati cedere; eſt enim proteruia Veritatis deſtructiua, & Syllogiſmi, ex *Ariſt. 2. Top. 3.*

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA.

PROAEMIALIS,

DE NATVRA LOGICAE.

VT in ea Arte, quam nouimus, & tractamus, exerceamus quoque noſtri vires Ingenij, primum, quod argumentationibus iuxtà regulas, & pracepta Logica formatis, atque constructis nobis occurrit inueſtigandum, eſt Natura, & Eſſentia eiuſdem Logica; Porrò Eſſentia, & natura Logica, ſicut & cuiuſcunque rei Definitione concluditur, quia ex dictis iam, Definitio eſt Oratio manifeſtatiua, & declaratiua natura, & eſſentia rei. Definitio autem ex Genere proximo, & vltima differentia, tanquam ex partibus coaleſcit, & quia Genus iuxta Natura, & Doctrina ordinem prius eſt Differentia vltima; ideò inueſtigabimus primò Genus; deindè Differentiam vltimam.

LECTIO I.

An Logica ſit Scientia.

PRæmitto primò: in potentijs Animæ noſtræ Rationalis dari qualitates quaſdam, quæ quia eaſdem potentias perficiunt, veſtiunt quodammodò, & ornant, dicuntur Habitus, ducta ſimilitudine ab habitu & indumento corporali, quod ornamentum eſt corporis; vel etiam dicas, eas qualitates dici habitus, quia per eas, ità perficitur potentia, vt meliùs ſe habeat, & magis ſit diſpoſita ad conſequendum ſuum finem vltimum, & obiectum, in quo tanquam in ſuo vltimo bono ſiſtit, & quieſcit. Si habitus ſit in intellectu, dicitur habitus intellectualis, ſi verò in Voluntate, dicitur habitus Moralis, cum enim actus Voluntatis dicantur mores, ideò habitus dirigens tales actus Voluntatis, dicitur moralis.

Præmitto ſecundò: in Intellectu eſſe habitus duplicis generis; nam alij ſunt habitus, quibus Intellectus inclinat ad veriſimile, cuiuſmodi ſunt, Fides humana, Opinio, & Suſpicio, & alij ſunt habitus, quibus Intellectus inclinat ad verum, ſeù vt loquitur, *Ariſt. 6. AEth. 3. quibus Anima affirmando, vel negãdo ſemper verum dicit.* hi ſunt, Habitus Primorum Principiorum, Sapientia, Prudentia, Scientia, & Ars, De Logica ſolùm controuertitur, an ſit Scientia, vel Ars; cùm alioquin certum ſit eius Genus remotum deſumendum eſſe ex eo, quòd ſit Habitus intellectualis.

Præmitto tertiò: Scientiam dupliciter ſumi, primò quidem pro quacunque cognitione certa, & euidenti; in quo ſenſu ab *Ariſt. cap. 1. Antepræd.* Grammatica dicitur Scientia; Secundò ſumitur nomen Scientiæ in rigore pro cognitione certa,

in gymnaſio non licet dormire, Ergo nullibi licet dormire.

Tertia dicitur Fallacia ex ignorantia Elenchi, ideſt, ex ignorantia argumenti, & fit, cum quis putat ſe conceſſiſſe contradictoria, quæ contradictoria non ſunt, v.g. ſi quis dicat, homo eſt corruptibilis ſecundum corpus, incorruptibilis ſecundum animam, Ergo homo eſt corruptibilis, & incorruptibilis, quæ verè contradictoria non ſunt, quia non verificantur de eodem reſpectu eiuſdem.

Quarta dicitur Fallacia conſequentis, & fit cùm quis ex eo, quòd intulerit antecedens ex conſequēti, vult etiam ex cōſequenti inferre antecedēs, v.g. ſi quis dicat, eſt homo, ergo eſt animal, & deinde velit iterum inferre, eſt animal, ergo eſt homo.

Quinta dicitur fallacia ſecundum cauſam, & fit cum ex præmiſſa impertinenter ſe habēte vult quis, inferre concluſionem, ſiuè illa præmiſſa vera ſit, ſiuè falſa, v.g. Petrus eſt albus, ergo Petrus diſcurrit: Albedo .n. non eſt cauſa diſcurſus in Petro. Et hęc de Fallacijs, & litigioſis Syllogiſmis.

LECTIO X.

Regulæ Diſputantium.

Diſputatio eſt Oratio inter duos, quorum vnus interrogat, opponit, impugnat, ſeù argumentatur; Alter verò reſpondet, ſoluit, propugnat, ſeù defendit. Plures Philoſophus tradit regulas obſeruandas à Reſpondente, & ab Argumentāte in duobus Libris Elenchorum; ex quibus potiſſimas, & magis oportunas trado, vt vterque ſcilicet, tàm is, qui defendit, & ſoluit, quàm qui argumentatur, & impugnat methodicè, aptèque procedat.

Partes igitur opponentis ſunt.

Primò; Argumenta præmeditari, atque conſtruere apta, & idonea ad conuincendum Reſpondentem: quod facilè aſſequetur, ſi argumenta conficiat, & conſtruat in prima Figura, hæc enim, vt dixi Lect.4. ex Ariſtotele, eſt magis apta, & accommodāta ad comparandas Scientias, ad veritatem inquirendam, & declarandam.

Secundò: Proponere argumenta ſtrictè, & breuiter, quantum res ipſa, de qua eſt Diſputatio, patitur, nàm ex 2. *Top c.4. eſt quoddā, & idem in Syllogiſmos peccatum, quando oſtenditur per longiora, quod contingit per breuiora:* nūquàm tamen à breuitate ſeparanda eſt Claritas, quæ cuiuſque Orationis eſt Anima.

Tertiò: Si Propoſitio, quam aſſumit impugnandam, plures habeat ſenſus, præmittenda eſt eius diſtinctio, & aſſignandus ſenſus, in quo eam intendat impugnare, ne tempus inutiliter teratur, & in æquiuoco laboret Argumentum.

Quartò. Propoſitionem à Reſpondente negatam, impugnet; vel ſi allata fuerit à Reſpondente diſtinctio, illam partem impugnet, à qua timet eius argumentum infirmari, aut deſtrui.

Partes Reſpondentis ſunt.

Primò. Proponere Concluſiones, non quaſcunque, ſed quæ ſint Probabiles; ea eſt Propoſitio probabilis quæ *videtur omnibus, vel pluribus, vel Sapientibus, & his omnibus, vel plurimis, vel maximè notis non inopinabilis, ex Ariſt.1. Top.* Sed propoſitiones enim euidēter falſas, aut contra Fidem Orthodoxam, & bonos mores non debet proponere, nam ex eodem *Ariſt. 8. Top 2. Inopinabilem poſitionem cauendum eſt ſuſtinere,* & 1. *Top.9. non oportet omne problema, & omnem poſitionem conſiderare, ſed quam dubitabit aliquis ratione indigentium, non pœna aut ſenſu; nam dubitantes, vtrùm oporteat Deos honorare et parentes amare, an non, pœna indigent; qui verò vtrum nix alba an non, ſenſu.*

Secundò procedet ad diſſoluenda, & deſtruenda argumenta duplici via; deſtructione, & infirmatione, vt loquitur *Ariſt. loco cit. Elench.* Deſtructione quidem, negando propoſitionem, quæ ſibi videbitur falſa; aut ſuæ Concluſioni oppoſita. Infirmatione, diſtinguendo, aut oſtēdendo fallaciam, ſi quæ fuerit in Argumento.

Tertiò. Si Argumentū ſit in forma benè diſpoſitū, nunquā negabit conſequētiā cōceſſa maiori, & minori; Contrà verò ſi argumentum non ſit in recta forma, negabit conſequentiam, ſed ſimul non eſſe in recta forma diſpoſitum, oſtendet.

Quartò licèt Reſpondenti, & ſui iuris eſt; allatam diſtinctionē explicare, ad dilucidandam doctrinā exempla, & ſimilitudines afferre, inſtantias, & Syllogiſmos in alia ſimili materia adducere. Nam *Ariſt. 2. Top. 5. omninò autem diſputationis gratia diſceptātibus tentādū afferre, aut Syllogiſmū de aliquo, aut propoſitionē, aut ſolutionē, aut inſtātiā, ſiuè rectè quis dicat, ſiuè pperā vel ipſe, vel alter, et ad quīdpiā vterq.*

Deniq; in Diſputationibus proteruia vitanda eſt, debet enim tam interrogās, quā Reſpondens veritati cedere; eſt enim proteruia Veritatis deſtructiua, & Syllogiſmi, ex *Ariſt. 2 Top.3.*

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA.

PROAEMIALIS,

DE NATVRA LOGICAE.

VT in ea Arte, quam nouimus, & tractamus, exerceamus quoque noſtri vires Ingenij, primum, quod argumentationibus iuxtà regulas, & præcepta Logica formatis, atque conſtructis nobis occurrit inueſtigandum, eſt Natura, & Eſſentia eiuſdem Logicæ; Porrò Eſſentia, & natura Logicæ, ſicut & cuiuſcunque rei Definitione concluditur, quia ex dictis iam, Definitio eſt Oratio manifeſtatiua, & declaratiua naturæ, & eſſentiæ rei. Definitio autem ex Genere proximo, & vltima differentia, tanquam ex partibus coaleſcit, & quia Genus iuxta Naturæ, & Doctrinæ ordinem prius eſt Differentia vltima; ideò inueſtigabimus primò Genus; deinde Differentiam vltimam.

LECTIO I.

An Logica ſit Scientia.

PRæmitto primò: in potentijs Animæ noſtræ Rationalis dari qualitates quaſdam, quæ quia eaſdem potentias perficiunt, veſtiunt quodammodò, & ornant, dicuntur Habitus, ducta ſimilitudine ab habitu & indumento corporali, quod ornamentum eſt corporis; vel etiam dicas, eas qualitates dici habitus, quia per eas, ità perficitur potentia, vt meliùs ſe habeat, & magis ſit diſpoſita ad conſequendum ſuum finem vltimum, & obiectum, in quo tanquam in ſuo vltimo bono ſiſtit, & quieſcit. Si habitus ſit in intellectu, dicitur habitus intellectualis, ſi verò in Voluntate, dicitur habitus Moralis, cum enim actus Voluntatis dicantur mores, ideò habitus dirigens tales actus Voluntatis, dicitur moralis.

Præmitto ſecundò: in Intellectu eſſe habitus duplicis generis; nam alij ſunt habitus, quibus Intellectus inclinat ad veriſimile, cuiuſmodi ſunt, Fides humana, Opinio, & Suſpicio, & alij ſunt habitus, quibus Intellectus inclinat ad verum, ſeù vt loquitur, *Ariſt. 6. AEth. 3. quibus Anima affirmando, vel negãdo ſemper verum dicit.* hi ſunt, Habitus Primorum Principiorum, Sapientia, Prudentia, Scientia, & Ars, De Logica ſolùm controuertitur, an ſit Scientia, vel Ars; cùm alioquin certum ſit eius Genus remotum deſumendum eſſe, ex eo, quòd ſit Habitus intellectualis.

Præmitto tertiò: Scientiam dupliciter ſumi, primò quidem pro quacunque cognitione certa, & euidenti; in quo ſenſu ab *Ariſt. cap. 1. Antepræd.* Grammatica dicitur Scientia; Secundò ſumitur nomen Scientiæ in rigore pro cognitione certa,

D & eui-

& euidenti rei per propriam cauſam, per quā res eſt, & quòd illius cauſa eſt; ità vt non contingat, aliter ſe habere, ità loquitur *Ariſt.* 1. *Poſt* 2. *&* 6. *AEth.* 3. Per quæ verba, denotantur duæ principales conditiones, quas debet habere Scientia; nimirùm, quòd habeat obiectum neceſſarium, & quòd ſit gratia ſui,

Porrò illud obiectum dicitur eſſe neceſſarium, quod in ſuo exiſtere, non dependet à nobis, ſeu à nobis non fit; ſicuti è contrà illud eſt obiectum contingens, quod à nobis fit; ideòque in ſuo exiſtere à nobis dependet. Similiter tunc, & illa Scientia dicitur eſſe gratia ſui, quæ non eſt ordinata ad faciendum opus, ſiuè extrinſecum, & manuale, ſiuè intrinſecum, & intellectuale.

Hinc oritur diuiſio Scientiæ in Speculatiuam, & Practicam; Scientia enim Speculatiua habet obiectum neceſſarium, & eſt gratia ſui; è contrà Scientia practica habet obiectum contingens, & ordinatur ad faciendum opus, & non eſt gratia ſui, nam tota occupata eſt in tradendis regulis, & præceptis faciendi operis.

Concluſio prima: Logica nō eſt Sciētia

Contrà *Scotum quæſt.* 4 *prol. Duran. q.* 6 *Sotum*, *&* *Toletum quæſt.* 4. *proœmiali. Soncin.* 6. *Meta. quæſt.* 2. *Capreol. quæſt.* 2. *prol ar* 1 *& alios, quos citat Ruuius in Logica quæſt. proœmiali cap.* 5.

Probatur Concluſio; quia nomine Sciētiæ venit Scientia ſpeculatiua, ſed Logica non eſt Scientia ſpeculatiua, ergò Logica non eſt Scientia: maior patet, minor probatur, quia Logica non eſt de obiecto neceſſario, neque eſt gratia ſui: non eſt de obiecto neceſſario, quia, vt infra videbimus obiectum Logicæ sūt operationes Intellectus, quę à nobis fiunt, & in ſuo exiſtere à nobis dependent, & ideò non ſunt obiectum neceſſarium, quod in ſuo exiſtere eſt independens à nobis, & à nobis nō fit.

Quòd etiam Logica non ſit gratia ſui probatur, quia ille habitus eſt gratia ſui, qui ſpeculatur obiectum ſuum, & ità ſpeculatur, vt ſiſtat in ſpeculatione, & ex ſe ad opus, ſiuè internum, ſiuè externum non ordinatur, ſed Logica non ſpeculatur obiectum ſuum, ità vt ſiſtat in illius ſpeculatione, ſed, vel non ſpeculatur, vel ſi ſpeculatur ex ſe ordinat illam ſpeculationē ad opus, ergo Logica non eſt gratia ſui: minor probatur, quia Logica habet pro obiecto operationes Intellectus, quas conſiderat, non vt ſpeculetur earum naturam, id enim ſpectat ad Philoſophiam naturalem, ſed illas conſiderat, vt dirigat, ordinet, & ità diſponat, vt ſine errore fiant, vt enim benè habet *Ariſt.* 1. *Rheto. cap.* 1. Dialectica inuenta eſt ad dirigendas operationes, quę benè, & malè fieri poterant, ergo iam Logica conſiderat obiectum ex ſe ordinando illud ad opus, & conſequenter non ſpeculatur obiectum ſuum. Sumo exemplum in Arte Fabrili, ſeù lignaria, quæ circa ligna verſatur, non vt eorum naturam ſpeculetur; id enim ſpectat ad Philoſophiam naturalem, ſed ità dirigendo, & diſponendo, vt ex ijs fiat Cathedra, ità Logica verſatur circa operationes intellectus, non earum naturam ſpeculando, ſed dirigendo, & regulando, ità vt ex ijs poſſit fieri Definitio, vel Syllogiſmus.

Concluſio ſecunda: Logica ità eſt Sciētia practica, vt non ſit partim practica, & partim ſpeculatiua:

Ità *Fonſ.* 2. *met. cap.* 3. *q.* 2. *ſect.* 4. *Conimb. q.* 4. *art vnico Arriag. diſp.* 3. *ſect.* 4. *Ouied. Contr.* 2. *p* 6. *contr. Vaſq.* 1. *p. diſp.* 4. *nu.* 2. *P. Suar.* 2. *Met diſp.* 44. *ſect.* 11. *nu.* 54. *& alios, quos citat Ouied. controu.* 2. *Punct.* 5.

Quòd ſit ſcientia practica deducitur ex argumento mox facto, quo probauimus Logicam non eſſe Scientiam ſpeculatiuā; ſi enim non ſpeculatur obiectum ſuū, & ex ſe ordinata eſt ad opus internum, iam non eſt Scientia ſpeculatiua, ſed practica.

Quòd verò non ſit partim practica, & partim ſpeculatiua: probatur, quia, vel Logica ſupponitur eſſe vna ſimplex, & indiuiſibilis qualitas; & ità non poteſt eſſe ſpeculatiua ſimul, & practica, impoſſibile enim eſt, vt vna, & eadem omninò indiuiſibilis qualitas ſimul ſit practica, & ſpeculatiua; ratio eſt, quia ratio practici, & ratio ſpeculatiui contradictoriè opponuntur; ratio practici formaliter importat ordinari ad opus, ratio ſpeculatiui dicit formaliter non ordinari ad opus, ſed ordinari ad opus, & non ordinari ad opus, ſunt cōtradictoria, vt patet, ergo in vna, & eadem ſimplici qualitate indiuiſibili non poſſunt reperiri ratio practici, & ratio ſpeculatiui, & conſequenter Logica non eſt partim practica, & partim ſpeculatiua.

Quòd ſi Logica ſupponatur eſſe aggregatum per accidens ex pluribus habitibus totalibus: vt probabilior eſt Opinio: adhuc probo, Logicam non poſſe eſſe partim practicam, & partim ſpeculatiuam, quia ex diuerſis rationibus ſpecificis in-

ni-

Digitized by Google

uicem nullo modo ſubordinatis, imò & contradictorijs, non poteſt fieri vnum aggregatum per accidens, verbi gratia, ex homine; & equo non poteſt fieri aggregatum per accidens; ratio eſt, quia non poſſunt, quæ ſubordinata inuicem non ſunt, in vnum aliquod conuenire, ſed ratio practici, & ratio ſpeculatiui ſunt duæ rationes contradictoriæ, ſunt duæ rationes diuerſæ ſpeciei, quia ratio ſpeculatiui de ſe eſt adæquatè conſtitutiua vnius ſpecie habitus contradiſtincti ab omni alio, & ſimiliter ratio practici eſt ratio formalis adæquatè conſtitutiua alterius habitus contradiſtincti ab omni alio, ergò ità ſe habent, vt adinuicem nullam habeant ſubordinationem, & connexionem, ergo quamuis Logica ponatur eſſe aggregatum per accidens ex pluribus habitibus totalibus, non tamen poteſt eſſe partim practica, & partim ſpeculatiua.

Confirmatur: quia ex duabus ſpeciebus non poteſt componi tertia alia ſpecies, ergo ex ratione practici, & ſpeculatiui non poteſt componi tertia aliqua ſpecies habitus, qui ſimul ſit practicus, & ſpeculatiuus, conſequentia tenet, Antecedens probatur, quia ſi ex duabus ſpeciebus conſtitueretur aliqua tertia ſpecies, reſultaret Chymericum, & monſtruoſum quid, ſicuti reſultat ex partibus eſſentialiter incompoſſibilibus, verbi gratia, ex cauda piſcis, pectore Leonis, capite hominis, ergo.

Obijcies primò: Logica habet cognitiones ſimpliciter neceſſarias, ergo eſt de obiecto ſimpliciter neceſſario, & conſequenter eſt Scientia ſpeculatiua, conſequentia tenet: Antecedens probatur, quia non eſt minùs neceſſaria hęc cognitio Logica, ex Syllogiſmo in Barbara rectè diſpoſito ſequitur Concluſio vera, quàm ſit neceſſaria hæc alia cognitio in Phyſica, quia Petrus eſt homo, ideò eſt riſibilis, ſed hæc cognitio eſt ſimpliciter neceſſaria, ergo & illa: Maior patet, quia ſicuti ad hominem ſequitur neceſſariò riſibilitas, ita ad Syllogiſmum in Barbara rectè diſpoſitum ſequitur Concluſio vera.

Confirmatur, quia Logica multa demõſtrat per veram, & propriam cauſam, ergo eſt Scientia in rigore, & ſpeculatiua; conſequentia videtur clara, quia Scientia ſpeculatiua eſt cognitio certa, & euidens rei per cauſam; Antecedens probatur, quia Logica demonſtrat, quòd demonſtratio facit ſcire, & conſequenter demonſtrat Scientiam effici à Demonſtratione, tanquam à propria cauſa.

Reſpondeo: quòd quamuis ex Syllogiſmo in Barbara rectè diſpoſito, & vniuerſaliter ex conceſſione præmiſſarum neceſſariò ſequatur Concluſio, indè tamen non ſequitur, has, & ſimiles Concluſiones Logicas fore ſimpliciter neceſſarias, ſeù fore neceſſarias ea neceſſitate, quam requirit obiectum Scientiæ ſpeculatiuæ, quia obiectum Scientiæ ſpeculatiuæ debet eſſe neceſſarium in eo ſenſu, quatenùs videlicet à nobis non fiat, & in ſuo exiſtere non dependeat à nobis; huiuſmodi non eſt, nec Concluſio deducta ex Syllogiſmo facto in Barbara, nec quæcunque alia Concluſio Logica, hæ enim omnes Concluſiones fiunt ab Intellectu, in cuius libertate, & libera diſpoſitione eſt, elicere, vel non elicere præmiſſas, ex quibus neceſſariò ſequitur Concluſio; facere, vel non facere Syllogiſmum in Barbara; vndè ad ſummum ſequitur ſolùm ex facto argumento, quòd hæ, & ſimiles Concluſiones ſint neceſſariæ ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione, quòd Intellectus regulatus, & directus à Logica voluerit, liberè illas elicere.

Ad Confirmationem reſpondeo: Logicam non ſolùm probare, quòd Demonſtratio eſt vera cauſa Scientiæ, ſed etiam demonſtrare, quòd definitio eſt vera cauſa cognitionis & notitiæ, quæ habetur de eſſentia rei; ſed non ſufficit ad hoc, vt conſtituatur in gradu Scientiæ ſpeculatiuæ, ſicuti nec ſufficit ad hoc, vt conſtituatur in tali gradu, quòd ſit cognitio certa, & euidens, requiritur enim vlteriùs, quòd id præſtet per ſe, & non in ordine ad faciendum opus: Cæterum Logica ideò probat, Demonſtrationem eſſe cauſam Scientiæ, vt faciat demonſtrationem, ideò probat Definitionem eſſe orationem declaratiuam eſſentiæ rei, vt faciat Definitionem.

Obijcies ſecundò: cognitio intuitiua Dei eſt cognitio ſpeculatiua, & tamen de ſe eſt ordinata ad faciendum opus, ideſt, ad amandum Deum, ſeù eliciẽdum actum amoris erga Deum, ergo ordinari ad opus non obſtat, quominùs aliqua Scientia, ſeù cognitio ſit ſpeculatiua.

Reſpondeo: ad Scientiam, ſeù cognitionem practicam non ſufficere ordinari quomodocunque ad opus, nam id etiam

Digitized by Google

poteſt competere Scientiæ ſpeculatiuæ, vt benè probat Argumentum; requiritur ergo ad Scientiam, ſeù cognitionem practicam, quòd tradat regulas, & precepta operis faciendi; id non præſtat cognitio intuitiua Dei, ideò remanet in eſſe, & gradu ſimplicis, & nudæ ſpeculationis.

Obijcies tertiò: ex Philoſopho 3 *de Anima t.* 46. 49. Intellectus extenſione ſit practicus; ſed intellectum extenſione fieri practicum, nihil eſt aliud, quàm praxim, ſeù rationem practici reperiri in actibus alterius potentiæ contradiſtinctæ ab intellectu; ergo nullus actus intellectus noſtri eſt practicus, ſed omnis cognitio Logica eſt cognitio intellectualis, ergo nulla cognitio Logica eſt practica.

Reſpondeo: in primis à multis non recipi hunc textum tanquam Ariſtotelis. Secundò, eo dato non eſſe ſenſum, quòd praxis, ſed ratio practici reperiatur tantùm in actibus potentiæ contradiſtinctæ ab Intellectu, ſed ſenſum eſſe, quòd ex actibus ſpeculatiuis, quos ſepè elicit Intellectus, facilè progreditur ad actus practicos, vt ſi quis, verbi gratia, cognoſcens definitionem eſſe aptam natam ad explicãdam eſſentiam, & naturam rei, procedat, & progrediatur ad faciendam ipſam definitionem, in tali caſu Intellectus dicitur, extenſione fieri practicus.

Vel etiam Intellectus extenſione fit practicus, in quantum per vnum actum Intellectus dirigitur alius, & ſic vnus eſt practicus reſpectu alterius.

Obijcies quartò: finis ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt veritas, ſed finis Logicæ eſt veritas, Logica enim addiſcitur in ordine ad cõparandam veritatem, ergo Logica eſt Scientia ſpeculatiua.

Reſpondeo: Logicam habere pro fine extrinſeco comparationem veritatis, non pro fine intrinſeco: cæterum veritas eſt finis intrinſecus Scientiæ ſpeculatiuæ, ideò.

Obijcies quintò: Logica habet quaſdam cognitiones ſpeculatiuas, & quaſdam practicas, ideòque diuiditur in Docentem, & Vtentem, ſed quà Docens eſt habet multas cognitiones ſpeculatiuas, & quà Vtens eſt, habet multas cognitiones practicas, ergo eſt partim ſpeculatiua, & partim practica.

Reſpondeo: Logicam Docentem ab Vtente diſtingui ſola ratione, & per intellectum, non realiter, & ideò ſi Logica Docens eſſet ſpeculatiua, etiam Logica Vtens eſſet ſpeculatiua.

Prætereà dico; Logicam Docentem nullam habere cognitionem, quæ non ſit intrinſecè ordinata ad praxim, & ad opus, dicitur enim Docens, quia docet præcepta, & regulas; præcepta autem, & regulæ de ſua natura ſunt ordinatæ ad faciendum illud opus, cuius faciẽdi ſunt regulæ, & præcepta; dixi de ſua natura, quia extrinſecè, & per accidens poteſt etiam cognitio ſpeculatiua ordinari ad opus, ſed iſta erit ordinatio ſcientis, non Scientiæ, erit ordinatio extrinſeca, non intrinſeca, ità accidit, ſi quis ſtuderet Philoſophiæ, vt ſibi diuitias compararet, vel vt artem Medicam exerceret.

LECTIO II.

An Logica ſit Ars.

HVius controuerſiæ occaſionem præbent illi, qui cùm nobiſcum conueniant in eo, quòd Logica ſit Scientia practica, negant deindè eſſe Artem, quaſi magnum aliquod diſcrimen ſit inter Sciẽtiam practicam, & Artem; ergo ſanè in ea fui ſemper Opinione, vt exiſtimauerim inter Scientiam practicam, & Artem nullam eſſe differentiam, pro cuius nẽç Opinionis probatione.

Præmitto primò: nomine Artis venire Habitum tradentem Regulas, & præcepta alicuius operis faciendi, ità colligitur *ex Ariſt. 6. AEth. 4. & 2. Phyſ. 3. & 12. meta. t.* 13, ex quo manifeſtè patet, non diſtingui Artem à Scientia practica, nam etiam Scientia practica eſt habitus tradens regulas, & præcepta operis faciendi: ex hoc etiam colligitur, Artem habere obiectum contingens, & factibile à nobis; habere pro fine opus, non aliquam ſpeculationem, & per conſequens non eſſe gratia ſui, nam in Artibus, & Scientijs practicis, idem eſt obiectum, finis, & opus; ſed dicitur obiectum, quatenus abſtrahit ab eo, quòd ſit, vel non ſit acquiſitum; dicitur finis, prout intenditur, & adhùc non eſt acquiſitum; denique dicitur opus, prout eſt iam factum, & acquiſitum, ità domus facienda eſt finis, domus

fa-

Digitized by Google

facta, eſt opus, domus abſtrahens à facienda, vel facta, dicitur obiectum Artis AEdificatoriæ.

Præmitto ſecundò : quòd quia opus aliud eſt externum, ideſt extrà Intellectum, & manuale; aliud internum, ſeù Intellectuale, ideò duplex aſſignatur genus Artis; nam alia eſt actiua, & liberalis, ideſt libero, & ingenuo homine digna, alia eſt factiua, & mæchanica, ſeù manualis; illa verſatur circà opus internum, hæc circà opus externum, & alienum ab Intellectu, qui proptereà dicitur mæchari, quando exit in opus extrà ſe, quia facit opus à ſe alienum, & diuerſum, ducta analogia ex eo, quòd quis tunc dicitur in re morali mæchari, quando relicta propria vxore, alienæ, & non ſuæ adhæret.

Concluſio ſit. Logica eſt Ars, non quidem factiua, & mæchanica, ſed actiua, & liberalis.

Probatur, quia Logica eſt habitus tradens regulas, & præcepta operis faciendi, quod eſt, & manet intrà Intellectum, tradit enim regulas, & præcepta faciendi Syllogiſmi, vt patet, ergo eſt Ars actiua, & liberalis.

Obijcies primò : ex *Ariſt. 1. Magnorum Moralium* 33. per hoc contradiſtinguitur Ars à Prudentia, quòd Ars eſt circà futura, Prudentia verò circa actionem, ergo non datur Ars, quæ conſiſtat in actione & ſit actiua; ergo Logica non eſt Ars actiua.

Reſpódeo, ab Ariſtotele optimè agnoſci Artes actiuas; nam 8. *Polit*. 5. Muſicam appellat actiuam; verum quidē eſt, quòd actio propriè dicitur de Prudentia, quæ ſicuti tractat de eligibilibus, ità & de agibilibus, minus propriè etiam Artibus conuenit actio, & agere; cæterum eo loci non diſtinguit Ariſtoteles Prudentiam ab Arte ſimpliciter, ſed ab Arte mæchanica, & factiua.

Obijcies ſecundò : Si Logica eſſet Ars actiua; poſſet quoque dici Ars factiua, ſeù effectiua, conſequens eſt abſurdum, ergo. Probatur maior, quia ſi quid obſtaret, maximè quia Ars factiua verſatur circà materiam externam, circà quam non verſatur Logica, ſed id non obſtat, nam etiam Philoſophia moralis per virtutem Religionis reſpicit materiam externam, putà ædificationem templi, ſacrificia, & tamen eſt coactiua, ergo.

Reſpondeo: negando maiorem, ad probationem, & ad inſtantiam adductam de Philoſophia morali; dico, ſacrificia, & ædificationem templi merè per accidens ſpectare ad Philoſophiam Moralem, & ideò retinet quòd ſit Actiua, & non factiua, ſimili ratione etiam Logica reſpicit Syllogiſmum vocalem, & Scriptum; ſed per accidens in ordine, ſcilicet, ad mentalem, ſicuti ſacrificia, ædificatio templi, & omnis alius cultus exterior per ſe ordinantur ad cultum interiorem: ideò quoad eſſe actiuum parificantur Logica, & Philoſophia moralis.

Obijcies tertiò: de ratione propria Artis eſt, verſari circà materiam externam, ſed hoc non habet Logica, ergo: Maior probatur ex *Ariſt. 9. Meta t. 3.* vbi habet, omnes Artes eſſe principia tranſmutatiua in aliud, prout aliud: imò & per hoc contradiſtinguitur Ars à Natura, quòd Ars eſt extrà illud principiū, in quo operatur, non ſic Natura, ergo de ratione Artis eſt, reſpicere opus externum.

Reſpondeo: Artem à Natura per hoc contradiſtingui, quòd Natura remanet in eo principio, ſeù ſubiecto, in quo operatur, tanquam pars intrinſeca illius; non ſic Ars, quæ non eſt pars intrinſeca eius, in quo operatur, vt de ſe patet, ideò dicitur eſſe principium tranſmutādi in aliud, prout aliud.

Obijcies quartò: Ars verſatur circà ſingularia, ſed Logica non verſatur circa ſingularia, quia tradit vniuerſalia præcepta de dirigendis operationibus Intellectus, ergo: maior probatur ex *Ariſt. 1. Meta.* vbi docet; Artem verſari circa generationem, ſed generatio eſt ſingularium, ergo.

Reſpondeo: omnes artes tradere regulas generales, & vniuerſalia præcepta operis faciendi, & deindè applicare illa ad opus in particulari, id etiam præſtat Logica; quæ proptereà diuiditur in Docentem, & Vtentem, quà Docens tradit generalia præcepta, quà Vtens, applicat præcepta generalia ad opus in particulari, putà ad faciendum Syllogiſmum in hac, vel in illa materia.

LE-

Digitized by Google

LECTIO III.

An Logica ſit Virtus.

PRæmitto in Logica cōſiderandas eſſe tres partes, nempè partem Demonſtratiuam, Topicam, & Sophyſticam; ſecundum partem Demonſtratiuam Logica inclinat ad verum; ſecundum partem Topicam inclinat ad veriſimile, ſeù probabile; ſecundum partem Sophiſticam inclinat ad fallacias: nulli eſt dubium ſecundum partem Demonſtratiuam Logicam eſſe Virtutem, definitur enim Virtus ab *Ariſt.7.Phyſ.c.17.* quòd ſit diſpoſitio perfecti ad optimum; Logica ſecundum partem Demonſtratiuam inclinat Intellectum, (qui venit nomine perfecti,) ad optimū; nimirùm ad verum, quod eſt optimum Intellectus, ideò ſecundùm eam partem Logica eſt Virtus; dubitatur, an ſit Virtus ſecundum partem Sophiſticam, & Topicam; quia ſecundum has non inclinat ad verum.

Concluſio. Logica eſt Virtus, etiam ſecundùm partes Topicam, & Sophiſticam.

Ita Fonſeca 2. Meta.c.3.q.2.ſec.4. Vaſq. 1.2 diſp.85. cap. & pauci ex antiquis apud Vallium part.2.Prol q.4 cap.10.

Contra *Tol.q.4. Smiglețium diſp.2.ſect.5.& Vallium loco mox cit.*

Probatur Concluſio primò: quia non eſt de ratione Virtutis conducere ad veritatem, & certitudinem ſimpliciter, ſed ad veritatem, & certitudinem maiorem, ſeù etiam ſummam, quæ haberi poteſt in his, vel illis circumſtantijs, quia ergo per medium probabile non poteſt haberi, niſi veritas probabilis, ideò Logica, quæ docet, quomodo hæc veritas per hoc medium habeatur, erit Virtus. Conſequentia tenet: Antecedens probatur Inductione, quia Prudentia eſt Virtus, & tamen non habet media infallibilia, qui enim prudenter operatur, non ſemper aſſequitur ſuum finem; Ars Medica eſt Virtus, & tamen docet, extremis malis eſſe adhibēda extrema remedia, ideſt periculoſa, & fallacia, ſimiliter & Ars Nautica, & ſic de cæteris, ergo nō eſt de ratione virtutis præſcribere præcepta infallibilia ſimpliciter.

Confirmatur, quia licet Logica ſecundùm partem Topicam tradat præcepta probabilia, non proindè veritatem negligit, quia præcepta probabilia ſunt optima diſpoſitio ad veritatē, ex *Ariſt.1. Top.2.* vbi docet, artes dubitatiuas diſponere Intellectum ad veritatem: Sophyſtica vero, licèt tractet de fallacijs, de ijs tractat, non vt inducat Intellectum ad falſitatem, ſed vt remoueat àb erroribus oſtenſione fallaciarum ex *Ariſt. 1. Reth.1.*

Probatur ſecundò Concluſio: quia in Logica non eſt conſiderandus finis extrinſecus, qui eſt veritas, ſed eſt attendendus finis intrinſecus, qui eſt, inducere rectitudinem in operationes Intellectus, talis autem rectitudo ex vna parte eſt optimum Intellectus, & ex alia poteſt haberi non ſolum per media probabilia, ſed etiam per media fallibilia modo explicato.

Obijcies primò: Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſed Logica ſecundum partem Topicam, & Sophiſticam non eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ergo; Probatur minor, quia Logica eſt habitus inſtrumentarius, atque adeò per ſe non expetibilis, ergo per ſe non conducit Intellectum ad bonum, & ad optimum.

Reſpondeo: virtutem, eſſe depoſitionē ad optimum in ſuo genere, non in omni genere, alioquin vna ſola eſſet virtus moralis, quæ diſponit ad ſummum bonum honeſtum, vna ſola eſſet virtus intellectualis, quæ diſponit ad ſummum verum intelligendum: Logica ergo non diſponit intellectum ad optimū in omni genere, ſed diſponit ad optimum in ſuo genere, quod eſt ad inducendam rectitudinem in operationes Intellectus; eſto deindè, quòd totum hoc ordinetur ad comparandam veritatem, tanquam ad finem extrinſecum, ideòque ſit habitus inſtrumentarius, & inſeruiens alijs Scientijs, nam etiam Conſultatio conducens ad honeſtum in ſuo genere, & non ad honeſtum ſimpliciter, inſeruit Prudentiæ, & tamen eſt pars eiuſdem Virtutis.

Obijcies ſecundò: habitus practici menſurantur ex opere vltimo, ſed opus vltimum partis Topicæ, quā Topicæ, eſt Syllogiſmus probabilis, nullam habens in ſe veritatem, ergo Logica ſecundum partem Topicam non inclinat ad bonum, & ad optimum Intellectus, & conſequenter non eſt virtus.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo; opus vltimum partis Topicæ, vt Topicæ intrinſecum non eſſe ſyllogiſmum probabilem, ſed eſſe præcepta infallibilia, quibus fit ſyllogiſmus probabilis; eſto opus vltimum, ſed tamen extrinſecum Topicæ, ſit ſyllogiſmus probabilis, ſicuti & partis Sophiſticæ opus vltimum intrinſecum eſt præſcribere regulas infallibiles, quibus fit ſyllogiſmus ſophiſticus, ipſe verò ſyllogiſmus ſophiſticus eſt opus partis Sophyſticæ, vltimum quidem, ſed extrinſecum.

Obijcies tertiò: ille habitus non eſt virtus, cui ſe perfectè conformando malè operamur in eo genere, in quo ſupponitur eſſe Virtus, ſed perfectè nos conformando parti Topicæ malè operamur in genere Intellectus, in quo Logica eſt Virtus, ergo Logica ſecundùm hanc partem Topicam non eſt Virtus. Maior de ſe patet: Minor probatur, quia ſi conformemur regulis Topicis, iuxta eas conficiemus ſyllogiſmum probabilem, cui ſicuti poteſt ſubeſſe falſum, ita aliquando de facto ſubeſt, ergo iam non aſſequimur veritatem, & conſequenter malè operamur in genere intellectus:

Confirmatur: quia præceptis Logicis poſſumus benè, & malè vti, per illa æquè poſſumus conficere ſyllogiſmum verum, & falſum, pro vt materia eſt vera, vel falſa, ergo per habitum Logicę non inclinat Intellectus ad verum, cuius eſt optimum.

Reſpondeo: per pręcepta, & regulas Topicæ infallibiliter nos conficere Syllogiſmum probabilem, quod eſt quid bonum in genere Intellectus, non quidem bonum ſimpliciter, ſed bonum in tali genere; & hoc ſufficit ad rationem Virtutis Intellectualis non quidem principalis, ſed minus principalis, & inſtrumentariæ.

Ad Confirmationem reſpondeo: non eſſe defectum Artis Fabrilis, quòd quis vtatur malleo ad deſtruenda opera fabrilia, cum malleus de ſe ſit æquè aptus ad conſtruenda talia opera, ità pariter non eſt defectus Logicæ, quòd quis vtatur ſuis præceptis in materia falſa, & conficiat falſos ſyllogiſmos, & ideò per hoc non debet Logica excludi è numero Virtutum Intellectualium.

LECTIO IV.

An Logica ſit neceſſaria ad acquirendas Scientias.

PRæmitto primò: id dici neceſſarium in ordine ad aliud acquirendum, ſinè quo illud aliud acquiri, vel haberi non poteſt, ità cibus dicitur eſſe neceſſarius ad conſeruandam Vitam, quia ſine cibo vita non poteſt conſeruari; Dupliciter autem ſumitur neceſſarium in Schola, neceſſarium ſimpliciter, & neceſſarium ſecundùm quid: id dicitur in ordine ad aliud ſimpliciter neceſſarium, ſinè quo illud aliud non poteſt haberi, vt in exemplo adducto cibus eſt neceſſarius ſimpliciter ad conſeruandam Vitam, quia ſinè cibo non poteſt vita conſeruari; neceſſarium ſecundum quid in ordine ad aliud dicitur illud, ſinè quo illud aliud poteſt haberi, ſed non ità facile, & promptè, non ità commodè, & delectabiliter, ità potus vini eſt neceſſarius ſecundùm quid ad conſeruandam vitam, quia ſine potu vini poteſt quidem vita conſeruari, ſed non ità commodè, & delectabiliter.

Præmitto ſecundò: poſſe nos ſolo lumine naturali inſtructos, diſcurrere, & ratiocinari, ſed id præſtare ità imperfectè, & inordinatè, vt diſcurrendo, & ratiocinando multos committamus errores, nec cognoſcamus vnum ex alio deduci, aut inferri; patet hoc experientia, & ex *Ariſt. 1. ad Theodecten cap. 1. multi hæc temerè, & caſu, nonnulli exercitatione, et habitu factitant.* Quæritur ergo, an Logica ſit neceſſaria ad acquirendas Scientias, & qua neceſſitate.

Concluſio ſit: Logica eſt neceſſaria ad acquirendas Scientias ſecundum quid, nō ſimpliciter.

Ità ex Antiquis *Iauel. in compendio ſuæ Logicæ tract. 1. cap. 2. Arriaga diſp. 3. ſect. 5. & alij apud Conimb. q. 2. Proœm. art. 2.*

Contrà *Ruuium q. 1. Proœmiali concl. 2. Ouied. Contr. 3. puncto 6. concl. 4. & alios.*

Probatur Concluſio: quia nullus habitus eſt ſimpliciter neceſſarius ad actus potentiarum, ergo Logica habitualis, de qua procedit mea Concluſio, non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias Scientias; cō-

ſequentia tenet. Antecedens probatur, quia per hoc cōtradiſtinguitur habitus à potentia,& ab habitu ſupernaturali,quòd potentia, ſicuti & habitus ſupernaturalis habent neceſſitatem ſimpliciter ad actus, ergo nullus habitus naturalis eſt ſimpliciter neceſſarius.

Replicabis,ergo ſaltem Logica actualis erit ſimpliciter neceſſaria non quidem ad aliquas cognitiones ſcientificas, ſed ad omnes illas cognitiones; ex quibus integratur vna Scientia totalis.

Sed contrà eſt, quia ex alia ratione arguitur, quòd Logica actualis non ſit neceſſaria ad omnes illas cognitiones, ex quibus integratur vna aliqua Scientia totalis,& ea eſt, quia vt habetur ex *Ariſt. in proœmio Meta.* antè omnes alias Scientias fuit inuentà Mathematica, quæ Antiquitùs antè alias Scientias loco Logicæ addiſcebatur, imò, & antè Ariſtotelem, quem agnoſcimus Logicæ Inuentorem, multi fuerunt naturales Philoſophi, à quibus ipſe Ariſtot.fatetur ſe accepiſſe Philoſophiam; ergò nec Logica actualis eſt neceſſaria ad omnes illas cognitiones,ex quibus integratur vna Scientia totalis,ſufficit enim ad illas lumen naturale, quod in aliquibus ità eſt perfectum, vt nec Logica, nec alio habitu indigeant, tale fuit in Antiquis Philoſophis,& in Artium,Scientiarumque Inuentoribus.

Reſpondebis: At illi in varios lapſi ſunt errores propter ignorantiam Elenchorum,ideſt Logicæ,vt habet *Ariſt.lib.2 Elenchorum cap. 9.*

Fateor, ſed indè ſolùm ſequitur,Logicā eſſe neceſſariam ad acquirendas Scientias perfectè,& ſine erroribus, ſed indè non ſequitur, eam eſſe neceſſariam ſimpliciter, imò ſolum ſecundum quid, quia iam non eſt Logica neceſſaria; niſi ad illos errores euitandos, ad acquirendam perfectionem ſcientificam,non ipſam Scientiam,non ergo ad entitatem actus,vel habitus ſciētifici,ſed ad modum eius,eſt neceſſaria ſecundum quid,non ſimpliciter.

Obijcies primò:aliquando Sanctos Patres in Logicam,vt pernicioſam, & inutilem inuehi; imò & *D. Ambroſius* in ſupplicationibus maioribus vota faciebat Deo, vt eum à Logica D. Auguſtini, qui tunc temporis Manichęorum hæreſim defendebat, liberaret: ergo Logica non eſt neceſſaria ſecundum quid, nec vtilis.

Reſpondeo, Sanctos Patres eſſe intelligendos, vel de abuſu eius Scientiæ, vt tunc temporis D. Auguſtinus, qui in Manichæorum hæreſim lapſus, vtebatur Logica in præiudicium veritatis Catholicæ, vel nomine *Logicæ* intellexiſſe Sophiſticas] contentiones, & cauillationes, non veram *Logicam*,qua vſos eſſe Chriſtum Dominum, & Apoſtolum Paulum refert *D. Auguſtinus cap. 13. & 20. contra Creſconium.*

Obijcies ſecundò: ad acquirendas Sciētias totales requiruntur multæ argumētationes, definitiones, & diuiſiones, ſed hæ non poſſunt haberi ſine *Logica*, ergo *Logica* eſt ſimpliciter neceſſaria: probatur Minor, quia obiecta ex ſe ſunt ſatis difficilia, Intellectus noſtri maxima eſt imbecillitas,ergo definitiones,diuiſiones, & argumentationes fieri non poſſunt ſine *Logicæ* adminiculo.

Reſpondeo: non omnium ingenia eſſe æqualis imbecillitatis, ſed alia eſſe alijs perſpicaciora, quæ proptereà ſimpliciter non indigent *Logica*, tale fuit ingenium Ariſtotelis, qui *Logicam* vel primò inuenit,vel perfecit; talia etiam ingenia fuerunt eorum, qui primi Artes, & Scientias adinuenere. Similiter & obiecta eſſe alia alijs clariora, & magis ſenſata.

Obijcies tertio: *Logica* eſt modus,& inſtrumentum Sciendi, ergo ſine *Logica* ſimpliciter Scientia non poteſt acquiri; tenet conſequentia,quia nullum opus poteſt fieri ſine debitis,& proportionatis Inſtrumentis,ergo.

Reſpondeo: quòd ſicuti *Logica* fuit primò adinuenta, & acquiſita ſine aliquo alio Inſtrumento, vel *Logica*, ità ſinè *Logica* poſſunt ſimpliciter acquiri Scientiæ, etiam totales, ſi enim aliqui actus ſcientifici, etiam per Auctores contrariæ Sententiæ, poſſunt acquiri ſine *Logica*, cur non omnes? Imò *Ouied. loco cit. concl.3.* id apertè concedit; vnus enim actus ſcientificus prius acquiſitus conducit ad alios, & alios ſucceſſiuè acquirendos.

Obijcies quartò: vt aliquis certò, & euidenter aſſentiatur Concluſioni præter præmiſſas, debet eſſe certus de bonitate illationis, ſed de hac non poteſt eſſe certus,niſi ſciat regulas, & præcepta inferendi Concluſionem, atque adeò, niſi ſciat Logicam,quæ tradit regulas huiuſmodi, &

præ-

præcepta; ergo: Confirmatur quia, qui ſcit, debet ſcire ſe ſcire, ſed ad hoc, vt aliquis ſciat ſe ſcire, debet habere omnes conditiones requiſitas ad rationem Sciētiæ quas demonſtrare eſt ſolius Logicæ, ergo.

Reſpondeo: quando ſunt obiecta facilia, quilibet etiam tardioris ingenij, & in quo ſit debile lumen naturale certò cognoſcit, & clarè euidentiam illationis, & conſequentiæ, ſi enim cognoſcat quis, omne totum eſſe maius ſua parte, & lignum bipalmare eſſe partem ligni quadripalmaris, certiſſimè, & euidentiſſimè concludet maius eſſe lignum quadripalmare, quàm ſit bipalmare, & hoc ſinè Logicis regulis, & præceptis; quando verò obiecta ſunt difficilia, & à ſenſibus noſtris valdè remota, ſi maius affulgeat lumen naturale, & præſtantius philoſophantis ingenium ſit, adhùc poterit vis illationis, & conſequentiæ certò innoteſcere, tale fuit ingenium eorum, qui Logicam, & cæteras Scientias inuenerunt. Ad Confirmationem ſimiliter reſpōdeo: quòd, vt patet in exemplo adducto, ille ſcit ſe ſcire, cui clarè, & manifeſtè innoteſcit obiectum, ſcit enim ſe ſcire in actu exercito, & practico, licèt non ſciat, ſe ſcire in actu ſignato, & ſpeculatiuo, qui habetur per regulas, & præcepta Logicæ.

Obijcies quintò: ex Ariſtotele 2. Poſt. qui ſcit, debet eſſe imperturbabilis in ſua Scientia, ità vt de ſua Sententia dimoueri non poſſit, ſed talis imperturbabilitas habetur beneficio Logicæ, qui enim caret Logica, facilè poteſt Sophiſtarum cauillis irretiri, & decipi, ergo.

Reſpondeo: eam imperturbabilitatem haberi ſolo lumine naturali, vt patet in exemplo adducto, quis enim vnquam reperiri poteſt adeò ſtolidus, & iners, qui deturbari poſſit ab hac cognitione, quod lignum quadripalmare ſit maius bipalmari; & ratio eſt, quia ea eſt noſtri Intellectus conditio, & natura, vt veritati euidenter cognitæ, obiecto clarè noto, immobiliter adhæreat: hærebit fortaſsè mutus, qui Logicis præceptis minimè inſtructus, non poterit Sophiſtarum argutias in contrarium adductas diſſoluere, ſtabit tamen in ſua Sententia; nec vnquam Sophiſtæ aſſentietur, quo caſu eodem modo ſe habebit, ac idiota, cui ſi probare volueris, illum eſſe lapidem, hæreret quidem idiota ille, ſed ſtabit pertinaciter in ea Sententia; vt ſe hominem rationis capacem æxiſtimet, quia hoc eſt illi euidenter clarum, & notum.

LECTIO V.

Expediuntur aliæ Quæſtiones.

SVnt aliæ Quæſtiones hic reſoluendæ breuiter, quia ſunt leuioris momenti, ideòque haud ſano conſilio nonnulli Philoſophi de his nimiùm fusè, & inutiliter diſputant, res cæteroqui claras, longis diſputationibus obſcurantes.

Prima Quæſtio ſolet eſſe, an Logica Docens realiter diſtinguatur ab Vtente. Pro huius ſolutione.

Præmitto: Logicam celebri diuiſione in Docentem, & Vtentem diſtribui, vt præſtant D. Thomas 4. Meta: Scotus q. 1. Prædic. vbi nomine Logicæ Docentis venit Logica, prout docet, ideſt, prout tradit regulas, & præcepta operis faciendi, ideſt faciēdæ Definitionis, Diuiſionis, & Argumentationis; nomine verò Logicæ Vtentis venit Logica, prout vtitur præceptis, & regulis à Docente traditis; in qua acceptione ſumpſit Logicam, ſeù Dialecticam D. Auguſtinus vocans D. Paulum, & alios Theologos, Dialecticos, quia vtebantur Dialectica in ſuis materijs, ità refertur ab Hurt. diſp. 2. Log. ſ. 4. Nonnulli ipſas Scientias vtentes præceptis Logicis, Logicam Vtentem appellant, ſed malè, quia confundunt Scientias cùm Scientiarum Inſtrumento, quod eſt Logica: Vt propoſitæ Quæſtioni ſatisfaciamus,

Concluſio ſit: Logica Docens non diſtinguitur realiter ab Vtente, ſed ratione.

Probatur: quia Logica ex dictis ſupra eſt Ars, & Scientia practica, ergò omnis eius pars debet eſſe practica, & ad opus ordinata, ergo Logica Docens ità docet, & tradit præcepta, vt non præſcindat ab vſu, & exequutione præceptorum, ergo realiter idem habitus Logicæ eſt Docens, & Vtens.

Probatur ſecundò: quia nulla eſt neceſſitas ponendi realem hanc diſtinctionem, idem enim habitus, prout docet, & tradit præcepta, eſt Docens, prout vtitur præceptis traditis, poteſt dici Vtens, & quidem in omni Arte aſſignatur pars

Docens, & pars Vtens, abſque eo, quòd ponatur realis diſtinctio inter eas,& ſicut in probabili Sententia eadem Anima, prout intelligit,eſt Intellectus,prout vult, eſt Voluntas, prout recordatur, eſt Memoria,abſque vlla reali diſtinctione, itá & Logica prout docet, eſt Docens,prout vtitur doctrina, eſt Vtens. Confirmatur, quia nullum apparet ſignum realis diſtinctionis inter Logicam Docentem, & Vtentem, neque enim eſt aſſignare præcepta tradita ſinè opere facto per talia præcepta, benè quidem poſſumus per intellectum concipere eam partem Logicæ,quæ tradat præcepta non concipiẽdo alteram partem quæ vtitur præceptis, ſed non eſt aſſignare, niſi opus factum per præcepta, & regulas Logicæ; idem quoque accidit in alijs Artibus, quarum opera adinuenimus facta iuxtà regulas,& præcepta earum,ſed non eſt adinuenire à parte rei præcepta ſeorſim ab opere.

Quæſtio ſecunda ſolet eſſe, An *Logica* ſit Inſtrumentum Intellectus, & Scientiarum. Et quidem ſuppoſito *Logicam* non eſſe Inſtrumentum manuale, & mæchanicum,quia aliàs non eſſet habitus,& virtus Intellectualis,

Concluſio ſit: *Logica* eſt verum Inſtrumentum

Probatur quia: *Logica* ipſa conficit Definitionem,Diuiſionem, & Argumentationem,ſed hæc ſunt Inſtrumenta ſciẽdi,ergo etiam ipſa *Logica* eſt Inſtrumentum ſciendi. imò eſt Inſtrumentum Inſtrumentorum, Inſtrumentum omnium Scientiarum, ſicuti manus ex Ariſt. 4. de partibus Animalium, dicitur Inſtrumentum Inſtrumentorum,quia eſt Inſtrumẽtum inſeruiens corpori ad omnes eius functiones,& actiones.

Dices,habitus, qui conficit in materia ficta id,quòd debet facere alter habitus in materia vera,eſt habitus progymnaſticus & præexercitatorius; talis eſt *Logica*, ſiquidem Ariſt.in lib.Prior. confecit argumenta in litteris Alphabeti:ergo

Reſpondeo: per accidens fieri à *Logica* Syllogiſmos in materia ficta,nam facit etiam ipſa in materia vera, ſed cùm Sciẽtijs, & exercet ſuas operationes, in quacunque materia illi proponatur.

Quæſtio tertia ſolet eſſe,an *Logica* ſit Facultas,

Concluſio ſit:ſi nomine Facultatis veniat potentia,vel Facultas quædã arte exculta,& acquiſita, ſinè dubio *Logica* eſt Facultas, loquẽdo de *Logica* artificiali;ſi verò nomine Facultatis veniat habitus inclinans ad oppoſita, *Logica* ſecundum ſe tota non eſt Facultas, quia ſecundum eius partem demonſtratiuam inclinat ad verum,non ad veriſimile, ſeù probabile.

Petes, quomodo ſit adinuenta *Logica*?

Reſpondeo: *Logicam*, ſicuti & alias Artes fuiſſe adinuentas ex reflexione, aliqui enim rectè diſcurrentes, reflectentes ſupra proprios actus, & obſeruantes homines diſcurrere, & applicantes eundem modum diuerſis rebus, cùm aduertiſſent per illos modos rectam fieri ratiocinationem illud,quod vſu fiebat, ad Scientiam redegerunt, præcepta vniuerſalia tradentes,quibus ſeruatis ſemper recta operatio ſequeretur, & hanc *Logicam* appellarunt.

Colligite ex dictis in hiſce quinque Lectionibus,Genus remotum *Logicæ* eſſe,quòd ſit Habitus, ſeù Virtus Intellectualis;Genus verò proximum eſſe, quòd ſit Scientia practica, ſeù Ars Actiua; remanet,vt eius vltimam differentiam per ſequentes *Lectiones* inueſtigemus, & reperiamus.

LECTIO VI.

Afferuntur Definitio, & Diuiſio Entis Rationis.

PRæmitto primò:ex dicẽdis in ſequẽti Lectione omninò dari Ens rationis, vbi nomine Entis rationis venit quoddã complexũ ex ente, et τὸ rationis:Nomen Entis eſt participium à verbo ſum, quod exiſtere ſignificat. Et quia quicquid exiſtit, vel exiſtit dependenter ab Intellectu,vel independenter, hinc Ens generaliſſima ſui diuiſione diuiditur in Ens reale, & in Ens rationis; id enim,quod exiſtit dependenter ab Intellectu, ſeù ratione,dicitur Ens rationis: id verò, quòd exiſtit à parte rei independenter ab opere Intellectus, dicitur Ens reale, quod ſi actu exiſtat,eſt Ens reale actuale; Si verò poſſit exiſtere, dicitur Ens reale potentiale; Iterum nomen Entis rationis, vel importat id,quod fit à ratione, ſeù Intellectu,in eoque ſubiectatur,& recipitur, & itá ſe habet operatio Intellectus, quæ fit

ab

Digitized by Google

ab Intellectu, in quo & manet tanquam in ſubiecto; vel importat, quod obijcitur rationi, ſeu Intellectui, vt paries, verbi gratia, ſi cognoſcatur ab Intellectu, dicitur eo ipſo Intellectui obijci, & habere eſſe obiectiuum in Intellectu præter illud eſſe reale, quod habet in ſe, & de ſe independenter ab omni opere Intellectus: quòd ſi aliquid, ità obijciatur Intellectui, vt præter obijci, nullum aliud eſſe reale habeat in ſe, dicitur tunc tale aliquid, habere tantùm eſſe obiectiuum in Intellectu; huiuſmodi ſunt impoſſibilia, & non Entia, quæ præter hoc, quod eſt obijci, nullum eſſe reale habent in ſe, & ideò prout præcisè obijciuntur Intellectui, dicuntur habere tantùm eſſe obiectiuum in eodem Intellectu de Ente rationis in hac vltima, & ſtricta ſignificatione accepto eſt ſermo in præſenti.

Concluſio ſit: Ens rationis benè definitur eſſe id, quod habet eſſe tantùm obiectiuum in Intellectu, ſeu ratione, *ità Dur. in 1.d.19.q.5.num.6. Scot. quodlib. 3.§. de primo, & colligitur ex Ariſt. 6. Met. t.8.*

Probatur, quia per iſtam definitionem contradiſtinguitur Ens rationis ab omni alio Ente rationis, & reali, atq; adeò aſſignata definitio eſt adæquata definito, ergo optima; in ea definitione notanter eſt poſita particula illa excluſiua, tãtùm, quæ eam vim habet, vt excludat ab Ente rationis, omne eſſe reale, tàm actuale, quàm poſſibile, tàm in Intellectu, quàm extrà Intellectum.

Diuiditur Ens rationis in hac ſtricta, & rigoroſa ſignificatione acceptum, in illud, quod habet fundamentum in re, & in illud, quod non habet fundamentum in re, ſed gratis ab Intellectu fit, & concipitur: illud Ens rationis dicitur habere fundamentum in re, ad quod efficiendum ſumit Intellectus occaſionem ex ipſiſmet rebus, ſicuti enim id, quod eſt nobis motiuum, & occaſio aliquid opinandi, dicitur eſſe fundamentum opinionis noſtræ; indicia, & ſigna, quæ mouent ad aliquid iudicandum, dicuntur fundamenta talis iudicij, vndè qui ſinè indicijs, & ſignis iudicat, dicitur temerè, & ſinè fundamento iudicare, & opinari, ità quando res ipſæ ſunt occaſio, & motiuum Intellectui noſtro efformandi Ens rationis, tunc dicitur Ens rationis eſſe factum cum fundamento in re; quando verò res ipſæ, vel minimam, vel ferè nullam tribuunt occaſionem faciendi Ens rationis, tunc dicitur Ens rationis factum ſinè fundamento in re, non quia Intellectus nullum prorſus habuerit fundamentum, id enim eſt impoſſibile, cùm enim Intellectus ſit potentia neceſſaria, non operatur, niſi prout mota ab obiectis, & rebus, ſed quia parum, vel ferè nullum habuerit fundamentum, & occaſionem faciendi tale Ens rationis.

Porrò fundamentum, & occaſionem, quam habet Intellectus ad faciendum Ens rationis ex rebus ipſis eſt, quia ſæpè Intellectui obijciuntur negationes, priuationes, & non Entia, quæ non poſſunt aliter cognoſci, quàm ad modum Entiũ, & tanquam, ſi eſſent formæ poſitiuæ, quia Intellectus noſter ità eſt aſſuetus cognoſcere, & intelligere cætera obiecta; hinc Intellectus ſumit occaſionem concipiendi non Entia ad modum Entium, priuationes, & negationes ad modum formarum poſitiuarum, & conſequenter dicitur facere Ens rationis cùm fundamento in re, aliquando verò Intellectus audito nomine Chymeræ, Centauri, & Hircocerui, iudicat verè dari talia animalia cæteroqui impoſſibilia, atque adeò apprehendit eſſe aliquam vnionem eſſentialem inter partes de ſe, & ex ſua natura incompoſſibiles, quæ vnio ſic concepta dicitur eſſe Ens rationis ſinè fundamento in re.

Ens ergo rationis cùm fundamento in re, eſt triplex, ideſt negatiuum, priuatiuum, & relatiuum; negatiuum eſt, cùm concipitur negatio ad modum Entis poſitiui, vt cùm concipitur cæcitas in lapide ad modum cuiuſdã nigredinis; priuatiuum eſt, cùm concipiuntur tenebræ in aere ad modum veli nigri; Relatiuum eſt, cùm ex eo, quòd Deus dicatur, & ſit vera cauſa Creaturarum, Intellectus concipit Deum referri ad Creaturas, ad quas tamẽ non refertur, nec poteſt referri.

Ens rationis ſinè fundamento in re, ſeu Chymęricum fit, cum concipitur aliqua vnio inter partes eſſentialiter incompoſſibiles, vt vnio concepta inter caput hominis, pectus leonis, & caudam piſcis, vndè fit Chymæra; Vnio concepta inter Hircum, & Ceruum, ex quibus fit Hircoceruus; vnio concepta inter hominem, & equum, ex quibus fit Centaurus, & ſimilia.

LECTIO VII.

An verè detur Ens rationis.

PRæmitto primò : Certum eſſe dari Ens rationis, idque fieri ab Intellectu creato, nam ſi Valleſium Contr. 9. ad Tyron. & alios paucos excipias, nemo Philoſophorum negat exiſtentiam Entis rationis: Thomiſtæ cum Durando in 1.d.19. q.1. & 6. extrinſecas denominationes cogniti, prædicati, ſubiecti, & alias ſimiles appellant Ens rationis, & ſecundas intentiones : admitto eſſe ſecundas intentiones, ſed nego tales denominationes eſſe Entia rationis, imò dico eſſe denominationes reales prouenientes à cognitione, tanquam à cauſa formali extrinſeca, ſicuti enim Domum eſſe antiquam, Columnam eſſe dexteram, vel ſiniſtram, eſt denominatio realis extrinſeca, pariter eſſe cognitum, eſſe prædicatum, & huiuſmodi, aio eſſe denominationes reales extrinſecas.

Præmitto ſecundò : diuerſas eſſe Recentiorum opiniones circà modum, quo fiat Ens rationis ab Intellectu ; vel enim fit Ens rationis per apprehenſionem, & cognitionem alicuius termini ſimplicis, vt cùm apprehenduntur non Entia, negationes, & priuationes rerum, & in tali caſu nullum eſt inter eos diſſidium, vel fit Ens rationis per cognitionem alicuius obiecti, ſeù termini compoſiti, quod ſcilicet includat vnionem partium inter ſe incompoſſibilium, & inunibilium, vt cum fit Ens rationis concipiendo Chymæram, vel Hircoceruum, & tunc grauis eſt inter eos Controuerſia ; an talis vnio ſe teneat ex parte obiecti, an verò ſe teneat ex parte Intellectus ; tunc, & in eo caſu dicitur talis vnio teneri ſe ex parte obiecti, quando Intellectus concipiendo Chymæram, non ſolum concipit caput hominis, pectus Draconis, & caudam piſcis, ſed etiam concipit vnionem inter has partes, quæ vnio propterea dicitur obiectiua ; tunc verò, & in eo caſu vnio ſe tenet ex parte Intellectus, quando Intellectus fertur in partes Chymæræ, vniendo illas per actum ſui formalem, ideſt, per cognitionem, quæ vnio propterea dicitur vnio formalis.

Concluſio : Verè datur Ens rationis, quod fit ab Intellectu, ſeù ratione.

Probatur primò: argumento, quo vſus eſt D. Auguſtin lib. de vera Religione contrà Acad. negantes dari cognitionem certam, & ſcientificam, quia hi certò ſciunt id, quod negant, & conſequenter ſibi contradicunt, dùm ex vna parte certò ſciunt & ex alia negant dari cognitionem certam, & ſcientificam; ſimili argumento vtitur Ariſt. 4. Met. t. 10. contrà negãtes Orationem, quia dum quis negat verba ſignificare, & Orationem eſſe, verba ſignificatiua profert, & Orationem ipſe conficit, eodem modo qui negant dari Ens rationis, apprehendunt Ens rationis quod propterea habet tantùm eſſe obiectiuum, & conſequenter ſibi contradicunt, dum negãt Ens rationis, quod apprehendunt, nam Ens rationis dari, eſt apprehendi ab Intellectu; quòd ſi Ens rationis minimè apprehendant, qua fronte negant id, quod ignorant?

Probatur ſecundò : quia Intellectus ſæpè concipit non Entia, Entia impoſſibilia, & implicantia ; negationes, & priuationes rerum, ſed hæc eo ipſo, quòd concipiuntur ab Intellectu, ſunt Entia rationis, ergo: Probatur minor, quia talia non Entia ex vna parte objiciuntur Intellectui, & conſequenter habent eſſe obiectiuum ; ex alia parte in ſe nullum habent eſſe reale, nec in Intellectu, nec extrà Intellectum, nec actuale, nec poſſibile, ergo iam habent eſſe tantùm obiectiuum, & conſequenter ſunt Entia rationis.

Probatur tertiò: quia ſæpè Intellectus habens pro obiecto aliquod compoſitum ex partibus eſſentialiter incompoſſibilibus, concipit vnionem eſſe inter illas partes, inter quas tamen talis vnio non eſt, nec poteſt eſſe, verbi gratia, concipit Chymæram, Hircoceruum, Centaurum, & huiuſmodi, ſed talis vnio, vt potè omninò impoſſibilis, habet tantùm eſſe obiectiuum in Intellectu, ergo eſt Ens rationis. Simile quid accidit, quando Intellectus cõcipit vnionẽ obiectiuã inter terminos propoſitionis affirmatiuæ, vel negatiuæ, cæteroqui incompoſſibiles, v. g. Petrus eſt lapis, Petrus non eſt homo, tũc talis vnio obiectiua eſt Ens rationis.

Scio aliquos Modernos velle vnionem huiuſmodi eſſe formalem, & ex parte Intellectus, non obiectiuam, & ex parte obiecti; ſed hoc ad præſens inten-

rentum parum refert: mihi ſufficit talem vnionem eſſe impoſſibilem, & obijci Intellectui, quia id ſufficit ad hoc, vt illa vnio ſit Ens rationis, cuius exiſtentiam probare intendo tali argumento.

Replicabis: ſi talis vnio eſſet formalis, & ſe teneret ex parte Intellectus, iam eſſet vnio realis, & conſequenter tali argumento non probaretur exiſtentia Entis rationis.

Sed contrà eſt, quia licet talis vnio formalis eſſet realis in ſe, & quatenùs ſe tenet ex parte Intellectus, relatiuè tamē ad partes eſſentialiter incompoſſibiles, eſſet omninò impoſſibilis; nam per eam vnionem ferretur Intellectus vniendo eas partes, quæ non poſſunt vniri realiter, neque per Intellectum, atque adeò ferretur in eas partes modo omninò indebito, & impoſſibili, iam ergo illa vnio formalis relatiuè ad partes eſſentialiter incompoſſibiles, eſt impoſſibilis.

Obijcies primò: Ens rationis in tantum habet eſſe, in quantum cognoſcitur, & obijcitur Intellectui; ſed Ens rationis non poteſt cognoſci, nec obijci Intellectui, cuius obiectum eſt ſolùm Ens reale, à quo per ſpeciē immiſſam trāſmutatur, ideoq; cognitionis obiecti ipsū obiectū eſt cauſa, ergo: Probatur minor, quia Ens rationis nullam habet ſpeciem, quam ad Intellectum tranſmittat, & cum ſit nō Ens reale, non poteſt eſſe cauſa cognitionis realis, imò nec poteſt cognitionem antecedere, quia ſit per cognitionē, ergo non poteſt eſſe obiectum cognitionis.

Reſpondeo: duplex aſſignari obiectum Intellectus, nempè primarium, quod primò, & per ſe reſpicit Intellectus; & ſecundarium, quod ſecundariò, & per accidēs reſpicit Intellectus: & ſanè obiectum primarium eſt cauſa cognitionis attingentis illud & ad cognitionem, præſupponitur, quia illam cauſat, tranſmittendo ſui ſpeciem ad Intellectum, vt alibi explicabimus; non ità ſe habet obiectum ſecundarium, & per accidens, quale eſt Ens rationis. Præterea dico, neque omne obiectum primarium eſſe cauſam ſuæ cognitionis, & ad illam præſupponi, quia cognitio reflexa habet pro obiecto ſeipſam, & tamen nec ſeipſam antecedit, nec ſeipſam cauſat, tranſmittendo ſui ſpeciem ad Intellectum. Eodem modo ſoluitur aliud argumentum: nulla potentia poteſt ferri in contradictorium ſui obiecti, tale eſt Ens rationis, quia in ſe eſt non Ens, & obiectum Intellectus eſt Ens: Dicendum eſt enim, non Ens eſſe contradictorium obiecto primario Intellectus, non obiecto vniuerſaliter accepto.

Obijcies ſecundò: Intellectus eſt potentia realis, ergo non poteſt producere alium effectum, quàm realem, ergo non poteſt producere Ens rationis. Confirmatur: quia nihil eſt in Intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, ſed Ens rationis non eſt in ſenſu, quia non eſt quid materiale, & ſenſibile, vt patet, ergo. Cōfirmatur ſecundò: quia Ens rationis non eſt aliquid increatum, ſed creatum; non eſt ſubſtantia, ſed potiùs accidens; ſed non inhæret ſubiecto, ergo neque eſt accidens, ergo verè non exiſtit, quicquid enim exiſtit, vel eſt ſubſtantia, vel accidens.

Reſpondeo: quòd ſicuti Agens naturale per ſe & primariò reſpicit effectum poſitiuum, & per accidens aliquando reſpicit effectum negatiuum, & non Ens, vndè eſt axioma illud, generatio vnius eſt corruptio alterius; ità & Intellectus, & habet cognoſcere Entia poſitiua per ſe, & primariò, & habet cognoſcere non Entia per accidens, & ſecundariò, indè fit, vt eius primarius effectus ſemper ſit realis, quia eſt ipſemet actus cognitionis, quæ aliquando attingit Ens, aliquando non Ens, & fit Ens rationis. Imò ſicuti in Natura aſſignantur aliqui effectus perfecti, & per ſe intēti à Natura, aliqui imperfecti, & per accidēs intenti à Natura, qui propterea dicuntur monſtra Naturæ, ità & Intellectus noſter aliquando facit effectus perfectos, aliquando imperfectos, qui propterea dici poſſunt monſtra Intellectus, huiuſmodi ſunt Entia rationis.

Ad primam Confirmationē Reſpōdeo: eam propoſitionē non eſſe vniuerſaliter veram, nam ſubſtantiæ ſpirituales ſunt in Intellectu, & non ſunt in ſenſu; materia prima eſt in Intellectu, & non eſt in ſenſu. Cognitio Intellectus reflexa, imò, & directa non eſt in ſenſu; ergo aliquid eſt in Intellectu, quod tamen non eſt in ſenſu. Deinde dico, Ens rationis eſſe in ſenſu non quidem formaliter, & ſecundū ſui Entitatem, ſed fundamentaliter, & ratione ſui fundamenti, nam Ens rationis Chymæricum, verbi gratia, eſt in ſenſu

ſe-

ſecundum partes reales diuerſorum animalium, ex quibus fit, & componitur. Ad ſecundam Confirmationem dico, Ens rationis eſſe creatum, & factum ab Intellectu, & eſſe accidẽs rationis, quod propterea non inhæret alicui ſubiecto; ſed obijcitur intellectui; neque enim eſt neceſſe, quod omne accidens inhęreat; nam datur accidens, quod ſolummodò adhæret ſubiecto, ità actio in probabiliori ſententia dicitur adhærere termino, non inhærere, etiam ſi terminus ponatur eſſe ſubiectum actionis.

Obijcies tertiò: quando Intellectus habet obiectum complexum, quod ſit impoſſibile, non facit Ens rationis, ergo. Probatur Antecedens; quia Intellectus concipiendo Chymæram, vel Hircoceruum, concipit vnionem realem inter partes, cæteroqui incompoſſibiles, illam enim vnionem concipit Intellectus, quę non eſt, nec poteſt eſſe inter illas partes, ſed vnio quæ non eſt, nec poteſt eſſe inter illas partes eſt vnio realis, nam vnio ficta benè poteſt eſſe inter illas partes, ergo Intellectus concipiendo obiectum complexum, non facit Ens rationis.

Reſpondeo: ex hoc argumento euidenter inferri, quod detur Ens rationis: fatentur enim Aduerſarij, vnionem fictã benè poſſe eſſe inter partes cæteroqui incompoſſibiles, at hæc vnio ficta ab Intellectu eſt Ens rationis, ideò per tale argumentum fatentur dari Ens rationis, quod intendebant negare, & tollere. Dico igitur directè ad argumentum, illam vnionem dupliciter poſſe conſiderari; primò quidem materialiter, & in ſe, & ſic talis vnio eſt realis, quia ſola vnio realis eſt impoſſibilis inter partes eſſentialiter incompoſſibiles, ſecundò illam vnionem conſiderari formaliter, & in ordine ad Intellectum applicantem vnionem realem partibus eſſentialiter incompoſſibilibus. & ſic illa vnio eſt ficta per Intellectum, & conſequenter ſecundo hoc modo conſiderata illa vnio eſt Ens rationis.

Obijcies quartò: ad hoc, vt concipiantur Chymæra, vel Hircoceruus, verbi gratia, non eſt neceſſe, vt ex parte obiecti concipiatur vlla vnio ſiuè ficta, ſiuè realis, ergo dum cognoſcitur obiectum complexum non fit vllum Ens rationis. Antecedens probatur, quia quando concipitur Hircoceruus, ſatis eſt, quod partes incompoſſibiles vniantur in ipſa cognitione, quæ repræſentet illas partes vnitas, ſicuti Pictura repræſentat plura omninò diuerſa, abſque vlla vnione inter ea, ſolùm enim vnio ſe tenet ex parte repræſentationis, non ex parte obiecti repræſentati, ſed vnio ſe tenens ex parte cognitionis eſt omninò realis, quia eſt ipſamet cognitio, prout fertur vniendo, & cõnectendo partes cæteroqui incompoſſibiles.

Reſpondeo: ex parte obiecti repræſẽtati ſemper eſſe vnionem obiectiuam, & ipſa Pictura intantum repræſentat plura, in quantũ illa plura ſunt inuicem vnita, & aproximata. Sed dato, quòd talis vnio ſe teneat ex parte cognitionis, non poteſt euitari, quin fiat Ens rationis, cognitio enim quamuis in ſe ſit realis, quia tamen fertur in obiectum modo illi omninò indebito, atque adeò impoſſibili, verè facit Ens rationis ſaltem per actum reflexum, aduertendo ſe modo cæteroqui realiter impoſſibili attingere obiectum; & hoc ſufficit ad probandam, & conuincendam exiſtentiam Entis rationis, quidquid ſit deindè, quod habeatur per actum Intellectus directum, ſiuè reflexum.

Obijcies quintò: Intellectus ſeparat ea, quæ ſunt inſeparabilia, non fingendo vllum Ens rationis, ergo etiam poteſt vnire incompoſſibilia ſinè vlla vnione, & Ente rationis ex parte obiecti. Antecedens probatur, quia per cognitionem abſtractiuam, & præciſiuam Intellectus ſeparat animal à rationali, cognoſcit vnum ſinè alio, & non facit vllum Ens rationis.

Reſpondeo primò: diſparitatem eſſe, quia quando Intellectus ſeparat inſeparabilia, nihil cogitat de tali ſeparatione, at quando vnit inunibilia, & eſſentialiter incompoſſibilia, concipit, & apprehendit illam vnionem. Secundò: ſicuti ſi Intellectus cogitaret de tali ſeparatione impoſſibili, faceret Ens rationis, ità quia concipit illam vnionem realiter impoſſibilem, facit Ens rationis.

Digitized by Google

LECTIO VIII.

An Intellectus Diuinus faciat Ens rationis.

PRæmitto primò:ſolutionem præſentis difficultatis pendere ex aſſignatione modi,quo fiat Ens rationis;ſi enim modus, quo fit Ens rationis nullam includat imperfectionem , ideſt fictionem, aut falſitatem , nemo poteſt negare ab Intellectu Diuino fieri *Ens* rationis : illi enim qui negant ab Intellectu Diuino fieri Ens rationis , mouentur eo fundamento,quia putāt Ens rationis per aliquā fictionem,vel per falſum conceptum fieri, quæ imperfectiones in Diuino Intellectu eſſe non poſſunt

Præmitto ſecundò:Ens rationis fieri à quocunque Intellectu , ſiuè Diuino, ſiuè Humano, & creato,cùm concipitur non Ens,implicans, Ens impoſſibile , vndè quot modis concipitur non Ens,tot modis fit Ens rationis

Porrò tribus modis inuenio poſſe concipi non *Ens*; primò quidem concipitur non Ens ad modum Entis, Ens implicās, & impoſſibile,ad modum non implicantis,& poſſibilis. Hunc modum concipiēdi non Ens tradit *D. Thomas opuſc.* 41. *cap.*1. *&* *part.*1. *queſt.*16. *art.*3. *Soncin. in Meta.quæſt.*17.*Durand.in* 1. *diſp.*29. *qu.*5. *num.*6.*Suarez diſp.*44. *Met. ſect.*1. *num.*5. Secundò poteſt concipi non Ens vti nō *Ens* eſt,hoc eſt proprio,& diſtincto conceptu explicitè terminato ad non Ens: Hūc modum cōcipiendi non Ens tradit *Amicus tract.*3.*q.*1.*dub.*5.*art.*1.*Heruæus in ſumma quæſt.*5.*art.*68.*Capreolus in* 1.*diſt.*8. *quæſt.*1.*art.*3. *Scotus in* 1. *diſt.*39. *qu. vnica Mayron.in primo diſt.*41.*quæſt.*2.*Gillius pa.* 1.*lib.*2. *tract.*6.*Faſolus tom.* 2. *in primam partem dub.* 1. *omnium fuſiſſimè AEgidius Luſitanus tom.*1.*de Beatitudine lib.*5.*qu.*6. *art.*4.*§.*6. Tertiò denique , & vltimò poteſt concipi non *Ens* indirectè , ideſt non concipiendo *Ens* , ſicuti etiam poteſt concipi malū,non concipiendo bonum , & oculus dicitur percipere tenebras,quia non videt lucem, aures dicuntur audire ſilentium , non percipiendo ſonum;tertius hic modus cognoſcendi nō Ens admittitur cōmuniter à Philoſophis, & Theologis , maximè verò ab ijs, qui negant Deum, facere *Ens* rationis per conceptum non *Entis* , volunt enim Deum concipere non *Ens* indirectè nō concipiendo *Ens*, per quem conceptum non fit *Ens* rationis : è contrà verò fit *Ens* rationis , quando concipitur non *Ens* ad modum *Entis* , & quando concipitur non *Ens*, vt non *Ens* eſt; et quidē quando concipitur non *Ens* ad modum *Entis* fit *Ens* rationis per fictionem , et modo imperfecto , quia in tali caſu cognitio non adæquatur obiecto,quia non repræſentat illud,ſicuti eſt in ſe , ſed aliter,ac eſt in ſe ; et quando concipitur nō *Ens*,vti non *Ens* eſt,fit *Ens* rationis modo perfecto , quia cognitio adæquatur obiecto,et repræſentat illud, ſicuti eſt in ſe.

Concluſio ſit:Intellectus Diuinus facit *Ens* rationis concipiendo non *Ens*, vti non *Ens* eſt Ità *D.Thomas pa.*1.*q.*13. *art.*1. *&* 2. *AEgidius Luſitanus tom.* 1.*de Beatitudine lib.*5.*q.*6.*art.*4.*§.*6.*Ariaga diſp.* 4.*ſect.*4.*Ouied.contr.*12.*punt.*7. *concl.*4. *vbi alios citat.*Contrà *Runium in tract. de Ente rationis.Suarez.diſp.*8.*c.*2. *Ruiz de Scientia diſp.*17.*cap.*2. *Faſol. part.*1. *diſp.*14. *art.* 3. *diſp.*2.*num.*8.*Hurt.diſp.*19.*ſect.*6.

Probatur Concluſio primò : quia Intellectus Diuinus concipit non Entia, vt non Entia ſunt , proprio, & diſtincto conceptu terminato ad non eſſe , ſed Intellectus Diuinus non poteſt , ità concipere non Entia,abſq; eo quòd faciat Ens rationis,ergo. Maior videtur clara, quia ità concipere non entia , non importat imperfectionem , ità enim concipitur obiectum,ſicuti eſt in ſe,imò Faſol. to.2. in 1.part.art.9 dub.1.dicit eam Propoſitionem eſſe veram ſecundum omnes , eamque putat eſſe de Fide,quia in multis locis Sacræ Scripturæ habetur apertiſſimè , Deum cognoſcere non *Entia* , quæ loca optimè explicantur per cognitionē directè terminatam ad non *Entia* modo explicato.Probatur minor,quia hoc modo concipere non *Entia* eſt tribuere eſſe tantùm obiectiuum non *Entibus*: eſt tribuere obiectiuum , quia quando aliquid concipitur,& apprehenditur per Intellectum,accipit eſſe obiectiuum,eſt tribuere tantùm obiectiuum , quia illa particula, tantum , vt potè excluſiua , excludit ab *Ente* rationis omne eſſe reale,tàm in Intellectu , quàm extrà Intellectum , tàm actuale,quàm poſſibile,ſed vere non *En*-

tia nullum eſſe reale habent in ſe,ergo eo ipſo, quòd ab Intellectu Diuino concipiuntur,fiunt Entia rationis ab Intellectu Diuino . Tenet hæc vltima conſequentia,quia id dicitur,aliud facere,quod illi tribuit ſuum eſſe,cauſa enim eſt illa, quæ dat eſſe effectui, ergo ſi Diuinus Intellectus tribuit non entibus eſſe tantùm obiectiuum,verè facit Entia rationis.

Replicabis : non Ens conceptum ab Intellectu Diuino habere aliquod eſſe reale, quia independenter ab omni operatione Intellectus non Ens eſt non Ens; omne autem, quod eſt independenter ab omni opatione Intellectus,eſt reale,ergo.

Sed contrà hanc replicam eſt : quia hæc realitas eſt realitas abuſiua, non vera, & propria, quia realitas verè , & propriè conuenit enti poſitiuo,non verò nō entibus, quibus tamen applicatur terminus realitatis per merum abuſum eiuſdē termini; Sicuti etiam eſſe bonum tribuitur furi,tribuitur febri , dicitur enim bonus fur, bona febris, qui modus loquendi non denotat in fure,& febri eſſe aliquam bonitatem,ſed eſt abuſus, τὸ termini,bonus,ità etiam quando dicitur,quòd non Ens eſt reale, quia eſt independenter ab opere Intellectus,non denotatur,quod ſit aliqua realitas in non entibus , ſed eſt abuſus illius termini,realitas. Cæterùm iſta realitas abuſiua, vel etiam ſi eſſet vera, & poſitiua non obſtat formalitati, & quidditati Entis rationis, quia talis realitas merè materialiter,& extrinſecè ſe habet reſpectu Entis rationis formaliter, & quidditatiuè accepti, ſicuti realitas vera, & poſitiua partium Chymæræ, quia merè extrinſecè , & materialiter ſe habet reſpectu Entis rationis Chymærici, non obſtat quidditati, & formalitati Entis rationis Chymærici,imò nec ipſa realis cognitio connotata ab Ente rationis , cùm extrinſecè,& materialiter ſe habeat, non obſtat formalitati Entis rationis.

Probatur Concluſio ſecundò : quia Deus cognoſcit Ens rationis, ergo facit; totum enim eſſe Entis rationis conſiſtit in cognoſci;quæ conſequentia tantæ efficaciæ fuit apud Vaſq.1 p.q.118 n.12. vt maluerit negare Antecedens , quam admiſſo Antecedente negare Cōſequentiā.

Quòd autem Deus cognoſcat Ens rationis , probatur , quia Deus perfectiſſimè cognoſcit ſeipſum , ſed ad perfectiſſimam ſui cognitionem ſpectat cognoſcere ea omnia,à quibus ipſe contradiſtinguitur , inter quæ eſt Ens rationis,à quo contradiſtinguitur omninò , & longè diſtat Deus , ergo . Confirmatur: quia Deus comprehendit noſtras cognitiones,quæ aliquando attingunt Ens rationis,& aliquandò faciunt , ſed talis cōprehenſio non poteſt ſaluari , niſi Deus cognoſcat obiectum noſtrarum cognitionum,quod aliquando eſt Ens rationis, ergo.

Probatur tertiò Concluſio: quia ſi Diuinus Intellectus non faceret Ens rationis , maximè quia facere Ens rationis, vel dicit fictionem,vel importat conceptum falſum, vel importat concipere non Ens ad modum entis,ſed Ens rationis factum à Deo nullum ex his includit , quia concedimus Deum facere Ens rationis attingendo non Ens , vt non Ens eſt,atque adeò attingendo nō Ens modo perfectiſſimo,ergo.Imò magna perfectio Intellectus Diuini eſt,illi concedere factionem Entis rationis,oſtendit enim maximam eius fæcunditatem , quòd nimirùm poſſit diuerſis modis concipere non Ens, modo ſcilicet,quo faciat Ens rationis, & modo quo non faciat , ſicuti illa arbor, verbi gratia,fæcunda dicitur,quæ fructus diuerſo , & diuerſo modo ſaporoſos producit, Intellectus ergo Diuinus concipiendo non Ens indirectè , non concipiendo Ens, non facit Ens rationis , & concipiendo non Ens directè, & immediatè,vt non Ens eſt,facit Ens rationis, & prodit ſuam fæcunditatem.

Obijcies primò : facere Ens rationis, eſt fingere,ſed fingere dicit imperfectionem , quæ Diuino Intellectui omninò repugnat , ergo . Confirmatur: quia Ens rationis eſt non Ens conceptum ad modum Entis , ſed ità concipere non Ens, dicit imperfectionem.

Reſpondeo, tàm ad principale argumentum,quàm ad eius Confirmationem Ens rationis fieri dupliciter , primò quidem concipiendo non Ens ad modum Entis, & hoc eſt fingere , ſeù facere Ens rationis modo imperfecto . Secundò fit Ens rationis concipiēdo non Ens, vti nō Ens eſt,& hoc non eſt fingere , ſed eſt facere Ens rationis modo perfecto, hoc ſecūdo modo facit Deus,non primo.Addo tamen à Faſol.loc.ſupracit.admitti poſſe, à Deo cognoſci non Ens ad modum Entis, non quidem primariò , & immedia-

dia-

Digitized by Google

diatè, ſed mediatè, ideſt cognoſcendo cognitionem noſtram, qua cognouimus non Ens ad modum Entis, cùm enim Deus cognitionem noſtram attingẽtem non Ens ad modum Entis adæquatè cõprehendat, neceſſariò debet cognoſcere obiectum, & terminum cognitionis noſtræ, qui eſt non Ens ad modum Entis.

Obijcies ſecundò: cognoſcibilitas eſt paſſio Entis realis, ergo non poteſt cognoſci non Ens, vt non Ens eſt proprio, & diſtincto conceptu terminato ad non eſſe, quia nulla potentia directè poteſt ferri in contradictorium ſui obiecto; porrò obiectum Intellectus eſt Ens, cuius contradictorium eſt non Ens.

Reſpondeo: cognoſcibilitatem eſſe paſſionem Entis realis, quatenùs ex primaria intentione Naturæ datus eſt Intellectus ad cognoſcendum Ens reale, ex ſecundaria verò intentione Naturæ cognoſcibilitas competit etiam non Enti; hinc eſt, vt cognoſcibile, intelligibile, dicãtur termini ſupertraſcendẽtes à *Franciſco Le Rèes in ſuis Comment. in Logic. tom. 1. art. 3.*

Reſpõdeo ſecundò: cũ *Auerſa. in Log. q. 3. ſect. 1.* Obiectũ Intellectus dici Ens reale, non quia Intellectus nõ poſſit cognoſcere aliquid, quod reale nõ ſit, ſed quia non poteſt cognoſcere quicquam, quòd non ſit Ens reale, vel non dicat ordinem ad Ens reale, quia nimirum quando Intellectus cognoſcit negationes, & priuationes rerum, eas cognoſcit in ordine ad res poſitiuas, quarum ſunt negationes, & priuationes. Imò Ariſt. 4. Met. 2. inter obiecta Metaphyſicæ enumerat non Ens, nam, inquit, *Ipſũ non Ens eſſe nõ Ens, dicimus.*

Obijcies tertiò: ſi Deus faceret Ens rationis, neceſſitaretur ad faciendum Ens rationis, conſequens eſt abſurdum, ergo. Sequela maioris probatur, quia Deus facit Ens rationis concipiendo non Ens, vti non Ens eſt, faceret etiam concipiendo non Ens ad modum Entis, aliàs eſſet deterioris conditionis, ac eſt Intellectus creatus, qui facit Ens rationis vtroque modo.

Reſpondeo: eſto Deus neceſſitetur ad concipienda non Entia, non tamen neceſſitatur ad faciẽda Entia rationis, quia poteſt concipere non Entia directè, & modo, quo faciat Ens rationis, & poteſt concipere non Entia indirectè, & modo, quo non faciat Ens rationis, ideò liberè facit.

Ad Confirmationem dico: non eſſe imperfectionem Intellectus Diuini, non poſſe facere Ens rationis modo imperfecto, ideò nõ ſequitur eum fore deterioris conditionis ex eo, quòd non poſſit facere Ens rationis vtroque modo, quo facit Intellectus creatus, ſicuti non poſſe peccare Voluntatem Diuinam, non arguit eam eſſe deterioris cõditionis, ac ſit Voluntas humana, quæ poteſt peccare, quia poſſe peccare, dicit imperfectionem.

LECTIO IX.

Reſoluuntur aliæ Quæſtiones.

PRima Quæſtio ſolet eſſe, an Angelicus Intellectus poſſit facere Ens rationis, & quo modo.

Reſpondeo huic Quæſtioni: Intellectũ Angelicum poſſe facere Ens rationis nõ, ſolùm concipiendo non Ens, vt non Ens eſt, ſed etiam concipiendo non Ens ad modum Entis, non enim reputo abſurdũ, hanc imperfectionem concipiendi non Ens ad modum Entis admittere in Angelico Intellectu, quia ſicuti Angelico Intellectui non negatur diſcurſus circà obiecta ſibi aliàs ignota, & circà obiecta ſupernaturalia, vt clarè admittunt *Suarez lib. 2. cap. 35. Vaſq. diſp. 222. cap. 3.* ità non eſt abſurdum, concedere, ab Intellectu Angelico concipi non Ens ad modum Entis; neque enim Intellectus Angelicus eſt æqualis perfectionis cùm Intellectu Diuino, cui talis imperfectio repugnat.

Dices, omnis imperfectio repugnat ſtatui beatifico; ergo Angelus ſi non quà Angelus, ſaltem quà Beatus, non poteſt cognoſcere non Ens ad modum Entis, & facere Ens rationis per fictionem.

Reſpondeo: quòd ſicuti ſtatui Beatifico Angeli non repugnat, quòd Angelus circà futura, & ſecreta cordis fallat, & erret aliquando, vt admittit *D. Thomas p. 1. q. 57. art. 3.* ità non repugnat tali ſtatui huiuſmodi imperfectio, quia leuis eſt, ſicuti, & error circà futura, & circà ſecreta cordium, quia leuis eſt, ideò ſtatui Beatifico non repugnat; *Arriaga in p. 1. d. 2. ſect. 3.*

Secunda Quæſtio ſolet eſſe; An aliæ

potentiæ contradiſtinctæ ab Intellectu poſſint facere Ens rationis.

Et quidem certum eſt, quòd ſi Ens rationis in rigore accipiatur pro illo Ente, quod ſit à ratione, ſeù Intellectu, non poteſt eſſe dubiũ, quòd Ens rationis non poſſit fieri ab alijs potẽtijs, quæ non ſunt Intellectus; ſi verò nomine Entis rationis veniat Ens fictum ad ſimilitudinem Entis rationis, ità vt ſenſus Quæſtionis propoſitæ ſit, an ſicuti Intellectus fertur in non Ens, tanquã ſi eſſet Ens, in impoſſibilia, tanquam ſi eſſent poſſibilia, ità quoque aliæ potentiæ ferantur in impoſſibilia, & non Entia, tanquam ſi eſſent poſſibilia, & Entia.

Concluſio eſt: etiam aliæ potentię ſenſitiuæ internæ poſſunt facere Ens rationis, quatenùs poſſunt tendere in impoſſibilia, tanquam ſi eſſent poſſibilia, ità *Suarez diſp.*54.*Met.ſect.*2. *Arriaga diſpu.*6. *Met. ſubſect.*2. Contrà *Hurt. diſp.*19. *ſect.* 5. *& Ouied.contr.*12. *Met. p.*6. *Ruuium in tract.de Ente rationis*.

Probatur quia: tanta vis eſt in imaginatiua, vt poſſit vnire, & componere ſpecies obiectorũ impoſſibilium, ergo poteſt facere Ens rationis. Antecedens probatur quia, imaginatiua apprehendit vbicationem, vt patet, quando ouis, verbi gratia, videns Lupum in vno loco, fugit ad locum contrarium, & Canis nõ ſolum recordatur ictus accepti, ſed à quo, idest ab homine ſe læſum; tùm ſic, ſi ouis imaginetur Lupum eſſe in aliquo loco, in quo non ſit, nec poſſit eſſe, & Canis à lõgè videns ſtatuam, imaginetur eſſe illum hominem, à quo fuit læſus, iam in iſto caſu, & ouis imaginatur vbicationem impoſſibilem, & canis imaginatur ſtatuam eſſe hominem, quod ſimiliter eſt obiectum impoſſibile, ergo iam imaginatiua habet vim vniendi obiecta cæteròqui impoſſibilia.

Replicabis: ab imaginatiua non apprehendi vnionem obiectorũ cæteròqui impoſſibilium, ſed ſolùm apprehendi accidentia ſenſibilia, à quibus ſæpè terrentur, mulcentur ſæpè.

Sed contrà eſt, quia accidentia ſenſibilia in tantum ſępè terrent, & ſępè mulcent, in quantum per ea accidentia Phãtaſia, ſeù Imaginatiua Brutorum apprehendũt obiecta ſibi cõtraria, vel amica: ſæpè accidit, quòd obiectum talis apprehenſionis ſit aliquod impoſſibile, vt patet in exemplis adductis; ergo.

Quoniam verò ſenſus externi non habent pro obiecto aliquod impoſſibile, ideò non eſt ratio, quæ conuincat ab illis fieri Ens rationis; ad ſummum enim eſt aſſignare, quòd oculus videat remum curuum in aqua, colores in Iride, vel in collo Columbæ, qui colores, & quæ curuitas, licèt de facto non ſint, non tamen ſunt impoſſibilia, & ideò ſenſus externi, hæc apprehendendo, non poſſunt dici, quòd faciant Ens rationis in ſenſu ſuprà explicato acceptum.

Dices: per vitrum triangulare aſpiciuntur campi cùm folijs diuerſi omninò coloris qui colores nõ ſunt, nec poſſunt eſſe, ergo iam per viſum apprehenditur aliquod impoſſibile: Similiter, & per echum exaudiuntur voces in aere, quæ non ſunt, nec poſſunt eſſe, ergo.

Reſpondeo: tàm illos colores, quàm illas voces eſſe poſſibiles ſaltem de abſoluta potentia, ideò nec per viſum, nec per auditum apprehenduntur obiecta impoſſibilia; neque enim ſenſibus externis, vtpotè imperfectioribus, atque adeò magis affixis materialitati, & craſſitiei Obiectorum, debet concedi vis, quæ conceditur ſenſibus internis, qui benè poſſunt apprehendere impoſſibilia modo explicato.

Dices ſecundò: Per viſum poteſt apprehendi vbicatio, ergo poteſt videri aliquis color in vno loco, in quo non ſit, nec poſſit eſſe, nam in ſpeculo, verbi gratia, eodem modo fieret Viſio, ſi mea facies nec diuinitus poſſet eſſe poſt ſpeculum, ac modò ſit, ergo per Viſum poteſt apprehendi aliquod impoſſibile.

Reſpondeo: colorem, qui non ſit, nec poſſit eſſe, à viſu non apprehendi, & in caſu poſito, ſi facies mea poſt ſpeculum eſſet impoſſibilis, non fieret viſio.

Concluſio ſecunda. Voluntas, & Appetitus ſenſitiuus poſſunt facere Ens rationis, appetendo aliquod impoſſibile. Ità videtur ſentire *Arriaga diſp.*6.*Met.ſubſect.*3. addit tamen eſſe Quæſtionem de nomine, & difficultatem parui momenti.

Probatur Concluſio: quia Intellectus cognoſcit impoſſibilia, vt impoſſibilia ſunt, ergo poteſt ea proponere Voluntati, tanquam bona, & acquiſibilia, ſed Voluntas in obiecta ſibi propoſita ab Intellectu tanquam bona, & acquiſibilia

non

non poteſt non ferri, ergo iam Voluntas habet pro Obiecto aliquid impoſſibile. Similiter, & Imaginatiua, ſeù phantaſia poteſt proponere appetitui aliquid impoſſibile à ſe apprehenſum, & imaginatum, in quod neceſſariò feratur appetitus ſenſitiuus, ergo iam habebit Appetitus pro Obiecto aliquod impoſſibile.

D. Voluntas nihil tribuit, vel tollit ab Obiecto, ſed accedit, vel recedit ab illo, ergo nihil facit de nouo, & conſequenter non poteſt dici, quòd faciat Ens rationis.

Reſpondeo hoc argumento probari, Ens rationis non fieri primò à Voluntate, ſed fieri quaſi ſecundò, quatenùs nimirùm fertur in impoſſibilia priùs concepta, & cognita ab Intellectu, ſicuti per ſecundam operationem Intellectus, ſeù iudicium fit Ens rationis quaſi ſecundò, quia ſæpè fertur in obiectum iam cognitum, & apprehenſũ per primã operatiõnem Intellectus: quòd autem Voluntas feratur in Obiectum, ab illo recedendo, vel ad illud accedendo, non obſtat quominùs fiat ab illa Ens rationis, ſemper enim verum eſt, illud Obiectum non habere eſſe in ſe, ſed in Voluntate.

LECTIO X.

Præmittitur Generalis Doctrina de Obiecto.

OCcaſione Obiecti Logicæ, quod eſt nobis hic aſſignandum, tradémus Doctrinam generalem de Obiecto, nè eadem ſæpiùs cogamur repetere, dum de Obiecto Phyſicæ, & Metaphyſicæ nobis erit infrà diſſerendum.

Præmitto igitur primò: nomine Obiecti venire id, quod obijcitur alicui potẽtiæ, vel habitui, ità vt terminet, & ſiſtat eius tendentiam, atque adeò faciat, vt vlteriùs non progrediatur, dicitur enim obiectum, quaſi obex, ità coloratum, verbi gratia, eſt Obiectum potentiæ viſiuæ, quia terminat eius tẽdentiam, ſeù actum, puta viſionem, & facit, vt viſio ſiſtat in ipſo colorato, & vlterius non progrediatur, viſio enim præter coloratum, nihil aliud attingit, & vltrà coloratum non extenditur: ità quoq; iuxtà probabiliorem Sententiam operationes Intellectus, earumque rectitudo ſunt Obiectum Artis Logicæ, quia Logica nihil aliud conſiderat, ad nihil aliud tendit per ſuos actus, niſi ad operationes Intellectus, earumque rectitudinem.

Præmitto ſecundò: Obiectum primaria ſui diuiſione partiri, & diuidi in Obiectũ materiale, & ormale: nomine Obiecti materialis venit illud, quod de ſe, ſicuti eſt indifferens ad recipiendã ſiuè hanc, ſiuè illam rationem formalem, ità quoq; indifferens eſt ad hoc, vt conſideretur, ſiuè ab hac, ſiuè ab illa Scientia; è contrà verò nomine Obiecti formalis venit id, quod ſicuti determinat Obiectum materiale, ità tollens ab illo omnem indifferentiam, facit, vt conſideretur potiùs ab hac Sciẽtia, quàm ab alia: ità, verbi gratia, lignum eſt Obiectum materiale Artis Fabrilis, ſeù Lignariæ, quia eſt indifferẽs, vt conſideretur, ſiuè ab Arte Lignaria, ſiuè ab alia Arte, figura verò Cathedræ, vel Scamni determinat lignum, vt conſideretur potiùs ab Arte Lignaria, quàm ab alia Arte.

Præmitto tertiò: ex Obiecto materiali, & formali tanquam ex duabus partibus reſultare, & fieri Obiectum integrũ, ſicuti ex corpore, & Anima reſultat integer homo, ex materia, & forma integrum compoſitum Phyſicum. Cæterum Obiectum integrũ diuiditur, ità vt aliud ſit adæquatum, & totale; aliud inadæquatum, & partiale: Obiectum adæquatũ, & totale eſt illud, quòd non excedit Scientiam, nec exceditur à Scientia, non excedit Scientiam, quia nihil eius remanet, quod à Scientia non conſideretur, non exceditur à Scientia, quia Scientia, præter ipſum, nihil aliud conſiderat: è contrà Obiectum inadæquatum, & partiale eſt illud, quod exceditur à Scientia, quatenus Scientia, prẹter ipſum, aliud cõſiderat: Inadæquatum Obiectum ſubdiuiditur in principale, & eſt id, quod eſt nobilius, & minus principale, & eſt id, quod eſt ignobilius.

Præmitto quartò: aliud eſſe Obiectum per accidens, & conſiderationis, & eſt illud, quod quomodocunque conſideratur à Scientia, & quia in ordine ad aliud cõſideratur, dicitur eſſe Obiectum per accidens: aliud verò eſt Obiectũ per ſe, & attributionis, ſeù ordinationis, & eſt illud, quod non conſideratur à Scientia in ordine ad aliud, imò potiùs quicquid conſiderat Scientia, in ordine ad illud conſiderat

exempli gratiâ operationes Intellectus ſunt obiectum per ſe, & attributionis Logicæ, quia Logica non ordinat iſtas operationes ad aliud, imò quicquid conſiderat in ordine ad illas conſiderat; è contrà verò res, & voces conſiderat per accidens, & in ordine ad eaſdem operationes, quæ & vocibus exprimuntur, & res ipſas habent pro ſuis Obiectis.

Præmitto quintò: Obiectum formale in Artibus, ſeù habitibus practicis deſumendum eſſe ex eorundem habituum fine intrinſeco: ratio eſt, quia in habitibus practicis idem eſt eorum finis intrinſecus, & Obiectum formale, ità in Arte frænufactoria, verbi gratia, quia eius finis intrinſecus eſt, inducere figuram fræni in ferrum, ideò eiuſdem Artis frænufactoriæ Obiectum formale eſt inducere figuram fræni in ferrum, vnico verbo, frænufigurabilitas.

Porrò id, quod immediatè, & proximè recipit rationem formalem, dicitur Obiectum materiale proximum, id verò, quod mediatè, & remotè recipit rationem formalem Obiecti, dicitur Obiectũ mediatum, & remotum, ità operationes Intellectus ſunt Obiectum materiale Artis Logicæ, quia immediatè recipiunt rectitudinem inducendam per eiuſdem Logicæ præcepta; ipſæ verò res, quæ ſũt Obiecta earundem operationum, ſunt Obiectum materiale remotum.

LECTIO XI.

An res omnes ſint Obiectum Materiale Logicæ.

PRæmitto pro ſolutione huius difficultatis res omnes ſecundum ſe, & prout ſunt à parte rei non eſſe Obiectum materiale Logicæ, idquè eſſe certum etiam in Sententia eorum, qui res omnes conſtituunt Obiectum Logicæ, nam lapis, verbi gratia, planta, equus, & huiuſmodi, prout ſunt à parte rei, & ſecundum ſe nullo modo ſpectant ad Obiectum Logicæ: verum prout ſubſtãt ſecundis intentionibus, ſeù prout ſunt Obiecta operationum Intellectus, vidẽtur ſpectare ad Obiectum materiale Logicæ.

Concluſio ſit. Obiectum materiale proximum Logicæ non ſunt res omnes, etiam, vt Obiecta operationum noſtri Intellectus: ità omnes illi Auctores, qui pro Obiecto materiali Logicæ aſſignant operationes Intellectus, contra *Auer. in Epit. prædicamentorum cap. vltimo, Iandunum 2. Met. quæſtione 12. Gratia Dei initio prædicamentorum, Rodulfum, Henricum de Gandauo, & alios.*

Probatur Concluſio: quia Obiectum materiale Logicæ eſt id, in quod Logica ſuis regulis, & præceptis inducit rectitudinem (quam eſſe eius rationem formalem, ſeù Obiectum formale infrà probabimus,) ſed Logica ſuis regulis, & præceptis non inducit rectitudinem in res ipſas, quia non tradit regulas, & præcepta de faciendis rebus, vt patet, ergo.

Confirmatur, quia Pictura, quæ docet coloribus repræſentare res omnes, non habet pro Obiecto materiali proximo res ipſas, ſed colores, in quos immediatè inducit diſpoſitiones, & figuras imaginis repræſentandæ; Ergo & Logica, quæ facit rectas operationes Intellectus verſantis circà res, tanquam circà Obiecta, non habet res ipſas pro Obiecto materiali proximo.

Obijcies primò: in Logica agitur de rebus omnibus, agit enim de Prædicamentis, ergo res ſunt Obiectum ſaltem materiale; Confirmatur ex Ariſt. 4. Met. text. 5. habetur circà idem genus, ideſt circà idem Obiectum verſari Philoſophiam, & Dialecticam, ſed Philoſophia verſatur circà res, ergo etiam Logica verſatur circà res, tanquàm ſuum Obiectum.

Reſpondeo: ad ſummum ſequi res eſſe Obiectum materiale remotum Logicæ, non proximum.

Ad Confirmationẽ dico; Philoſophiã, & Dialecticam verſari circà idem Obiectum, ſed non eodem modo, Philoſophia enim habet pro Obiecto materiali proximo res omnes, non ſic Dialectica, quæ habet eaſdem res pro Obiecto materiali remoto.

Obijcies ſecundò: illud eſt Obiectum proximum habitus Logicæ, quod eſt Obiectum actuum eiuſdem habitus, ſed Obiecta actuum Logicæ ſunt res ipſæ, ergo ipſæ res ſunt Obiectum materiale Logicæ; Minor probatur, quia actus, ſeù opera Logicæ ſunt, Definitio, Diuiſio, ſed harum Obiectum ſunt res ipſæ, vt patet, ergo.

Reſ-

Reſpondeo:in Logica eſſe diſtinguendos duos actus,nempè,actus, qui eliciũtur à Logica, & hi ſunt præcepta, & regulæ de facienda bona Definitione, Diuiſione,& huiuſmodi:hæc præcepta non habent pro Obiecto res ipſas,ſed Definitionem, Diuiſionem, quæ ſunt operationes Intellectus. Alij ſunt actus non eliciti à Logica,ſed imperati ab illa, & tales ſunt Definitio,Diuiſio: Fateor igitur eſſe Obiectum materiale Logicæ illud ipſum,quod eſt Obiectum actuum elicitorum à Logica,non actuum ab illa Imperatorum.

Obijcies tertiò,& vltimò: illud eſt Obiectum Artis materiale, ex quo conſtãt eius opera,ſed opera Logicę conſtant ex rebus,ergo: Minor probatur, quia opus Logicæ eſt Definitio, verbi gratia, ſed Definitio conſtat ex genere, & differentia,ſeù ex rebus ipſis,ergo.

Reſpondeo: in primis poſſe concedi antecedens de operibus elicitis non imperatis,Definitio autem eſt opus à Logica non elicitum, ſed imperatum: Dico præterea, Definitionem conſtare ex Genere,& Differentia,non tanquam ex partibus componentibus, ſed tanquam Obiectis repræſentatis, ſicut & hiſtoria Liuij conſtat ex rebus geſtis Romanorum; hinc ſequitur,res repræſentatas per Definitionem eſſe Obiectum materiale remotum Logicæ,non proximum.

LECTIO XII.

An Voces ſint Obiectum materiale proximum Logicæ.

PRæmitto. Difficultatem hanc non procedere de Vocibus, vt ſunt ſigna ad placitum,ſed de Vocibus, vt diſponibiles in Syllogiſmo, vel prout per eas explicantur Definitio, & Diuiſio, quemadmodum enim Voces, vt regulabiles in harmonia pertinẽt ad Muſicam, quatenùs recto ſermone diſponibiles pertinent ad Grammaticam, quatenùs concinnabiles ad perſuadendum, pertinent ad Rethoricam, ita quatenus diſponibiles in Syllogiſmo videntur pertinere ad Logicam,tanquam eius materiale Obiectum.

Præmitto ſecundò: Sententiam affirmantem Voces eſſe Obiectum materiale Logicæ,hucuſq;fuiſſe attributã Nominalibus,quos ideò Schola Nominales appellat,quia nimiũ Vocibus tribuebãt, & nominibus,ſed ab hac impoſtura illos defẽdunt. *Hurtad.diſp.1.ſect.3.ſubſect.1.Ouied. Controu. 2. p. 1.* quare ea Sententia, iam ſinè certo Auctore vagatur, quòd non parum ſignum eſt eius improbabilitatis.

Concluſio ſit. Voces,quomodocunq; conſiderentur,non ſunt Obiectum materiale proximum Logicæ.

Probatur primò: quia ſi Voces eſſent Obiectum materiale Logicæ, maximè vt per eas explicantur noſtri conceptus formales, & operationes Intellectus, ſed hoc eſt omninò per accidens, nam ſi eſſet mutus,qui voces efformare non poſſet,aut etiam ſurdus, qui audire voces non valeret,adhùc eſſet bonus Logicus, ergo.

Probatur ſecundò:quia ratio formalis obiecti Logicæ, quæ eſt rectitudo,non cadit ſupra Voces, neque enim Logica tradit regulas,& præcepta de dirigendis Vocibus,ſed de facienda bona Definitione,accurata Diuiſione, & de conſtruendo Syllogiſmo,ergo Voces nõ ſunt Obiectum materiale, cùm non recipiant rationem formalem Obiecti Logicæ.

Obijcies primò;Logica eſt ignoti manifeſtatiua, ſed Voces manifeſtant ea, quę ſunt ignota,ergo Voces pertinent ad Logicam, tanquam Obiectium materiale.

Reſpondeo:Voces manifeſtare Grammaticaliter,non Logicè, quatenùs non ipſi proferenti Voces, ſed audientibus manifeſtant ea, quæ per Logicam, vel alio modo proferens didicit, Logica autem per conceptus magis claros manifeſtat ea obiecta,quæ aliàs confuſè, & obſcurè cognoſcebamus.

Obijcies ſecundò: Illud eſt Obiectum materiale Artis, quod in Definitione operis artificiati ponitur in caſu recto, ſed Voces ponuntur in caſu recto operis Logici, ſi enim definiatur Syllogiſmus,definitur eſſe Oratio,ergo Voces sũt Obiectum materiale. Maior patet Inductione, nam ſi definiatur ſtatua, dicetur eſt metallum, vel marmor in eam figurã conformatum,ſi definiatur frænum,dicetur,eſt ferrum forma fræni figuratum.

Reſpõdeo:Voces poni in recto in definitione operis, & Syllogiſmi facti per Logicam,non per ſe,ſed per accidens,in quantum ſcilicet, vult Logicus manifeſtare exteriùs opus ſuum mentale, & inte-

inte-

interiorem Syllogiſmum à ſe cõfectum; hinc eſt, vt etiam Logica agat de termino Vocali in Summulis,& in Libris Periherm.ſpecialem tractatum habeat de Vocibus.

Obijcies tertiò: actus externus Prudentiæ participat rationem virtutis deriuatũ ab actu interno,ergo Syllogiſmus externus, & Vocalis poteſt participare rationem formalem obiecti Logicæ deriuatam à Syllogiſmo interiori, ſed id, quod participat rationem formalem, eſt Obiectum materiale, ergo Voces ſunt Obiectum materiale Logicæ.

Confirmatur quia: ſi Syllogiſmus Vocalis, & externus non eſſet Obiectum Logicæ, deberet aſſignari aliquis alius habitus,qui de illo tractaret, tanquam de Obiecto, ſed nullus alius habitus eſt aſſignabilis,ergo.

Reſpondeó: eo argumento ad ſummũ probari Syllogiſmum Vocalem, & externum eſſe Obiectum materiale remotum Logicæ,quia remotè ſuprà illum cadit ratio formalis Obiecti Logicæ;prçtereà lata eſt diſparitas inter actũ externũ Prudentiæ,& Syllogiſmũ externum, quia actus externus Prudẽtiæ eſt imperatus à Prudẽtia,nõ ſic Syllogiſmus externus,quo per accidens,& ad explicandum Syllogiſmum internum vtitur Logica.

Ad Confirmationem reſpondeo inprimis; non de omni Obiecto aſſignandum eſſe habitum, qui per ſe tractet de illo,nam de Ente rationis, de Infinito,de Vacuo,exempli gratia,quæ Scientia tractat per ſe, tanquam de proprio Obiecto? Sufficiat ergo, quòd Logica de illo per accidens tractet, & per accidens illum conſideret, ſicuti Phyſica per accidens tractat de Infinito,& Vacuo;Metaphyſica per accidens,& occaſione Entis realis,tractat de Ente rationis. Præterea dico de Syllogiſmo Vocali, quatenus eſt aptus natus ad explicandum Syllogiſmum mentalem per ſe agere Grammaticam, cuius munus eſt, inuenire Voces aptas natas ad explicandos noſtros formales conceptus.

LECTIO XIII.

An Homo, vel Intellectus ſint Obiectum materiale Logicæ.

PRæmitto: Modernos quoſdam in manuſcriptis aſſignaſſe pro Obiecto materiali Logicæ ipſum Hominem, vel Intellectum; moti ſunt eo fundamento, quia Obiectum materiale debet eſſe realiter diſtinctum in habitibus practicis ab Obiecto formali,vt patet Inductione, nam Obiectum ſtatuariæ eſt marmor, quod realiter diſtinguitur à figura ſtatuæ; Obiectum materiale Medicæ Artis eſt Homo,qui realiter diſtinguitur à ſanitate, quæ eſt ratio formalis talis Artis; Porrò à rectitudine,quæ eſt ratio formalis obiecti Logicç,nihil inuenies realiter diſtinctum, niſi Hominem, aut Intellectum,operatio enim Intellectus non diſtinguitur à rectitudine,neque enim poteſt ab illa ſeparari,cùm non poſſit eſſe operatio, quæ non ſit,recta, vel non recta, realis autem ſeparatio eſt ſignum realis diſtinctionis, benè autem Homo, vel Intellectus,ſicuti realiter ſeparantur, ità realiter diſtinguuntur à rectitudine. His tamen non obſtantibus.

Concluſio ſit. Homo,vel Intellectus non eſt Obiectum materiale proximum Logicæ.

Pobatur Concluſio: quia rectitudo, quæ eſt ratio formalis Obiecti Logicæ non cadit immediatè ſupra Hominem, aut Intellectum, neque enim Logica tradit regulas, & præcepta de dirigendo Homine,aut Intellectu,ergo Homo, vel Intellectus non eſt Obiectum materiale proximum Logicæ. Dixi Obiectum materiale proximum,quia nõ nego Hominem, vel etiam Intellectum eſſe Obiectum materiale remotum,Logica enim, quæ per ſua præcepta dirigit immediatè & proximè operationes Intellectus,conſequenter etiam mediatè,& remotè dirigit Intellectum,& Hominẽ, & ideò Homo,vel Intellectus poſſunt dici Obiectũ mediatum,& remotum Logicæ.

Probatur ſecundò Concluſio: quia ſi aliqua eſſet ratio, ob quam Homo, vel Intellectus debeant aſſignari Obiectum materiale Logicæ,ea eſt,quia Obiectum materiale debet realiter diſtingui,& poſſe

ſe

ſe realiter ſeparari ab Obiecto formali, ſcilicet à rectitudine , ſed licèt operatio Intellectus hæc , vel illa indiuidualiter ſumpta nequeat ſeparari à rectitudine, tamen operatio Intellectus, vt ſic,& in communi poteſt ſeparari à rectitudine, quia operatio,vt ſic,& in cōmuni indifferens eſt ad habendam, vel non habendam rectitudinem, ergo ſaltem operatio vt ſic , & in communi aſſignari poteſt pro Obiecto materiali Logicæ.

Obijcies primò : ſi ratio generica operationis Intellectus eſſet Obiectum materiale Logicæ,poſſet quoq;pro Obiecto materiali Artis Statuariæ poni ratio generica figuræ vt ſic , & pro Obiecto formali rectitudo eiuſdem figuræ; conſequens eſt abſurdum,ergo.

Reſpondeo negando ſequelam maioris:lata enim diſparitas eſt, quia Ars ſtatuaria non tradit regulas , & præcepta de figurâ , vt ſic , genericè accepta , ſed tradit regulas,& præcepta de modo,quo ſit aptandum, & diſponendum marmor, vt ſit idoneum ad recipiendam figuram; ideò non ratio generica figuræ,ſed marmor ſtatuitur materiale Obiectum talis Artis:Logica verò tradit regulas,& præcepta de modo,quo facienda ſit operatio Intellectus,vt careat erroribus, & recta ſit , & non tradit præcepta de modo, quo faciendus ſit Homo, vel Intellectus; ideò operatio ipſa Intellectus , non Homo,non Intellectus ſtatui debet Obiectū materiale *Logicæ*.

Obijcies ſecundò: non minus *Logica* eſt habitus actiuus, & reſpicit operationes Intellectus,quàm ſit habitus actiuus Philoſophia moralis , quæ reſpicit operationes Voluntatis , ſed hæc habet pro Obiecto Hominem, vt fælicitabilem,ergo,& Logica habet pro Obiecto Hominē, vt dirigibilem.

Reſpondeo: adhùc diſparitatem eſſe, quia Philoſophia moralis tradit præcepta de ipſo Homine fælicitādo,at *Logica* tradit præcepta, non de dirigēdo *H*omine,aut Intellectu , ſed de dirigendis operationibus ipſius Intellectus;ideò *H*omo vt dirigibilis,non poteſt poni Obiectum materiale *Logicæ*.

Obijcies tertiò: Obiectum materiale Artis debet præſupponi ad Obiectum formale,quia debet eſſe indifferens ad recipiendam,ſiuè hanc,ſiuè illam rationē formalem, ſed talis non eſt operatio Intellectus, quæ neceſſariò debet eſſe recta, aut non recta , & conſequenter non eſt indifferens ad recipiēdam rectitudinem, vel aliam rationem formalem, huiuſmodi verò eſt *H*omo,vel Intellectus,ergo.

Reſpondeo:ꝙ licèt operatio talis,& in indiuiduo accepta non ſit indifferens ad habendam , vel non habendam rectitudinem , tamen operatio, vt ſic in genere accepta,habet huiuſmodi indifferētiam, & ideò benè poteſt aſſignari Obiectum materiale Logicæ , abſque eo , quòd recurramus ad *H*ominem, vel ad Intellectum.

LECTIO XIV.

An Ens Rationis ſit Obiectum materiale Logicæ.

PRæmitto primò : Ens rationis Chymæricū,& fictitium,non ſpectare ad Obiectum *Logicæ* ; idque eſſe certum apud omnes:ratio eſt,quia Ens rationis fictitium non inſeruit ad dirigendas operationes Intellectus,nec ad acquirendas alias Scientias,ergo nō ſpectat ad Obiectum *Logicę*,cuius finis eſt dirigere operationes Intellectus in ordine ad comparandas alias Scientias , & licèt *Logica* de hoc Ente fictitio tractet,id præſtat eo fine , vt illud diſtinguat ab operationibus Intellectus, quæ & ipſæ Entia rationis ſunt,non quidem ficta,ſed realiter recepta in Intellectu,à quo & eliciuntur.

Præmitto ſecūdò: quòd ſicuti Columnam,verbi gratia,eſſe dexteram,vel ſiniſtram eſt denominatio realis extrinſeca, proueniens à dextera,vel ſiniſtra *H*ominis, & parietem eſſe viſum, eſt denominatio realis extrinſeca , proueniens ab actu viſionis tendentis in Obiectum, quod propterea denominatur viſum, ita eſſe cognitum, eſſe prædicatum, eſſe ſubiectum,& alias huiuſmodi ſecundas intentiones eſſe denominationes reales extrinſecas, prouenientes à cognitione, quæ aliquādo ſimpliciter attingit Obiectum,prædicat aliquandò, aliquandò ſubijcit: eſto in Thomiſtarum Sententia tales denominationes æxiſtimentur Entia rationis relatiua;nolo in hac opinione refutanda morari , ſed ea data,adhùc contendo talia Entia rationis non eſſe Obiectum materiale *Logicæ*.

Con-

Concluſio ſit: Ens rationis relatiuum, ſeù *Logicum*, non eſt Obiectum materiale *Logicæ*. eſt contrà *Durandum in* 1. *diſt*.33.*quæſt*.1.*num*.10. *Sot*.*quæſt*.1. *Proœmial. Ægid. Romanum initio Elench. Tol. quæſt*.5.*Proœm*.*Fonſ*.*lib*.2.*Met*.*cap*.3.*quæſt*. 1.*ſect*.2.*Rub*.*quæſt*.6.*concl*.2.

Probatur Concluſio: quia *Logica* ſuis regulis, & præceptis non docet, quomodo debeat dirigi Ens rationis, ſed quomodo debeant dirigi operationes Intellectus, ergo iam recitando, quæ eſt formale *Logicæ* Obiectum, non recipitur in Ente rationis, ſed in operationibus Intellectus, non ergo Ens rationis eſt Obiectum materiale.

Probatur ſecundò Concluſio: quia licèt frequenter *Logica* tractet de ſubiecto, de prædicato, de eſſe cognito, de genere, ſpecie, cæteriſq; ſecundis intentionibus eo fine de his tractat, vt regulet, & dirigat operationes Intellectus. ergo iam non conſiderat per ſe ſecundas haſce intentiones, ſed per accidens; ideò non poteſt illas habere pro ſuo Obiecto materiali; imò negato Ente rationis, vt multi negant, adhuc eſſet *Logica*, nulla autem Sciẽtia poteſt eſſe ſinè ſuo Obiecto materiali; ergo.

Obijcies primò: ex Ariſt. 4. Met. t. 5. Dialecticus, & Metaphyſicus agunt de omni Ente; ſed Metaphyſicus agit de Ente reali, tãquã de ſuo materiali Obiecto, ergo Dialecticus agit de Ente rationis tanquam de ſuo Obiecto materiali. Confirmatur ex eodem Ariſt. 6. Met. t. 8. Ens in Anima, quod per Philoſophum idem eſt, ac Ens rationis, excluditur ab Obiecto Philoſophiæ, quia ſpectat ad alium habitum, non niſi ad habitum *Logicæ*, ergo.

Reſpondeo: his & ſimilibus auctoritatibus Philoſophi probari tantũmodo, hæc Entia rationis, ſeù ſecundas intentiones ſpectare ad *Logicum*, tanquam Obiectum, ſiuè per accidens, ſiuè materiale remotũ, ſed non probari eſſe Obiectum materiale proximũ, aut eſſe Obiectum per ſe: hoc nos negamus.

Obijcies ſecundò: *Logica* dicitur Sciẽtia rationalis, non realis, ſed non dicitur rationalis, niſi quia habet pro Obiecto ſaltem materiali Ens rationis. ergo: Minor probatur, quia non dicitur Scientia rationalis, quia ſit in ratione tãquam in ſubiecto; nam etiam aliæ Scientiæ ſunt in ratione, tanquam in ſubiecto, & tamẽ illę non dicuntur rationales; neque dicitur rationalis, quia ſit ſolo beneficio Intellectus, quia verè *Logica* exiſtit nemine actu cogitãte, ergo dicitur rationalis, quia habet pro Obiecto Ens rationis.

Reſpõdeo: Logicam dici rationalem, quia habet pro Obiecto materiali operationes rationis, ſeù Intellectus, & reliquę Sciẽtiæ dicuntur habitus reales, quia habẽt pro Obiecto res exiſtentes extrà Intellectum.

Obijcies tertiò: Datur aliquis habitus, cuius Obiectum ad aliud ordinatur, ergò licèt Ens rationis ordinetur ad regulandas operationes Intellectus, adhùc tamen poteſt eſſe Obiectum materiale *Logicæ*; Antecedens clarè patet in omnibus Habitibus, quorum Obiectum eſt aliqua Idæa operis faciendi, in Arte faciente formulas ligneas calceorum, in Arte delineante veſtigium conſtruendæ Domus, & huiuſmodi; ergo licèt Ens rationis ordinetur ad aliud, tanquam Idęa, ideoque dicatur Idæale, adhùc poteſt eſſe Obiectum materiale *Logicæ*.

Reſpondeo: aliquas Artes habere Idæas operis faciendi pro vltimato fine; ità eſt Architectura, quæ pro ſuo vltimato fine habet delineare veſtigium conſtruendę Domus, & ſic Architectura habet pro ſuo Obiecto materiali Idæam Domus cõſtruendæ, alias verò Artes nõ habęre pro fine vltimato Idæam operis faciendi, ſed vlterius procedere ad faciẽdum opus, talis eſt Pictura; quæ priùs in mente, vel in carta deſcribit imaginem, & poſteà in tabula delineat, & ſic Pictura non habet pro Obiecto materiali Idæam mente conceptam, aut in carta deſcriptam; *Logica* ergo ità conſiderat hoc Ens rationis, quòd Idæale appellant Aduerſarij, vt illud ordinet ad faciendum opus, ideò quia *Logica* non habet tale Ens rationis pro ſuo fine vltimato, neque agnoſcit illud pro ſuo Obiecto materiali.

Obijcies quartò: Authoritatem *D. Thom*. 4. *Met*. *Lect*.4. *part*. 2. vbi docet, alias Scientias verſari circà Ens reale, vt Ens reale eſt, *Logicam* verò verſari circà Ens reale, quatenùs ſubſtat ſecundis intentionibus, & Entibus rationis.

Reſpondeo, cùm *Hurt*. *ſubſect*.1.& 2. & *præcipuè à* §.53. mentem D. Thomæ eſſe, quòd Obiectum Logicæ ſint noſtri

for-

formales conceptus, qui propterea Entia rationis dicuntur, quia & eliciuntur ab Intellectu, ſeu Ratione, & in Intellectu recipiuntur.

LECTIO XV.

Statuitur Obiectum Materiale, & Formale Logicæ.

PRæmitto: ex dictis in ſuperioribus Lectionibus euidenter deduci noſtros cõceptus formales, ſeu Operationes noſtri Intellectus eſſe Obiectum materiale Logicæ, cùm enim Obiectum materiale non ſint Res, neque Voces, non Homo, aut Intellectus, imò neque Ens rationis Logicum, ſeu Idæale, nihil aliud remanet, quod poſſit aſſignari Obiectum Logicæ Materiale, niſi operationes Intellectus, quare.

Concluſio ſit: operationes noſtri Intellectus ſunt Obiectum Materiale Logicæ. Ità *D. Thomas Præf. in lib. Perhier. & in Præf. ad lib. Poſt. Scotus quæſt. 3. Pred. Ægid. 1. Poſt. in t. 2. Conimb. q. 3. Proœm. art. 3. Ouied. Contr. 2. p. 1. §. 3. Arriaga diſp. 2. ſect. 4.*

Probatur Concluſio primò ex dictis, cùm enim Obiectum Materiale Logicæ non ſint res omnes, neque Voces, non Ens rationis Idæale, denique nec ipſe Homo, aut Intellectus, certè nihil aliud remanet quod poſſit aſſignari Obiectum Materiale Logicæ, niſi Operationes ipſę, & ipſi formales conceptus Intellectus.

Probatur ſecũdò: quia illud eſt Obiectum Materiale proximum Logicæ, circà quod Logica immediatè verſatur, & in quo immediatè recipiuntur eius præcepta, & rectitudo inducenda per talia præcepta, ſed circà operationes Intellectus Logica immediatè verſatur, & in illis recipiuntur eius præcepta, imò & rectitudo inducenda per talia præcepta, ergo: Minor probatur, quia Logica tractat, quomodo ſit faciendus Syllogiſmus, conſtruenda Definitio, & Diuiſio, ergo:

Obijcies primò: ſi Logicæ Obiectum eſſet Operationes Intellectus, & Logica daret præcepta de huiuſmodi Operationibus dirigẽdis, ſequeretur, Logicam eſſe habitum imperantem, aliàs verò Scientias eſſe habitus miniſtrantes, vt enim habetur ex *Ariſt. 2. Phyſ. t. 24. & 25.* habitus imperantis eſt, præcipere, miniſtrãtis verò exequi, ſed Logica ex communi ſenſu eſt habitus miniſtrans, non imperans, ergo.

Reſpondeo: Logicam non præcipere in bonũ proprium, ſed in bonum Scientiarum, quatenùs directis iam operationibus Intellectus per regulas, & præcepta Logicæ, aſſequantur Scientiæ veritatem, & caueant errores: Porrò præcipere in bonum alterius, non eſt imperare, ſed miniſtrare, & inſeruire: patet, tùm exemplo Magiſtri morum, qui præcipit Filio Principis, cuius tamen eſt ſeruus, non Dominus, tùm exemplo Præfecti cæremoniarum, qui præcipit Pontifici, cui tamen dicitur inſeruire, non imperare.

Obijcies ſecundò: ſi Logica daret præcepta de dirigendis operationibus Intellectus, ſequeretur alias Scientias fore inutiles, poſita enim rectitudine in operationibus Intellectus, iam nihil remanet, quod præſtent ipſæ Scientiæ, ergo iam eſſent inutiles.

Reſpondeo: Logicam non dirigere operationes Intellectus in ordine ad materias particulares, & in indiuiduo, neque enim docet, quòd Definitio hominis debeat conſtare ex animali, & rationali; ſed ſolùm in ordine ad rationem communem omnibus materijs. Quatenùs præcipit vniuerſaliter, & generaliter, quòd omnis Definitio debeat conſtare ex genere, & differentia, quo dato præcepto vniuerſali, aliæ Scientiæ mouentur ad inueſtigandum genus, & differentiam eius rei, quæ occurrerit definienda.

Dices: ſi Logica daret vniuerſalia præcepta de operationibus dirigendis, deberet quandoque deſcendere ad materias particulares, vt præſtat Phyſica, quæ quia conſiderat corpus Naturale in communi, conſiderat etiam corpora naturalia in ſpecie, & in particulari, ſed Logica ad materias particulares non deſcendit, ergo non tradit vniuerſalia præcepta.

Reſpondeo: Phyſicam conſiderare corpus Naturale in particulari, & in indiuiduo, quia in ipſo reperit rationem formalem, ſub qua conſiderat corpus Naturale, vt ſic, & in communi; at Logica, vel ſui rationem formalem non re-

perit in materijs particularibus, vel ſi reperit, non reputo abſurdum dicere, Logicam deſcendere ad materias particulares ſub propria ratione formali eiuſdem Logicæ.

Concluſio ſecunda: Ratio formalis Obiecti Logicæ eſt rectitudo inducenda in operationes Intellectus, non dirigibilitas.

Probatur Concluſio, quia in Habitu practico, ſeù Arte, cuiuſmodi eſt Logica, ratio formalis Obiecti, & finis intrinſecus idem ſunt, ſed finis intrinſecus Logicæ eſt rectitudo, quæ per eiuſdem Logicæ præcepta inducitur in operationes noſtri Intellectus, ergo: Minor probatur, quia Logica nihil aliud intendit, niſi dirigere operationes Intellectus, ideſt, facere, vt illæ operationes, quæ poſſunt fieri malè, & benè, cùm errore, & ſinè errore, potiùs fiant benè, & ſinè errore, quàm malè, & cùm errore, quod ſanè perfectè præſtat illuminando, & dirigendo Intellectum per ſuas regulas, & præcepta.

Quòd autem dirigibilitas non debeat aſſignari Obiectum formale Logicæ, patet, quia ſi nomine dirigibilitatis venit capacitas operationum ad recipiendam rectitudinem, iam iſta dirigibilitas non diſtinguitur ab ipſis operationibus, quæ cùm ſint Obiectum materiale, ipſa quoque dirigibilitas erit Obiectum materiale; quòd ſi nomine dirigibilitatis, veniat ipſa rectitudo, eſto dirigibilitas ſit Obiectum formale Logicæ, ſed erit incongrua, & minus apta locutio.

Obijcies primò: operationes Intellectus sũt Obiectum materiale, ergo carũdem rectitudo non poteſt eſſe Obiectũ formale; Obiectum enim formale ſupponit Obiectum materiale, atque adeò rectitudo iam ſupponeret ipſas operationes factas, & elicitas, ſed operationes iam factæ, & elicitæ, ſunt rectæ, vel non rectæ, ergo non poſſunt recipere vlteriùs aliqualem aliam rectitudinem.

Reſpondeo: operationes Intellectus eſſe Obiectum materiale Logicæ non ſpecificè, & in indiuiduo conſideratas, ſed ſecundum earum rationem genericam, in qua conſideratione nullam habent rectitudinem, ſed eam deindè recipiunt à Logica; niſi velis dicere, operationes Intellectus, antequam recipiant rectitudinem artificialem à Logica, habere rectitudinem naturalem; quæ in eo conſiſtit, quòd habeant propria earum prædicata quidditatiua, & eſſentialia, naturaliter illis debita.

Obijcies ſecundò: ſi operationes Intellectus rectæ eſſent Obiectum Logicæ, iam Logica non eſſet habitus Inſtrumentarius, & alijs inſeruiens, ſed potiùs eſſet habitus principalis, & per ſe expetibilis, haberet enim Obiectum per ſe expetibile, nempè operationem rectam; ſed hoc eſt abſurdum, & contrà communem ſenſum, ergo.

Reſpondeo: operationem rectam expeti à Logica, & ordinari ad acquirendas, & comparandas Scientias, neque enim Logica ſiſtit in operatione recta; ſed eam vlteriùs ordinat ad Scientias.

Obijcies tertiò: rectitudo in operationes producitur ab ipſo Intellectu, nõ inducitur à Logica, ergo non benè aſſignatur rectitudo pro Obiecto formali Logicæ.

Reſpondeo: rectitudinem eſſe effectiuè ab Intellectu, directiuè, & illuminatiuè à Logica; Intellectus enim priùs illuminatus, & directus per regulas, & præcepta Artis, elicit deindè operationes iuxta eiuſdem Artis regulas, & præcepta, & hoc pacto dicitur facere operationes rectas.

LECTIO VI.

An omnes operationes ſint per ſe Obiectum Logicæ.

PRæmitto primò: Idem eſſe quærere, An omnes operationes Intellectus ſint Obiectum per ſe Logicæ, ac quærere, an omnes tres operationes ſint Obiectum attributionis, ſeù ordinationis: Cæterùm occaſio, & motiuum huius difficultatis oritur ex eo, quia Syllogiſmus, tanquam ex partibus componitur ex Terminis, & Propoſitionibus, atque adeò videtur tanquam ex partibus componi ex prima operatione Intellectus, ad quam ſpectant Termini, & ex ſecunda, ad quam ſpectant Propoſitiones, & quia partes eſſentialiter ordinantur ad totum, cuius ſunt partes: hinc prima, & ſecunda operatio videntur ordinari ad tertiam, & conſequenter non eſſe Obiectum Attributionis, ſeù Obiectum per ſe Logicæ.

Præ-

Digitized by Google

Præmitto ſecundò: ad Obiectum Attributionis duo potiſſimum requiri; primum eſt, vt participet rationem formalem Obiecti Artis illius, cuius conſtituitur Obiectum Attributionis; Alterum eſt, vt ſit per ſe expetibile ab illa Arte, & non in ordine ad aliud, ſi enim eſſet expetibile in ordine ad aliud, ſinè dubio ad aliud ordinaretur, & non ad ipſum cætera, quæ conſiderantur ab Arte, ordinarentur; & per conſequens non poſſet eſſe Obiectum Attributionis, quod ex dictis Lect. 1. eſt id, ad quod reliqua ordinantur, & ipſum non ordinatur ad aliud.

Concluſio eſt. Non ſolùm tertia operatio Intellectus, ſed etiam prima, & ſecunda ſunt Obiectum Attributionis, & per ſe Logicæ. Ità *Diuus Thomas 1. Poſt. & alibi, quem ſequuntur plures ex Recentioribus; Vide Tol. quæſt. 1. Proœm. Conimbric. quæſt. 2.* Contrà *Albertum Magnum in Prol. Prædic. Lemoſium lib. 1. de erratis Dial. cap. 6. Scotum quæſt. 6. Iuæ Dial. Fonſ. 2. Metaphyſ. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 5. Ariagam diſput. 2. ſect. 2. Hurtad. diſput. 1. ſect. 8. Quied. controuerſ. 2. part. 1. §. 8.*

Probatur Concluſio: quia non ſolùm tertia operatio Intellectus, ſed etiam prima, & ſecunda participant rationem formalem Obiecti Logicæ, nempè rectitudinem, & ex alia parte per ſe conſiderantur à Logica, & non in ordine ad tertiam, quia ſunt per ſe bonum Intellectus, & quid per ſe expetibile, nam etiam ſi eſſet impoſſibilis tertia, adhùc quid bonum eſſet Intellectui benè, & ſinè errore apprehendere, benè, & ſinè errore definire, benè, & ſinè errore enuntiare, ergo iam Logica per ſe, non in ordine ad tertiam, conſiderat primam, & ſecundam operationem: quòd autem de facto Logica ordinet primam, & ſecundam operationem ad tertiam, id eſt omninò per accidens.

Confirmatur quia: Auctores contrariæ Sententiæ diuiſi ſunt inter ſe, nam aliqui volunt Syllogiſmum vt ſic, & in communi eſſe Obiectum Attributionis; alij ſolum Syllogiſmum Demonſtratiuum, alij modum ſciendi, vt ſic, alij argumentationem, quòd non leue inditium eſt improbabilitatis eius Sententiæ.

Obijcies primò. Prima operatio Intellectus non poteſt dirigi, atque adeò non participat rationem formalem Obiecti Logicæ, quæ eſt rectitudo, ergo non poteſt eſſe Obiectum per ſe Logicæ. Antecedens probatur, quia prima operatio Intellectus neceſſariò, & naturaliter in nobis excitatur, ſicut & operatio ſenſuum, ſed operatio ſenſuum non admittit rectitudinem, ergo.

Reſpondeo: eſto multæ apprehenſiones non poſſint à Logica dirigi, quia naturaliter, & neceſſariò in nobis excitantur, quo etiam modo, & multa iudicia impediri non poſſunt, quia non eſt mihi liberum impedire iudicium de Obiecto, quod præſens intueor, tamen aliæ ſunt apprehenſiones, quæ ſubſtant imperio Voluntatis, quæ benè poteſt ità dirigere, & præcipere Intellectui, quando vis facere Vniuerſale, apprehende Naturam perfectè, & vniuocè vnam: lata autem diſparitas eſt inter primam apprehenſionem, & operationes Senſuum, quia hæ non ſubduntur imperio, & directioni Voluntatis, aut Intellectus illuminati, & directi per Logicam, ſenſus enim merè naturaliter operantur.

Obijcies ſecundò. Prima operatio Intellectus non participat per ſe rectitudinem, ergo non eſt Obiectum per ſe; Antecedens probatur, quia definitio, quæ eſt prima operatio Intellectus, non dirigitur, nec inueſtigatur, niſi per methodum diuiſiuam ex *Ariſtotel. 2. Poſt. text. 17.* ſed methodus diuiſiua eſt imbecillis Syllogiſmus ex eodem *Ariſtot. 1. Priorum 3.* ergo prima operatio dirigitur per tertiam, ſeù per Syllogiſmum.

Confirmatur: quia Cognitio primorum principiorum non habetur, niſi per Inductionem ex *Ariſtot. 2. Poſt. vltimo*, ſed Cognitio primorum principiorum ſpectat ad primam operationem Intellectus, ergo:

Reſpondeo: aliud eſſe primam operationem dirigi auxilio, & adiumento tertiæ, & aliud eſſe certitudinem primæ operationis ordinari ad tertiam, ſicut & in equeſtri, aliud eſt directionem equi fieri, & haberi auxilio fræni, & aliud eſſe, directionem equi ordinari ad frænum, neque enim ex eo, quòd eque-

ſtris equum dirigat mediante fræno, benè arguitur, quod directio equi ordinetur ad frænum. Do igitur libenter, primam operationem dirigi aliquando à tertia, ſeù mediante tertia, ſed nego inde ſequi, rectitudinem primæ operationis ordinari ad tertiam; dixi aliquando, quia ſi Obiecta ſint facilia, prima operatio non indiget tertia, vt dirigatur, nam ad apprehendendum omne totum eſſe maius ſua parte, qui quæſo diſcurſus, quæ probatio eſt neceſſaria? id enim ad ſenſum patet, ſtultum eſt autem relicto ſenſu quærere rationem.

Obijcies tertiò: Logica pro ſuo vltimo fine intendit modum ſciendi proprium hominis, ſed modus ſciendi proprius hominis eſt per diſcurſum, ſcire enim per ſimplicem apprehenſionem, eſt modus ſciendi conueniens Deo, & Angelis, non Homini, ergo.

Reſpondeo primò: etiam modum ſciendi per ſecundam operationem Intellectus diuidendo, & componendo eſſe proprium hominis, nam Deus, & Angeli non componunt, nec diuidunt, ſed omnia ſimplici intuitu attingunt.

Reſpondeo ſecundò: etiam Homini conuenire cognitionem Obiectorum per ſimplicem intuitum, maxime quando Obiecta ſunt facilia in ſe, ſicuti & Angelis aliquando etiam competit diſcurſus, nam circà Obiecta illis ignota, circà futura, & ſecreta cordium, & Angeli diſcurrunt.

Obijcies quartò: finis Logicæ, ſaltem extrinſecus, eſt acquiſitio Scientiarum, ſed acquiſitio Scientiarum non habetur, niſi per Syllogiſmum, & quidem Demonſtratiuum, Scientia enim eſt Cõcluſio deducta vi formæ Syllogiſmi Demonſtratiui, ergo omnis cõſideratio Logica per ſe ordinatur ad Syllogiſmum Demonſtratiuum.

Reſpondeo: etiam per primam, & ſecundam operationem Intellectus haberi Scientiam, ideſt cognitionem certam, & euidentem; nam per definitionem innoteſcit nobis Natura, & eſſentia Obiecti ſimplicis; per Diuiſionem innoteſcit nobis Natura, & eſſentia obiecti compoſiti, ſtatim enim innoteſcit nobis, quid ſit totum, ſi in ſuas partes diſtribuatur; eſto quòd Scientia in omni rigore accepta, ideſt Cognitio rei per cauſam, vel per effectum habeatur per ſolam Demonſtrationem; finis autem extrinſecus Logicæ non eſt Scientia tantùm acquiſita per cauſam, ſed quæcumque Cognitio certa, & euidens.

Obijcies quintò: prima, & ſecunda operatio Intellectus ſunt partes tertiæ, ſicuti materia, & forma ſunt partes compoſiti phyſici, ſed materia, & forma eſſentialiter ordinantur ad compoſitum phyſicum, & ideò non ſunt Obiectum per ſe Phyſicæ, ergo etiam prima, & ſecunda operatio Intellectus per ſe ordinantur ad Syllogiſmum, & non ſunt Obiectum per ſe Logicæ.

Reſpondeo: diſparitatem eſſe, quia materia, & forma ità ſunt partes eſſentiales compoſiti Phyſici, vt ſi eſſet impoſſibile compoſitum Phyſicum, impoſſibiles quoque eſſent materia, & forma, ſaltem de facto, & naturaliter; è contrà verò ſi eſſet impoſſibilis Syllogiſmus, & tertia operatio Intellectus, non eſſent impoſſibiles prima, & ſecunda operatio; hinc eſt, vt materia prima, & forma eſſentialiter ordinentur ad compoſitum Phyſicum; è contrà verò prima, & ſecunda operatio accidentaliter ad tertiam ordinantur, quamuis ſint partes eſſentiales tertiæ, nam etiam elementa ſunt partes eſſentiales mixti, & tamen accidentaliter ordinantur ad illud, quia eo dato impoſſibili, adhùc eſſent Elementa; ità quoque numeri, ternarius, binarius, licèt ſint partes eſſentiales numeri millenarij, tamen ad illud accidentaliter ordinantur, nam dato ſimiliter impoſſibili millenario, adhùc eſſent numeri ternarius, & binarius.

Colligo ex hac integra Diſputatione talem eſſe definitionem Logicæ: Logica eſt Ars actiua dirigens operationes noſtri Intellectus, in qua Definitione, τὸ Ars actiua, ſtat loco proximi Generis, τὸ dirigens operationes noſtri Intellectus, ſtat loco differentiæ vltimæ, ex Genere autem proximo, & vltima Differentia optimè ſtatuitur integra Definitio Logicę, ſicuti, & cuiuſque rei, vt patet.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO SECVNDA.

DE VNIVERSALIBVS, ET PRAEDICABILIBVS.

EXpedita prima Diſputatione Proœmiali de Natura, & Eſſentia Logicæ, progredimur ad explicãda ea, quæ ſpectant, & maximè iuuant ad dirigendam primam operationem Intellectus noſtri; Ea autem, quæ in primis ad talem directionem ſpectant, & iuuant ſunt Vniuerſalia, & Prædicabilia, de quibus Porphyrius inſignis olim ſectæ Platonicæ Philoſophus, Librum compoſuit, quem Iſagogen Græco vocabulo, ideſt, Introductionem appellauit, quia nimirùm cognitio Vniuerſalium, & Prædicabilium eſt quædam veluti altera Introductio præuiè addiſcenda, antequam inſtituatur Tractatus, ſeù Diſputatio de Prædicamentis Ariſtotelis, quæ Prædicamenta meliùs, & faciliùs intelliguntur præhabita cognitione de ipſis Vniuerſalibus, & Prædicabilibus. Et quia iuxtà ſuprà aſſignatam Diuiſionem Logicæ initio Introductionis, & Summularum, prima eiuſdem Logicæ Pars complectitur ea, quæ ad dirigẽdam primam operationem Intellectus ſpectant, & iuuant, ideò præſenti Diſputatione de Vniuerſalibus, & altera de Prædicamẽtis perfectè abſoluetur Prima Pars Logicæ. Ideò autem, tàm Diſputatio de Vniuerſalibus, quàm altera de Prædicamentis ſpectant ad dirigendam primam operationem Intellectus, quia Vniuerſalia ſũt termini ſecũdæ Intentionis, Prædicamẽta ſunt termini primæ intẽtionis; Termini autem ſunt Obiecta ſimplicis Apprehenſionis, quæ eſt prima Intellectus noſtri operatio.

LECTIO I.

De Vniuerſalibus, & Prædicabilibus.

NOmine Vniuerſalis venit id, quod vnum cùm ſit, verſatur in multis; ſeu multis eſt cõmune: in hoc ſenſu appellatur lex generalis illa, quæ cùm vna ſit, multos ligat, & obligat.

Primaria ſui Diuiſione Vniuerſale diuiditur in Complexum, & Incomplexum; Complexũ eſt Propoſitio aliqua, quam dicimus Vniuerſalem; in hoc ſenſu *Ariſt.* 1. *Poſt.* 7. & 1. *Met.* 1. Propoſitiones quaſ-

quaſdam Vniuerſales appellauit principia Scientiarum Vniuerſalia. Incomplexum Vniuerſale eſt terminus aliquis ſimplex, vt *Homo*, qui de multis, imò & de omnibus indiuiduis prædicatur.

Vniuerſale Incomplexum: de quo deinceps erit ſermo, ſubdiuiditur in quatuor membra; in primis eſt Vniuerſale in cauſando, & eſt illud, quod cùm in ſe vnum ſit, plura, & multa cauſat, ſic Deus, verbi gratia, eſt Vniuerſalis in cauſando, quia in ſe eſt perfectè vnus, & plura, imò omnia cauſat. Aliud eſt Vniuerſale in repræſentando, talis eſt tabella picta, plura animalia, vel plures homines repræſentans. Aliud eſt Vniuerſale in ſignificando; vt iſta vox Homo, quæ omnes Homines ſignificat. Denique aliud eſt Vniuerſale in eſſendo, quod eſt vnum, & in multis reperitur, ſic Natura Animalis, quæ in omnibus Hominibus, ſimul, & in Brutis reperitur; quod Vniuerſale dicitur etiam Vniuerſale in prædicando, quia id, quod eſt in multis, affirmatur quoque, & prædicatur de illis multis, in quibus reperitur. In præſenti ſermo eſt de Vniuerſali in eſſendo, ſeù prædicando, non de alijs.

Definitur Vniuerſale in eſſendo ab *Ariſt. 1. Periherm. cap. 5. & 7. Met. t. 4. aliquid vnum aptum ineſſe multis, & de multis prædicari.*

Explicatur hæc Definitio, quam omnes Scholæ recipiunt, ſic. Primò in ea definitione dicitur, Aliquid; vt denotetur Vniuerſale eſſe aliquod poſitiuum, licèt enim à non Entibus, putà à negationibus, & priuationibus, abſtrahi poſſit conceptus aliquis communis, & Vniuerſalis ſingulis negationibus, & priuationibus in indiuiduo, & ſingulariter acceptis, tamen propriè, & communi phraſi Scholaſticorum Vniuerſale accipitur pro Ente poſitiuo, ideſt, pro reali aliqua Natura, quæ vna ſit in ſe, & in multis ſit apta nata eſſe, ſeù inexiſtere.

Dicitur ſecundò in ea Definitione, Vnũ, quia de eſsẽtiali ratione Vniuerſalis eſt vnitas, nō.n. Vniuerſale ſunt multa in multis, ſed vnum in multis; Cæterum nomine Vnitatis debet venire Vnitas perfecta, & vniuoca, & ſic excluditur Vnitas imperfecta, ſeù Analogica; & propterea licèt Ens, vt ſic, ſit vnum, & multis commune, non tamen eſt Vniuerſale, quia non eſt Vniuocum; ideoq; *Ariſt. 4. Met. t. 6.* docet Ens, & vnum non eſſe Vniuerſalia. Hinc eſt etiã, vt æquiuoca non ſint Vniuerſalia, quia non habent vnitatem perfectam, & ità Canis relatus ad Canem Cęleſtem, Terreſtrem, & Marinum, non eſt Vniuerſalis.

Dicitur tertiò in ea Definitione, aptum eſſe in multis, hoc eſt, quæ ſint verè multa ſecundùm rationem illis communem, ſeù quòd Natura communis ità ſit apta exiſtere in multis, vt multiplicetur in illis, & diuidatur; Hinc eſt, vt Natura Diuina licèt ſit in tribus Diuinis Perſonis, non tamen eſt Vniuerſalis, quia in illis non multiplicatur, neque enim tres Diuinæ Perſonæ ſunt tres Dij, aut tres Naturæ Diuinæ, ſed vna, & eadem numero in omnibus. Hinc etiam fit, vt ſi eadem numero albedo ſit in pluribus ſubiectis, eadem Anima in pluribus corporibus, neutra tamen ſit Vniuerſalis, quia in his pluribus non multiplicantur. Contrà verò Natura humana eſt Vniuerſalis, quia eſt in Petro, & Paulo multiplicata, & diuiſa, Petrus enim, & Paulus ſunt plures numero homines, & habent plures numero Naturas humanas.

Denique in ea Definitione dicitur; & de multis prædicari, vt aſſignetur proprietas Vniuerſalis, nã ad eſſe in multis, ſequitur de multis prædicari, & affirmari.

Nonnulli contendunt Naturam Vniuerſalem debere prædicari in recto de illis pluribus, in quibus eſt apta nata affirmari, & prædicari, ideòque dicunt eandem numero albedinem in pluribus ſubiectis, eandem numero Animam in pluribus corporibus non eſſe Vniuerſalem, quia nec Albedo illa de ſubiectis, nec Anima de corporibus eſt prædicabilis in recto.

Sed contrà eſt quia, Proprium non eſt prædicabile in recto de ſubiectis, in quibus reperitur, & tamen eſt Vniuerſale, ergo quòd nō ſit Prædicabile in recto de pluribus, non eſt ratio, ob quam non debeat eſſe Vniuerſale ratio autem cur illa albedo, & Anima non ſortiantur Naturam, & conditionem Vniuerſalis, vt iam diximus, quia non multiplicantur in ea ratione, ſecundum quam dicuntur habere Vniuerſalitatem.

LE-

Digitized by Google

LECTIO II.

An detur Natura Vniuerſalis.

PRæmitto communem eſſe Sententiam,& quaſi Decretum in Scholis, dari Vniuerſale in eſſendo, ſeù dari Naturam Vniuerſalem, & pluribus cõmunem, ſi tamen nonnullos ex antiquis mox citandos excipias, & Nominalium ſectam,quæ ſolùm Vniuerſale in ſignificando,& in Vocibus, ſeù Nominibus videtur admittere. *Petrus Hurtadus diſp.* 5.*Met.ſect.*10.Nominalium Sententiam explicat, & ad bonum, atque communem ſenſum conatur reducere.

Concluſio eſt. Datur Vniuerſale in eſſendo,ſeù datur Natura Vniuerſalis,& pluribus communis.Ità *Ariſtot.*4. *Met.t.* 22.1.*Perih.* 5. 1.*Poſt.* 36. & *alibi paſſim; quem ſequuntur omnes Scholaſtici Philoſophi*, Contrà *Eraclitum*, *Cratyllum*, *& Epicureos relatos à D.Thoma opuſc.*55.

Probatur primò Concluſio: Auctoritate Philoſophi locis cit. præcipuè 1. *Perih.*5. vbi habet, *cùm rerum aliæ ſint Vniuerſales,aliæ particulares, Vniuerſale dico, quòd de pluribus aptum eſt prædicari, quale eſt Homo:ſingulare autem id, quod illam legem ſubire nequit,quale eſt Callias.*

Probatur ſecundò ratione: quia verè datur Natura vna, quæ pluribus indiuiduis competit, & eſt illis communis, ità vt de illis prædicetur, & poſſit prædicari,ſed hoc eſt, quod intelligimus nomine Vniuerſalis in eſſendo, ergo. Maior probatur in Natura humana,quę eſt nobis magis cognita, & familiaris, hæc enim eſt vna ſpecie in omnibus ſingularibus,in Petro,Paulo, & cæteris, & eſt illis communis, quia in ijs verè reperitur,quilibet enim verè habet Naturam humanam,& hæc de illis verè prædicatur valet enim dicere, Petrus eſt homo, Paulus eſt homo,ergo.

Probatur tertiò à poſteriori,& ex abſurdo,quod ſequitur negato Vniuerſali, quia nimirum ablato Vniuerſali, tollerentur omnes Scientiæ, quod eſſe abſurdum, nemo dubitat, ergo. Sequela Maioris probatur,quia de ſingularibus, vtpotè infinitis propemodum, & innumerabilibus non eſt Scientia, ergo in ſolis Vniuerſalibus Scientiæ conſeruantur;ideòque *Ariſt.* 3. *Met. t.*20. loquens de principijs, quæ contendit eſſe Vniuerſalia, habet. *Quod ſi Vniuerſalia non ſint,ſed vt ipſa ſingularia, non erunt ſcibilia; ipſius enim Vniuerſalis, omnium Scientiæ ſunt.*

Obijcies primò: *Ariſtot.* 1. *Poſt.t.*149. vbi habet, *Species valeant, figmenta enim ſunt,& ſi ſunt,nihil ad ſermonem ſunt.* Sed nomine ſpecierum ipſa Vniuerſalia intelliguntur, ergo ſecundùm Ariſtotelem non dantur Vniuerſalia.

Reſpondeo: Ariſt.ibi nomine ſpecierum intelligere Vniuerſale, quale conceſſerat Plato,nempè Formas,& Ideas à rebus ipſis realiter ſeparatas, non Vniuerſale ſimpliciter, & in bono ſenſu acceptum, quod deindè etiam ſub nomine,& vocabulo ſpecierum clarè admittit 3.*Met.t.*18. vbi habet; *Species neceſſe eſt,eſſe.*

Obijcies ſecundò: ſi daretur Vniuerſale in eſſendo, & in rebus, tollerentur omnes Scientiæ, hæ enim ſunt de Vniuerſalibus, quæ certo loco, & tempore non definiuntur,qualia ſunt Vniuerſalia in vocibus,& in ſignificando,non Vniuerſalia in rebus,& in eſſendo, res enim certo loco, & tempore definiuntur, ergo, vel non datur Vniuerſale, vel datur ſolùm Vniuerſale in Vocibus, & in ſignificando.

Reſpondeo. Vniuerſale in eſſendo certo loco,& tempore definiri per accidens, & ratione ſingularium, in quibus reperitur; de ſe verò Naturam Vniuerſalem à certo loco, & tempore omninò præſcindere,ideòque *Ariſt.Met.t.*12.ſingularia appellat ſenſibilia, Vniuerſalia verò intelligibilia; intelligibilia præſcindunt à loco,& tempore, quibus tamen affixa ſunt ſenſibilia.

Obijcies tertiò. Implicare videtur aliquid eſſe vnum, & multis commune; quod enim eſt multis commune,multiplicatur in illis, at vnitati nihil magis opponitur, quàm multiplicatio, hæc enim eſt diuiſio,Vnitas eſt indiuiſio, ergo Vniuerſale videtur in ipſis terminis implicare,& contradictoria inuoluere.

Confirmatur,quia quicquid eſt in rerum Natura, ſingulare eſt, nihil enim poteſt exiſtere,quod ſignari, & demonſtrari non poſſit in ipſis ſingularibus, ergo nihil eſt Vniuerſale; ſingulare enim, & Vniuerſale opponuntur contradictoriè,

riè, ſingulare enim conuenit vni, & non multis, Vniuerſale conuenit multis, & non vni, ergo.

Reſpondeo: implicare aliquid eſſe vnum vnitate numerica, ſeù indiuiduali, & eſſe multis commune; at nullam eſſe implicantiam, ponere Naturam vnã vnitate ſpecifica, ſeù formali, & eam eſſe multis communem indiuiduis, benè enim poteſt Natura eſſe vna formaliter, ſeù indiuiſa ſpecificè, & eſſe multiplex, ſeù diuiſa numericè, & indiuidualiter;

Ad Confirmationem dico: eo argumento probari non dari Vniuerſale ſeparatum à ſingularibus, vt volebat Plato, non probari ſimpliciter Vniuerſale non dari in ipſis ſingularibus incluſum, quod eſt Vniuerſale admiſſum in Scholis.

Obijcies quartò: ſi daretur Natura Vniuerſalis, ſequerentur duo abſurda; & quòd vna Natura reperiretur in pluribus locis, & quod destructo vno indiuiduo, putà destructo Petro, destruerentur omnia indiuidua; nam eadem vna Natura reperitur in omnibus indiuiduis exiſtentibus in diuerſis, & diſtantibus locis, ergo iam vna Natura in pluribus locis reperiretur; prætereà iſta indiuidua eſſent idem inter ſe, quia eſſent idem in Natura illis communi; quæ enim ſunt idẽ in vno tertio, ſunt eadem inter ſe, & conſequenter vno indiuiduo destructo, omnia ſimul destruerentur, quòd eſt apertè falſum, & contrà experientiam.

Reſpondetur: nullum eſſe abſurdum, quòd ſicuti eadem, & vna Natura formaliter, ſeù ſpecificè reperitur in pluribus indiuiduis, ità quoque in pluribus, & diſtinctis locis reperiatur; abſurdum eſſet, ſi vna, & eadem Natura numericè reperiretur in pluribus, & diſtinctis locis. Similiter & ad aliud abſurdum dico, non Vniuerſalia, ſed ſingularia, ſeù ſenſibilia corrumpi, & deſtrui; quando ergo corrumpitur, ſeù deſtruitur aliquod indiuiduum, & ſingulare à parte rei, nõ deſtruitur Natura Vniuerſalis, quæ in illo reperitur; Porrò vnum indiuiduum eſt quid vnum cum alio nõ ſimpliciter, & in ratione indiuiduali, ſed ſecundum quid, & in ratione Vniuerſali, ſeù ſpecifica, quæ nunquam deſtruitur, ideòque Vniuerſale ab *Ariſt. 3. Met. t. 12.* appellatur immobile, & ſempiternum.

Ad illud axioma, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, dico, eſſe intelligendum de ijs, quæ ſunt eadem vni tertio adæquatè, & ſimpliciter, non de ijs, quæ ſunt eadem vni tertio inadæquatè, & ſecũdum quid; vnum indiuiduum non eſt idem ſimpliciter, & adæquatè in Natura Vniuerſali, ſed inadæquatè, & ſecundum quid; indiuiduum enim ſuprà Naturam Vniuerſalem addit differentiam numericam, & indiuidualẽ à Natura Vniuerſali omninò diſtinctam atque diuerſam.

LECTIO III.

An Natura Vniuerſalis ſit à parte rei ſeparata à ſingularibus.

PRobauimus iam dari Naturam Vniuerſalem ex communi omnium Philoſophorum conceptu, & ſenſu; videamus modò, an talis Natura Vniuerſalis ſit ſeparata à ſingularibus, & extrà ſingularia, an verò ſit in ipſis ſingularibus incluſa, & cùm illis coniuncta.

Præmitto igitur. Celebrem, & famoſam fuiſſe olim Sententiam Platonis, dari à parte rei Naturas Vniuerſales à ſingularibus ſeparatas, atque ſeiunctas, ingenerabiles, incorruptibiles, per ſe exiſtentes, & omnis materiæ expertes, quas & Ideas appellauit Plato; putauit enim dari, verbi gratia, Naturam humanam ſeparatam ab omnibus indiuiduis, & ſingularibus, quę tamen eandem Naturam participarent, & per partes ſibi diuiderent, atque acciperent. Fuſiſſimè in hanc Sententiam inuehitur Ariſtoteles varijs ſuæ doctrinæ locis; & ſanè nullus Philoſophorum eſt, qui Platonis Sententiam vſque ad faſtidium non impugnet, & derideat; Nonnulli Platonis verba ad bonũ ſẽſũ trahũt, quòd nimirũ ſit locutus de Idæis rerum exiſtentibus in mente Diuina, alij aliter Platonem explicant, vel excuſant.

Præmitto ſecundò: nuper à *Petro Fonſeca 5. Met. quæſt. 3. ſect. 2.* excogitata fuit alia Sententia, quæ relatæ Sententię Platonis eſt valdè ſimilis, & affinis; vult enim Naturam in ſtatu poſſibilitatis, quando ſcilicèt nondum actu exiſtit, ſed poteſt exiſtere, habere quandam Vnitatem, quam ipſe appellat Præciſionis, quia

quia nimirum conuenit Naturæ ſumptæ præciſè ſecundum ſui eſſentiam, antequam exiſtat in indiuiduis, quam Vnitatem putat ſufficere ad hoc, vt talis Natura ſit Vniuerſalis: ſupponit autem Naturam poſſe in triplici ſtatu cõſiderari; nimirùm in ſtatu exiſtentiæ Obiectiuæ, quando, ſcilicet obijcitur Intellectui: in ſtatu exiſtentiæ realis, quando realiter exiſtit à parte rei; denique in ſtatu poſſibilitatis, quando conſideratur præciſè, prout eſt poſſibilis, ſed prout habet ſolùm eſſentiam, vel prædicata ſui eſſentialia: in hoc tertio ſtatu docet eam Naturam eſſe Vniuerſalem.

Concluſio prima ſit. Non datur Natura Vniuerſalis realiter ab indiuiduis ſeparata.

Probatur Concluſio: quia Natura eſt realiter identificata cùm indiuiduis, ergo non poteſt ab illis realiter ſeparari; idem enim non poteſt realiter ſeparari à ſeipſo: Antecedens probatur; quia Natura humana, verbi gratia, eſt eſſentialiter, & realiter identificata cum Petro, Paulo, & cęteris indiuiduis, Petrus enim, & Paulus ſunt realiter, & eſſentialiter Homines, ergo Natura humana eſt cùm illis realiter identificata.

Concluſio ſecunda. Natura etiam in ſtatu poſſibilitatis, & præciſiuè ſumpta ſecundum ſua prædicata eſſentialia, non eſt Vniuerſalis.

Probatur quia. Natura eſt realiter identificata cùm indiuiduis, vt probauimus iam, ergo in quocunque ſtatu conſideretur, non eſt ſinè indiuiduis, ergo nón poteſt dici Vniuerſalis in ſtatu poſſibilitatis, antequam ſit in indiuiduis, quia adhùc in illo ſtatu habet indiuidua, non quidem actu exiſtentia, ſed poſſibilia, ideò non poteſt dici Vniuerſalis, ſed ſingularis etiam in illo ſtatu.

Obijcies primò: Scientia non poteſt eſſe, niſi de neceſſarijs, & incorruptibilibus, ſed omnia præter Idæas, ſunt corruptibilia, & contingentia, quia poſſunt exiſtere, & non exiſtere, imò & de facto corrũpuntur, omnia enim præter Idæas, ſunt ſingularia, quæ ſola ſubiacent corruptioni, ergo.

Reſpondeo: Scientias eſſe de neceſſarijs & incorruptibilibus quò ad Eſſentias, ſeu quò ad prædicata eſſentialia, & quidditatiua; Cæterum etiam ſingularia quò ad eorum Eſſentias, & eorum prædicata quidditatiua incorruptibilia ſunt, eſto quòd corrumpantur quò ad exiſtentiam, quam deperdunt, & acquirũt.

Obijcies ſecundò: ſi Vniuerſalia non eſſet realiter ſeparata à ſingularibus, ſequeretur, quòd quando ſit Vniuerſale per Intellectum ſeparantem à ſingularibus Naturas, fieret Vniuerſale per conceptum falſum, conciperet enim Intellectus Naturas ſeparatas, quæ realiter ſeparatæ non ſunt, ergo iam Vniuerſale fieret per falſum conceptum, quòd eſſet idem, ac dicere, verè non dari Vniuerſale.

Reſpondeo. Intellectum facere Naturam Vniuerſalem, concipiendo Naturam non-conceptis ſingularibus, ſed non iudicat, eam Naturam eſſe realiter ſeparatam à ſingularibus, & ideò non format falſum conceptum, aut vllum mendacium committit, abſtrahentium enim non eſt mendacium.

Obijcies tertiò pro Fonſeca. Natura, antequam ſit in ſingularibus ſecundùm ſua prædicata eſſentialia non eſt ſingularis, & vna numero, quia caret differentijs numericis, & indiuidualibus, ergo eſt Vniuerſalis, & vna vnitate formali, quæ eſt multis communis.

Reſpondeo: Naturam in eo ſtatu carere quidem differentijs numericis actu exiſtentibus, ſed non carere differentijs numericis poſſibilibus, ſicuti enim Natura ſumitur in ſtatu poſſibilitatis, ità ponitur habere indiuidua poſſibilia, à quibus actu diuiditur illa Natura diuiſione poſſibili, & ideò nõ eſt vna vnitate formali, & multis communi: & ratio eſt, quia Natura eſt realiter identificata cùm indiuiduis, ergo in quocumque ſtatu ponatur ſemper habet indiuidua proportionata ſtatui, in quo ponitur Natura; & ità quando eſt in ſtatu actualis exiſtentiæ, habet indiuidua actu exiſtentia, quando eſt in ſtatu poſſibilitatis, habet indiuidua poſſibilia.

Maneat ergo, non dari Naturam Vniuerſalem, nec extrà ſingularia in Idæis Platonis, nec antè ſingularia in ſtatu poſſibilitatis, vt voluit Fonſeca, ſed eſſe incluſam in ipſis ſingularibus.

LECTIO IV.

An Natura ſit Vniuerſalis à parte rei, vel per Operationem Intellectus.

PRæmitto:non omnes illi,qui admittunt Naturam Vniuerſalem incluſam in ipſis ſingularibus, conuenire in eo,quòd Natura ſit Vniuerſalis per operationem noſtri Intellectus, & quomodo. Qua in re tres inuenio Sententias omninò diuerſas; nam aliqui volunt, Naturam eſſe totaliter, & adæquatè Vniuerſalem ſolo beneficio Intellectus, ità inſinuat in prima Quæſtione Proæmiali Porphyrius; alij volunt Naturam eſſe Vniuerſalem totaliter, & adæquatè à parte rei,non concurrente Intellectus noſtri operatione, alij demum volunt Vniuerſale eſſe partim in Intellectu, & partim in rebus ipſis

Præmitto ſecũdò: in Natura Vniuerſali diſtinguenda eſſe duo, nimirũ ipſam naturã, & *V*niuerſalitatẽ. Naturã ſe habere veluti materialiter,& tãquã ſubiectũ;Vniuerſalitatẽ verò ſe habere,vt formã Idem eſt,quod alij dicunt,aliud eſſe *V*niuerſale fundamentaliter . & id eſſe ipſam Naturam, quæ eſt à parte rei, & aliud eſſe Vniuerſale formaliter, & id eſſe per Intellectum;ſimili modo loquũtur alij, dum dicunt Vniuerſale in potentia,& aptitudine eſſe à parte rei,actu verò non niſi in mente,quia Natura potens eſt,& apta, vt fiat Vniuerſalis, actu autem fit Vniuerſalis ab Intellectu.

Concluſio mea eſt. Vniuerſale actu, & formaliter eſt opere, & beneficio Intellectus.Eſt communis Sententia, quã defendunt, *D. Thomas Opuſc.* 55. *&* 59. *& part.*1.*quæſt.*85. *art.*1. *part.*2. *quæſt.*29. *art.*6.*Dur.in* 1.*diſt.*3.*quæſt.*5 *& in* 2. *diſt.* 3.*quæſt.*7.*AEgid.in Prol.qu.*2.*& in* 1.*diſt.* 19.*quæſt.*2.*Caietanus de Ente, & Eſſentia cap.*6. *&* 7. *Sotus quæſt.*2.*Vniuerſ. Delle Reès Comm. in Vniuerſ. art.*5.§.1. *Auerſa quæſt.*8.*Vniuerſ.ſect.*3. & alij plures tùm Antiqui, tùm Recentiores cõmuniter.

Probatur Concluſio mea primò, Auctoritate *Ariſt.*1.*de Anima t.*8.vbi habet, *Vniuerſale,aut nihil eſt,aut poſterius eſt ipſis ſingularibus*;poſterius autem eſt Vniuerſale ſingularibus,quatenùs fit Vniuerſalis Natura per abſtractionem à ſingularibus, à differentijs indiuiduantibus opere Intellectus.

Probatur ſecundò: quia Vniuerſale formaliter dicit duo, Vnitatem, & aptitudinem Naturę ad eſſendum in multis, vt patet ex definitione Vniuerſalis ſuprà tradita,& explicata;ſed Natura non habet talem vnitatem, & aptitudinem, niſi beneficio, & opere Intellectus abſtrahentis Naturam ab indiuiduis,ergo. Minor probatur quia,Natura prout eſt à parte rei eſt vna numero, & indiuidualiter multiplicata, & diuiſa in multis,ergo non habet vnitatem,& aptitudinem ad eſſendum in multis.

Obijcies primò.Ex *Ariſt.*1. *Perihe.*5. res aliæ ſunt ſingulares, aliæ Vniuerſales,quæ diuiſio non ſubſiſtit, ſi omnia, quæ ſunt à parte rei, ſunt ſingularia, & non dantur res ipſæ, quæ ſint Vniuerſales

Reſpondeo: Ariſt. eſſe locutum de Vniuerſali fundamentaliter accepto, non formaliter ſumpto; vel etiam dico, optimè ſubſiſtere allatam diuiſionem,ſi eam intelligamus de rebus non quidem exiſtentibus eodem ſtatu, & à parte rei, ſed de rebus,quarum aliquę ſint in ſtatu reali, & à parte rei, cuiuſmodi ſunt ſingularia,& alię ſint in ſtatu obiectiuo,ſeù in intellectu,& huiuſmodi ſunt Vniuerſalia.

Obijcies ſecundò:ſingulare totum,& adæquatè eſt à parte rei, ergo etiam Vniuerſale totũ,& adæquatè eſt à parte rei,tenet conſequentia, quia ſingulare,& Vniuerſale opponuntur,oppoſitorum autem eadem eſt ratio.

Reſpondeo negando conſequẽtiam, neque enim ſemper,& in omnibus contrariorum, ſeù oppoſitorum eadem eſt ratio,imò potiùs contrariorum rationes eſſentiales ſunt omninò diuerſæ, & oppoſitæ, ſic certè maximè opponuntur Ens reale, & Ens rationis, eodem modo opponuntur ſingulare, & Vniuerſale formaliter acceptum . Scio illud axioma, oppoſitorum eadem eſt ratio, frequenter in Scholis vſurpari, tãquam ab Ariſtotele pronunciatum, ſed ſanè ego in textu Ariſtotelico tale axioma non inueni, ſed ſolùm, contrariorum eandem eſſe Scientiam, in *Problem.ſect.* 31.*t.*20.*& t.*10.*&* 4.*Met.*4.vnius eſt oppoſita ſpeculari, vel ad ſummum,oppoſitorum eandem eſſe rationem diſciplinæ,quod in idem recidit; vult enim Philoſophus Scientiam eandem tractare

re de oppoſitis, Phyſicam tractare de Loco, & de Vacuo, Metaphyſicam de Ente reali, & de Ente rationis; de Ente, & de Priuatione.

Obijcies tertiò: multa de Vniuerſali dicuntur, quæ verificari non poſſunt de illo, vt fit ob Intellectu, ergo debet dari Vniuerſale à parte rei, & abſq; opere Intellectus. Antecedēs probatur, quia de Vniuerſali dicitur, eſſe intrinſecè in ſingularibus, conſtituere intrinſecè ſingularia, & huiuſmodi, quæ verificari nō poſſunt de Vniuerſali, prout eſt in Intellectu.

Reſpondeo has, & ſimiles aliàs propoſitiones verificari de ipſa Natura, quæ dicitur eſſe Vniuerſalis, non de ipſa Vniuerſalitate formaliter accepta, quæ habetur beneficio Intellectus, ideò non ſequitur eſſe concedendum Vniuerſale à parte rei.

LECTIO V.

Præmittitur Doctrina Generalis de Abſtractione, Vnitate, & Aptitudine Naturæ ad eſſendum in multis.

VT tàm ea, quæ hucùſque ſunt dicta de Vniuerſali Peripathetico, & cōmuniter admiſſo in Scholis, quàm ea, quæ dicenda ſunt in ſequenti Lectione de Vnitate formali Scotiſtarum, intelligantur & meliùs, & faciliùs; præmittere oportet generalem Doctrinam de Abſtractione, quæ fit per Intellectum conficientem Vniuerſale, & de Vnitate, ac aptitudine Naturæ Vniuerſalis ad eſſendum in multis.

Quò ad Abſtractionem.

Præmitto igitur primò: Abſtractionē Intellectus nihil aliud eſſe, quàm ſeparationem, ſicuti enim à parte rei vna res realiter ab altera ſeparatur, quamuis cæteróqui vnitæ ſint inter ſe, ità etiam per Intellectum ſæpè fit, vt duo inter ſe non modo vnita, ſed etiam identificata, diuidantur, & ſeparentur, quòd ſanè, tūc accidit, quando Intellectus vnum conſiderat, alio non conſiderato, nam vnum conſiderare, alio nō conſiderato, eſt per Intellectum ſeparare, ſeù abſtrahere, ſeù præſcindere, ſic Intellectus conſiderans Naturam humanam, non conſiderato Petro, verbi gratia, cum quo Natura humana eſt identificata dicitur abſtrahere, ſeù præſcindere Naturam humanam à Petro.

Præmitto ſecundò: Abſtractionem, ſeù Præciſionem adhùc duplicem eſſe; nam alia eſt præciſio perfecta, alia imperfecta; Præciſio perfecta eſt, quando Intellectus concipit vnum non cōcepto alio nullo modo, nec implicitè, nec explicitè, verbi gratia, cùm concipitur Animal, nullo modo, nec implicitè, nec explicitè concepto rationali; è contrà præciſio imperfecta fit, cùm Intellectus concipit vnum, non concepto alio explicitè, implicitè tamen etiam illud concipitur, ità cum concipitur Ens, explicitè non concipiuntur Subſtantia, aut Accidens, ſed tamen implicitè etiam Subſtantia, & Accidens concipiuntur. Abſtractio, & præciſio perfecta dicitur abſtractio, & præciſio Obiectiua, abſtractio imperfecta, dicitur abſtractio, & præciſio formalis. Ità ſuppono ex dicendis in Metaphyſica, quia celebris eſt Controuerſia inter Auctores, an verè admittenda ſit huiuſmodi Obiectiua præciſio; quam Controuerſiam in præſenti non eſt locus examinare.

Præmitto tertiò: ex hac duplici præciſione oriri duplicem Vnitatem in Natura præciſa, nempè Vnitatem perfectam, & Vnitatem imperfectam; Vnitas perfecta habetur per præciſionem perfectam, & Obiectiuam. Vnitas imperfecta habetur per præciſionem imperfectam, & formalem. Et ratio eſt, quia illa eſt Vnitas perfecta, quæ omnimodo excludit pluralitatem, & multitudinem illi oppoſitam: imperfecta verò Vnitas illa eſt, quæ aliqualem multitudinem, & pluralitatem admittit; ſed quando Natura eſt præciſa Obiectiuè, & perfectè ab indiuiduis, explicitè, & implicitè excludit multitudinem, & dualitatem, ideò tunc, & in eo caſu habet perfectam Vnitatem; quandò verò Natura eſt imperfectè, & formaliter præciſa, includit ſaltem implicitè pluralitatem, & multitudinem, ideò non habet Vnitatem, niſi valdè imperfectam.

Quòad Vnitatem Naturæ.

Præmitto primò: vnum apud Philoſophos illud dici, quod eſt indiuiſū in ſe, & diuiſum à quolibet alio, verbi gratia, Petrus dicitur vnus, quia indiuiſus

eſt in ſe,& diuiſus à quolibet alio, quod non eſt Petrus:è contrà verò Petrus, & Paulus non ſunt vnus,quia non ſunt indiuiſi in ſe,ſed potiùs diuiſi, & ſeparati, vt patet.

Quia ergo vnum eſt indiuiſum in ſe,& diuiſum à quolibet alio,indè fit, vt vnitas ſit indiuiſio in ſe, & diuiſio à quolibet alio,vnitas enim, & vnum cõparantur ad inuicem,vt abſtractum, & concretum. Porrò indiuiſio nihil aliud eſt, quàm negatio diuiſionis; & quia multæ, & diuerſæ ſunt diuiſiones, ità multæ,& diuerſæ ſunt negationes,negatio enim multiplicatur, & diuerſificatur iuxtà multiplicationem, & diuerſitatem formarum,quarum eſt negatio.

Præmitto ſecundò: Vnitatem eſſe duplicis generis, nempè Vnitatem Eſſentialem,ſeù formalem, & Vnitatem materialem, ſeù indiuidualem, ſeù numericam. Vnitas eſſentialis, ſeù formalis eſt negatio diuiſionis eſſentialis, ſeù formalis. Vnitas numerica, ſeù indiuidualis eſt negatio diuiſionis indiuidualis,ſeù numericæ. Iterum Vnitas eſſentialis,ſeù formalis eſt duplex,nimirùm Vnitas formalis generica,& vnitas formalis ſpecifica. Vnitas formalis generica eſt negatio diuiſionis formalis genericæ;Vnitas formalis ſpecifica eſt negatio diuiſionis formalis ſpecificæ.

Illa ergo,quæ à parte rei non habent diuiſionem formalem genericam; imò vnã habẽt Naturam genericã ſunt vnũ genere,ità Homo, & Brutum sũt vnum genere,quia Natura generica Animalis vna eſt in illis,at Homo, & Lapis non ſunt vnum genere,quia non eſt illis vna Natura generica. Petrus verò,& Paulus ſunt vnum ſpecie,quia Natura ſpecifica Hominis vna eſt in illis, non enim habent diuiſionem ſpecificam. Petrus,& Bucephalus non ſunt vnum ſpecie,quia non eſt in illis vna Natura ſpecifica. Denique Petrus eſt vnus numero, & indiuidualiter,quia non habet diuiſionem indiuidualem;& numericam; at Petrus, & Paulus non ſunt quid vnum numero, quia non eſt in illis vna numero, & indiuidua Natura.

Præmitto tertiò: has diuiſiones fieri, & cauſari per varias differentias diuidentes, quarum aliæ ſunt eſſentiales,ſeù formales;aliæ ſunt materiales, numericæ,ſeù indiuiduales;iterum formales,ſeù eſſentiales, aliæ ſunt genericæ, aliæ ſpecificæ. Differentiæ igitur eſſentiales genericæ ſunt illæ, quæ diuidũt Genus ſupremum, & conſtituunt ſpeciem, tales ſunt Corporeum, & Incorporeum, hæ enim diuidunt viuens, & conſtituunt aliud viuens corporeum, quod eſt Homo,& aliud viuens Incorporeum, quod eſt Angelus. Differentiæ formales ſpecificæ diuidunt genus infimum, & conſtituunt ſpeciem vltimam, ſeù atomam, ità ſunt Rationale, & Irrationale, quæ diuidunt Animal,& conſtituunt Hominem, & Brutum. Denique Differentiæ numericæ,ſeù indiuiduales ſunt illæ,quę diuidunt ſpeciem,& conſtituunt indiuiduum, ità ſunt Petreitas, & Pauleitas, quæ diuidunt Hominem, & conſtituunt Petrum,& Paulum.

Præmitto quartò, quòd ſi tres illæ vnitates inuicem comparentur, ità ſe habent, vt vnitas generica ſit omnium minima,vnitas numerica ſit omnium maxima, & vnitas ſpecifica ſit partim maior, partim minor; maior quidem generica, minor numerica. Ratio eſt, quia illa Vnitas dicitur maior, vel minor,quæ minùs,vel magis participat de ſuo contrario, nimirum de diuiſione; at Vnitas numerica nullam prorſus admittit diuiſionem, ideò eſt omnium maxima. Vnitas generica admittit duas diuiſiones, nempè diuiſionem ſpecificã, & diuiſionem numericam, quod enim eſt vnum genere eſt diuiſibile in plures ſpecies,& in plura indiuidua; Denique Vnitas ſpecifica, eſt maior generica, quia vnam tãtum admittit diuiſionem; eſt minor numerica, quia hæc nullam prorſus diuiſionem admittit.

Quò ad aptitudinem Naturæ ad eſſendum in multis.

Præmitto: duplicem aptitudinem poſſe cõſiderari in Natura ad eſſendum in multis;vnam poſitiuam, aliam negatiuam, ſcilicet non repugnantiam, ſeù negationẽ repugnantiæ ad eſſendum in multis; Natura à parte rei, licèt non habeat aptitudinem poſitiuam, habet tamen non repugnantiam; at meliùs loquuntur alij,præſertim *Scotus in 4. d. 3. quæſt.1.* vbi ponit duplicem aptitudinẽ, vnam proximam,aliam remotam; proximam eſſe potentiam liberam,& expeditam,nulloque impedimento affectam: remotam eſſe potentiam impeditam,

quæ

Digitized by Google

quæ ſublato impedimento reducitur ad actum. Natura habet à parte rei aptitudinem remotam, ſeù potentiam impeditam à ſingularitate, nè poſſit eſſe in multis, quando autem per operationem Intellectus abſtrahitur, & à ſingularitate denudatur, tunc impedimento ſublato, eſt in potentia proxima, ſeũ eſt proximè apta ad eſſendum in pluribus.

LECTIO VI.

An detur à parte rei Vnitas minor Vnitate numerali?

NOmine Vnitatis, quæ ſit minor Vnitate numerali, venit Vnitas formalis, ſeù ſpecifica, vt iam ex dictis patet. Et quidem, quòd in vnoquoque indiuiduo, ſicuti datur Natura vna numero, & indiuidualiter, detur quoque Natura vna ſpecie, & formaliter admittunt Thomiſtæ, & Recentiores communiter, *Caietan. de Ente, & Eſſentia quæſt. 6. Suarez diſp. 6. Met. ſect. 1. & alij quos refert Auerſ. quæſt. 8. ſect. 6. Ruuius quæſt. 3. Vniu. num.* 43. Sed an iſta Vnitas formalis, & ſpecifica, quæ eſt in vno Indiuiduo, ſit communis alijs indiuiduis, celebris eſt Controuerſia inter Scotum, eiuſque Diſcipulos ex vna parte, & Thomiſtas, ac etiam Recentiores ex altera.

Concluſio mea eſt. Præter Vnitatem numericam, quæ eſt in quolibet indiuiduo Naturæ Humanæ, verbi gratia, datur etiam à parte rei, & nullo Intellectu cogitante Vnitas formalis, & ſpecifica alijs indiuiduis communis. *Ità Scotus 7. quæſt. 16. & in 2. diſt. 3. quæſt. 2. quem ſequuntur Lychetus, & alij ibidem Ant. Andr. 1. Met. quæſt. 1. & lib. 7. quæſt. 16. Ant. Tromb. quæſt.* 38. *Met. Io. Monrolius diſp. de Vniuerſ. cap. 5. & 6. Rada t. 2. Controuer. 3. art. 1. Michael Francus tom. 1. part. 1. ſuæ Philoſ. quæſt. 3. §. 3. num.* 32. Contrà *Thomiſtas, & omnes illos Recentiores, qui putant gradus Metaphyſicos non diſtingui inter ſe formaliter, & ex Natura rei; præcipuè verò eſt contrà Ruuium loco ſupracitato num. 45. Concl. 1. Auerſam vbi ſupra, Dico ſecundo, & alios.*

Probatur Concluſio primò: quia à parte rei, & nullo Intellectu cogitante datur Natura humana, verbi gratia, quæ eſt indiuiſa formaliter, & ſpecificè, ergo eſt vna formaliter, & ſpecificè; tenet cõſequentia quia, eam Naturam eſſe vnam formaliter, & eſſe indiuiſam formaliter idem ſunt; Antecedens verò probatur quia; ea Natura à parte rei habet negationem diuiſionis formalis, quia caret differentijs formalibus, & ſpecificis, à quibus diuidatur, ergo eſt indiuiſa formaliter, & ſpecificè in omnibus indiuiduis Naturæ humanæ, & conſequenter eſt vna formaliter, nam per *Ariſt. 5. Met. t.* 11. Vniuerſaliter, quæ non habent diuiſionem, quatenus non habent, catenùs vnum ſunt.

Confirmatur quia: Natura Animalis, quæ reperitur in Hominibus, & Brutis, eſt vna genericè, quia eſt indiuiſa genericè, non enim habet differentias genericas, à quibus diuidatur, vt patet, ità & Natura humana eſt vna ſpecificè, ſeù formaliter, quia indiuiſa ſpecificè, & formaliter; vndè ſicuti Homo, & Brutum ſunt vnum genere, cuiuſmodi non ſunt Homo, & Lapis, ità Petrus, & Paulus ſunt vnum ſpecie, quo modo non ſunt vnum Petrus & Bucephalus.

Hoc argumento conuicti olim celebres Thomiſtæ *Cap. in 3. d. 5. qu. 3. art. 3. Sonc. q. 40. lib. 7. Met. & alij quos refert Michael Francus loco cit.* admittũt Vnitatem formalem non quidem actualem; ſed potentialem in Natura ſpecifica, antequam contrahatur, & deſcendat ad indiuidua.

Sed contrà eſt, quia ſi Natura antequam deſcẽdat ad indiuidua habet Vnitatem formalem potentialem, ergo quando actu eſt in indiuiduis, habet Vnitatem formalẽ actualem, nihil enim aliud requiritur ad hoc, vt illa Vnitas ſit actualis, niſi quòd Natura actu reperiatur in indiuiduis: Præterea omnia argumenta, quæ à Thomiſtis vrgentur contrà Scotiſtas admittentes Vnitatem formalem, æquè impugnant Vnitatem formalem actualẽm, ac Vnitatem formalem potentialem, ergo veri Thomiſtæ, vel vtramque Vnitatem negare debent, vel dare manus, & vtramque Vnitatem cùm Scoto admittere.

Eodem argumento conuictus *Caieta. in Opuſculo de Ente, & Eſſentia cap. 4. q. 6.* & alij Recentiores, admittunt Vnitatem formalem negatiuam, quæ habetur præciſè ex eo, quòd Natura ſpecifica non habet differentias ſpecificas, à quibus

bus diuidatur, ſed nolunt admittere Vnitatem poſitiuam.

Sed contrà eſt: quia ſufficit ad Vnitatem formalem, quam aſſeruit Scotus, & *eſſe ego defendo, eam Vnitatem* negatiuam, quia verè Vnitas in negatione conſiſtit, & non in aliquo prædicato poſitiuo, vt eſt certum apud omnes, ergo hi, qui Vnitatem formalē negatiuā admittūt, cùm Scoto ſentiunt, licèt apertè non ſe explicent; his Authoribus incipientibus iam lucem, veritatis apprehendere, apto illud Euangelij Io. 12. adhùc modicū lumē in vobis eſt ambulate, dū lucem habetis, & ex Vnitate formali potentiali, vel negatiua, quam conceditis, vlteriùs progredientes admittite ſimpliciter, & abſque vllo ſcrupulo Vnitatem formalē Scotiſtarum, Sed iam his reſponſionibus omiſſis.

Probatur ſecundò Concluſio mea, quia duo indiuidua Naturæ humanæ, verbi gratia, magis conueniunt, & magis ſunt inter ſe ſimilia, quàm duo indiuidua diuerſarum Naturarum, magis conueniunt *Petrus*, & Paulus, quàm Petrus, & Bucephalus, ſed iſta maior conuenientia non eſt fundata in vnitate generica, quia genericè loquendo æquè conueniunt Petrus, & Paulus, ac Petrus, & Bucephalus, non in Vnitate numerica, quia numericè loquendo, diuerſitatem æqualiter habent, & diſconuenientiam, ergo conuenientia iſta maior inter Petrum, & Paulum, quæ non eſt inter Petrum, & Bucephalum, fundata eſt in Vnitate formali, & ſpecifica, quia neceſſariò in aliqua Vnitate fundari debet.

Confirmatur; quia magis conueniūt Homo, & Brutum, quàm Homo, & Lapis, ideò in Homine, & Bruto eſt vna Natura generica, non ſic in Homine, & lapide, ità quia magis conueniunt *Petrus*, & *Paulus*, quàm *Petrus*, & Bucephalus, ideò in *Petro*, & *Paulo*, eſt vna Natura ſpecifica, non ſic in *Petro*, & Bucephalo.

Reſpōdebis, inter *Petrum*, & *Paulum* eſſe maiorem conuenientiam, & ſimilitudinem, quàm inter *Petrum*, & Bucephalum, ſed iſtam maiorem conuenientiam non arguere Vnitatem formalem in Natura humana, ſed ſolùm Vnitatem quandam ſimilitudinis.

Sed contrà eſt, quia Vnitas ſimilitudinis, propriè loquendo, eſt fundata in in vna ſpecie qualitate, nam per *Ariſtot. in Prædicam. cap. de ad aliquid*, & ex doctrina communiter recepta in Scholis, ſimilia ſunt illa, quorum vna eſt ſpecie qualitas, æqualia quorum vna eſt quantitas, eadem, quorum vna eſt Natura, ſeù Eſſentia; conuenientia igitur in Natura in rigore Scholaſtico nō eſt ſimilitudo, ſed identitas, ſeù formalis Vnitas, ſed *Petrus*, & *Paulus* magis conueniunt in Natura, & Eſſentia ſpecifica, quàm *Petrus*, & Bucephalus, ergo talis conuenientia eſt fundata in Vnitate formali, ſeù ſpecifica

Dices: magis conueniunt *Petrus*, & *Paulus* in ratione indiuidui, quàm *Petrus*, & Bucephalus, & tamen non ſequitur, quòd *Petrus*, & *Paulus* ſint vnum indiuidualiter, & numericè, ſeù quòd in ijs ſit Vnitas numerica communis vtrique, ergo licèt *Petrus*, & *Paulus* magis conueniant ſpecificè, quàm *Petrus*, & Bucephalus, non ſequitur, quòd in *Petro*, & *Paulo* ſit Vnitas formalis communis vtrique.

Reſpondeo; quòd in tantùm *Petrus*, & *Paulus* etiam in ratione indiuiduali magis conueniant, in quantum eorum ratio indiuidualis afficit eandem Naturam ſpecificam, ſed ſi Pauleitas, & *Petreitas* ſumantur præcisè à Natura humana, quàm afficiunt, & indiuiduāt, non vereor affirmare, non magis conuenire *Petrum*, & *Paulum* in ratione indiuiduali præcisè, & ſolitariè ſumpta, quàm *Petrum*, & Bucephalum.

Concluſio ſecunda: Natura, quæ à parte rei eſt vna formaliter, et ſpecificè, eſt diuiſa indiuidualiter, et numericè: *In hac Concluſione conueniunt vtriuſque Scholæ Philoſophi, Thomiſtæ, & Scotiſtæ communiter.*

Probatur Concluſio primò: quia implicat, quòd vna, et eadem Natura numero reperiatur indiuiſa numericè, et indiuidualiter in pluribus indiuiduis, hoc enim ſolùm competit Naturæ Diuinæ, quæ vna, et eadem numero prorsùs indiuiſa numericè, et indiuidualiter reperitur in tribus Diuinis *Perſonis*, ergo iam illa *Natura*, quæ eſt vna, et indiuiſa formaliter reperitur in pluribus indiuiduis numericè, et indiuidualiter diuiſa, verbi gratia, *Natura* humana, quæ ex dictis iam eſt vna, et indiuiſa formali-

ter

tet in Petro, et Paulo, eſt diuiſa numero, & indiuidualiter in Petro, & Paulo.

Replicabis: ſi Natura humana, verbi gratia, vna, & eadem indiuiſa formaliter, reperiretur in pluribus indiuiduis, iã in creatis daretur myſterium Sanctiſſimę Trinitatis, vbi vna, & eadem Natura reperitur indiuiſa in omnibus tribus Diuinis Perſonis, quòd videtur abſurdum.

Reſpondeo: hoc argumentum eſſe Ochami 1. *part. Log. cap.* 14. *quodlib.* 15. *quæſt.* 12. *& in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 4. & eo probabat Ochamus, non dari Vniuerſale in eſſendo, nempè Naturam vnam, multis communem, ſicuti eſt Natura Diuina, quæ vna cùm ſit, eſt tribus Diuinis Perſonis communis, ideò ſoluendum eſt æquè à Scoto, & à Thomiſtis. Dico igitur latam eſſe diſparitatem, quia Natura Diuina eſt vna numero, perſectiſſimè ſingularis, & reperitur in tribus Diuinis Perſonis; at Natura Vniuerſalis, ſiuè modò ſit Humana, ſiuè Equina, non eſt vna numero, & ſingularis, ſed vna ſpecie, & formaliter; atque adeò licèt ſit in multis ſpecificè, ac formaliter indiuiſa, eſt multiplicata, & diuiſa numericè.

Denique dico, non eſſe magnum abſurdum admittere in creatis aliquid ſimile myſterio Trinitatis, nam omnis creatura præcipuè verò Homo, eſt Imago, & Speculum Diuinitatis. Hinc D. Anſelm arguens contrà Nominales negantes Vniuerſale in Eſſendo vi facti argumenti ab *Ochamo lib. de Incarnat. Verbi cap.* 2. vocat illum, eiuſque Sectatores *Dialecticos Hæreticos, putantes, flatum vocis eſſe Vniuerſales ſubſtantias: ſi enim non adhùc intellexerunt plures Homines in ſpecie eſſe vnum Hominem, qualiter in illa Secretiſſimâ, & Altiſſima Natura comprehendent: quomodo plures Perſonæ, quarum ſingula eſt perfectus Deus, ſint vnus Deus.* Quibus verbis adſtruit D. Anſelmus Sententiam Scoti; & recognoſcit in Vniuerſali, Speciem aliquam, & ſimilitudinem myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis.

Probatur Concluſio ſecundò quia Natura humana, verbi gratia, à parte rei habet differentias numericas, & indiuiduales, à quibus numericè, & indiuidualiter diuiditur, ergo eſt numericè, & indiuidualiter diuiſa, nam per Petreitatem, & Pauleitatem diuiditur, & multiplicatur Natura humana in Petro, Paulo, cæteriſque indiuiduis, quæ proptereà dicuntur plures, & diuerſi Homines.

Colligite ex his; Naturam humanam, verbi gratia, à parte rei non eſſe dicendam indiuiſam; ſed diuiſam; quia licèt ſit indiuiſa formaliter, & diuiſa numericè, tamen quia, τὸ indiuiſa, eſt terminus negatiuus Vniuerſaliter diſtribuit, vndè ſenſus eſſet, Natura non habet vllam diuiſionem, neque numericam, quod eſt falſum, τὸ verò diuiſa, eſt terminus affirmatiuus, qui Vniuerſaliter non diſtribuit, vndè ſufficit, quòd Natura habeat vnam diuiſionem, ad hoc vt verificetur de illa, quòd ſit diuiſa, ſicuti reuerà illa Natura habet diuiſionem numericam, & indiuidualem.

LECTIO VII.

Diſſoluuntur Argumenta in Oppoſitum.

PLura, eaque magni momenti ſunt argumenta, quæ in Oppoſitum cõgerunt Thomiſtæ, & Recentiores; nos principaliora, ac difficiliora adducemus, & ſoluemus.

Obijciunt ergo primò: ſi in quolibet indiuiduo eſſet Natura vna formaliter, & alijs indiuiduis cõmunis, iam daretur Vniuerſale à parte rei, hoc eſt abſurdũ, ergo; ſequela maioris probatur; quia ad Vniuerſale nihil aliud requiritur, quàm Vnitas, & Communitas ad plura.

Reſpondeo primò: negata illa Vnitate formali à parte rei, è contrario ſequi Vniuerſale eſſe in nudo, & ſolo Intellectu, quia Natura eſſet vna per Intellectum, & ſimiliter eſſet communis pluribus per Intellectum, nam à parte rei nõ eſt Natura apta ad eſſendum in multis, ſed actu eſt in multis, tunc autem eſt apta ad eſſendum in multis quando eſt præciſa, & abſtracta per Intellectum ab indiuiduis, ergo iam Natura eſſet Vniuerſalis ſolo beneficio Intellectus; quòd æquè videtur abſurdum, ac admittere Vniuerſale totaliter, & adæquate à parte rei. Si enim Vnitas Vniuerſalis haberetur per ſolum Intellectum, ſeù per cognitionem, iam non eſſet Vniuerſale in eſſendo, ſed in repræſentando; eſſet enim Vniuerſale præciſè ex vi cognitionis, quæ

Digitized by Google

quæ eſt formalis repræſentantio plurium exiſtentium in Natura, & ex alia parte iſta cognitio eſſet vna, ergo iam Vniuerſale eſſet ſolùm tale in repræſentando, ſicuti Pictura, quæ eſt vna, & plura repræſentat, imò etiam ratio Analoga poſſet eſſe Vniuerſalis, nam vi cognitionis abſtraheret illa ratio à differentijs, quas proindè non includeret, & ideò eſſet perfectè vna Vnitate extrinſeca vi cognitionis, ergo iam ratio Analoga eſſet Vniuerſalis

Reſpondeo ſecundò: quòd, ſicuti, licèt Ens ab omnibus concedatur eſſe vnum, & commune pluribus ſpeciebus, negatur tamen eſſe Genus, quia non eſt vnũ Vnitate perfecta, ideſt, Vnitate vniuoca, quæ requiritur ad Genus, & ad Vniuerſale; ità quia in Natura à parte rei, licèt ſit reperire Vnitatem formalem, non tamen eſt reperire Vnitatem perfectam, & ſimpliciter, ideò talis Natura non eſt Vniuerſalis, quamuis vna formaliter, & multis communis; ideò autem talis Natura non eſt vna Vnitate perfecta, & ſimpliciter, quia ad hoc, vt Natura dicatur ſimpliciter vna, debet carere omni diuiſione, ſed Natura à parte rei, licèt cõcedatur carere diuiſione formali, & ſpecifica, habet tamen diuiſionem numericam, & indiuidualem, ideò non eſt perfectè, & ſimpliciter vna, quòd requiritur ad Vniuerſale: prætereà talis Natura, quandiù eſt à parte rei, non eſt proximè apta ad eſſendum in multis, quia eſt impedita à differentijs indiuidualibus, nè proximè ſit apta, ideò defectu huius proximæ aptitudinis, illa Natura formaliter vna, non eſt Vniuerſalis,

Obijciunt ſecundò: Natura formaliter vna eſt realiter identificata cùm ſeipſa, vt indiuidualiter vna, ſed vt indiuidualiter vna, non eſt communis multis, ergo neque vt formaliter vna.

Reſpondeo: me ſupponere ex dicẽdis in Metaphyſica, gradus Metaphyſicos diſtingui formaliter, & ex Natura rei, & ideò benè poſſe Naturam, vt formaliter vnam eſſe communem multis. Prætereà dico, ratione illius identificationis realis Naturam formaliter vnam non eſſe proximè communem multis, ſed remotè, obſiſtente ad id, & impediente differentia numerica, cùm qua eſt identificata illa Natura formalirer vna.

Obijciunt tertiò: Natura à parte rei, & realiter accepta, eſt Natura ſec ũdùm ſe, ſed Natura ſecundùm ſe non habet Vnitatem formalem, ergo.

Probatur Minor: quia ſi Natura ſecũdũ ſe, haberet Vnitatem formalem, iam Vnitas formalis eſſet illius Prædicatum eſſentiale, atque adeò illi repugnaret Vnitas numerica, & ſingularitas, nam vnum formaliter eſt commune multis, vnum numericè non eſt commune multis: commune multis, & non commune multis, ſunt contradictoria, atquè adeò non poſſunt vni, eidemq; rei competere, & conuenire; ergo Natura realiter, & à parte rei non eſt vna formaliter.

Reſpondeo: quòd Natura ſecundum ſe dupliciter accipitur, vel enim Natura ſecundum ſe, idem eſt, ac Natura ſecundùm ſua Prædicata eſſentialia, & quidditatiua, & ſic præciſiuè ſe habet, ideſt, præſcindit ab vtraque Vnitate, formali, & numerica, neutram includit, aut excludit; ſicuti Animal præciſiuè acceptũ, nec excludit, nec includit rationale, & irrationale: vel Natura ſecundum ſe, idẽ eſt ac Natura prout eſt à parte rei præciſo opere Intellectus, & ità bene dicitur, quòd habeat Vnitatem formalem; nulla autem eſt contradictio, & repugnantia in hoc, quòd vna, & eadem Natura ſecũdùm diuerſas rationes ſit communis multis, & non communis; nam ſecundùm quòd eſſet vna formaliter, eſſet comunis multis: ſecundùm quòd eſſet vna numero non eſſet multis communis; Simile quid reſpondere deberent Aduerſarij, ſi illis obijceretur, quòd dato Vniuerſali per Intellectum, eadem Natura eſſet cõmunis multis, & nõ eſſet cõmunis multis, eſſet communis multis prout vna formaliter per Intellectum, non eſſet communis multis, prout vna numericè à parte rei.

Obijciunt quartò: Differentiæ indiuiduales, et numericæ adueniunt Naturæ ſpecificæ, et formaliter vni, ergo illam formaliter diuidunt, ergo non remanet formaliter, et ſpecificè indiuiſa, et vna.

Reſpondeo: quòd ſicuti differentiæ genericæ aduenientes Naturæ communi, illam non diuidunt, niſi genericè, et differentiæ ſpecificæ diuidunt Naturam communem ſpecificè, et non alio genere diuiſionis, ità differentiæ numericæ, et indiuiduales non diuidunt Naturam ſpe-

ſpecificam, niſi numericè, & indiuidualiter, quia diuiſio numerica eſt proprius, & formalis effectus differentiæ numericæ, ſicuti proprius, & formalis effectus differentiæ genericæ, & ſpecificæ, eſt diuidere genericè, & ſpecificè.

Obijcies quintò: ſi Natura humana, verbi gratia, eſſet vna formaliter in omnibus indiuiduis, ſequeretur, quòd destructo Petro, deſtrueretur etiam Paulus, conſequens eſt omninò abſurdum, & contrà experientiam, ergo in vno indiuiduo non eſt Natura vna formaliter, & multis communis.

Reſpondeo, idem argumentum militare in Sententia communi admittẽte Vnitatem formalem Naturę beneficio Intellectus abſtrahentis Naturam ab indiuiduis; nam talis abſtractio non facit, quin Natura abſtracta ſit realiter eadem cùm vnoquoque indiuiduo, & realiter cùm vnoquoque vnita, ergo quolibet indiuiduo deſtructo, deſtrueretur aliud, imò & omnia deſtruerentur.

Reſpondendum eſt igitur, deſtructionem, ſicuti etiam productionem, eſſe ad Naturam numericè, & indiuidualiter acceptam, non ad Naturam ſpecificè, & in communi ſumptam, ſingularia enim ſunt illa, quæ corrumpuntur, & generantur, non Vniuerſalia, quæ propterea dicuntur immobilia, & ſempiterna ab *Ariſt.* 4. *Met. t.* 10.

Maneat ergo, ità dari à parte rei Naturam vnam formaliter, & multis indiuiduis communem, vt tamẽ requiratur omninò operatio, & præciſio, ſeù abſtractio Intellectus ad hoc, vt illa Natura ſit actu, completè, & perfectè Vniuerſalis. Quænam verò abſtractio, & præciſio requiratur, obiectiua nè, an formalis; Quæſtio eſt Metaphyſica, dependens ab illa altera Quæſtione pariter in Metaphyſicis examinanda, An gradus eſſentiales vnius, eiuſdemque rei, formaliter, & ex Natura rei diſtinguantur; ibi ergo vtraque Quæſtio examinabitur.

LECTIO VIII.

Qualiter Natura Vniuerſalis per Operationem Intellectus fiat propriè Vna.

PRæmitto primò: Vniuerſale, quod fit per Operationem Intellectus duplex communiter aſſignari, dupliciter diuidi; nam aliud eſt Vniuerſale Metaphyſicum, aliud eſt Vniuerſale Logicum, Vniuerſale Metaphyſicum fit per ſimplicem abſtractionem Intellectus conſiderantis Naturam non conſideratis indiuiduis. Vniuerſale Logicũ fit per cõparationem Naturæ iam abſtractæ ab indiuiduis ad ipſa indiuidua, à quibus eſt abſtracta.

Præmitto ſecundò; cohærenter ad dicta ſuperiùs, & iuxtà principia Scoti, Naturam abſtractam ab indiuiduis nõ ſolùm eſſe vnam Vnitate formali, ſed etiam eſſe vnam Vnitate formali perfecta, quia cùm ſit ſpoliata indiuiduis, remanet prompta, expedita, & proximè apta ad eſſendum in multis, ideòque eſt completè Vniuerſalis.

Nonnulli ex Recentioribus, & Thomiſtis adhùc vlterius deſiderant in illa Natura ad hoc, vt ſit completè, & perfectè Vniuerſalis, Vnitatem quandam fictam, quæ vt explicetur.

Præmitto tertiò. Naturam abſtractã ab indiuiduis adhùc poſſe dupliciter conſiderari; primò, in primo actu, quo Intellectus concipit Naturam in ſe. Secundò, in alio actu reflexo, quo intellectus recogitat Naturam in tali conceptu, & ſic abſtractam eſſe vnam, & indiuiſam. In primo actu Intellectus concipit id, quod reale eſt in Natura, & nullum fingit Ens rationis ex parte Obiecti. In ſecundo actu, reflectens Intellectus ſuprà primum actum, concipit vnitatem formalem in Natura ſe habere ad modum cuiuſdam formæ poſitiuæ intrinſecæ, cùm tamen iſta Vnitas non ſit forma poſitiua, nec poſſit eſſe, & ideò in tali caſu facit Ens rationis.

Volunt ergo hi Auctores, quòd ad hoc, vt Natura ſit completè Vniuerſalis, expectandum eſt, quòd Intellectus per actum reflexum concipiat in Na-

Digitized by Google

tura Vniuerſali Vnitatem ad modum cuiuſdam formæ poſitiuæ, atque adeò eſſe expectandum, quòd Intellectus fingat aliquod Ens rationis.

Concluſio mea eſt: ad hoc, vt Natura ſit completè Vniuerſalis, non eſt expectanda Vnitas ficta ab Intellectu, ſed ſufficit, quòd illa Natura ſit abſtracta ab indiuiduis per actū Intellectus directum. *Ità Auerſa quæſt.8. de Vniuerſ. ſect.* 8. Contrà *Durand. in 1. diſt.3. quæſt.5. ad 2. & in 3. diſt.3. quæſt.7. num.12. Tolet. quæſt.2. Vniuerſ. Ruuium quæſt.5. Concluſ. 3. num.66.*

Probatur Concluſio quia: poſita ſola abſtractione, & actu directo Intellectus, Natura intelligitur vna Vnitate formali, & proximè apta ad eſſendum in multis, ergo iam eſt completè, & perfectè Vniuerſalis, ergo non expectāda Vnitas ficta per Intellectum. Secunda conſequentia eſt clara. Prima conſequentia probatur, quia ad Vniuerſale nihil aliud requiritur, niſi quòd Natura ſit vna, & apta proximè ad eſſendum in multis, ſed totum hoc adæquatè, & completè habetur per abſtractionem, & primum actum Intellectus directum, ergo nihil aliud eſt expectandum.

Confirmatur quia: talis Vnitas ficta, non eſt neceſſaria ad Scientias, nec ad explicationem Prædicamentorum, ad quem finem inſtituitur Diſputatio de Vniuerſalibus, ergo non eſt admittenda, & neceſſariò requirenda ad formationem Vniuerſalis. Dixi neceſſariò requirenda, quia benè poteſt fingi ab Intellectu talis Vnitas, & bene poteſt efformari tale, vel aliud ſimile Ens rationis, ſed ego contendo, id non eſſe neceſſarium ad hoc, vt illa Natura ſit completè, & perfectè *V*niuerſalis.

Obijcies primò: ſi admittatur *V*niuerſale completè fieri per actum illum reflexum, & *V*nitatem fictam, meliùs ſaluatur *V*niuerſale non eſſe à parte rei, contrà Platonem, & alios eius Sententię, ergo cùm ex alia parte admittatur, poſſe dari talem *V*nitatem fictam per actum reflexum, dicendum eſt, ità fieri *V*niuerſale.

Reſpondeo, ſufficere ad ſaluandum *V*niuerſale non dari à parte rei, admittere, quòd fiat per abſtractionem, & per actum directum, ideò non eſſe recurrendum ad illam *V*nitatem fictam, neque enim eſt vlla neceſſitas; meliùs ſaluare Sententiam communem de negatione Vniuerſalis à parte rei, aut longiùs recedere à Sentētia Platonis, ſufficit ad præſens intentum, ſi cùm Platone non ſentiamus, ſufficit ſi Vniuerſale à parte rei non admittamus.

Obijcies ſecūdò: Intellectus abſtrahit Naturam ab indiuiduis, cum quibus illa eſt realiter identificata, atque adeò ſeparat illam Naturam ab indiuiduis, à quibus non ſeparatur, nec ſeparari poteſt, ergo verè facit Vnitatem aliquam rationis, & fictam, nam illa Natura eſt vna, prout abſtracta, & ſeparata, ſed eſt impoſſibilis talis ſeparatio, ergo vnitas, quæ ex tali ſeparatione conſequitur, eſt ficta per Intellectum, non realis in ſe.

Reſpondeo: id eſſe priuilegium ſpeciale Intellectus, vt ſicuti ipſe poteſt vnire ea, quæ ſūt eſsētialiter inunibilia, & hoc modo facere Ens rationis, probauimus ſuo loco, ità poteſt ſeparare, & & abſtrahere ea, quę ſunt inſeparabilia; & tunc quando ſeparat inſeparabilia, vel cogitat de tali ſeparatione, vel non cogitat de tali ſeparatione, ſed ſolum conſiderat vnum, alio non conſiderato, non reflectendo, ſe ſeparare; ſi cogitat de ſeparatione, & reflectit ad ſeparationem, quam facit, verè efficit Ens rationis; ſi de tali ſeparatione non cogitat, neque ad illam reflectit, vt verè non reflectit, Ens rationis non facit. Modo dico, Intellectum poſſe quidem reflectere ad illam ſeparationem, atque adeò poſſe facere Ens rationis, ſed non eſſe, neceſſe, vt reflectat, ad hoc, vt conſurgat illa Vnitas formalis requiſita ad Vniuerſale, quia ad talem Vnitatem ſufficit, ſi cogitet Naturam, non cogitando de indiuiduis; data enim hac ſola abſtractione, ſtatim illa Natura ſit vna perfectè, & completè, quantum ſufficit ad hoc, vt ſit perfectè, & completè Vniuerſalis.

Obijcies tertiò: ex *Damaſceno lib.1. cap.11.* vbi ait, Naturas duorum ſingularium ſola ratione vnum eſſe, & ex *D. Thoma de Ente, & Eſſentia, c.4. & opuſc. 42. cap.9.* vnum ſpecie, vel genere, eſſe vnum ratione.

Reſpondeo, D. Damaſcenum, & D. Thomam loqui de Vnitate perfecta, ſimpliciter, & completa, quæ habetur

ſolo

Digitized by Google

ſolo beneficio Intellectus conſiderantis Naturam, non conſideratis indiuiduis; non verò eſſe intelligendos, quaſi velint admittere Vnitatem ſpecificam, aut genericam, eſſe fictas, & Entia rationis Chymærica.

LECTIO IX.

Numerus Prædicabilium aſſignatur.

PRæmitto primò: Prædicabilia idem eſſe, ac Vniuerſalia in particulari, licèt enim Prædicabile in rigore ſit proprietas Vniuerſalis, vſus obtinuit, vt pro ipſo Vniuerſali in particulari ſumatur, & intelligatur. Sermo eſt autem hic de Prædicabili, vt eſt terminus ſimplex, & incōplexus, nō verò prout eſt terminus compoſitus, & complexus: hinc eſt, vt inter Prædicabilia ipſa definitio Prædicabilis, quia terminus eſt complexus; indiuiduum vagum, vt quidam homo, verbi gratia, ob eandem rationem non ſint Prædicabile, nec inter Prædicabilia debeant numerari.

Præmitto ſecundò; hic à Porphyrio in ſuo libello quinque tantùm enumerari Prædicabilia, nempè Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens. Hanc aſſignationem numeri Prædicabilium in quinque, omnes Scholæ receperunt, & aſſeruerunt, nam exceptis paucis ex Antiquis, qui hunc numerum minuerunt, & reduxerunt ad prima tria, quæ prædicantur, vt Eſſentia; ex Moderni0ribus Caietano excepto, qui cap. de Specie, hunc numerum auxit, vſque ad ſeptem, annumerando inter Prædicabilia Indiuiduum Vagum, & Definitionem Prædicabilis reliqui omnes Philoſophi hunc numerum Sanctè, & Religioſè cuſtodierunt, Ideò ſit.

Concluſio mea: Quinque tantùm ſunt Prædicabilia iam numerata, non plura, nec pauciora, atque adeò aſſignata Diuiſio Prædicabilium in quinque eſt omnino ſufficiens.

Probatur primò Concluſio: quia Natura aliqua Vniuerſalis, vel eſt in multis eſſentialiter, vel accidentaliter; ſi eſſentialiter, vel tanquam tota eſſentia, & ſic eſt ſpecies, ſic dicta, quia totum quid, & integrum, aptè ſpecioſum, & ſpecies dicitur; vel tāquam pars eſſentiæ, & tunc, vel tanquam pars materialis, & eſt Genus, vel tanquam pars formalis, & eſt Differentia; nam Genus, & Differentia in Logica ſe habent tanquam materia, & forma in Phyſica, Genus enim ſe habet, vt quid indeterminatum, & indifferens, cuiuſmodi etiam ſe habet materia; Differentia verò ſe habet, vt ratio determinatiua, & ablatiua indifferentiæ, & talis etiam eſt forma. Si deindè Natura Vniuerſalis ineſt pluribus, & multis accidentaliter, & tunc, vel ineſt inſeparabiliter, ſeù neceſſariò, & eſt Proprium, vel ineſt ſeparabiliter, & contingenter, & dicitur ſimpliciter, & abſolutè Accidens.

Probatur ſecundò: quia Natura Vniuerſalis, vel prædicatur in quid, tāquam pars eſſentiæ explicata termino ſubſtātiuo, & eſt Genus, vel prædicatur in quid, tanquam pars eſſentiæ explicata termino adiectiuo, & eſt Differentia, vel prædicatur in quid, tanquam tota eſſentia, & eſt Species; vel prædicatur in quale, ideſt accidentaliter inſeparabiliter, & eſt Proprium, vel denique in quale accidentaliter ſeparabiliter, & eſt abſolutè, & ſimpliciter Accidens.

Confirmatur, quia ad hoc, vt aliqua Diuiſio ſit bona, & accurata, ſufficit quòd in ſe nullum contineat abſurdum, aut inconueniens, quicquid deinde ſit, quòd potuerit fieri alia æquè bona, aut etiam fortaſſe melior; & ex alia parte proportionata ſit fini, ad quem eſt inſtituta, ergo quia iſta Diuiſio Prædicabilium eſt inſtituta ad declarāda Prædicamenta, & hæc benè declarantur per hæc quinque Prædicabilia, ideò aſſignata diuiſio ſufficientiſſima eſt, & optima.

Obijcies primò: ſi darentur hęc quinque Prædicabilia, poſſet abſtrahi ratio aliqua communis ab iſtis quinque, quæ ſinè dubio eſſet ratio generica, vtpotè Prædicabilis de illis quinque, tanquam de ſpeciebus, ſed hoc eſt abſurdum, quia iam daretur Genus Generis, imò & proceſſus in infinitum, ergo talis diuiſio nō ſubſiſtit.

Reſpondeo: non dari Genus Generis; licèt enim Vniuerſale, vt ſic, per ſecūdā abſtractionem ſit Genus, tamen, vt ſeipſum continet, tanquam vnum ex membris aſſignatæ diuiſionis ſe habet, vt

Species; non eſt autẽ abſurdũ, ide ſecũdum diuerſam abſtractionẽ eſſe Genus, & Speciem; nam ſimiliter, ſiquis elicere t actum cognitionis, quo cognoſceret omnes cognitiones ſuas, ille vnicus actus cognitionis reflexæ, & eſſet actus cognitionis, & eſſet obiectum eiuſdem cognitionis, ità per abſtractionem Vniuerſalis vt ſic à quinq;, conſtitueretur ratio aliqua generica, quæ ſeipſam contineret, & includeret, vt ſpeciẽ, & vt vnũ membrum aſſignatæ diuiſionis Prædicabilium in quinq;. Ad abſurdũ, quod infertur de Proceſſu in infinitum; dico proceſſum in infinitum ſolùm eſſe abſurdum in cauſis eſſentialiter ſubordinatis, ſed nõ eſſe abſurdũ in actibus Intellectus, & Voluntatis directis, atq; reflexis, nam poteſt Intellectus intelligere intellectiones ſuas, & Volũtas velle volitiones ſuas vſq; in infinitum.

Obijcies ſecundò: tot ſunt Prædicabilia, quot ſunt Prædicamenta, ſed hæc ſunt numero decem; ergo. Antecedẽs videtur eſſe *Ariſt.5.Met.t.14.* vbi decem Prædicamenta deſumit ex diuerſo modo prædicandi.

Reſpondeo: Prædicamenta ab Ariſt. ibi deſumi ex diuerſo modo prædicandi de indiuiduo, ſeù ſingulari, non ex diuerſo modo prædicãdi de pluribus; Prædicabilia deſumi ex diuerſo modo prædicandi de pluribus, qui modi prædicãdi de pluribus quinque tantum ſunt, vt vidimus ſuprà.

Obijcies tertiò: *Ariſtot. 1.Top. cap.4.* quatuor tantùm aſſignat Prædicabilia, Genus, Proprium, Accidens, & Terminum, ideſt, Speciem. & 1. de Partibus Animalium tria tantũ enumerat, Analogiam, Genus, & Speciem, ergo.

Reſpondeo: Ariſt. his locis non aſſignare numerum Prædicabilium, ſed primo loco aſſignarẽ ſolùm locos quoſdam communes, & ſedes argumentorum præcipuas, quia non erat eius inſtitutum ibi diſtinctè explicare omnia Prædicabilia. Secundo verò loco citato aſſignare aliquos modos, quibus operationes Animalium ſolent eſſe communes.

Obijcies quartò: Prædicabile de pluribus differẽtibus numero, & prædicabile de pluribus differẽtibus Specie ſunt duo Prædicabilia, vt patet in Genere, & Specie, ſed Differẽtia generica eſt Prædicabilis de pluribus differentibus Specie, & Differentia ſpecifica eſt Prædicabilis de pluribus differẽtibus numero, ergo Differentia conſtituit duo Prædicabilia.

Reſpondeo: Genus, & Speciem conſtituere duo Prædicabilia, non per prædicari de pluribus differentibus Specie; vel de pluribus differentibus numero, ſed quia Genus prædicatur in quid, vt pars Eſſentiæ, Species verò in quid, vt tota Eſſentia: verùm Differentia ſiuè Generica, ſiuè ſpecifica ſit, ſemper prædicatur in quale quid, ideò non conſtituit duo Prædicabilia, ſed vnum, quia habet vnum modum prædicandi de pluribus ſiuè Specie, ſiuè numero differentibus.

LECTIO X.

Aſſertur Definitio Generis.

PRæmitto primò: non eſſe hic habẽdã rationẽ, an Generis Definitio ſit rigoroſa Definitio, an potiùs deſcriptio; ſufficit.n. in præſẽti, ꝙ explicetur Eſſentia Generis, prout Genus eſt Prędicabile ab alijs diſtinctum, atque diuerſum.

Præmitto ſecundò: ad hoc, vt aliquod Vniuerſale ſit Prædicabile in quid de ſuis inferioribus, duo potiſſimùm requiri; primùm eſt, vt ſit Prædicatum eſſentiale inferiorum, ſeù quidditas eorum; ſecundùm eſt, vt explicetur nomine, ſeù termino ſubſtantiuo, ideò Animal, verbi gratia, prædicatur in quid de Homine, & Bruto, quia eſt eorum Prædicatum eſſentiale, ſeù quidditatiuum, & eſt terminus ſubſtantiuus, vt patet.

Concluſio ſit: optima eſt, & accurata Definitio Generis, qua dicitur, Genus eſt illud, quod prædicatur de pluribus differentibus Specie in quid, in qua definitione, *τὸ prædicatur*, non debet ſumi in eo ſenſu, quatenùs actu debeat prædicari, ſed ſufficit, Genus poſſe prædicari, ſeù eſſe aptum natum prædicari.

Probatur Concluſio: quia hæc Definitio tradita fuit ab *Ariſt. 1. Topicorum 4.* quam deindè Porphyrius, & omnes poſt eum Philoſophi, receperunt.

Probatur ſecũdò: quia hæc Definitio conſtat ex Genere, & Differentia, & per eã differt Genus ab omni alio Prædicabili, imò & ab omni alio, quod non eſt ipſum,

ipſum, ergo eſt accurata, & optima, conſequentia eſt clara. Antecedens probatur quia, ex eo, quòd dicatur prædicari de pluribus differt ab indiuiduo, quod de pluribus, prædicari non poteſt; ex eo, quòd dicatur prædicari in quid, differt à Proprio, Accidente, & Differentia, quæ prædicantur in quale; ex eo demùm, quod prædicatur de pluribus differentibus Specie differt ab ipſa Specie. Ex alia parte nullum eſt aſſignabile Genus, cui hæc Definitio non conueniat, ergo.

Obijcies primò: Enti cõuenit Definitio Generis, Ens. n. p̃dicatur de pluribus differẽtibus Specie in quid, ſed Ens non eſt Genus, non enim eſt Vniuocũ, ergo.

Confirmatur quia: Genus prædicatur de pluribus Generibus, Viuens. n. p̃dicatur de Planta, & de Animali, imò & p̃dicatur de Differentijs, vt Animal de Rationali, & Irrationali; deniq; etiam prædicatur de pluribus indiuiduis, nã Animal prædicatur de Petro, & Paulo, ergo non benè definitur Genus per prædicari de pluribus differentibus Specie.

Reſpondeo: ideò Ens non eſſe Genus, quia non prædicatur de pluribus differentibus Specie prædicatione vniuoca, cùm non ſit vnum vnitate vniuoca. Ad Confirmationem dico, Genus prædicari de alijs Generibus, nõ vt ſunt genera, ſed vt ſunt Species, nam licèt Animal reſpectu ſuorum inferiorum ſit Genus, reſpectu tamen ſuperiorum, putà reſpectu viuentis, ſe habet vt Species: De differentijs verò Genus prædicari, vt in concreto ſumptis, quo pacto habent rationem Speciei. Rationale enim, & Irrationale potiùs ſunt Species, quàm Differentiæ; Differentiæ enim ſunt Differentię, quando in abſtracto ſumuntur. Denique Genus de Indiuiduis prędicari non immediatè, ſed mediatè, nimirùm mediante Specie, in tantum enim eſt vera iſta Propoſitio, Petrus eſt Animal, in quantum eſt vera iſta alia, Petrus eſt Homo.

Obijcies ſecũdò: nulla pars põt. prædicari de ſuo toto, ſed Genus eſt pars Speciei, ergo nõ poteſt prædicari de Specie, quæ eſt totũ. Maior patet, quia Anima, quæ eſt pars Hominis nõ poteſt p̃dicari de Homine, non enim valet, Homo eſt Anima. Maior etiam patet, quia Species conſtat ex Genere, & Differentia, tanquam ex partibus Metaphyſicis, ſicut corpus naturale conſtat ex materia, & Forma, tanquam ex partibus phyſicis.

Confirmatur quia: ſi Genus prædicaretur de Specie, verbi gratia, Animal de Homine, quando dicitur, Homo eſt Animal, ſenſus eſſet, Homo eſt Genus, ſed hoc eſt falſum, ergo Genus non prædicatur de Specie.

Reſpondeo: benè partem in concreto acceptam poſſe prædicari de ſuo toto, valet enim, Homo eſt animatus; eſto pars in abſtracto accepta, nequeat de ſuo toto prædicari, & ideò nõ valet, Homo eſt Animal, ergo Homo eſt Genus; Ad Confirmationẽ dico, Animal prędicari de Homine, nõ ſecundò intẽtionaliter, ſed primò intentionaliter acceptũ, quo pacto non accipitur, vt Genus eſt, ſed ſecundùm Naturam Animalis.

Obijcies tertiò: *Ariſtoteles 2. Poſt. cap. 21. & 4. Top. cap. 8.* ait partem Definitionis prædicari in eo, quod quid eſt, ſed Differentia eſt pars Definitionis, ergo prædicatur in eo, quod quid eſt; ergo Genus non prædicatur in quid.

Reſpondeo, etiam Genus eſſe partem Definitionis, ideò ex illa Auctoritate Philoſophi æquè ſequi Genus prædicari in quid, ac Differentiam; dico tamen adhùc eſſe diſcrimẽ inter Genus, & Differentiam, quia Genus prædicatur in quid, & explicatur termino ſubſtantiuo, Differentia prædicatur in quale quid, & explicatur termino adiectiuo.

LECTIO XI.

Quid Definiatur in Definitione Generis.

PRæmittendum primò eſt: Genus eſſe concretum ex Natura, tãquam ſubiecto, & ex Genereitate, ſeù Vniuerſalitate Generis, tanquam ex forma, ſicuti album eſt concretum ex pariete, verbi gratia, tanquam ſubiecto, & ex albedine, tanquam ex forma; quæritur ergo quid definitur, quando definitur Genus; Genereitas nè, an Natura generica, an vtrumque ſimul.

Præmittendum ſecundò: Formam conſtitutiuam concreti, definiri poſſe in abſtracto, & in concreto; ſemper tamen, quocunque modo definiatur, in eius Definitione includi ſubiectum; ratio

tio eſt, quia Forma eſt quid alterius, & eſt eſſentialiter ordinata ab ſubiectum, non poteſt ergo forma definiri, quin in eius Definitione includatur ſubiectum. Hinc eſt, vt ſi definiatur Albedo in abſtracto, verbi gratia, definitur eſſe color corporis diſgregatiuus Viſus; ſi verò eadem Albedo in Concreto definiatur, dicitur, Album eſt corpus habens albedinem diſgregatiuam viſus. Quæ duæ Definitiones differunt in hoc, quòd in Definitione in abſtracto ſubiectum ponitur in obliquo, forma in recto; Contrà verò in Definitione formæ in concreto, ſubiectū ponitur in recto, forma in obliquo: in vtraq; definitione forma prĩcipaliter, ſeù vt quo definitur, Subiectū verò definitur minùs principaliter, materialiter, & vt quod; ratio eſt, quia in vtraq; definitione ponuntur prædicata eſſentialia formæ, non ſubiecti, vt enim patet in allato exemplo, τὸ diſgregatiuum viſus, eſt eſſentiale prædicatum albedinis, non corporis, aut parietis albi.

Concluſio mea eſt: in Definitione Generis, Genereitas principaliter definitur, non Natura generica. *Ità D. Thomas de Ente, & Eſſentia cap. 4. Scotus quæſt. 14. Vniuerſalium, & alij.*

Probatur Concluſio: quia in Definitione Cõcreti illud definitur formaliter, & principaliter, cuius Eſſẽtia explicatur, ſed in hac definitione explicatur Eſſentia Genereitatis, non verò Naturæ, quæ ſubſtat genereitati, ergo genereitas formaliter definitur. Maior eſt clara, quia definitio nihil eſt aliud, quàm oratio explicatiua, & declaratiua Naturæ, & eſſentiæ rei definitæ. Minor probatur quia, prædicari de pluribus differentibus Specie, eſt eſſentiale prædicatum ipſius genereitatis, quà genereitas eſt, non Naturæ, quæ de ſe, & præciſè ſumpta à genereitate, non habet prædicari, vel non prædicari de pluribus, ergo.

Obijcies primò: Aggregatum per accidens non poteſt vnica definitione definiri, ſed Genus eſt aggregatum per accidens, quia eſt Concretum ex genereitate, & Natura, ex abſtractione, & natura; abſtractio autem, & Natura non faciunt vnum, niſi per accidens, quia ſunt diuerſi generis, ergo. Maior eſt *Ariſto. 7. Met. t. 12.* & probatur etiam, quia Aggregatum per accidens non habet vnũ Genus, & vnam Differentiam, ergo non poteſt vnica definitione definiri.

Reſpondeo: Maiorem eſſe veram, quoties vtraque pars Concreti, ſeù Aggregati per accidens, deberet ęquè principaliter definiri; at in caſu noſtro res non ità ſe habet, nam Genereitas principaliter, & formaliter definitur, Natura verò generica ſolùm materialiter in aſſignata definitione ponitur.

Obijcies ſecundò: Genus, prout dicit genereitatem, non poteſt definiri, aliàs daretur Genus Generis, in qualibet enim definitione debet aſſignari Genus, ſicuti etiam & Differentia, ergo.

Reſpondeo: non in qualibet Definitione eſſe aſſignandum Genus propriè ſumptum, ſæpè enim loco Generis ponitur prædicatum aliquod tranſcendens, quod in tantum dicitur Genus, in quantum de pluribus prædicatur, cùm reipſa Genus nõ ſit, quia nõ eſt Vniuocũ, cùm à ſuis differentijs, & inferioribus perfectè nõ præſcindat; ſic eſt in caſu noſtro, in definitione enim Generis, loco Generis ponitur Vniuerſale in cõmuni, quod quia perfectè à ſuis inferioribus, putà ab hoc, vel illo Vniuerſali non præſcindit, non eſt Vniuocum; hinc ſequitur aſſignatam Definitionem non eſſe rigoroſam, neque enim de omni re poteſt, aut debet, aſſignari rigoroſa definitio, ſicuti neq; de re omni poteſt haberi Demonſtratio, vt benè notat *Ariſt. 3. Met. cap. 2. t. 10. De omnibus Demonſtrationem eſſe, impoſſibile eſt, ſiquidem neceſsè eſt ex quibuſdam, & circà quidpiam, & quorundã Demonſtrationem eſſe.*

Obijcies tertiò: Illud formaliter definitur, de quo verificatur Definitio, ſed definitio aſſignata Generis verificatur de ipſa natura, non de Genereitate, quia Animal, verbi gratia, eſt id, quod prædicatur de pluribus, non Genereitas, ergo.

Reſpondeo: Definitionem verificari formaliter de ipſa Genereitate, de Natura verò verificari materialiter, & licèt Animal ſit illud, quod de pluribus prædicatur, tamen id habet ratione genereitatis, quia quà Genus eſt, habet de pluribus prædicari, prædicabilitas enim de pluribus eſt prædicatum eſſentiale, vel proprium ipſius Genereitatis, non Naturæ Animalis.

Replicabis: ſi ratione Genereitatis Natura de pluribus prędicatur, ergo etiã ipſa Genereitas de pluribus prædicabitur,

tur, ſicuti enim, quia paries, verbi gratia eſt viſibilis ratione coloris, ipſe quoque Color eſt viſibilis, ità ſi Natura eſt prædicabilis de pluribus ratione Genereitatis, & ipſa Genereitas erit de pluribus prædicabilis, quod tamen patet eſſe falſum.

Reſpondeo, quòd etiam paries eſt viſibilis ratione viſibilitatis, & tamen ipſa viſibilitas non videtur; diſparitas eſt, ergo inter viſibilitatem, & colorem, quod Color ipſe de ſe viſibilis eſt, quia eſt Obiectum formale viſus; non ſic viſibilitas: de facto tamen Color non videtur, niſi ſit in aliquo ſubiecto. Similiter & in caſu noſtro ipſa Genereitas, vt Genereitas eſt, licèt habeat pro ſui eſſentiali, vel proprio prædicato, prædicabilitatem de pluribus, de facto tamen non prædicatur de pluribus, niſi ſit in Natura; Genereitas enim de ſe, abſtractio quędam eſt, & ſecunda intentio, ac proindè de pluribus exiſtentibus à parte rei non prædicatur.

LECTIO XII.

Aſſertur Definitio Speciei, & explicatur.

PRæmitto à Porphyrio tres afferri Definitiones, ſeù deſcriptiones Speciei; prima eſt, Species eſt, quæ ponitur ſub genere aſſignato. Secunda eſt, Species eſt, quæ ponitur ſub Genere, & de qua Genus in eo, quod quid eſt, prędicatur: tertia eſt, Species eſt, quæ prędicatur de pluribus differentibus numero in quid. Secunda Definitio coincidit cùm prima; Hæc autem valdè differt à tertia, quia per primam Definitionem attribuitur Speciei ratio, ſeù reſpectus ſubijcibilitatis, per eam enim ponitur Species ſub genere, per tertiam verò Definitionem tribuitur Speciei reſpectus, ſeù ratio prædicabilitatis, quia dicitur Species prædicabilis de pluribus indiuiduis; Ideò monet Porphyrius primam Definitionem æquè conuenire Speciei athomæ, ſeù infimæ, (quæ ab alijs dicitur Species ſpecialiſſima) ac Speciei mediæ, ſeù ſubalternæ. Tertiam verò Definitionem conuenire ſoli Speciei athomæ, ſeù infimæ, quæ abſolutè, & ſimpliciter venit nomine Speciei.

Concluſio mea eſt: Species infima, ſeù vltima benè eſt definita per prædicari de pluribus differentibus numero in quid.

Probatur Concluſio: quia talis definitio eſt adæquata Definito, quia conuenit omni, & ſoli Speciei, & per eam Species contradiſtinguitur ab omni alio Prædicabili, ergo eſt optima, & accurata Definitio.

Obijcies primò: non minùs Species, quàm Definitio ipſa Speciei prædicatur de pluribus differentibus numero, quia non minùs Homo, quàm Animal rationale, quæ eſt Hominis, ſeù Speciei Definitio, prædicatur de pluribus differentibus numero, ergo iam Definitio Speciei conuenit alteri à Specie, verè enim Definitio ſpeciei, eſt quid diuerſũ ab ipſa Specie, neque enim eſt propoſitio identica illa, in qua Definitio affirmatur de Definito, ergo Definitum eſt quid diuerſum à Definitione.

Reſpondeo in primis: hoc argumentum eſſe commune ad omne Prædicabile, quia Definitio omnis, & cuiuſcunque Prædicabilis, poteſt prędicari de iſs, de quibus poteſt prædicari ipſum Prædicabile. Dico igitur Definitionem Speciei non eſſe quid incomplexum, ideò non poſſe de illa verificari, quòd prædicetur de pluribus in eo ſenſu, in quo ipſa Species de pluribus prædicatur, quia nimirum Species prædicatur, tanquam terminus incomplexus.

Obijcies ſecundò: etiam Differentia prædicatur de pluribus differentibus numero in quid, ergo. Antecedens probatur, quia Rationalitas prædicatur in quid de hac, & illa rationalitate, imò etiam Proprium, verbi gratia, riſibilitas, quæ eſt Proprium, & quartum Prædicabile, prædicatur in quid de hoc, & illo Proprio: denique Accidens, verbi gratia, albedo, prædicatur in quid de hac, & illa albedine, ergo.

Reſpondeo: Rationalitatem in abſtracto, ſicuti, & Riſibilitatem, & Albedinẽ, ſi comparentur cùm ſuis indiuiduis, & inferioribus ſe habere, vt Speciem, quia ſe habent, vt tota Eſſentia ſuorum inferiorum, & indiuiduorum, & ideò etiam de illis prædicantur in quid.

Obijcies tertiò: Perſona Diuina prædicatur de Patre, Filio, & Spiritu Sancto numero differentibus, & prædicatur

in

Digitized by Google

in quid, tanquam tota eorum Eſſentia, & Natura, & tamen non eſt Species.

Reſpondeo: Speciem hic definitam à Porphyrio debere cōſtare ex Genere vniuoco, & Differentia, qualis non eſt ratio Perſonæ Diuinę, quia in primis ratio Perſonę, prout communis ad perſonā creatam, & increatam, ſeù Diuinam, eſt analoga; ratio verò Perſonæ Diuinæ, vt Diuina, non ſe habet vt Genus, quia ſub ſe non continet Species, ideò in Perſona Diuina non reperitur ratio vniuoca. Si tamen contendas adhùc, imò & euincas rationem Perſonæ communiſſimè acceptam eſſe vniuocā, non reputo abſurdū admittere rationē Perſonæ Diuinæ eſſe prædicabilē ad modū Speciei, licèt Species propriè non ſit.

Obijcies quartò: Natura Angelica, vt eſt communis Sententia Thomiſtarum, per nullam potentiam poteſt exiſtere in pluribus ſolo numero differentibus, nam Species Michaelis, verbi gratia, eſt inmultiplicabilis numero, atque adeò non poteſt prædicari de pluribus differentibus numero, & tamen Natura Michaelis eſt Natura ſpecifica, ergo.

Reſpondeo: data ea Sententia Thomiſtarum, Species Angelorum non eſſe Species Logicas, & prædicabiles de pluribus, ſed eſſe Species Phyſicas, ideſt, perfectas, & completas Naturas; vel etiam dici Species Logicas, vt ſubijcibiles, & poſitas ſub genere. Præterea dico, poſſe abſtrahi rationem quandam communem Naturæ inmultiplicabilis, Natura enim in multiplicabilis prout abſtrahitur, & præſcinditur ab hac, & ab illa Natura inmultiplicabili, habet rationē Speciei prædicabilis de pluribus naturis inmultiplicabilibus.

Obijcies quintò: Species etiam prædicatur de Genere, dicitur enim aliquod Animal eſt Leo, & aliquod Animal eſt Homo, ergo non prædicatur ſolùm de pluribus differentibus numero.

Confirmatur quia: etiā Genus prædicatur de pluribus differentibus numero, benè quippè dicitur, Petrus eſt Animal, Paulus eſt Animal, Bucephalus eſt Animal; Petrus autem, Paulus, & Bucephalus ſunt indiuidua.

Reſpondeo: quòd quando Species prædicatur de Genere, ea non eſt prædicatio naturalis, & directa, ſed prædicatio innaturalis, & indirecta, quia prædicatur id, quod minus latè patet; naturaliter autem, & directè prædicatio fit; quando prædicatur id, quod magis latè patet.

Ad Confirmationem dico, Genus prædicari de indiuiduis mediante Specie, non immediatè, in tantum enim iſta prædicatio eſt vera, Petrus eſt Animal, inquantum eſt vera iſta alia, Petrus eſt Homo. Præterea dico Animal, ſeù Genus in concreto acceptum habere rationem Speciei, ideò nil mirum, ſi de indiuiduis, & ſolùm numero differentibus prædicetur.

LECTIO XIII.

An Species conſeruari poſſit in Vnico Indiuiduo.

PRæmitto primò: hāc difficultatem communem eſſe Speciei, & Generi; ſicuti enim quæritur, an Species conſeruari poſſit in vnico indiuiduo, ità etiam quæritur, an Genus poſſit conſeruari in vnica Specie, æquè enim Species eſt prædicabilis de pluribus indiuiduis, ac eſt prædicabile Genus de pluribus Speciebus.

Præmitto ſecundò: duas potiſſimum aſſignari prædicationes, nempè prædicationem accidentalem, & prędicationem eſſentialem; prædicatio accidentalis illa eſt, in qua prędicatum eſt accidens ſubiecto, vt Homo eſt albus; prędicatio eſſentialis eſt illa, in qua prędicatum eſt Eſſentia ſubiecti, vt cum dicitur, Homo eſt Animal; Porrò ad prędicationem accidentalem requiritur exiſtentia ſubiecti; non enim eſt vera, neque ſubſiſtit iſta prædicatio, Homo eſt albus, niſi Homo exiſtat; ad prædicationem verò eſſentialem non requiritur exiſtentia ſubiecti, vera enim eſt iſta propoſitio, Homo eſt Animal, quamuis Homo non exiſtat. Iterùm prædicatio accidentalis eſt duplex, alia eſt prædicatio accidentalis, in qua prędicatur de ſubiecto forma accidentalis illi intrinſeca, vt albedo de Homine, & alia eſt prędicatio eſſentialis, in qua prędicatur de ſubiecto forma illi extrinſeca, vt cùm dicitur, Antichriſtus eſt cognitus; in prędicatione accidentali intrinſeca requiritur exiſtentia ſubiecti, quæ non re-

requiritur in prædicatione accidentali extrinſeca, nam vera eſt iſta Propoſitio, Antichriſtus eſt cognitus, quamuis Antichriſtus non exiſtat.

Præmitto tertiò: indiuidua dupliciter poſſe conſiderari, ſeù Speciem poſſe cōſiderari in ordine ad indiuidua dupliciter; primò quidem in ordine ad indiuidua actu exiſtentia; ſecundò in ordine ad indiuidua poſſibilia; & ſimiliter Genus poſſe cōſiderari, & in ordine ad Species actu exiſtentes, & in ordine ad Species poſſibiles.

Concluſio ſit: Species poteſt conſeruari in vnico indiuiduo, & cæteris poſſibilibus ſicuti & Genus in vna Specie.

Probatur Concluſio: quia quando Genus prædicatur de ſpeciebus, & Species prædicatur de Indiuiduis, fit prædicatio eſſentialis, ſed ad prędicationem eſſentialem non requiritur exiſtentia ſubiecti, vt probatum eſt ſuprà, ergo: Maior patet, quia Genus eſt pars eſſentialis Speciei, & Species eſt tota eſſentia Indiuidui, nam Animal, verbi gratia, eſt pars eſſentialis Hominis, & Homo eſt tota eſſentia Petri, ergo Prædicatio Generis de Speciebus, & Speciei de indiuiduis eſt prædicatio eſſentialis.

Quòd ſi aliæ Species nō eſſēt poſſibiles, & alia indiuidua nō eſſent poſſibilia, nec Genus in vnica Specie nec Species in vnico indiuiduo cōſeruaretur; ratio eſt quia de ratione Vniuerſalis, & conſequenter de ratione Generis, & Speciei eſt multiplicabilitas in plura, ergo ſi Genus non poſſet multiplicari in plures Species, & Species non poſſet multiplicari in plura indiuidua, iam tolleretur ratio Vniuerſalis, ratio Generis, & ratio Speciei, non enim Genus eſt multiplicabile in plures Species, niſi hæ ſint poſſibiles; nec Species eſt multiplicabilis in plura indiuidua, niſi hæ ſint poſſibilia. Confirmatur, quia Vniuerſale non definitur, quod actu prędicetur de pluribus, ſed quod poſſit prædicari; ideò non requirit inferiora exiſtentia.

Hinc infero: quòd quia Proprium, & Accidens prædicantur de pluribus ſibi ſubiectis prædicatione accidentali, & intrinſeca, ideò illa plura debent exiſtere; ità vt, ſi non exiſtant, non ſaluetur ratio quarti, & quinti Prædicabilis, non enim valent iſtæ prædicationes, Petrus eſt riſibilis, Petrus eſt albus, niſi exiſtat Petrus.

Obijcies primò: ſi ad conſeruandam rationem Speciei, ſufficeret poſſibilitas indiuiduorum, poſſet ſaluari Species, etiā ſi nullum exiſteret indiuiduum, ſed omnia eſſent poſſibilia, conſequens eſt abſurdum, quia aliàs daretur Natura Vniuerſalis ſeparata ab omni indiuiduo, ergo.

Reſpondeo: ſi nullum exiſteret indiuiduum, ſed omnia indiuidua eſſent poſſibilia, ſaluaretur quidem conceptus Speciei, ſed non ſaluaretur exiſtentia Speciei, non enim poteſt exiſtere Species ſeparata ab omni indiuiduo, aliàs, vt benè infert argumentum, daretur Vniuerſale realiter ſeparatum ab indiuiduis, & ſingularibus.

Obijcies ſecūdò: eſto Species cōſeruari poſſit in vno indiuiduo, non tamē Genus in vnica Specie, quia lata eſt diſparitas inter Genus, & Speciem, quia Natura generica, cùm ſit partialis, & incompleta, indiget pluribus differētijs, vt compleatur, & perficiatur, & ideò non poteſt in vnica ſpecie habere totam ſui perfectionem; at Natura ſpecifica eſt per ſe totalis, & completa, & ideò illi ſufficit, quòd in vno tantùm indiuiduo exiſtat, ergo. Confirmatur ex *Ariſtot.* 3. *Metaph.* 20. neceſſe eſt, vniuſcuiuſque Generis differentias eſſe, & vnamquamque vnam eſſe, ergo non poteſt ſaluari Genus in vnica Specie.

Reſpōdeo: aliud eſſe, loqui de Genere, vt Genus eſt, vt Vniuerſale eſt: & aliud eſſe loqui de Genere, vt dicit Naturam Genericam; Do quidem Genus, vt dicit Naturam Genericam, ſaltem naturaliter, & de facto eſſe non poſſe ſinè pluribus differentijs ob rationem adductam in argumento; at Genus, vt Vniuerſale eſt, neceſſariò non requirit Species plures actu exiſtentes, non enim ad Vniuerſale requiritur, vt actu ſit in multis, aut quòd actu prædicetur de multis, ſed ſufficit, ſi poſſit eſſe, vt ſit aptum eſſe, & prædicari de multis. Dixi naturaliter, & de facto ad Naturam genericam requiri, quòd habeat plures differentias, quia ſupernaturaliter, & de poſſibili non repugnat, dari vnam partem incompletā, & imperfectam, non enim repugnat, vt probabo in Phyſicis, exiſtere materiam primam ſinè forma.

Ad Confirmationem dico, Ariſtot. loqui de Natura Generica, non de Genere, vt Vniuerſale eſt, vel loqui de differentijs nô actu exiſtētibus, ſed poſſibilibus; prima reſponſio eſt magis conformis textui, ſubdit enim poſt citata verba; im poſſibile verò eſt, aut Species Generis de proprijs differentijs prædicari, aut Genus eſſe abſque ſuis Speciebus.

Obijcies tertiò: Differentiæ ſpecificæ ſunt oppoſitæ, imò & contrariæ, ſed exiſtente vno contrariorum, neceſſariò debet exiſtere & aliud ex *Ariſt. 2. Cæl. t.* 18. ergo non poteſt conſeruari Genus in vnica Specie & ideò ſi vna Species exiſtit, exiſtere debent plures, aut ad minùs altera Species.

Reſpondeo: Ariſtotelem loco citato eſſe intelligendum de Contrarijs propriè dictis, vt ſunt calor, & frigus, verbi gratia, non de quomodocumque oppoſitis, imò de his ait in *Poſtprædic. cap.* 1. non eſſe neceſſe, exiſtente vno oppoſitorum, exiſtere & aliud.

LECTIO XIV.

De Differentia tertio Prædicabili.

PRæmitto primò: triplicem hic aſſignari Differentiam à Porphyrio, prima eſt accidentalis, atque adeò ſeparabilis à ſubiecto; vt Petrus Muſicus differt à non muſico accidentaliter: & hęc Differentia dicitur facere ſubiectum, alterum, non alium, aut aliud. Secunda eſt differentia indiuidualis, ſeù ſuppoſitalis, quia per illam importatur, vel ſuppoſitum, vel ratio indiuidui, & hæc differentia facit alium; non aliud, Petrus enim dicitur alius à Paulo, non aliud, quia Petrus habet, & ſuppoſitum, & differētiam indiuidualem diuerſam à Paulo, & ità in Diuinis Filius eſt alius à Patre, non aliud, quia differt à Patre ſuppoſito, & perſonalitate, quæ eſt numero diuerſa in Filio, ac ſit in Patre. Tertia Differentia eſt eſſentialis, & ſpecifica, per quam vnum differt ab alio Specie, & Natura; quæ Differentia facit aliud; hinc Petrus non eſt aliud à Paulo, nec in Diuinis Filius eſt aliud à Patre, ſed benè Petrus eſt aliud à Bucephalo, quia ab illo differt Specie, & Natura.

Præmitto ſecundò: adhùc differentiā eſſentialem, ſeù ſpecificam eſſe duplicē; nempè alia eſt ſubalterna, ſeù media, alia eſt infima, ſeù vltima, ſeù atoma. Differentia ſubalterna, ſeù media eſt, quæ ità perficit Genus, vt relinquat illud ahùc vlterius perfectibile, adhùc vlterius contrahibile per aliam differentiam eſſentialē, ità ſenſitiuū eſt Differentia media, ſeù ſubalterna, quia ità perficit Genus, quod eſt Viuens, contrahendo illud ad Animal, vt relinquat illud adhùc capax vlterinis perfectionis, putà Rationalis, & Irrationalis, & ideo hæc Species definitur eſſe prædicabilis de pluribus differentibus Specie. Differentia infima, ſeù vltima eſt illa quæ ità cōtrahit, & reſtringit Genus, vt nō relinquat illud vlterius cōtrahibile per differētiā ſpecificā, & formalē, eſto relinquat illud contrahibile per differentiam Indiuidualem, & numericam, quæ ſolet dici Differentia materialis, ità Rationale contrahit Animal, & conſtituit Hominem, qui eſſentialiter non poteſt vlterius contrahi, eſto contrahatur per indiuiduationem, quatenùs conſtituitur hic Homo, putà Petrus.

Præmitto tertiò: Differentiam multipliciter definiri. In primis definitur eſſe id, quo Species abundat à Genere, ideſt, quo Species excedit Genus, nam Homo præter Animal, includit etiam Rationale, quod eſt differētia. Secūda Definitio; ſeù etiam Deſcriptio eſt huiuſmodi; Differentia eſt id, quod prædicatur de pluribus differentibus Specie in quale quid. Tertia Deſcriptio eſt; Differentia eſt id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quale quid: Et ſanè prima Definitio eſt communis vtrique Differentię, tàm ſubalternæ, ſeù mediæ, quàm infimæ, ſeù vltimę. Secunda definitio competit ſoli Differentiæ mediæ; ſeù ſubalternæ. Tertia demum eſt propria ſolius Differentiæ athomæ, ſeu vltimæ.

Concluſio ſit: Differentia ſic optimè definitur. Differentia eſt prædicabilis de pluribus differentibus Specie, vel numero in quale quid.

Probatur: quia talis definitio competit vtrique Differentiæ, tàm ſcilicèt mediæ, ſeu ſubalternæ, quàm infimæ, ſeu vltimæ, & ex alia parte nulli alij Prædicabili competit; non Generi, quia hoc prædicatur in quid, tanquam pars eſſentiæ

tiæ explicata termino ſubſtantiuo: non Speciei, quia hæc prædicatur in quid, tanquam tota eſſentia, non Proprio, aut Accidenti, quia hæc licèt prædicentur in quale, non tamē prædicantur in quid, ergo iam talis Definitio eſt adæquata definito, cùm conueniat ſoli, & omni Definito, ergo eſt optima, & accurata.

Dicitur autem Differentia prædicari in quale, quia explicatur termino adiectiuo, & in concreto, nam ſi differentia explicaretur termino ſubſtantiuo, & in abſtracto, vt benè notant *D. Thomas c.4 de Ente, & Eſſentia, & Auicen.5. Met.c.6.* iam Differentia non eſſet Differentia, ſed principium Differentiæ: in Homine igitur, exempli gratia, non Rationalitas, ſed Rationale, eſt differentia.

Obijcies primò: Prædicari in quale eſt proprium Accidentis, ergo non poteſt differentia prædicari in quale, id enim prædicatur in quale, quod eſt qualitas rei, de qua prædicatur; at differentia non eſt qualitas, ſed Eſſentia rei, ſeù ſubiecti, de quo prædicatur, ergo.

Reſpondeo: quòd licèt Differentia in ſe non ſit Accidens, & qualitas, tamē relatiuè, & comparatiuè ad aliud prædicatum eſſentiale, ſe habet vt qualitas; hinc *Ariſt.5.Met.cap.28.* Differentias appellauit Generis qualitates; comparatiuè ergo ad Genus, quod prædicatur in quid, & explicatur termino ſubſtantiuo, Differentia ſe habet vt qualitas, ideoque explicatur termino adiectiuo.

Obijcies ſecundò: Vniuerſale eſt prædicabile immediatè de inferioribus, ſed Differentia vltima, non prædicatur immediatè de Inferioribus, ergo. Maior patet in Genere, & in Specie, quæ de ſuis inferioribus immediatè prædicantur. Minor probatur, quia Differentia immediatè prædicatur de Specie, & ea mediatè de Indiuiduis; Rationale enim, verbi gratia, immediatè prædicatur de Homine, & mediatè de Petro, Paulo, cæteriſque indiuiduis, in tantum enim valet, Petrus eſt Rationalis, in quantum valet, Petrus eſt Homo, ergo.

Reſpondeo: Differentiam prædicari de indiuiduis mediante Specie, tāquam aliquo æquali, & indiſtincto à Differentia, Species enim cùm ſit tota Eſſentia, includit Differentiam, cùm qua proindè non comparatur tanquam Vniuerſale, & ſuperius cum particulari, & inferiori, ſed tanquam æquale cum æquali, & ideò licèt mediante Specie prædicetur de Indiuiduis, adhùc ſtat, quòd de illis immediatè prædicetur.

Obijcies tertiò: Differentia vltima eſt negatio, & negatiuum quid, ergo non benè conſtituitur in numero Prædicabilium, cùm Prædicabilia ſint Entia realia, & poſitiua. Antecedēs probatur, quia in Homine, verbi gratia, Rationale non eſt vltima Differentia, Rationale enim cùm ſignificet principium diſcurrendi, competit etiam Angelis in aliquorum probabili Sentētia; vel ad ſummum poteſt creari res ſpiritualis, cui cōpetat principium diſcurrendi, ſed vltima Differentia erit negatio omnis, & cuiuſcumque rei, quæ non ſit Homo.

Reſpondeo: quòd quia Differentia vltima præſtat diuerſos effectus, & conſtituit Speciem, & contradiſtinguit Speciem conſtitutam ab omni alio, quòd non eſt ipſa Species, ideò & eſt quid reale poſitiuum, & eſt negatio, ſeù negatiuum quid; eſt reale poſitiuum, quatenùs conſtituit Speciem; eſt negatio, & negatiuum quid, quatenùs contradiſtinguit Speciem cōſtitutam ab omni alio, quod non eſt ipſa; verum quidem eſt, quòd eſſe reale poſitiuum eſt quid primarium in ipſa Differentia, eſſe verò quid negatiuum ſe habet, vt quid ſecundarium, & vt quid conſequens.

LECTIO XV.

De Proprio Quarto Prædicabili.

PRæmitto primò: Proprium dupliciter ſumi, videlicet primò intentionaliter, & ſecundo intentionaliter, vt iam etiam in Summulis Lect 4. adnotaui: ad noſtrum Inſtitutum, licèt pertineat Proprium ſecundo intentionaliter ſumptum, & prout eſt quartum Prædicabile, tamen etiam de Proprio primo intentionaliter accepto breuiter aliqua explicabimus, quia etiam illud ſic acceptum definiuit hic Porphyrius, eſſe illud, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper & conuertibiliter dicitur de eo, cuius eſt Proprium, circà quam Definitionē

Præmitto ſecundò: hoc, quod eſt Proprium ſemper conuenire ſubiecto, cuius eſt Proprium, eſſe intelligendum cùm

Digitized by Google

hac reſtrictione, nimirum quantum eſt ex intrinſecis principijs, ſeù quantum eſt ex intrinſeca, & naturali exigentia eius ſubiecti, cuius eſt Proprium; nam per accidens, ſaltem ſupernaturaliter, poteſt ſubiectum carere ſui Proprietate; ità frigus in ſummo eſt proprietas aquæ, quia ex intrinſecis ſuis principijs, ex intrinſeca, & naturali exigentia aqua petit habere frigus in ſummo, licèt aliquãdo per accidens & ab extrinſeco priuetur illo; In idem recidit, quod alij dicũt, Proprium eſſe formaliter, & intrinſecè inſeparabile à ſubiecto, cuius eſt proprium, licèt ſit ſeparabile materialiter, & quòad entitatem ſuam. Cęterum Proprium aliud eſt Genericum, nempè illud, quod fluit a Natura Generica, vt ſenſibilitas ab Animali, & aliud eſt proprium ſpecificum, quod fluit à Natura ſpecifica, vt riſibilitas reſpectu Hominis.

Præmitto tertiò: Proprium tripliciter conſiderari: primò quidem in ordine ad Speciem, vel Genus, à quorum intrinſecis principijs fluit. Secundò in ordine ad ſua inferiora. Tertiò in ordine ad ſubiecta Speciei, vel Generis, in quibus Proprium reperitur. Exempli gratia, riſibilitas poteſt comparari in ordine ad Eſſentiam Hominis, à qua fluit; & hoc pacto non habet rationem Vniuerſalis, non enim cõparatur cũ Eſſentia Hominis, tanquam cum ſuo inferiori, ſed tanquam cum ſuo ſuperiori, ſeù cum ſua cauſa. Iterum riſibilitas poteſt comparari cum hac, vel illa riſibilitate, & ità ſe habet, vt Species, quia prædicatur in quid, & tanquam tota Eſſentia. Denique ſi comparetur cũ indiuiduis ipſius Hominis, putà cùm Petro, Paulo, & cæteris, tunc habebit rationem Vniuerſalis, & Quarti Prædicabilis.

Concluſio. Proprium, vt Quartum Prædicabile, definitur eſſe id, quod eſt Prædicabile de pluribus in quale inſeparabiliter.

Probatur Concluſio quia: per talem Definitionem contradiſtinguitur quartum Prædicabile ab alijs Prædicabilibus, præcipuè verò ab Accidente, quod vt mox videbimus, prædicatur quidem in quale, ſed ſeparabiliter.

Obijcies primò: Proprium, & Commune opponũtur, ſed Vniuerſale eſt Commune, ergo Proprium non poteſt eſſe Vniuerſale.

Reſpondeo: Proprium, & Commune opponi, ſi accipiãtur reſpectu eiuſdem, non ſic verò, ſi accipiantur reſpectu diuerſorum, nam riſibile, verbi gratia, eſt Proprium reſpectu Hominis, at eſt Cõmune, & Vniuerſale reſpectu indiuiduorũ Hominis, Imò & reſpectu huius, vel illius, riſibilitas adhùc eſt Vniuerſale, & ſecundũ Prædicabile, vt ſupra diximus.

Obijcies ſecundò: inter ſubſtantiam, & Accidens non datur medium, ſed Proprium non eſt ſubſtantia, ergo eſt Accidens, & conſequenter non eſt prædicabile diſtinctum ab Accidenti.

Reſpondeo: inter ſubſtãtiam, & Accidens Prædicamentale, ſeù communiter acceptum non dari medium, ſed dari medium inter ſubſtantiam, & Accidens quintum Prædicabile, nã inter id, quod eſt purum eſſentiale, & intrinſecum, & inter id, quod eſt purum accidentale, & extrinſecum, quia eſt omnino ab extrinſeco, cuiuſmodi eſt Accidens quintum prædicabile, datur Accidens, quod venit ab intrinſecis principijs eius rei, cuius eſt Accidens, & hoc eſt Proprium, ſeù quartum Prædicabile, quod proindè eſt inſeparabile à ſubiecto, modo ſupra explicato.

Obijcies tertiò: ſaltem de abſoluta potentia poteſt Proprium ſeparari ab eo, cuius eſt Proprium, ergo non diſtinguitur Proprium à quinto Prædicabili, quod etiam poteſt de abſoluta potentia ſeparari à ſubiecto, vt nigredo à Coruo, albedo à niue, & à lacte.

Reſpondeo: Proprium dici inſeparabile formaliter, quatenùs nimirum ex intrinſecis, eſſentialibus, & formalibus principijs ſemper exigitur ab eo, cuius eſt proprium; non ſic autem Accidens, ꝙ ex intrinſecis principijs ſui ſubiecti non exigitur. Pariſicantur autẽ Propriũ, & Accidens in hoc, quod vtrumque eſt materialiter, & quò ad entitatem ſeparabile à ſubiecto, ſaltem de abſoluta Dei potentia.

LECTIO XVI.

De Accidenti Communi, ſeù Quinto Prædicabili.

PRæmitto primò: etiam Accidens dupliciter ſumi, primo intentionaliter, & ſic dicitur ſimpliciter Accidens, &

& ſecundò intentionaliter, & ſic eſt quintum Prædicabile Iterum Accidens primò intentionaliter acceptum, vel ſumitur Phyſicè; & ſic opponitur ſubſtantiæ, & eſt illud, quod de ſua Natura eſt aptum natum ad inhærendum, ad differentiam ſubſtantiæ, quæ de ſua Natura eſt apta nata ad per ſe ſubſiſtendum, vel ſumitur Logicè, & ſic quodammodo opponitur eſſentiæ; quare id, quod non eſt de rei eſſentia, eſt eius Accidens Logicè, vndè Veſtis licèt ſit ſubſtãtia, quia tamen homini tribuit denominationem accidentalem, nempè eſſe veſtitum, ideò Veſtis reſpectu Hominis eſt Accidens Logicè. Denique Accidens Logicè ſumptum, aliud eſt Proprium, de quo in ſuperiori Lectione, aliud eſt Accidẽs commune, de quo in præſenti.

Præmitto ſecundò: Accidens primò Intentionaliter acceptum definiri eſſe id, quod poteſt adeſſe, & abeſſe à ſubiecto præter eiuſdem ſubiecti corruptionem; quam definitionem omnes Scholæ recipiunt.

Concluſio mea eſt: Accidens, vt quintum Prædicabile, definitur eſſe id, quod de pluribus eſt prædicabile in quale, ſed ſeparabiliter.

Probatur Concluſio: quia hæc definitio eſt adæquata definito, cõpetit enim omni, & ſoli definito, atque per eam contradiſtinguitur Accidens tùm à reliquis Prædicabilibus, tùm ab omni alio, quod non eſt ipſum, ergo talis definitio optima eſt, & ab omnibus recipienda.

Obijcies primò: nullum Accidẽs poteſt realiter à ſuo ſubiecto ſeparari, quia Accidentis eſſe, eſt ineſſe, ergo non benè eſt appoſita illa particula in Definitione Accidentis, *ſeparabiliter*.

Confirmatur quia, neque de abſoluta potentia poteſt eſſe modus ſinè re, cuius eſt modus; neque enim poteſt creari vnio ſinè partibus, & extremis vnitis, vel vniendis, ergo illa definitio non omni Accidenti conuenit.

Reſpondeo: Accidentis eſſe, non eſt ineſſe actu, ſed aptitudine; patet enim in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, eſſe quantitatem abſque eo, quòd inſit ſubiecto; vt eſt certum apud Theologos.

Ad Confirmationem dico: ea definitione ſolùm comprehendi accidentia realia, non accidentia modalia, hæc enim propter imperfectam eorum, & minimã entitatem habent eſſentialiter actu inhærere, ſeù ineſſe ſubiecto.

Obijcies ſecundò: ſi Accidens eſſet illud, quod poteſt abeſſe à ſubiecto abſq; ſubiecti corruptione, ſequeretur, quòd formæ ſubſtantiales eſſent accidentia, quia poſſunt abeſſe, & ſeparari à materia prima abſque illius corruptione, & deſtructione, ſed hoc videtur abſurdum, quia verè tales formæ ſunt ſubſtantiæ, ergo.

Reſpondeo: formas ſubſtantiales Phyſicè eſſe ſubſtantias, Logicè verò eſſe accidentia, ſicuti & Veſtis Phyſicè eſt ſubſtantia, tamen quia non eſt de Eſſentia Hominis, Logicè eſt accidẽs reſpectu *H*ominis; quia ergo formæ ſubſtãtiales non ſunt de Eſſentia materiæ primæ, ideò Logicè accidentia ſunt.

Obijcies tertiò: mors, Cæcitas, morbus Lethalis, & alia huiuſmodi nõ ſunt ſinè ſubiecti corruptione, & pernicie, & tamen ſunt accidentia, ergo Definitio Accidentis non omni Definito cõuenit.

Reſpondeo in primis: quòd morbus Lethalis eſt ſinè ſubiecti corruptione; nam quandiù morbus eſt, tandiù viuit *H*omo: mors, Cæcitas ſunt termini negatiui, per quos non affirmatur aliquid de ſubiecto, ſed potiùs negatur; ideò nõ veniunt nomine Accidentis poſitiui, quod eſt hic à nobis definitum.

Reſpondent alij: mortem, & Cæcitatem non deſtruere ſuum ſubiectum, quia hoc eſt materia prima, quæ ſemper manet. Nec refert, quòd homo dicatur mortuus, nam homo mortuus non eſt homo, ſed dicitur homo mortuus per termini diſtractionem, in quantum quĩ erat homo, non eſt amplius.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO TERTIA.

DE CATEGORIIS, SEV PRAEDICAMENTIS.

AB Vniuerſalibus, & Prædicabilibus, qui ſunt termini Secundæ intentionis, progredimur ad Categorias Græcè, Latinè Prædicamenta, quæ ſunt termini primæ intentionis; horum cognitione habebitur plena, & completa notitia eorum, quæ ad primam operationem Intellectus noſtri dirigendam ſpectant. Tractatus iſte, ſeù Diſputatio de Prædicamentis ab Ariſtotele, quem & alij Philoſophi ſequuntur, ſolet diuidi in tres Partes, ideſt, in Antepradicamenta, in Prædicamenta, & in Poſtprædicamenta. Antepradicamenta ſunt, Terminus complexus, Incomplexus, Denominatus, Denominatiuus, Vniuocus, AEquiuocus, & Analogus: De his in Summulis tractauimus, quantum ſufficit ad intelligenda Prædicamenta, ideò non eſt, cùr eadem hic repetamus. Poſtprædicamenta ſũt de oppoſitis, de modis ſimul, de modis Prioris, de Speciebus motus, de modis habere: De his agemus in Phyſicis, quia ſic vſus obtinuit. Quarè præſens Diſputatio reſtringitur ſolùm ad Prædicamenta; quæ nec omnia poſſunt hic commodè, & oportunè tractari; ideò reliquis omiſſis oportuniùs, & commodiùs alibi tractandiſ, explicabimus hoc loco duo tantùm Prædicamenta, nimirum; Subſtantiam, & Relationem.

LECTIO I.

Aſſignatur Prædicatum formale Subſtantia.

PRæmitto primò: in hoc Prędicamẽto Subſtantiæ, ſicuti & in reliquis, aliqua poni in recta linea, aliqua in linea Laterali, ſeù tranſuerſali, & alia demum reductiuè. Entia completa, perfecta, & totalia ponuntur in recta linea; entia incompleta, imperfecta, & partialia ponuntur in linea Laterali; denique reductiuè ad Prædicamenta ſpectant ea omnia, quæ quo quo modo poſſunt ad Prædicamenta reduci; In Prædicamento igitur ſubſtantiæ in recta linea ponitur ipſum corpus, ſeù compoſitum, & totũ ſubſtãtiale; Materia prima, & Forma, quæ ſunt corporis, & totius partes, ponuntur in linea Laterali; deniq; Vnio, Subſiſtentia, & ſi quis alius eſt modus ſubſtantialis, reductiuè ſpectant ad ſubſtantiæ Prædicamentum.

Præ-

Digitized by Google

Præmitto ſecundò : In ſubſtantia eſſe duo prædicata, ſeù duos conceptus, à quibus & denominationem ſumit. Nam adeſt in primis prædicatum hoc, quod eſt ſubſiſtere per ſe, ideſt exiſtere in ſe, & non in alio, tanquam ſubiecto, à quo ſuſtentetur, per quod prædicatum differt Subſtantia ab Accidente, quod per ſe non ſubſiſtit, ſed indiget ſubiecto, à quo ſuſtenretur. Adeſt deindè in ſubſtantia alterum prædicatum, nimirum ſubſtare accidentibus, ideſt, ſtare ſub accidentibus, tanquam eorum ſubiectum, & ſuſtentaculum, per quod prædicatum differt quoque Subſtantia ab Accidentibus, quæ non ſubſtant alijs accidētibus tanquam primum, & radicale eorum ſubiectum, & ſuſtentaculum. Denominatur ſubſtantia tum ex eo, quòd ſubſtat accidentibus, tum ex eo, quòd per ſe ſubſiſtit.

Hinc oritur non leuis Controuerſia; quodnam ex his duobus Prædicatis, ſit formalis, & eſſentialis ratio conſtitutiua Subſtantiæ in eſſe Subſtantiæ.

Concluſio mea eſt : Ratio formalis conſtitutiua Subſtantiæ eſt ſubſiſtere per ſe, non ſubſtare accidentibus. Ità communiter Doctores.

Probatur primò : quia *Ariſtot. in fine cap. de Subſtantia*, ponit inter proprietates ſubſtantiæ, eſſe ſuſceptiuam contrariorum; tum ſic; idem eſt, eſſe ſuſceptiuam contrariorum, ac ſubſtare accidentibus, ſeù recipere accidentia, in quibus ſolùm ineſt contrarietas, nam ſubſtantiæ, vt mox videbimus, nihil eſt contrarium, ergo iam ſubſtare accidentibus eſt proprietas ſubſtantiæ, & per conſequens non eſt eius ratio formalis, ergo ratio formalis ſubſtantiæ eſt ſubſiſtere per ſe, nihil enim aliud eſt aſſignare in ſubſtantia, quod ſit eius ratio formalis.

Probatur ſecundò: quia Eſſentia rei cōſiſtit in priori, ſed priùs eſt ſubſiſtere per ſe, quàm ſubſtare alteri, ergo ratio eſſentialis, & formalis Subſtātiæ eſt per ſe ſubſiſtere. Probatur minor, tùm quia ſubſiſtere per ſe eſt ratio abſoluta, ſubſtare accidentibus eſt ratio relatiua, & omnis ratio abſoluta eſt prior ratione relatiua, tùm quia inintelligibile eſt, aliquid ſubſtare alteri, ſeù aliud ſuſtentare, niſi prius intelligatur ſtare, & ſubſiſtere per ſe.

Probatur tertiò quia: nihil poteſt reperiri ſine ſua ratione formali, & eſſentiali prædicato, ſed ſubſtantia benè poteſt eſſe ſinè eo. q ſubſtet accidentibus, Deus enim eſt ſubſtantia, imò & perfectiſſima ſubſtantia, & tamen non ſubſtat accidentibus, quia eſt incapax accidentium, ergo.

Obijcies primò : *Ariſtot. cap. de Subſtantia initio, definiens ſubſtantiam*, ait. *Subſtantia autem dicitur, quæ proprijſſimè, & primò, maximèque ſubſtantia dicitur, ea nimirum eſt, quæ neque de ſubiecto vllo dicitur, neque in vllo eſt prorſus ſubiecto, vt aliquis homo, vel aliquis equus.*

Reſpondeo Ariſtot. definire ſubſtantiam per negationem eſſendi in ſubiecto, tanquam per quid notius, & manifeſtius, non quòd æxiſtimauerit rationem formalem ſubſtantiæ, quæ eſt Ens reale, & poſitiuum, conſiſtere formaliter in negatione aliqua; verum quidem eſt, quòd ex eo, quòd ſubſtantia per ſe ſubſiſtat, conſequitur neceſſariò, non eſſe in ſubiecto.

Obijcies ſecundò : eſſe in ſe, hoc eſt independenter à ſubiecto, eſt quid antecedens in ſubſtanria ad eſſe per ſe, ergo per eſſe in ſe formaliter conſtituitur ſubſtantia. Antecedens probatur, quia per eſſe in ſe formaliter ſubſtantia contradiſtinguitur ab accidente, de cuius formali ratione eſt, eſſe in alio, ergo.

Reſpondeo : eſſe in ſe, & eſſe per ſe formaliter idem eſſe, nam eſſe in ſe, eſt non eſſe in ſubiecto; eſſe per ſe, eſt non eſſe in ſubiecto; non enim poteſt aliter explicari, quid ſit, eſſe in ſe, & eſſe per ſe, quàm per non eſſe in ſubiecto, ideò ponere rationem formalem ſubſtantiæ cōſiſtere in eſſe in ſe, idem eſt, ac ponere rationem formalem ſubſtantiæ in eſſe per ſe.

Obijcies tertiò: quātitas in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramēto ſubſiſtit per ſe, non enim inhæret ſubiecto, ergo ſubſiſtere per ſe non eſt ratio formalis ſubſtantiæ, aliàs non poſſet quantitati conuenire.

Reſpondeo: Quantitatem ſubſiſtere miraculosè, & ſupernaturaliter per ſe, ſed tamen non eſſe aptam natam ad per ſe ſubſiſtendum; Porrò ratio formalis ſubſtantiæ non conſiſtit in ſubſiſtere per ſe quomodocunq;, ſed in quòd ſit apta nata ad per ſe ſubſiſtendum; ſeu vt

alij

alij loquuntur, ratio formalis Subſtantię conſiſtit in aptitudinali, non in actuali ſubſiſtentia per ſe, ſicuti & eſſentia hominis non conſiſtit in actuali ratiocinatione, ſed in rationalitate.

Quia ergo ratio formalis Subſtantiæ eſt, ſubſiſtere per ſe, ſequitur hoc quod eſt, ſubſtare accidentibus, eſſe eius proprietatem. Subſtare autem accidẽtibus idem eſt, ac eſſe primum, & radicale ſubiectum accidentium; Dixi primum, & radicale, nam etiam Quãtitas eſt ſubiectum aliorum accidentium, ſed non eſt ſubiectum primum, & radicale, cùm & ipſa Quantitas in Subſtantia, tanquam in ſubiecto primo recipiatur.

Secunda Proprietas Subſtantiæ eſt. Non habere contrarium, vt enim benè habet *Ariſtot. cap. de Subſtantia; primæ ſubſtantiæ, vt alicui Homini, aut alicui Animali quidnam contrarium fuerit? nihil enim prorſus his aduerſatur*. ſubdit tamen id non eſſe proprium Subſtantiæ, quaſi ſoli Subſtantiæ competat, *alijs enim competit, vt quantitati; bicubito enim, aut tricubito nihil contrarium eſſe videtur: neque ipſi decem, neque talium cuiquam quicquam aduerſatur*.

Tertia Proprietas ſubſtantiæ eſt; non ſuſcipere gradus intenſionis, ſeù non ſuſcipere magis, & minus, neque enim vnus Homo eſt magis Homo, quàm alius, *non enim alius alio magis homo eſt, perinde atque album aliud alio magis, ac minus eſt album*.

Quarta Proprietas Subſtantiæ eſt: ſuſcipere contraria, *veluti quidam Homo vnus, ac idem, interdum fit albus, interdum niger, & calidus, atque frigidus, & vitioſus, ac ſtudioſus*.

Inſtabant Antiqui contrà hanc doctrinam Ariſtoteticam. Eadem Oratio, & opinio ſuſceptiua contrariorum eſt, modo enim eſt vera, modo eſt falſa; nam ſi vera eſt hæc oratio, quempiam ſedere, ſi ille ſurgat, hæc eadem oratio falſa erit; idem & in opinione fieri videtur.

Reſpondet Ariſtoteles huic inſtãtiæ, aſſignando duplicem diſparitatem, prima eſt, quia Sabſtantia ſuſcipit contraria per ſui intrinſecam mutationem, at oratio, & opinio immobiles penitus manent, vt ipſi Antiqui ſupponebant. Secunda diſparitas eſt, quia ſi oratio, & opinio mutantur, & quidem intrinſecè, mutantur occaſione alicuius extrinſeci, ſcilicet occaſione obiecti; ex eo enim quod res eſt, vel non eſt, oratio eſt vera, vel falſa, ſimiliter & opinio: non ſic autem Subſtantia, quæ per ſuſceptionem qualitatis in ipſa Subſtantia receptæ, mutatur nullo ad talem mutationem extrinſeco concurrente.

LECTIO II.

Aſſertur Diuiſio Subſtantiæ.

Diuidit hic Ariſtoteles Subſtãtiam in primam, & ſecundam; vbi nomine Subſtantiæ primæ venit Subſtantia ſingularis, ſeù indiuiduum; nomine Subſtantiæ ſecundæ venit Subſtantia vniuerſalis; benè autem definitur hic ab Ariſtot. Subſtantia ſingularis eſſe illa, quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo ineſt, cùm enim prima Subſtantia ſit Subſtantia ſingularis, non habet aliquod inferius, ſeù ſibi ſubiectum, de quo poſſit prædicari. Secunda Subſtantia benè etiam definitur, quæ de ſubiecto quidem dicitur, in ſubiecto autem non eſt; cùm enim ſecunda Subſtantia ſit Subſtantia Vniuerſalis, habet inferiora, ſeù ſubiecta, de quibus poteſt prædicari. Vtrique autem Subſtantiæ commune eſt, non eſſe in ſubiecto, quia eſt de ratione formali Subſtantiæ, ſubſiſtere per ſe, & in ſubiecto non eſſe.

Solet eſſe Controuerſia inter Auctores, an iſta ſit Diuiſio Analogi in Analogata, an Vniuoci in Vniuocata.

Concluſio mea eſt: Diuiſio Subſtantiæ in primam, & ſecundam, eſt Analogi in ſua analogata.

Probatur Concluſio: quia illa eſt Diuiſio Analogi in analogata, qua diuiditur ratio analoga in partes inæqualiter participantes rationem diuiſam, ſed talis eſt hæc Diuiſio, ergo:

Probatur minor: quia ex Ariſtot. hic, prima Subſtantia eſt magis Subſtantia, quàm ſecunda, prima enim Subſtantia eſt ſingularis, ſecunda Subſtantia eſt Vniuerſalis, ſingulare autem primò, & principaliter ſubſiſtit; nam Vniuerſale ſubſiſtit in ſingularibus, & per ſingularia, ergo iam ratio Subſtantiæ inæqualiter participatur à membris diuidentibus,

Digitized by Google

bus,& conſequenter eſt analoga analogia inæqualitatis.

Obijcies primò : inter proprietates Subſtantiæ eſt enumerata hæc,nimirùm non ſuſcipere magis,& minus,ergo iam vna Subſtantia non poteſt dici magis, Subſtantia, quàm alia.

Reſpondeo: Subſtantiam ſecundum ſui rationem formalem,& ſecundum ſui eſſentiam nõ ſuſcipere magis, & minus, ſed tamen ſecundum modum, quo participatur à ſuis inferioribus ſuſcipit magis,& minùs,quatenùs primò,& principaliter participatur à prima Subſtantia, Secundariò,& minus principaliter participatur à ſecunda Subſtantia, ſicuti Anima rationalis, cùm indiuiſibilis ſit in ſe,non ſuſcipit magis,& minùs,& tamen poteſt dici,quòd magis ſit in cerebro,quàm in reliquis partibus corporis, quia in cerebro exercet præcipuas ſui functiones,& operationes.

Obijcies ſecũdò: Eſſentia,& Proprietas primò conueniũt Speciei, & mediãte Specie conueniunt indiuiduis, ergo cùm ſubſiſtere per ſe, & ſubſtare accidẽtibus ſint Eſſentia,& Proprietas Subſtantiæ,primò conueniunt Speciei,& ſecundæ ſubſtantię,quàm conueniant Indiuiduo,& primæ Subſtantiæ.

Reſpondeo:Eſſentiam,& Proprietatẽ primò conuenire Speciei tãquam principio, quod conſtituitur per eſſentiam, & ex quo oriuntur proprietates,non verò tanquam ſubiecto, in quo primò recipiantur, tale enim eſt indiuiduum, & ſingulare.

Obijcies tertiò: ſecunda Subſtantia prædicatur de prima , homo enim prædicatur de Petro, ergo non benè diuiditur Subſtantia in primam,& ſecundam, ſi enim ſecunda Subſtantia prædicatur de prima,ergo coincidit cùm prima,ſeù idẽ eſt cùm prima: eſt autẽ lex bonæ,& accuratæ diuiſionis,vt membra diuidẽtia non coincidant.

Reſpondeo:ſecundam Subſtantiam prædicari de prima non ſecundum rationem diuiſam,ſed ſecundum aliam rationem , Animal enim prædicatur de Homine,non quà Genus eſt,non quà ſecunda Subſtantia,ſeù Vniuerſalis eſt,nõ enim, quando dicitur , Homo eſt Animal,ſenſus eſt, Homo eſt Genus: ſed ſecunda Subſtantia prædicatur de prima, ſecundum aliam rationem,verbi gratia, quando prædicatur Animal de Homine,prædicatur ſecundum quod Animal eſt.

LECTIO III.

An Deus ponatur in Prædicamento Subſtantiæ.

PRæmitto: Ad hoc vt Deus ponatur in Prædicamento Subſtantiæ, requiruntur duo. Primum eſt, quòd Deus ſit capax Generis; ſecundum eſt, quòd ſit capax compoſitionis ex Genere, & Differentia; quicquid enim ponitur in hoc Prædicamento, habet iſta duo, & eſt capax Generis, & eſt capax compoſitionis ex Genere,& Differentia.

Concluſio mea eſt: Deus non ponitur in Prædicamento Subſtantiæ. *Ità ex Philoſophis Mercurius Triſmegiſtus in Epimandro cap.1. Auer.diſp.7.& con.Algazeleno cap.vlt. Auicen.8.Met.c.4. & cum his omnes Interpretes Ariſt.ex Sãctis Patribus D.Auguſt.lib.de Cognitione veræ vitæ c. 3. Anſelmus in Monologio cap.26. & cùm eis Boetius lib.de Trinit.cap.6.Ex Scholaſticis Mag.in 1.diſt.8. Scotus, Richar. Durand. Alenſis 1.p.q.48. memb.5. art.2. & 3. D. Thomas lib.1.contrà Gentes cap.24.& 25. Auerſa q.17.Log.ſect.3. Dico ſecundò,Runius in Log.c.5.de Subſtantia q.2.* Contrà *Greg.& Gab.in 1.d.8.q.3.Holcot.q.6. Io. Bacconium d.9.q.1. le Reès Com. in Ariſt. Prædicam.§.11.*

Probatur Cõcluſio primò:quia Deus non eſt capax Generis, nec poteſt poni ſub Genere,ergo nõ ponitur in hoc Prædicamento,quicquid enim ponitur in hoc Prædicamẽto debet eſſe capax Generis. Antecedens probatur,primò,quia non poteſt dari ratio Subſtantiæ vniuocè communis Deo, & creaturis; quod requiritur ad Genus,hoc enim neceſſariò debet eſſe vniuocum; ratio autem Subſtantiæ non eſt communis vniuocè Deo, & Creaturis, quia non participatur ęqualiter à Deo,& à Creaturis,Deus enim ſicuti perfectius eſt Ens, quàm ſit Creatura,ità perfectior eſt Subſtantia, quàm ſit Creatura: Secundò probatur idem Antecedens, quia de ratione Generis vniuoci eſt perfectè præſcindere ab inferioribus, & inferiora non includere,ſed Deus,vtpotè infinitus omnia includit, & à nulla re poteſt præſcindere,ergo Deus non eſt capax Generis.

Digitized by Google

Probatur ſecundò Concluſio quia: Deus non ex capax compoſitionis ex Genere,& Differentia,quòd omninò requiritur in eo,quod ponitur in hoc Prędicamento, ergo. Antecedens probatur qu ia,Deus eſt ſimpliciſſimus,ergo non eſt capax vllius compoſitionis,compoſitio enim ex Genere, & Differentia eſt compoſitio ex potentialitate, & actu, ſed Deus totus eſt perfectiſſimus,& ſimpliciſſimus actus ergo eſt omninò incapax compoſitionis ex Genere, & Differentia,ex potẽtialitate,& actu; nam quà ſimpliciſſimus omnem compoſitionem excludit, quà perfectiſſimus actus excludit omnem potentialitatem.

Obijcies primò:compoſitio ex Genere, & Differentia,eſt compoſitio rationis, ſed Compoſitio rationis non repugnat Diuinæ ſimplicitati, ergo.

Probatur minor quia: diſtinctio rationis,& per Intellectum non repugnat Diuinæ perfectiſſimæ Vnitati, ergo cõpoſitio rationis non repugnat Diuinæ perfectiſſimæ ſimplicitati.

Reſpondeo: Compoſitionem ex Genere,& Differentia,eſſe compoſitionem rationis cũ fundamento in re; nam cõpoſitio iſta Logica,ſeù Metaphyſica ex Genere,& Differentia fundatur in compoſitione Phyſica ex potentia, & actu, Deo autem,cùm ſit perfectiſſimus actus, omnis potentialitas repugnat. At diſtinctio rationis ſupponit pro ſui fundamẽto æquiualentiam ad multa, at æquiualentia ad multa nullam arguit imperfectionem in Deo, ideò diſtinctio rationis cũ fundamento in re non repugnat perfectiſſimæ Vnitati. compoſitio verò rationis repugnat Diuinæ perfectiſſimæ ſimplicitati.

Obijcies ſecundò: poteſt abſtrahi ratio Subſtantiæ,vt ſic,communis ad Deũ, & Creaturas, ergo iam Deus ponitur ſub Genere,& communi Prędicamento Subſtantiæ. Antecedens probatur, quia Subſtantia, vt ſic, abſtrahens à Deo, & à Creaturis, neque eſt Deus, neq; Creatura,ergo eſt quid commune,& genericè vtrique conueniens.

Confirmatur quia: poteſt abſtrahi ratio Spiritus, vt ſic, prout communis ad Spiritum increatũ, cuiuſmodi eſt Deus, & ad Spiritum creatum, cuiuſmodi eſt Angelus,ergo.

Reſpondeo: tàm ad principale argumentum,quàm ad eius Cõfirmationem: quòd talis ratio Subſtantiæ, & Spiritus, vt ſic abſtracta,non eſt communis Deo, &Creaturis vniuocè,ſed analogicè,quia ratio Subſtantiæ, & Spiritus principaliter,& perfectius participatur à Deo,quã participetur à Creaturis;ideò talis ratio Subſtantiæ,vel Spiritus, vt ſic, non poteſt habere rationem Generis Prædicamentalis,quod debet eſſe vniuocum: ſicuti ob eandem rationem ratio entis,in communi Sententia,non eſt Genus Prędicamentale relatiuè ad Subſtantiam, & Accidens,quia non eſt vniuocum.

Obijcies tertiò:Angeli ſunt actus puri,& ſimplices, & tamen ponuntur in hoc Prædicamento Subſtantiæ, ergo quãuis Deus ſit actus purus, & ſimplex, adhùc poteſt poni in hoc Prædicamento. Antecedens patet tùm ex communi Sententia,tùm Auctoritate *Ariſt.3.Met. t.8.*vbi in Prædicamento Subſtãtiæ ponit corpora ſimplicia,& Dæmonia.

Reſpondeo:Angelis non repugnare compoſitionem ex potẽtialitate,& actu, atque adeò non repugnare compoſitionem ex Genere,& Differentia;ſunt enim actus puri,non puriſſimi;ſunt actus ſimplices,non actus ſimpliciſſimi,ideò ſunt compoſiti ex Natura, & ſuppoſito, ex Subſtantia,& Accidẽtibus.Deus autem eſt actus puriſſimus, & ſimpliciſſimus omnem excludens potentialitatem.

Obijcies quartò:in Deo ex communi Theologorum Sententia, datur ratio communis, & abſoluta, & ratio relatiua,& notionalis, ſeù perſonalis, ergo iã in Deo datur aliqua ratio generica, & communis, & alia ratio differentialis, & particularis, ergo iam compoſitio aliqua ex ratione generica,& communi,& ex ratione differentiali, ſeù perſonali.

Reſpondeo: ſuppoſito,rationem abſolutam,& communem omnibus tribus Diuinis Perſonis eſſe rationem Eſſentię, & Naturæ,rationem potentiæ,& huiuſmodi; rationem verò notionalem, & relatiuam eſſe potentiam generandi,quę eſt propria Patris,rationem Geniti,quæ eſt propria Filij; Reſpondeo, inquam, rationem abſolutam,& communem in Diuinis,eſſe vnam numero,& perfectiſſimè ſingularem,ideò non eſſe vllo modo rationem Genericam Logicè, ratio enim generica Logicè non eſt ſingularis,ſed abſtrahit, & præſcindit ab omni ſingularitate,eſto ſimilitudinariè,& per quandam analogiam ratio illa communu-

Digitized by Google

munis dici poſſit Genus.

Colligite ex his: Subſtantiam Prædicamentalem, non eſſe Subſtantiam increatã, & infinitam, ſed ſolùm Subſtantiam creatam, & finitam; ſiuè deindè hæc Subſtantia ſit Spiritualis, ſiuè Corporalis, ſiuè corruptibilis, ſiuè incorruptibilis; quia nulli Subſtãtiæ creatæ, ſiuè ſpirituali, ſiuè corporali, ſiuè corruptibili; ſiuè incorruptibili, repugnat ratio Generis, aut Compoſitio ex Genere, & Differentia.

LECTIO IV.

Affertur Definitio Relationis.

PRæmitto primò: dari relationes reales, quibus conſtituitur peculiare Prædicamẽtum, & non ſolas relationes rationis, certũ eſſe inter Doctores Claſſicos, docet *Ouiedo in Met. Contr. 9. p. 1. n. 4.* & hunc eſſe ſenſum totius Scholæ, docet *Ruui. in Log. c. 7. de Adaliquid q. 2.*

Probatur duplici ratione, vna deducta ex principijs naturalibus, altera deducta ex principijs Fidei Diuinæ: Prima eſt, quia ex Natura rei, & antè omnem operationem Intellectus, paries albus, verbi gratia, eſt ſimilis alteri parieti albo, diſſimilis parieti nigro; vna quantitas eſt alteri æqualis, vel inæqualis; & ſuppoſito, quòd vnus homo generet alium, is, qui generat, dicitur Pater Homo genitus dicitur filius; dantur ergo nullo Intellectu cogitante, Paternitas, & filiatio; ſed ſimilitudo, diſſimilitudo, æqualitas, & inæqualitas, Paternitas, & filiatio, ſunt relationes, ergo iam dantur relationes reales.

Altera ratio ex Fide Diuina eſt quia: in Deo dãtur Relationes reales, quibus Pater reſpicit Filiũ, Pater, & Filius reſpiciunt Spiritũ Sanctũ, ergo etiam dantur in creatis, cũ ex alia parte nulla poſſit aſſignari repugnãtia, aut abſurdum, quod ſequatur ex poſitione relationis realis in creatis: Hæ rationes ſimul acceptæ, & communis ferè omnium Doctorum ſenſus faciunt rem moraliter certam.

Dixi ferè omnium, quia exceptis Antiquiſſimis nonnullis, quos refert. *Auer. 12. Met. Com. 19.* & paucis Recentioribus, quos ad bonum ſenſum trahit, & explicat Ouiedo vbi ſuprà, nullus Philoſophorum eſt, qui Relationes reales nõ admittat.

Dixi moraliter certam, non Mathematicè, quia impoſſibile eſt, de omnibus rebus afferre demonſtrationem Mathematicam ex *Ariſt. 4. Met. c. 4. t. 10.*

Præmitto ſecũdò ab *Ariſt. in Præd. c. de Adaliquid* duas afferri Definitiones Relationis, quam & Adaliquid ibi vocat Philoſophus. Prima eſt. *Ea dicuntur Adaliquid, quæ id, quod ſunt, aliorum eſſe, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur:* conſequenter ad hanc Definitionem aſſignat Proprietates Relationis eſſe quatuor; nimirum, relatiua contrarietatem habere, ſuſcipere magis, & minus, dici ad conuertentiam, denique eſſe ſimul Natura. Altera Definitio Relationis eſt. Ea ſunt Adaliquid, quorum eſſe, idem eſt ei, quod eſt ad aliquid aliquo modo ſe habere: in qua Definitione Ruuius, & Ouiedo locis ſupracitatis, volunt virtualiter, & implicitè contineri particulam (*totum*; & ratio eſt, quia ſi eſſe relationis, eſt eſſe ad aliquid, ergo iam totũ eſſe relationis, eſſentia relationis eſt ad aliud.

Data hac ſecunda Definitione, aſſignat Ariſt. vnam tantum proprietatem relatiuorum, quæ eſt, cognito vno relatiuo definitè, cognoſci debet, & aliud. *Ex his patet, ſi quiſpiam aliquid eorum, quæ ſũt ad aliquid, definitè ſcit, ſimul id, quod ad illud dicitur, definitè ſciet.*

Primam Definitionem, (quam fuiſſe Antiquorum putant Interpretes), Ariſt. reijcit, & impugnat, tùm quia ex ea ſequeretur, eſſe difficile, aut impoſſibile nullam Subſtãtiam ad aliquid eſſe, oſtẽdere, tùm quia ſequeretur Relatiuis cõuenire quatuor illas Proprietates, nempè, habere contrarietatem, ſuſcipere magis, & minus; eſſe ſimùl Natura, & dici ad conuertentiam; quę ſi non omnes, ſaltem duæ primæ falsò attribuuntur relatiuis, ſuſcipere enim magis & minus, & habere contrarietatem, proprietates ſũt qualitatis, non Relationis; vndè *Ariſt. c. de Quantitate*, negat expreſſè, relatiua habere contrarietatem.

Concluſio mea eſt: Relatio, ſeù Adaliquid eſt Accidens, cuius totum eſſe, eſt ad aliud eſſe.

Probatur: quia hæc eſt germana, & vera Definitio tradita à Philoſopho hic, & per eam adæquatè, & ſufficientiſſimè explicatur Eſſentia Relationis, ergo ea Definitio recipienda eſt, & ſuſtinenda. Antecedens verò probatur, quia per ha-

qere totum ſuum eſſe ad aliud, contradiſtinguitur Relatio ab omni alio, quod non eſt ipſa, ab omni alio Prædicamento, pręcipuè verò à Subſtantia, & à qualitate, cùm quibus confundebatur Relatio ab Antiquis, ergo per habere totū ſuum eſſe ad aliud, conſtituitur eſſentia relationis, ergo cū in ea Definitione ponatur Relatio habere totum ſuum eſſe ad aliud, ſufficientiſſimè, & adæquatè declarata eſt eſſentia Relationis.

Confirmatur quia: data priore Definitione, ſequeretur, quòd Subſtantiæ cōpeteret relationis eſſentia, licèt enim tota ipſa Subſtantia, putà aqua, verbi gratia, non poſſit dici alicuius tanquam termini, tamen parti Subſtantiæ conueniret eſſe alicuius, putà capiti, vel brachio, nam caput, alicuius Hominis eſt caput; & brachium, alicuius Hominis eſt brachium, ſed Subſtantia eſt Prædicamentum omninò abſolutum, & diuerſum à Prædicamento Relationis, ergo.

Obijcies primò: Relatio tranſcendētalis nō habet totum ſuum eſſe ad aliud, ergo Definitio Relationis non conuenit omni Definito, atque adeò non eſt adæquata Definito.

Reſpondeo: Philoſophum hic aſſignaſſe ſolum Definitionem Relationis Prædicamentalis, quia eius inſtitutum erat explicare decem Prædicamenta, ideò ſub hac Definitione non comprehendi Relationem Tranſcendentalem, quam tamen infrà definiemus.

Obijcies ſecundò: Paries albus, vt ſex eſt magis ſimilis parieti albo, vt octo; quàm ſit ſimilis paries albus, vt quinq;, ergo ſimilitudo, quæ eſt relatio prædicamentalis, ſuſcipit magis, & minus.

Reſpondeo: Parietem album, vt ſex dici magis ſimilem, non quia ipſa ſimilitudo ſuſcipiat magis, & minus, ſed quia albedo ipſa, quæ eſt fundamentum relationis ſimilitudinis nō ratione ſuimetipſius formaliter, ſed ratione fundamenti ſuſcipit magis, & minus; hinc eſt, quòd relatio fundata in actione, quæ non ſuſcipit magis, & minus, nō ſuſcipiat magis, & minus, neque enim vna Paternitas eſt magis Paternitas, quàm alia.

Obijcies tertiò: Relatio eſt Accidens, ſed Accidens de ſua Natura habet eſſe in ſubiecto, ergo non benè definitur Relatio, quòd habeat totum ſuum eſſe ad aliud, quia præter eſſe, ad, habet quoque eſſe, in; ideſt, eſſe in ſubiecto.

Reſpondeo: In Relatione eſſe duo, nimirum eſſe Accidens, & eſſe tale Accidens. Relatio quà tale Accidēs, dicit ſolùm, & tantū eſſe ad aliud; quà Accidens verò vt ſic, & in genere, habet eſſe in, quia reuerà eſt in aliquo ſubiecto, hæc enim eſt ratio generica cōueniens cuicunque Accidenti.

LECTIO V.

Affertur Diuiſio Relationis in Prædicamentalem, & Tranſcendentalem.

PRæmitto primò: Varias eſſe Relationum Diuiſiones, & ſubdiuiſiones; nam in primis alia eſt Relatio ſecūdum dici, & alia eſt Relatio ſecundum eſſe. Relatio ſecundum dici eſt in ijs, quæ vi ſolius nominis, & extrinſecæ denominationis referuntur. Ità Obiectum ſcibile refertur ad Scientiā relatione ſecundum dici, quia Obiectum ſcibile, prout præcisè denominatur, & dicitur ſcibile, refertur ad Scientiam, non verò ſecundum eſſe, & entitatem ſuam, cùm enim à Scientia non habeat dependentiam, neque ad illam habet relationem, aut reſpicientiam. Iterum Relatio alia eſt realis, alia eſt rationis; Relatio rationis eſt in ijs, quæ cum capacia non ſint relationis realis, habent tamen connexionem cùm alijs, quæ connexio eſt relatio rationis, ità Deus, vt Creator, habet connexionem cùm Creaturis, ſed quia non eſt capax relationis realis, ideò refertur relatione rationis. Relatio realis eſt in ijs, quæ verè realiter referūtur; Cæterum ea verè realiter referūtur, quæ ſunt entia realia poſitiua, & ſunt capacia relationis de nouo aduenientis; defectu primæ conditionis inter Ens, & non Ens, non interuenit relatio realis. Defectu ſecundæ inter Deum, & Creaturas non adeſt relatio realis, non quia Creaturæ non ſint capaces relationis de nouo, ſed quia Deus ipſe eſt incapax nouæ relationis, & accidentis.

Iterum relatio realis ſubdiuiditur in mutuam, & non mutuam; relatio realis mutua eſt realis ex parte vtriuſq; extremi, talis eſt relatio ſimilitudinis inter duos parietes albos. Relatio realis non mutua eſt realis ex parte vnius extremi tantùm, ità relatio inter Deum, & Creaturas

turas

Digitized by Google

turas,eſt realis ex parte Creaturarum, non reſpectu Dei.

Præmitto ſecundò: Ratione diuerſi fundamenti triplex aſſignari Relationū Genus;nam aliæ ſunt Relationes fundatæ in Vnitate,& numero; aliæ in Actione,& Paſſione; aliæ denique in menſura,& menſurato. Et quidem nomine Vnitatis, & Numeri venit Conuenientia, & Diſconuenientia; quando ergo duo cōueniunt in vna Specie qualitate, talis Conuenientia dicitur ſimilitudo; quando autem eſt Diſconuenientia in qualitate,dicitur Diſſimilitudo. Iterum ſi ſit conuenientia in quantitate,dicitur æqualitas,ſi ſit diſcouenientia in Quantitate, dicitur Inæqualitas. Denique ſi ſit conuenientia in Natura, & Eſſentia, dicitur Identitas;ſi ſit diſconuenientia in Natura,dicitur Diuerſitas.

Relationes fundatæ in Actione, & Paſſione, dicuntur eſſe fundatæ in Cauſalitate cauſæ efficientis: tales ſunt Relationes Paternitatis, & Filiationis,omneſq;aliæ Relationes Cauſarum ad ſuos effectus.

Denique Relationes fundatæ in mēſura,& menſurato,aduenīūt iis,quorum vnum eſt menſura, & regula perfectionis alterius, ità Obiectum eſt menſura, & regula perfectionis Scientiæ, ex eo enim quòd eſt magis, vel minus perfectum Obiectum,infertur maior,vel minor perfectio Scientiæ, quæ propterea dicitur mēſurari, & ſpecificari ab Obiecto. Notat autem hic *Philoſophus*,relationes primi, & ſecundi Generis eſſe mutuas;relationes verò tertij generis nō eſſe mutuas, licèt enim Scientia referatur ad Obiectum,tamen Obiectum non refertur ad Scientiam; ratio eſt quia Scientia non poteſt eſſe ſinè Obiecto, benè tamen Obiectum poteſt eſſe ſinè Sciētia,data enim impoſſibili Scientia, adhùc eſſet Obiectum.

Præmitto tertiò: Valdè celebrem, & famoſam eſſe Diuiſionem Relationis in Prædicamentalem, & Tranſcendentalem, ſed non eſt vna omnium Doctorū Sententia in aſſignanda differentia Relationis Tranſcendentalis in eſſe tranſcendētalis,& diſtinctiua illius à Relatione Prædicamentali.

Primò ergo nonnulli,contēdunt Relationem tranſcendentalem differre à Prædicamentali, quia hæc reſpicit terminum actu exiſtentem, illa verò reſpicit terminum,vel poſſibilem, vel etiā impoſſibilem, & repugnantem; patet enim, quòd cognitio, & Scientia, quæ tranſcendentaliter referuntur ad Obiectum,ſæpè habent pro Obiecto aliquod impoſſibile,& implicans,vt vidimus ſuprà *Diſp*. 1. *Lect*.8. explicantes Ens rationis. *Ità ſentiunt nonnulli, quos citat Suarez diſp*.47. *Met. ſect*.4. Sed contrà hos Auctores eſt,quia Vnio extremorū,actio ad terminum, ſunt relationes tranſcendentales in omnium Sententia,& tamē non poſſunt exiſtere ſinè extremis, & terminis actu exiſtentibus.

Secundò: alij contradiſtinguunt Relationem Prędicamentalem à Tranſcēdentali, quia Relatio Prædicamentalis reſpicit terminum purè ſub ratione termini,& nullum aliud munus exercet in ſubiecto,quod refert ad terminum:E contrà verò Relatio tranſcendentalis, non reſpicit terminum purè ſub ratione termini,ſed aliud munus exercet, tùm in ſubiecto,quod refert ad terminum, tū in termino,quem reſpicit. Exempli gratia, ſimilitudo in pariete albo, quia eſt relatio Prædicamentalis nihil aliud facit, quàm referre vnum parietem album ad alium;at relatio Scientiæ, quia eſt tranſcendentalis,non ſolū refert Scientiā ad Obiectum,ſed conſtituit Scientiam in eſſe Scientiæ, conſtituit Obiectum in eſſe terminantis Scientiam. Ità diſcurrit *Suarez diſp*.47.*ſect*.4.*num*.9. *ex Caietano*.

Sed contrà eſt quia:Paternitas eſt relatio Prædicamentalis, & tamen non reſpicit terminum purè ſub ratione termini,& ſubiectum purè ſub ratione ſubiecti,ſed facit aliud munus circà ſubiectum, quia conſtituit Hominem in eſſe Patris,& Filiū in eſſe geniti, & cauſati à Patre.

Tertiò, alij contradiſtinguunt Relationem Tranſcendentalem à Prædicamentali per id,quòd relatio Traſcendētalis eſt eſſentialis ſubiecto,relatio verò prædicamentalis eſt accidentalis ſubiecto. Ità ſimilitudo eſt relatio prædicamentalis, quia eſt accidentalis parieti albo, relatio Scientiæ ad Obiectum eſt eſſentialis ipſi Scientiæ: *Ità Hurt.diſp*.15 *ſect*.8.§.91. *Ariaga diſput*.12.*ſect*.2. *&* 3. *Ouied.Controu*.10.*p*.1.

Huic Sententiæ, quam puto reliquis probabiliorem, ex parte acquieſco,ex parte contradico;acquieſco in eo,quod dicit,Relationem Prædicamentalem eſ-

ſe

Digitized by Google

ſit accidens; contradico in eo,quod aſſerit Relationem Trāſcendentalem eſſe Eſſentiam ſubiecti; id enim non verificatur de omni relatione Tranſcēdētali, nam Vnio eſt relatio Tranſcendentalis Materiæ primæ ad Formam , & tamen non eſt eius prædicatum eſſentiale,poſſunt enim eſſe,ſaltem de abſoluta potentia in Sententia horum Auctorum, Materia, & Forma abſque modo Vnionis, ergo modus Vnionis non eſt prædicatum eſſentiale ſui ſubiecti,ſit ergo.

Concluſio mea: Relatio Prædicamentalis diſtinguitur à Tranſcendētali,quia Relatio Prædicamentalis eſt Accidens realiter ſuperadditum ſubiecto , relatio verò Tranſcendentalis non eſt Accidēs, ſed vel eſt eſſentiale prædicatum,vel aliquid ſubſtantiale.

Concluſio manet probata,tū ex confutatione aliarum Sententiarum, tùm quia per aſſignatam differentiam contradiſtinguitur omnis relatio Trāſcendentalis à Prædicamentali , ergo iam eſt aſſignata differentia adæquata vnius Relationis ab altera; Vnio enim,de qua eſt ſpecialis difficultas,licèt nō ſit eſſentialis Materiæ primæ, eſt tamen modus ſubſtantialis.

Hinc habetur,quare Relatio Trāſcēdentalis dicatur Tranſcendētalis,& vagari per omnia Prædicamenta, quia nimirum non eſt peculiare aliquod Accidens , ſpectans ad peculiare aliquod Prædicamentum , ſicuti eſt Relatio accidentalis,quæ propterea dicitur Prædicamentalis,quia conſtituit vnum peculiare Prædicamentum ex decem ab Ariſtotele aſſignatis.

LECTIO VI.

Præmittitur Generalis Doctrina de Vario Diſtinctionum Genere.

PRo intelligentia ſimul, & ſolutione celeberrimæ Controuerſiæ, an ſcilicèt Relatio ſit modus diſtinctus à Fundamento,petitur ex Metaphyſicis generalis Doctrina de Vario Diſtinctionum Genere.Quare.

Præmitto primò,Diſtingui vnum ab alio nihil eſſe aliud formaliter, quàm vnum non eſſe aliud . Primò autem , & Vniuerſaliter duplex diſtinctio aſſignatur,nempè realis,& nullo Intellectu cogitāte,& altera eſt rationis,& per Intellectum: Diſtinctio realis eſt inter ea,quę à parte rei, & nullo Intellectu cogitante ità ſe habent,vt vnum non ſit aliud; ſic diſtinguuntur,verbi gratia,Petrus,& Paulus,quia Petrus non eſt Paulus. Diſtinctio rationis eſt,cū per Intellectum vnum diſtinguitur ab alio,cū quo tamē eſt realiter identificatum,ità ſolet Intellectus diſtinguere, verbi gratia, Naturā humanam à Petro,concipiendo Naturā humanam non concepto Petro, cū quo tamen Natura humana eſt realiter identificata.

Præmitto ſecūdò: Diſtinctionē rationis ſubdiuidi, itaut alia ſit diſtinctio rationis ratiocinātis,& ſinè fundamēto in re,& alia ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ,& cū fūdamēto in re;diſtinctio rationis ratiocinantis eſt, cùm idem à ſeipſo diſtinguitur, verbi gratia, ſi Intellectus faceret hanc Propoſitionem identicam, Socrates eſt Socrates, Diſtinctio rationis ratiocinatæ,& cū fundamento in re, eſt,cū ex eo, quòd res vna cæteròqui indiuiſibilis æquiualet multis , Intellectus ſumit occaſionem,& habet fundamentum in illa vna re diſtinguendi multa; ità quia Anima Rationalis,vtpotè indiuiſibilis,æquiualet Intellectui,quādo intelligit; Voluntati,quando vult,& amat, Memoriæ , quando recordatur, ideò ſumit Intellectus occaſionem , & habet fundamentum diſtinguēdi Memoriam, Voluntatem, & Intellectum ab Anima.

Præmitto tertiò. Diſtinctionem Realem ſubdiuidi, ità vt alia ſit realis rei à re,alia realis modi à re,denique alia realis ex Natura rei, quam Scotiſtæ appellant etiam formalem , ſeù quidditatiuam· Diſtinctio realis rei à re eſt inter ea, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt inuicem ſeparata. Diſtinctio realis modi à re, eſt inter ea , quorum vnum poteſt eſſe ſinè alio,at non è contrà,quia nimirùm res poteſt eſſe ſinè modo , ſed modus propter minimam ſui,& imperfectam entitatem non poteſt eſſe ſinè re , cuius eſt modus . Ità Accidens poteſt eſſe ſinè actuali inhærentia,ſaltem Diuinitus , & ſupernaturaliter,vt patet in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramēto, vbi adeſt Quātitas ſeparata ab actuali inhærentia. At inhærentia actualis non poteſt eſſe ſine Accidente. Denique , Diſtinctio realis ex Natura rei conuenit gradibus Metaphyſicis ; ſeū prædicatis eſſentialibus

vnius,

Digitized by Google

vnius, eiuſdemque rei; ità diſtinguuntur in Homine Animal, & Rationale in Sententia Scotiſtarum, qua de re fuſiùs nobis agendum erit in Metaphyſica.

Præmitto quartò: in Relatione præter formalitatem Relationis eſſe plura; nimirum Subiectum, Fundamentũ, Rationem fundandi, & Terminum correlatiuum. Subiectum eſt id, quod recipit Relationem, Fundamentum eſt id, in quo fundatur relatio, & ſæpè Fundamẽtum confunditur cùm Subiecto Relationis. Ratio fundandi eſt actio illa, qua ponitur, ſeù producitur Fundamentum proximum Relationis; dixi proximum Fundamentum, quia ſæpè adeſt duplex Fundamentum Relationis, proximum ſcilicet, & remotum: ſit loco exempli, Relatio ſimilitudinis inter duos parietes albos, fundamentum remotum talis Relationis eſt paries, fundamentum proximum eſt, albedo, ipſa dealbatio eſt ratio fundandi; vbi vtrumque fundamẽtum proximum, & remotum eſt etiam ſubiectum proximum, & remotum Relationis. Denique correlatiuus terminus eſt alter paries, ad quem primus ille paries ſupponitur dicere Relationem ſimilitudinis.

Eſt, ergo celebris hac tempeſtate Cõtrouerſia, An Relatio ſit entitas realis diſtincta à Fundamento, & à Termino, an verò conſiſtat in ſolo fundamento, vel potiùs in Fundamento, & Termino ſimul coexiſtentibus.

LECTIO VIII.

Sententia Connotantium Reijcitur.

PRima Sententia eorum, qui modum Relationis negant, eſt *Suarez diſp. 47. Met. ſect. 3. num. 21. Franciſci le Reès in Ariſt. cat. art. 5. §. 4. Suarez ſequuntur alij Recentiores*, qui ampliant eius Doctrinã contrà alios modos Vnionis, Præſentiæ localis, Actionis mediæ inter Cauſam efficientem, & effectum; volunt enim omnes modos è medio tollere, & tanquam omninò ſuperfluos è numero entiũ excludere.

Defendit ergo hæc Sententia: Relationem formaliter, & adæquatè conſiſtere in ſolo fundamento proximo, ità tamen vt connotetur terminus; verbi gratia, relatio ſimilitudinis inter duos parietes albos, formaliter, & adæquatè conſiſtit in Pariete albo A., connotat tamen terminum, & parietem album B. qui niſi adſit paries A., non erit, nec denominabitur ſimilis. Contrà hanc Sententiam.

Concluſio mea eſt: Relatio non conſiſtit formaliter in fundamento adæquatè, cõnotãdo Terminũ, Ità ſentiunt non modo Auctores, qui defendunt Relationem eſſe Modum diſtinctum à Fundamento, & Termino, ſed etiam illi, qui defendunt Relationem conſiſtere in coexiſtentia duorum abſolutorum; quos infrà referam.

Probatur Concluſio Argumento *Scoti in 3. diſt. 1. q. 1.* quia; perit relatio, & non perit fundamentum proximum, ergo Relatio dicit aliquid diuerſum, & diſtinctum à fundamento proximo. Cõſequentia tenet, quia eſt fundata in illo primo, & Vniuerſaliſſimo principio lumine Naturæ noto, impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe; ſi enim Relatio formaliter cõſiſteret adæquatè in fundamento proximo, & hoc remanente, Relatio periret, iam Relatio ſimul eſſet, & non eſſet; eſſet, quia remaneret fundamentum, quod formaliter eſt ipſa Relatio; non eſſet, quia ſupponitur perire, & non eſſe, ergo iam idem eſſet, & non eſſet.

Antecedens verò probatur euidenter, quia pereunte pariete albo B., remanet paries albus A., & tamen perit Relatio ſimilitudinis, quia paries albus A. non dicitur ampliùs ſimilis parieti albo B.

Reſpondebis: remanente fundamẽto proximo Relationis perire relationem, quia perit Relationis connotatum, quod eſt Terminus; Relatio enim licèt formaliter conſiſtat adæquatè in fundamento proximo, dicit tamen vt ſui connotatum, terminum, quo deſtructo, deſtruitur quoque Relatio; ſicuti Cæna licèt formaliter conſiſtat adæquatè in comeſtione, quia tamen connotat tempus veſpertinum, ſi fiat comeſtio, & nõ veſpertino tempore, Cæna non eſt Cæna.

Sed contrà eſt, quia vel Connotatũ, & terminus eſt prædicatum intrinſecum, & eſſentiale Relationis, vel eſt prædicatum extrinſecum, & accidentale: ſi eſt prædicatum intrinſecum, & eſſentiale, ergo Relatio formaliter non conſiſtit adæquatè in proximo fundamen-

men-

mento,ſed etiam in termino, ſi non eſt prædicatum eſſentiale,imò potiùs accidentale,ergo ſaltem de abſoluta potentia poteſt eſſe Relatio, non exiſtente termino,quòd enim eſt rei accidentale, poteſt ab illo ſeparari, ſaltem de abſoluta Dei potentia. Ad inſtantiam de Cæna dico, tempus veſpertinum eſſe prædicatum eſſentiale Cænæ, non quidem,vt Comeſtio eſt,ſed vt Cæna eſt.

Replicabis,eſſe aliqua accidentia,quæ nec de abſoluta potẽtia poſſunt ſeparari à re,quam afficiunt,impoſſibile.n.eſt, vbicationẽ,& Durationẽ eſſe ſeparabiles à rebus vbicatis, & durantibus,neq; enim poteſt eſſe in rerum Natura, res aliqua, vel aliquod corpus, quod non ſit in aliquo loco, vel aliquo tempore, ergo iam dantur Accidentia, quæ nec de abſoluta potentia poſſunt ſeparari à re,cuius ſunt Accidentia.

Sed contrà eſt:quia licèt admittam nec de abſoluta potentia poſſe aliqua accidentia ſeparari à re illa, cuius ſunt accidentia,adhùc ſic argumentor.Accidentia,& omnia ea prædicata, quæ ſunt omninò extrà Eſſentiam rei, non ſunt de eſſentiali, & quidditatiuo conceptu eius rei, ideòque benè poteſt concipi res illa ſinè accidentibus,& ſinè ijs,quę ſunt omninò extrà eius eſſentiã, at Relatio non poteſt concipi ſine termino ſaltem confusè cognito,Relatio enim eſſentialiter eſt nexus duorum, cius eſſe eſt ad aliud,ergo non poteſt formari, & haberi formalis conceptus Relationis ſine termino ſaltem confusè cognito, ergo verè terminus non eſt omninò extrà eſſentiam Relationis; ſed aliquo modo ad eius eſſentiam ſpectat, & pertinet.

Pro huius argumenti principalis ſolutione adducunt Aduerſarij alias plures Reſponſiones, quas efficaciter reijciunt. *Ouied.Contr.9.Met.part.*4.§.2. *per totum, Ariaga diſp.*12.*Log.ſect.*8.*ſubſect.*2. Quia verò hoc argumentum commune eſt omnibus modis, & vniuerſaliter eo probatur,omnem modum formaliter non cõſiſtere adęquatè in ſubiecto proximo, ſeù proximo ſui fundamento; ideò.

Probatur ſecundò Concluſio mea Argumento ſpeciali,& proprio Relationis,quia: ſi Relatio formaliter conſiſteret adæquatè in fundamento proximo; verbi gratia, ſi Relatio ſimilitudinis adæquatè conſiſteret formaliter in albedine A.; iam Relatiò eſſet de Genere,& Prædicamento Qualitatis, & ſic Relatio non conſtitueret Prædicamentum diſtinctum à reliquis, conſequens eſt abſurdum, & contrà communem ſenſum,ergo.

Confirmatur:quia ſi bonus eſſet hic modus Philoſophandi Connotantium, ſimili modo,poſſet dici, Hominem formaliter cõſiſtere adæquatè in ſola Anima Rationali connotando Corpus, & Vnionem; Quantitatem eſſe Accidens, ſi connotet ſubiectum; non eſſe Accidens,ſed Subſtantiam, ſi non connotet ſubiectum;quæ patet eſſe abſurda, ergo non poteſt ſaluari Relatio iuxtà hunc modum Philoſophandi, & diſcurrendi.

Obijcies primò:Decretum liberum Dei de Creaturæ futuris nihil aliud formaliter importat,quàm entitatem Dei, cõnotando ipſas Creaturas futuras,vndè ſi Creaturæ non eſſent futuræ,non eſſet Decretum liberum Dei de illarum futuritione, ergo iam poſſet non eſſe Decretum liberum Dei,inuariata prorſus remanente Entitate Diuina, ergo à pari Relatio,eſto conſiſtat adæquatè in proximo ſui fundamento, adhùc tamen poterit perire Relatio,firmo,& inuariato remanente eius proximo fundamento.

Reſpondeo: res merè naturales, & minimæ Entitatis,cuiuſmodi eſt Relatio,explicare per ſupernaturalia, & Diuina,nihil aliud eſſe,quàm Tragicorum more Deum ad terras machinis deducere ad nodos extricandos grauiſſimarum difficultatum; atque adeò hoc argumento euerti, & deſtrui omnem bonam Philoſophiam,imò, & Scholaſticã confundi methodum,quæ ſemper à notioribus,& facilioribus ad difficiliora, & ignotiora procedit: eo autem argumento obiecta difficilia, & ignota per alia difficillima, & penè inintelligibilia,& multò magis ignota explicari;difficultas enim de Actibus, ſeù Decretis liberis Dei eſt omniũ maxima, quas tota contineat Theologia, & omnes Theologi fatentur, eam eſſe Intellectui noſtro inſuperabilem: Prætereà dico, neque per hæc cõnotata benè explicari Decreta libera Dei, quia antecedenter ad hæc connotata intelliguntur actus liberi,ſeù Decreta libera,quia hæc Decreta ſunt cauſa Creaturarum futurarũ,

ideò

Digitized by Google

ideò enim creatura eſt futura , quia Deus voluit,& decreuit illam eſſe futuram;non è contrà,ideò voluit,& decreuit Deus,Creaturam eſſe futuram , quia illa eſt futura:Hinc inſtantia adducta de actibus liberis Dei nihil concludit .

Obijcies ſecundò:ſi ponatur Relatio conſiſtere adæquatè in fundamento ſui proximo,non multiplicantur entia in rerum Natura, & ex alia parte nullum ſequitur abſurdum, ergo ità debet poni Relatio,vt à ſui Fundamento proximo non diſtinguatur.

Reſpondeo: plures ex Philoſophis, vt multiplicationi entium parcant,cogi ad concedenda multa abſurda, quæ admiſſa entium multiplicitate,facilè effugerent,& euitarent. In primis ergò poſito Relationem conſiſtere adæquatè in proximo Fundamento, ſequeretur non ſolum idem eſſe,& non eſſe,vt in primo argumento adducto pro mea Concluſione probaui, ſed etiam omnes modos eſſe de medio tollendos,& negandos,de his enim militat eadem ratio, & conſequenter,aut omnes ſunt admittendi,aut omnes negandi. Imò & ſequeretur Hominem adæquatè conſiſtere in ſola Anima Rationali, Quantitatem nō diſtingui à Subſtantia, & alia plura his ſimilia poſſent abſurda efficaciter inferri ex vi tertij Argumenti in fauorem meæ opinionis adducti,ideò non debemus ponere Relationem adæquatè conſiſtere in fundamento ſui proximo.

LECTIO VIII.

Refutatur Sententia ponens Relationem conſiſtere in coexiſtentia duorum Abſolutorum.

Altera Sententia eorum, qui Relationis entitatem modalem negāt, eſt Auctorum,qui aduertentes Relationem non poſſe adæquatè ſaluari in ſolo Fundamento proximo, poſuerunt Relationem conſiſtere in Fundamento ſimùl,& termino, ſeù in coexiſtētia duorum abſolutorum;ſeù,vt alij loquuntur in denominatione partim intrinſeca, partim extrinſeca , intrinſeca quidem reſpectu fundamenti , extrinſeca reſpectu termini.Ita ſentiūt *Nominales,Ochamus in 1.d.30.q.1.& diſt.32. q.1. Greg.in 1.diſt.28.q.2.Marſ.q.32.art.1.*ex Thomiſtis hanc Sententiā ſequuntur *Sotus q.2.in cap.de Adaliquid,Zumel 1.p.q.28.ar.2.q.6.Heru.in 1.diſt.3.art.1.& quodlib. 7. q.17.& quodlib.10.q.1.Alenſ.5.Met.t.20. Iauel.5.Met.q.22.Soncin.q.28.* Ex Recētioribus hanc Sententiam ſequuntur *Hurt.diſp.15.Met.ſect.2.Ariaga diſp. 12. Log.ſect.9. Ouied.Controu.9.Met.p.4.§.3. Auerſa q.19.ſect.4.*

Concluſio mea eſt: Relatio non conſiſtit formaliter in coexiſtentia duorum abſolutorum.

Probatur Concluſio primò : quia ſi Relatio eſſentialiter conſiſteret in duobus abſolutis , vel conſiſteret in duobus abſolutis vtroque in recto,vel vno in recto,& altero in obliquo: Primum non poteſt dici , quia Paternitas eſt tota in Homine generante , at in Homine generante non eſt Filius genitus , & tamen deberet eſſe , cùm Relatio Paternitatis eſſentialiter vtrumq;dicat in recto: ſi dicatur ſecundum , ergo iam relatiua non contradiſtinguuntur à connotatiuis,quæ etiam important duo, vnum in recto,ideſt,ſubiectum, & alterum in obliquo,ideſt, formam.

Probatur ſecundò Concluſio : quia ſi Relatio non eſſet diſtincta à duobus abſolutis ſimùl exiſtentibus, ergo verè nō daretur Relatio,prædicatum enim eſſētiale Relationis eſt habere ordinem ad aliud,ſicuti è contrà prædicatum eſſentiale abſoluti eſt,non habere ordinem ad aliud ; cæterum habere ordinem ad aliud, & non habere ordinem ad aliud, ſunt contradictoria , quæ ſinè dubio ità ſe habent,vt vnum non poſſit eſſe de eſſentia alterius, quin vnum ex illis deſtruatur . Hoc Argumentum coincidit omninò cum eo , quo adducit *Albertinus in ſuis Corollarijs Prædic.de Adaliquid q.6.Concluſ.1.*ſi Relatio nihil dicit præter fundamentum, & terminum , ſequitur nihil eſſe reſpectiuum in hoc Prædicamento, vtrumque enim, ideſt, tàm Fundamentum , quàm terminus ſunt quid abſolutum,ergo ſi in Fundamento, & Termino adæquatè conſiſtit formalitas Relatiua , ſanè Relatio nihil aliud erit,quàm aliquod abſolutum.

Reſpondet *Ariaga diſput.12.ſect.8.& ſect.11.nu.57.& Ouied.Contr.11.p.4.§.4.* Relationem Prædicamentalem in rigore nō eſſe Relationem, ſed aggregatum duarum entitatum abſolutarum;quatenùs tamen Relatio concipitur ad mo-

Digitized by Google

dum vnius, & ad modum vnius ſignificatur, concipitur à nobis, vt quid reſpectiuum, & relatiuum.

Sed contrà eſt; quia: admiſſa iſta reſponſione, ſequeretur, verè non dari Relationes reales, ſed duntaxat dari Relationes Rationis, vt volebat Zeno, quem vel ipſi Aduerſarij impugnant. Negatis autem ſemel Relationibus realibus Prędicamentalibus, faciliùs erit negare Relationes etiam Tranſcendentales, quæ cùm ſint de eſſentia abſolutorum, & per omnia Prędicamenta vagari ſupponantur, non ſunt tantæ neceſſitatis, vt negari, & penitùs tolli non poſſint.

Obijcies autem: ad hoc, vt dicatur, & ſit binarius Hominum, ſufficit ſi vnus Homo exiſtat, & alter ſimùl exiſtat, ergo etiam ad hoc, vt dicatur, & ſit ſimilitudo inter duos parietes albos, ſufficit, ſi vnus paries albus exiſtat, & ſimùl alter exiſtat.

Reſpondeo negãdo conſequentiam, quia binarius, quà binarius ex ſui conceptu, & ratione formali non eſt relatiuus, neque includit reſpicientiam, ſeù pertinentiam vnius ad aliud, ideóque binarius non minùs reſultat ex duobus hominibus, quàm ex duobus lapidibus, aut ex vno Homine, & altero lapide, ſed ſimile quà ſimile ex ſuo formali, & eſſentiali conceptu dicit pertinentiam vnius ad aliud, & patet ex eo, quia ſimilitudo in albedine non poteſt eſſe, niſi in albedine.

Replicabis: binarius Hominum non poteſt eſſe, niſi in Hominibus, & tamen binarius Hominum, nihil aliud dicit, quàm vnum, & alterum Hominem.

Sed contrà eſt, quia ſi binarius Hominũ ſumatur præciſè, vt binarius Hominum, iam præter vnum, & alterum Hominem, dicit reſpicientiam vnius ad alterũ, per hoc enim cõtradiſtinguitur binarius Hominũ à binario, vt ſic, ꝙ binarius Hominum, vnus & alter sũt homo, ideſt ſunt eiuſdem rationis, & participant eandem Naturam Humanam, quomodo non ſunt eiuſdem rationis Homo, & lapis; ſed eſſe eiuſdem rationis formaliter importat Relationem identitatis, ergo iam binarius Hominũ, ſaluari non poteſt præciſè per vnum, & alterum Hominẽ, ſed prætereà debet admitti forma relatiua inter vnũ, & alterũ Hominẽ, ideſt, identitas humanitatis, ſeù participatio eiuſdẽ Naturę humanę.

LECTIO IX.

Ponitur Relatio *tanquam Modus diſtinctus.*

Refutatis ſuperioribus Sentẽtijs, quarum vna ponebat conſiſtere Relationem in ſolo Fũdamẽto, & altera in Fundamento, & Termino ſimùl coexiſtentibus; ſtatuitur Tertia Sententia eorum, qui ponũt Relationem eſſe Modum diſtinctum nè dùm à fundamento, ſed etiam à Fundamento, & termino ſimùl coexiſtentibus. Defendunt hanc Sententiam in primis *Thomiſtæ Capreol. in 1. diſt. 30. q. 1. Deza ibidem not. 3. Caiet. 1. p. q. 28. art. 2. Bannez ibidem dub. 2. Raphael de Ripa dub. 1. Gõzalez diſp. 20. ſect. 1. n. 8. Ferrara 4. contra gentes c. 14. Flandr. 5. Met. q. 16. art. 18. Aquarius ibidem q. 19. Arauxo q. 6. art. 4. Zanardus q. 22. Sotus in cap. de Adaliquid q. 2. Sequitur hanc Sententiam Schola Scoti in 2. diſt. 1. q. 5. & in 3. diſt. 3. q. Schola Durand. in 1. diſt. 30. q. 2. Denique hanc Sententiam ſequuntur Mol. 1. p. q. 13. art. 7. Valent. ibidem diſp. 2. q. 2. p. 1. Ruuius hic q. 14. quos citant, & ſequuntur Compluten. diſp. 14. q. 5. §. 11.*

Concluſio mea eſt: Relatio eſt Modus diſtinctus à duobus abſolutis.

Probatur Concluſio primò quia: non poteſt idem Subiectum tranſire de vno contradictorio ad aliud abſque aliqua ſui mutatione, aliàs de vno, eodemque ſubiecto prorſus immutato verificarentur duo contradictoria, verificarentur eſſe, & non eſſe, ſed paries albus A., verbi gratia, ad poſitionem alterius parietis albi B. tranſit de non eſſe ſimili ad eſſe ſimile, ergo aliquam patitur mutationem, quæ non aliter contingere poteſt, quàm per receptionem formę relatiuæ de nouo aduenientis, ergo iam Relatio ſimilitudinis eſt modus diſtinctus ab vtroque pariete albo A., & B.

Reſpondebis: Parietem album A., mutari extrinſecè per poſitionem termini; ideſt, alterius parietis albi B. & id ſufficere ad talem mutationem, & tranſitum.

Sed contrà eſt quia: paries albus A., de non ſimili fit ſimilis intrinſecè, quia denominatio ſimilis eſt denominatio intrinſeca, ergo ad talẽ tranſitum, & intrinſecam mutationem, non ſufficit poſitio

ſitio termini merè extrinſecè ſe habentis reſpectu parietis albi A.

Probatur ſecundò Concluſio quia: ſi *non Relatio* eſſet modus diſtinctus, non cōſtitueret prædicamentum ab alijs diſtinctum, & ſic tolleretur denarius numerus Prædicamentorum, quòd patet eſſe abſurdum.

Reſpondebis: ſufficere ad conſtituendum diuerſum Prædicamentum, diſtinctionem rationis, nam actio, & paſſio conſtituunt duo Prædicamenta, & tamen ſola ratione diſtinguuntur.

Sed contrà eſt quia: licèt actio eductiua, & paſſio ſola ratione diſtinguantur, tamen actio vt ſic, à paſſione realiter diſtinguitur, actio enim vt ſic includit etiam Creationem, quę vtpotè independens à ſubiecto, omninò realiter diſtinguitur à paſſione, quæ eſſentialiter pendet à Subiecto, ideò actio in communi, realiter diſtinguitur à paſſione, ſicut Animal in communi differt realiter ab *H*omine, vt totum à parte, ſed ſicut Animal rationale non diſtinguitur realiter ab *H*omine, ità nec actio eductiua à paſſione, ideò inſtantia adducta de actione, & paſſione non ſubſiſtit.

Reſpōdet Auerſa loco ſupracit. quòd ſicuti Habitus eſt Prædicamentum diſtinctum à reliquis, & tamen in ſola extrinſeca denominatione cōſiſtit, Habitus enim nihil aliud eſt, quàm eſſe veſtitum, vel armatum; ità etiam eſſe ſimile nihil aliud dicit, quàm extrinſecam denominationem.

Sed contrà eſt quia: Prædicamentum *H*abitus, & ipſum eſt Accidens abſolutum tribuens formaliter illam denominationē, quæ licèt ſit extrinſeca reſpectu corporis materialiter accepti, eſt tamē intrinſeca reſpectu corporis veſtiti, vt veſtiti concretiuè accepti. Præterea licèt Habitus prout dicit Veſtes, aut arma, importet extrinſecam denominationem, quia Veſtes, & arma corpori nō inhærent, prout tamen dicit modum ſpecialem, quo ſe ſe corpus aptat veſtibus, & armis, dicit entitatem intrinſecā ipſi corpori, ſicuti enim modus, quo ſe ſe corpus accommodat loco, aut durationi, dicit entitatem intrinſecam, ità etiam *H*abitus, vt benè notat *Ruuius c. 10. de Prædicamento habere*.

Probatur tertiò Concluſio quia: ſi *R*elatio non eſſet modus diſtinctus, optimè poſſet poni in Deo *R*elatio cauſæ, & Creatoris ad effectus, & Creaturas, relatio diuerſitatis ab omni eo, quod non eſt Deus, & huiuſmodi, ſed omnes huuſque Theologi has *R*elationes Deo denegarunt, quia aliàs ipſe Deus intrinſecè mutaretur, recipiendo de nouo Accidens *R*elatiuum, ergo verè *R*elatio eſt accidens diſtinctum à Fundamento, & Termino.

Scio Ouied. loco vbi ſuprà, vltrò admittere *R*elationem realem diuerſitatis, inæqualitatis, & diſſimilitudinis in Deo ad Creaturas, & pro ſe cit. plures ex Nominalibus, præcipuè verò *D. Anſelmum in Monol. c. 24.* & quidem conſequenter ad ſua principia, ſi enim *R*elatio non eſt forma realis intrinſecè de nouo adueniens, ſed ſolum extrinſeca denominatio ex coexiſtentia extremorum, abſurdum non eſt, ponere has, & ſimiles Relationes in Deo.

Sed contrà Ouied. facit: omnes veteres Theologos, (ſi D. Anſelmum excipias,) ideò non poſuiſſe in Deo relationes reales cauſæ primæ ad effectum, Creatoris ad Creaturas, ſed aſſeruiſſe has relationes eſſe relationes rationis, nè admitterent aliquam mutationem realem intrinſecam in Deo, ergo veterū Theologorum opinio fuit *R*elationem eſſe entitatem realiter diſtinctam à Fundamento, ſeù ſubiecto, & termino.

Obijcies primò: non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate, ſed nulla eſt neceſſitas ponendi *R*elationem eſſe modum diſtinctum, quia præciſo per Intellectum, aut etiam dato impoſſibili hoc modo *R*elationis, eodem modo diſcurrimus, & Philoſophamur de ſimilitudine inter duos parietes albos, ac ſi eſſet ille modus diſtinctus, ergo.

Reſpondeo: ideò nos præciſo per Intellectum illo modo *R*elationis eodem modo de ſimilitudine diſcurrere, & Philoſophari, quia ſemper nobis non aduertētibus, cōcipitur reſpectus vnius albi ad aliud, quam conceptibilitatem relatiuam, vel ipſi Aduerſarij vltrò admittunt; vt præcipuè videre eſt apud *Ouiedum loco ſupra citato n. 30.* & ex hoc magis firma manet mea Concluſio, & efficaciter oſtenditur neceſſitas Modi relatiui, quia hoc præciſo per Intellectū, aut dato impoſſibili, adhùc, vel nobis inuitis, & non aduertentibus admitti debet conceptibilitas relatiua, ſeù *R*elatio rationis diſtincta ſuo modo ab

extremis, quæ referuntur.

Obijcies ſecundò: ſi Relatio eſſet modus diſtinctus à duobus abſolutis, poſſent eſſe duo abſoluta, verbi gratia, duo alba asbue eo, quòd eſſet Relatio ſimilitudinis, ſed hoc eſſet falſum, quia ſimilia ſunt, quorum vna eſt Specie qualitas, at eſſet vna Specie albedo in duobus albis, ergo duo alba adhùc eſſent ſimilia. Maior videtur certa, quia ſignum realis diſtinctionis eſt realis ſeparatio, vel actu, vel de poſſibili.

Reſpondeo: non omnia, quæ realiter diſtinguuntur, poſſe realiter ſeparari; materia prima realiter diſtinguitur à forma, & tamen in probabili Thomiſtarum Sententia, nec ſupernaturaliter poteſt à forma ſeparari; Creaturæ realiter diſtinguuntur à Deo & tamen eſſe, ſeù exiſtere non poſſunt ſinè Deo. Sed tamen data Maiori, ad caſum poſitum dico: illa alba remanere ſimilia fūdamētaliter, non formaliter, quia deeſſet illis forma relatiua, & formalis ſimilitudo.

Obijcies tertiò: Duæ Relationes, verbi gratia, duæ ſimilitudines, vel duæ Paternitates, ſeipſis referuntur, & non per Relationes ſuperadditas, aliàs vna Relatio fundaret aliam, & ità daretur proceſſus in infinitum, ergo etiam duo alba ſeipſis, & non per ſuperadditam relationem referuntur.

Reſpondeo: negando conſequētiam, quia vna Relatio non poteſt fundare aliam, quod enim eſt vltimò determinatiuum in aliquo genere, non poteſt determinari per aliud in eodem genere, aliàs non eſſet vltimò determinatiuum; hinc eſt, vt vnio non poſſit vniri per aliā vnionem, ſed vnitur ſeipſa extremis, & ideò nec Relatio poteſt eſſe relata per aliam Relationem, & conſequenter duę Paternitates ſeipſis referuntur relatione ſimilitudinis; hæc ratio non militat de duobus albis, quæ ſunt abſoluta & ideò benè poſſunt referri, & determinari per relationem ſimilitudinis ſuperadditam.

Obijcies quartò: non poteſt aſſignari cauſa productiua Relationis in Fundamento, maximè ſi ſupponatur terminus de nouo produci in loco maximè diſtanti à Fundamento; verbi gratia, ſi Paries albus A., exiſteret Neapoli, & Paries albus B., produceretur in India; quòd Agens, quæ Cauſa poſſet producere ſimilitudinem in Pariete A., ad productionē parietis B.? Videtur enim impoſſibile, quòd Agens exiſtens Neapoli poſſit diuinare, eſſe productum alterum parietem B., in India.

Cōfirmatur, quia ex *Ariſt.* 5. *Phyſ.t.*10 Ad Relationem non datur per ſe motus, ideſt, non datur actio, ergo verè Relatio non eſt entitas diſtincta à Fundamento & à Termino.

Reſpondeo: poſſe aſſignari huius ſimilitudinis cauſam remotam, proximā, & conditionem, ſinè qua non: Cauſa ergo remota huius Relationis eſt illud ipſum Agens, quod produxit albedinem in Pariete albo A., Cauſa proxima eſt ipſa Albedo Parietis A., nam albedine A. poſita, & de nouo producta albedine B., reſultat, & emanat naturali vi, & virtute Relatio ſimilitudinis ad albedinem B.: vndè patet, non eſſe neceſſe, quòd Agens ſibi diuinet, productam eſſe albedinem in India, vt moueatur ad producendam ſimilitudinem.

Ad Confirmationem dico Ariſt. loqui de motu proprio, & per ſe, qualis nō eſt reſultantia, & emanatio.

Objjcies quintò: Si Relatio eſſet modus diſtinctus, ſequeretur ad productionem muſcæ, vel Ariſtæ, totum orbem mutari, & commoueri; nam omnia entia inciperent illi eſſe ſimilia, vel diſſimilia, æqualia, vel inæqualia, & ſic totus Orbis mūtaretur.

Reſpondeo: huiuſmodi mutationem fore minimam, & inſenſibilem, ideò nihil officere rerum vniuerſarum quieti, & paci; imò è contrà valdè conducere ad pulchritudinem, & decorem Vniuerſi; ideòque benè notat Scotus vbi ſuprà, negare Relationes diſtingui, eſſe negare totum ordinem Vniuerſi.

LECTIO X.

An vna Relatio fundet aliam.

SEnſus difficultatis eſt, an ſicuti entitas abſoluta eſt Fundamentum Relationis, ità quoque vna Relatio poſſit eſſe Fundamentum alterius Relationis, atque ità ſicuti Subſtantia Patris eſt Fundamentum Paternitatis, ità ipſa Paternitas ſit Fundamentum ſimilitudinis ad alteram Paternitatem.

Concluſio mea eſt: Relatio non eſt proximum fundamentum alterius Relationis. *Ità D.Thomas* 1.*p. qu.*42.*art.*1. *& q.*45.*ar.*3. *Ferrarien.*4.*contra gentes c.*4 *Capreolus in* 1.*d.*30.*q.*1.*art.*3. *Soncinas* 5. *Met.q.*29. *ad* 1. Contrà *Scotum in* 2. *d.*1. *qu.*

qu.4.& 5.& in 4.d.6.qu.10.Lychetum,& Mayronium ijſdem locis. Antonium Andr. 5.Met.13.& lib.de ſex principijs,q.10.

Probari ſolet Concluſio communiter à Thomiſtis quia: ſi vna Relatio fundaret aliam, iam daretur Proceſſus in infinitum in Relationibus, quem proceſſum in infinitum eſſe abſurdum, admittunt omnes cùm *Ariſtot.8.Phyſicorum*, vbi ex eo, quòd negat proceſſum in infinitum in cauſis, arguit poſſe nos naturali via deuenire in cognitionem primæ Cauſæ, quæ cognitio eſt Fundamentum vitæ rationalis: ſi autem vna Relatio fundaret aliam, iam vna Relatio eſſet cauſa materialis alterius, & ſic daretur proceſſus in infinitum in cauſis: vel ad minùs, dato quòd vna Relatio fundet aliã, iam darentur infinitæ Relationes, & ſic daretur actu infinitum, quod nõ eſt minùs abſurdum, quàm admittere proceſſum in infinitum.

Sed hæc ratio ſemper mihi viſa eſt inefficax; quia eum proceſſum in infinitum debemus cùm Ariſtotele tanquam abſurdum negare, quo poſito non poſſumus via naturali deuenire in cognitionem primæ Cauſæ, talis autem proceſſus eſt, quando reperitur in cauſis eſſentialiter ſubordinatis, & in cauſis propriè, & effectiuè cauſantibus, Relatio autem non eſt huiuſmodi: & ſicuti in actibus Intellectus, & Voluntatis directis, atque reflexis non poſſumus non admittere proceſſum in infinitum, ità & in Relationibus proceſſum in infinitum admittere, non erit abſurdum. Ad aliud, quod infertur, quòd darentur infinitæ Relationes, id nullo modo ſequitur, licèt enim vna Relatio fundet aliam, non proindè actu dantur infinitæ Relationes, ſed ſolùm poſſunt in infinitum multiplicari; poſſe autem Relationes in infinitum multiplicari, non eſt dari infinitum actu, ſed infinitum in potentia, quod non ſolùm non repugnat, ſed de facto datur in partibus Continui, & in indiuiduis cuiuslibet Speciei in infinitum multiplicabilibus.

Probatur ergo Concluſio mea *R*atione efficaci quia: quod eſt vltimò determinatiuum in aliquo Genere, non poteſt determinari per aliud in eodem Genere, aliàs illud non eſſet vltimum in eo Genere; hinc eſt, vt Vnio non poſſit vniri per aliam Vnionem, nec albedo poteſt eſſe alba per aliam albedinem, ſed *R*elatio eſt vltimò determinatiua in Genere *R*elationis, ergo non poteſt eſſe relata per aliam relationem; & ſic Paternitas, verbi gratia, quia eſt *R*elatio, non poteſt eſſe ſimilis alteri Paternitati per *R*elationem ſimilitudinis ſuperadditam, ſed eſt ſimilis ſeipſa, ſicuti albedo eſt alba ſeipſa, & nõ per albedinẽ ſuperadditam, & vnio ſeipſa vnitur, & non per vnionem ſuperadditam.

Probatur ſecundò Concluſio quia: *R*elatio definitur eſſe, id, cuius totum eſſe eſt, ad aliud eſſe, ideſt, *R*elatio totum ſuum eſſe, quod habet, habet in ordine ad aliud, habet ſolum, & nudum referre, ſed fundare non eſt referre, ergo hoc, quod eſt fundare, repugnat Naturæ, & eſſentię *R*elationis.

*R*eplicabis: vi facti Argumenti probari ſolũ; fundare aliam *R*elationem nõ eſſe de eſſentia, & formalitate *R*elationis, ſed non probari, quòd repugnet formalitati, & Eſſentiæ *R*elationis; quòd enim in definitione *R*elationis non ponitur, excluditur quidẽ ab illius eſſentia, ſed tamẽ nõ probatur, quod tali eſſentiæ repugnet, aliàs accidentia repugnarent Eſſentijs, & Naturis cuiuſque rei.

Sed cõtra eſt quia: ſi relatio fundaret aliam, iam referretur per illã, ſicuti quia albedo fundat relationem ſimilitudinis ad alteram albedinem, ideò refertur per talem relationem, ſed relationi repugnat referri, quia eſſentialiter eſt ipſa ratio referendi, ergo fundare aliam relationem repugnat eſſentiæ, & quidditati relationis.

Obijcies primò: non minùs ſunt ſimilia duo alba, ac ſint ſimiles duæ Paternitates, ſed duo alba ſunt ſimilia per ſimilitudinem ſuperadditam, ergo & duæ Paternitates ſunt ſimiles per ſimilitudinem ſuperadditam. Quòd ſi admittas, Paternitates eſſe ſimiles ſeipſis, & non per relationem ſuperadditam, eodem modo duo alba erunt ſimilia ſeipſis, atque ità negabitur omnino entitas modalis relationis contradiſtincta à duobus abſolutis.

*R*eſpondeo: Verè duas Paternitates eſſe ſimiles ſeipſis, & non per modum relationis ſuperadditæ: lata autem eſt diſparitas inter albedinem, & Paternitatem, quia albedo eſt Ens abſolutum, cui non repugnat referri; Paternitas verò eſt Ens relatiuum, eſt ratio referendi, cui repugnat referri, ideò repugnat eſſe funda-

da-

Digitized by Google

damentum alterius Relationis. Simile quid tenentur reſpondere Aduerſarij, præſertim verò Scotiſtæ, qui ſentiunt Relationem eſſe modum diſtinctum; ſi enim ab illis quęras quarè cùm Deus ſit eodem modo cauſa Creaturarum, ac vna Creatura eſt cauſa alterius, tamen Deo non adueniat Relatio aliqua realis de nouo, quæ tamen omnino aduenit, & accidit Creaturæ; non aliter reſpondent, niſi Deo non aduenire nouam Relationem, quia Deus incapax eſt talis Relationis, quia Deo repugnat talis relatio de nouo; ergo quia relationi, ſeù Paternitati repugnat referri, non poteſt eſſe Fundamentum alterius relationis.

Obijcies ſecundò ex Euclide 5. Geometriæ in principio Proportionalitas nihil eſt aliud, quàm ſimilitudo duarum proportionum, ſed & ipſa proportio eſt relatio, & ſimilitudo, ergo iam vna relatio eſt fundata in alia.

Reſpondeo: Proportionalitatem eſſe ſimilitudinem, & relationem rationis, non realem; benè autem poteſt relatio rationis fundari in relatione reali, quia iam ſunt relationes diuerſi Generis, & diuerſi ordinis: Similiter Reſpondeo, quando dicitur; relatio eſt Ens, ſed omne Ens, aut idem, aut diuerſum cùm alio Ente, identitas autem, & diuerſitas eſt relatio, ergo Dico enim, quòd idẽtitas, & diuerſitas relationis ab alio Ente eſt identitas, & diuerſitas rationis, nõ realis.

Obijcies tertiò: ſimilitudo eſt relatio diuerſi Generis à relatione Paternitatis, ſimilitudo enim eſt fundata in vnitate, Paternitas verò in actione, relationes autem fundatæ in Vnitate ſunt diuerſi generis à relationibus fundatis in actione, vt patet ex dictis ſuprà, ergo iam Paternitas poteſt eſſe ſimilis relatione ſimilitudinis ſuperaddita.

Confirmatur quia: relatio multiplicatur ad multiplicationem terminorum, ergo ſi ponatur nouus, & diſtinctus terminus alterius relationis, puta ſimilitudinis, Paternitas, v. g. denominabitur ſimilis ab alia relatione diſtincta, atque ità erit fundamẽtum alterius relationis.

Reſpondeo: relationem ſimilitudinis eſſe in eodem Genere, & Prædicamento relationis, dici autem diuerſi generis ſumendo, τὸ Generis, minùs in rigore pro Specie, verè enim ſimilitudo eſt relatio diuerſę Speciei à relatione Paternitatis: Ad Confirmationem dico: relationem multiplicari quidem ad multiplicationem terminorum, ſed ſemper ſupponẽdam eſſe in ſubiecto capacitatẽ ad nouas relationes recipiendas; hinc eſt, quòd quantumuis multiplicentur Creaturæ, non multiplicantur relationes in Deo, imò nec vlla quidem relatio realis eſt in Deo ad Creaturas ob eius incapacitatem ad recipienda noua accidẽtia: quia ergo Paternitas eſt incapax nouæ relationis, ideò quãuis de nouo adueniat terminus nouæ relationis realis, talis relatio realis non conſurgit, ſed loco eius reſultat relatio rationis, ſicuti & in Deo ponitur relatio rationis ad Creaturas, cũ ſit incapax relationis realis.

LECTIO XI.

An Relatio terminet ad aliã Relationẽ.

PRæmitto: quòd hæc Difficultas habet ſolùm locum in noſtra Sententia ponente, relationem eſſe modum diſtinctum à duobus abſolutis; nam in Sententia ponente relationem conſiſtere in duobus abſolutis, non poteſt intelligi, aut concipi, quòd vna relatio terminet ad aliã, cùm in ea Sentẽtia nulla detur relatio, & forma relatiua, ſed omnia ſint abſoluta.

Concluſio: relatio pro ſui termino formali habet rationem abſolutam, nõ rationem reſpectiuam, ſeù relatiuam; *Ità Scotus in 1.d.30. q.1. quem ſequuntur non modo eius diſcipuli, ſed etiam Capreolus in 1.d.30.q.1.art.2.ad 3. Soncinas 5. Met. q.3.ad 2.* Alij, ſaltem relationes mutuas contendunt habere pro ſui termino formali, Correlationem; *Ità Ruuius in c.7. de Adaliquid q.7. Ferrarien.2.contrà gentes cap.11. Nip.5.Met.d.14. Deca.Hiſ.in 1.d.3.q.1.notab.3.*

Probatur Concluſio primò quia: ſi relatio haberet pro ſui termino formali Correlationem, vel reſpiceret pro termino formali Correlationem, vt relatio eſt, vel vt relatio mutua; non primum, quia patet, dari plures relationes, maximè verò relationes tertij Generis, quæ reſpiciunt terminum abſolutum, quæ relationes propterea dicuntur non mutuæ, quia in earum terminis non ſunt vllæ correlationes, ſed ſunt rationes purè, & ſimpliciter abſolutæ; tales ſunt relationes menſurati ad mẽſuram, Scientiæ ad Obiectum.

Digitized by Google

Sed neque poteſt dici ſecundum, nimirum, quod relatio, vt mutua habeat pro ſui termino formali correlationem, tùm quia relatio mutua, vel dicitur mutua, quia ex ſui formali ratione reſpicit terminum, in quo eſt altera Correlatio, vel quia exigit formaliter terminum, qui eſt Fundamẽtum alterius relationis, non verò dicitur mutua, quia eius formalis terminus ſit Correlatio, ergo.

Probatur Maior, quia quodcunque ex his dicatur, ſufficientiſſimè contradiſtinguitur relatio mutua à nõ mutua, ergo mutua dicitur mutua, vel quia habet pro ſui termino materiali Correlationem, vel quia exigit formaliter terminum, qui ſit proximum Fundamentũ alterius relationis.

Probatur ſecundò Concluſio quia relatiua ex Ariſtot.& ex communi ſenſu Philoſophorum ſunt ſimùl Natura, at ſi relatio haberet pro ſui termino formali Correlationem, non eſſet cùm illa ſimul Natura, iam enim Correlatio eſſet cauſa formalis extrinſeca relationis, ergo iam non eſſet ſimùl Natura cùm illa, ea enim ſunt ſimul Natura, quæ ſimul exiſtunt, & neutrum eſt cauſa alterius.

Obijcies primò: ex Ariſt. hic, ſi à Domino auferantur omnia præter eſſe Dominum, adhùc ſeruus referretur ad Dominum, ſed à Domino auferri omnia præter eſſe Dominum, nihil eſt aliud, quàm à Domino auferri omnia abſoluta, remanente ſola relatione dominij, ergo iam relatio ſerui habet pro ſui termino formali relationem Domini.

Reſpondeo: à Domino auferri omnia præter eſſe Dominum, non eſt auferri omnia prorſus abſoluta, ſed ſolùm eſt auferri ea abſoluta, quæ non pertinent ad Dominum; Porrò ad Dominum non ſolum ſpectat relatio Domini, ſed etiam entitas abſoluta, quæ eſt Fundamentum, & Subiectum relationis Domini & eſt terminus formalis eius relationis, quàm ſeruus dicit ad Dominum.

Obijcies ſecundò: inter relationes mutuas reperitur mutua oppoſitio relatiua, ſed mutua oppoſitio relatiua includit vtrumque munus, & referendi, & terminandi, ergo relationes mutuæ, & referunt, & terminant, ergo iam vna relatio terminat ad aliam.

Reſpondeo: relationes mutuas referre, & terminare, ſed non eodem modo, referunt enim formaliter, quia ſunt ratio formalis referendi; ſed non terminant formaliter, quia non ſunt ratio formalis terminandi, eſto terminẽt materialiter, & mediatè, cùm enim relatio terminet formaliter, & immediatè ad rationem abſolutã, in qua eſt ratio relatiua, tãquã in Subiecto, & proximo ſui Fũdamẽto, etiam illa relatio terminat ad rationem relatiuam, ſed mediatè, & materialiter.

D. Pater, vt Pater formaliter, formaliter relatiuè opponitur Filio, vt Filio formaliter, ſed relatio illi formaliter relatiuè opponitur, ad quod formaliter terminat, ergo Pater formaliter terminat ad Flium, vt Filium formaliter.

Reſpondeo inprimis, quòd Pater, vt Pater non opponitur relatiuè formaliter Filio, vt Filio immediatè, ſed mediatè; immediatè enim Pater, vt Pater opponitur relatiuè proximo Fundamento filiationis; conſequenter deindè, & mediatè opponitur Filio, vt Filio formaliter. Prætereà dico; opponi relatiuè duas relationes non eſt, vnam ad alteram formaliter terminare, ſed eſt, eſſe in eodem ſubiecto incompatibiles, & incompoſſibiles, vt reuerà Paternitas, & Filiatio in eodem ſubiecto incompatibiles ſunt, & incompoſſibiles; ſicuti etiã duas qualitates eſſe oppoſitas formaliter, importat eſſe incõpoſſibiles, & incõpatibiles in eodem ſubiecto; ità ſe habent calor, & frigus in ſummo.

Obijcies tertiò: relationes Diuinę referuntur, & per ſe formaliter terminant ad reſpectiuum, ergo etiam relationes creatæ terminant ad reſpectiuum, conſequentia tenet à paritate rationis.

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quia relationes Diuinæ ſunt ſubſtantiales; at relationes creatæ ſunt accidẽtales, ideò relationes Diuinæ non habent pro ſui fundamento aliquod abſolutum, & conſequenter ſicuti ſeipſis fundant, ità ſeipſis terminant relationes. Prætereà relationes Diuinæ, quamuis vna terminet ad aliam, vna tamen non eſt cauſa alterius, nec vna eſt prior altera prioritate Naturæ, non ſic in creatis, vbi relatio, quæ eſſet terminus, eſſet cauſa formalis extrinſeca alterius relationis ad ſe terminatę, & ſic nõ eſſet ſimùl Natura cũ illa.

Obijcies quartò: relatiua ſunt ſimùl Natura, ſed Ioannes, v.g. non eſt ſimùl Natura cùm Petro filio, niſi terminet ad filium, vt filius eſt formaliter, ergo.

Probatur minor, quia ſi paternitas Io-

an-

Digitized by Google

annis non terminaret ad Petrum, vt filius eſt, ſed potiùs terminaret ad Petrũ, vt terminus abſolutus, ideſt, vt homo genitus eſt, ergo iam priùs erit Ioãnem eſſe patrem, quàm habeat filium, quod eſt apertè falſum, tenet conſequentia, quia Ioannes, vt pater terminat ad Hominem genitum, ſed Homo genitus eſt prior filio, ergo iam pater erit pater in aliquo priori, antequam habeat filium, vt ergo ſaluetur, quòd relatiua ſint ſimul Natura, dicendum eſt vnam relationem terminare ad aliam formaliter.

Reſpõdeo, quod pater, vt pater eſt, eſt ſimùl natura cum filio, vt filius eſt, quia ſub his formalitatibus p̃cisè ſimùl exiſtũt, neutrũ eſt cauſa alterius; at pater vt pater eſt, eſt poſterior filio, vt homo genitus eſt, & ſimiliter Filius, vt Filius eſt, eſt poſterior ſeipſo, vt homo genitus eſt.

LECTIO XII.

An multiplicentur Relationes ad numericã multiplicationẽ Terminorũ.

PRæmitto: relationem dicere eſſentialem, & tranſcendẽtalem ordinẽ tùm ad ſubiectum, tùm ad Terminum, quare ad hoc, vt relatio ſit vna numero requiritur vnitas numerica, tùm ſubiecti, tũ termini; ad diuerſitatẽ, diſtinctionem, & multiplicationem relationis ſufficit diuerſitas, & diſtinctio, ſiuè ſubiecti ſiuè termini. Ratio eſt, quia vnitas comparatur bono, bonum autem ex integra cauſa Diſtinctio, & diuerſitas cõparãtur malo, malum autem ex vnico defectu.

Contrà hanc Doctrinã ſentiunt Thomiſtæ, qui cũ ponãt, principium indiuiduationis omnium accidẽtium eſſe ſolũ ſubiectum, conſequenter docẽt, remanente ſubiecto vno numericè, & indiuidualiter, quantumcunq; multiplicentur termini, adhùc fore vnam numero relationem. *Ità Caiet. in 3. d. 8. q. 1. Ferrari. lib. 1. contrà gentes c. 4. Soncin. 5. Met. q. 32. Concluſ. 3. Runius hic quæſt. 8. Compluten. diſput. 14. §. 4. vbi alios plures citant.*

Concluſio mea: Ad numericam multiplicationem terminorũ numero multiplicantur relationes. *Ità Scot. in 3. d. 8. q. 5. Suarez in Met. diſ. 47. n. 17. Vaſq. t. 4. in 3. p. q. 91. art. 1. dub. 4.*

Probatur: quia relatio hæc numero eſt eſſentialiter hic nexus actualis, ſed hic nexus actualis eſſentialiter reſpicit hũc numero terminum, ergo ſi hic numero terminus multiplicetur, multiplicatur quoq, relatio, & nexus. Probatur Minor, quia hic nexus actualis non poteſt reſpicere terminum aliquem, vt ſic, & in communi, quia terminus, vt ſic & in communi reſpicitur à nexu, vt ſic, & in communi, ergo hic nexus actualis reſpicit eſſentialiter hunc numero terminum.

Obijcies primò: Fides Diuina ſe extendit ad credenda omnia reuelata; Materia prima reſpicit omnes formas ſubſtantiales, ergo etiam vna relatio poteſt reſpicere plures terminos.

Reſpondeo: negando conſequẽtiam, quia Fides Diuina non eſt determinata ad aliquod peculiare obiectum, aut articulum; è contrà relatio cùm ſit actualis nexus reſpicit determinatè hunc, vel illum numero terminum. Similiter dico non ſolum de Materia prima reſpiciente omnes formas ſubſtãtiales, ſed etiam de cognitione, ſeù etiam potentia cognoſcitiua, ſeù viſiua attingente plura obiecta.

Obijcies ſecundò: non poſſunt eſſe duo accidentia ſolo numero diuerſa in eodem ſubiecto. Antecedens probatur, quia ſubiectum ſufficienter actuatur per vnum accidẽs, ergo in eodem Patre habente duos filios non poſſunt eſſe duæ numero relationes.

Reſpondeo negãdo Antecedẽs, quia duæ Species intentionales ſolo numero diuerſę, imò & plures poſſunt eſſe in eadem potentia viſiua, aut Intellectiua; vel etiam dico, id verũ eſſe, quando duo accidentia præſtarent eundem numero effectum, non ſic autem, quando præſtãt diuerſum numero effectum, vt præſtant duæ numero Species intentionales, vna enim repræſentat Petrum, altera Paulũ, v.g. ità duæ paternitates præſtarent diuerſos numero effectus, quia per vnam referretur Pater ad vnum Filium, per alteram ad alterum Filium.

Obijcies tertiò: relatio accipit ſuam entitatem à Subiecto, à quo & indiuiduatur, ergo ab eodem accipit vnitatẽ, ergo etiam ſi multiplicentur termini, ſi vnum eſt numero Subiectum, vna numero erit relatio.

Reſpondeo: relationem accipere entitatem tùm à Subiecto, tùm à termino, ideoq; ad multiplicationem Subiecti, vel termini numero multiplicari relationẽ.

Digitized by Google

IN LIB. PERIHERMENIAS.

DISPVTATIO QVARTA.

SCripſit Ariſtoteles duos libros Perihermenias, Latinè redditur, de Interpretatione, agit enim in his libris de Vocali Propoſitione, quæ eſt Interpres mentalis, quam primò, & per ſe reſpicit Logicus, per accidens verò, & in ordine ad Mentalem, vtitur Vocali Enuntiatione, ideoque etiam mutus poteſt eſſe bonus Logicus, imò & Angeli optimi ſunt Logici, licèt vocibus non vtantur.

LECTIO I.

An Voces ſignificent naturaliter?

DE Vocibus in qualitate terminorũ, inter quos clauditur Propoſitio, diximus in Summulis; nũc de eiſdem in qualitate ſigni mentalis, enuntiationis ſignificatiui, & interpretatiui, quare.

Præmitto primò Voces primaria ſui diuiſione diuidi in Nomen, & Verbum. Nomen definitur eſſe Vox ſignificatiua ad placitum ſinè tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, in qua definitione, vox ſignificatiua ad placitum, ſtat loco Generis, & τὸ ſine tempore, ſtat loco differentiæ; per id enim contradiſtinguitur nomen à Verbo, quod ſignificat cùm tempore, & inflectitur per varias temporis differentias, non ſic autem Nomen, quod licèt ſignificet aliquando tempus, vt annus, dies, & hora, & ipſum Nomen tempus non tamen inflectitur per varias temporis differentias. Similiter Nomen aliquando connotat tempus, ſignificat enim actiones, quæ certo, & determinato tempore fiunt, vt prandium, Cæna; è contrà Verbum eſt vox ſignificatiua ad placitum cùm tempore, quia inflectitur per varias temporis differẽtias, & eſt eorum, quæ de altero dicuntur, nota; quia nimirum inſeruit, tanquam copula copulans, & vniens prædicatum cùm ſubiecto.

Præmitto ſecundò: ſignum definiri à D. Auguſtino 2. de Doct. Chriſtiana cap. 1. eſſe id, quod præter ſui ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in mentem venire, ſic fumus, & ſeipſum manifeſtat & ignem prodit. Hæc definitio non comprehendit ſignum formale, quod ſcilicet abſque eo, quod ipſum cognoſcatur aliud quid repræſentat, ſic ſpecies impreſſæ, & expreſſæ faciunt nos venire in cognitionem obiecti, & ipſæ priùs nõ cognoſcũtur, ideò aſſignata Definitio conuenit tantùm ſignis inſtrumẽtalibus; quæ adhùc duplicis ſunt generis, nam alia ſunt ſigna naturalia, vt riſus, qui eſt naturale ſignũ lætitiæ, gemitus, & ſuſpiria, quæ ſunt ſigna naturalia mæſtitiæ, & doloris; & alia ſunt ſigna ad placitum, quæ ſcilicet ſunt inſtituta ex libera hominum volũtate, & beneplacito ad quidpiam ſignificandum, vt hædera, quæ eſt ſignum vini vendibilis.

Præmitto tertiò: Vocem aliam eſſe inarticulatam, & illiteratam, quæ ſcilicet, nec ex varia flexione, & motione linguæ, tanquam per articulos, & nodos efformatur, nec literis poteſt conſignari, vt ſunt gemitus, ſuſpiria, & aliam eſſe vocem litteratam, & articulatam, vt vox iſta, homo, lapis, & ſimilia, de his in præſenti eſt ſermo.

Concluſio eſt 1. Voces non ſignificant naturaliter, nec ſunt ſigna rerum naturalia, ſed ad placitum. Probatur primò authoritate Ariſtotelis, qui 1. Perhier. 1. definit Nomẽ, & Verbum per voces ſignificatiuas ad placitum; Probatur ſecundò ratione ab eodem Ariſtotele adducta, quia ſi voces ſignificarent naturaliter, eędem voces idem ſignificarent apud omnes gẽtes, vt riſus, qui cùm ſit ſignum naturale, idem ſignificat apud omnes

Digitized by Google

gentes, nempè internam lætitiam, ſed eę dem voces non idem ſignificant apud omnes gentes, vt de ſe patet, ergo voces non ſunt ſigna naturalia, ſed ad placitum; Probatur tertiò, quia ſi voces ſignificarent naturaliter, verbi gratia, ſi vox iſta Leo naturaliter ſignificaret Leonem, animal ferox, & fortiſſimum beſtiarum, vel id præſtaret, quia eſt effectus illius, vt fumus effectus ignis, vel quia eſſet cauſa, vt Sol eſt cauſa diei, vel quia habet vniuocam ſimilitudinem cùm illo, ſed vox iſta Leo non eſt cauſa, nec effectus illius bruti, neque habet cùm illo vniuocam ſimilitudinem.

Remanet ergo, voces eſſe ſigna rerum ex hominum libera voluntate, inſtitutione, & beneplacito, quod tamen debet eſſe fundatum in aliquali ſimilitudine, & proportione, quæ ſit inter rem, & vocem; vt enim benè notat D. Auguſtinus cap. 6 ſuæ Dialecticæ, ipſum lene, cum dicimus leniter ſonat, quis aſperitatem, non & ipſo nomine aſperam iudicet? & in hoc fundatur commune dictum, ſapientis eſt imponere nomina rebus.

Obijcies primò: non poteſt explicari, in quo conſiſtat formaliter, vocem ſignificare ex beneplacito, & inſtitutione hominum, ergo voces ſignificant naturaliter, & non ad placitum.

Reſpondeo: negando antecedens, nam voces ſignificare ex hominum beneplacito, & inſtitutione importat formaliter denominationẽ extrinſecã à volũtate hominũ non retractata, ſed moraliter perſeuerãte, ſicuti triticũ valere tãti importat denominationẽ extrinſecam à voluntate Principis nõ retractata circa tale prætiũ.

Obijcies ſecundò: voluntas imponentis voces non poteſt conſtituere voces in eſſe ſignificatiuas; ergo voces non ſunt ſignificatiuæ ex hominum voluntate, & beneplacito; probatur antecedens, quia illa voluntas habet pro obiecto eam ſignificationem, ergo non conſtituit voces in eſſe ſignificatiuas, idem enim non poteſt habere pro obiecto ſeipſum.

Reſpondeo: quòd illa voluntas habet pro obiecto ſignificationem in actu ſecundo, non in actu primò, quare volũtas ſeipſa conſtituit vocem ſignificatiuam, & intendit per ſe ipſam actualem ſignificationem; hoc eſt intendit, vt quis eam vocem audiens, intelligat, quid ſignificet.

Obijcies tertiò: ſi vox eſt ſignificatiua ex voluntate hominis, ergo non poteſt quis intelligere ſignificationem vocis, niſi intelligat, & cognoſcat voluntatem hominis, ſed ruſticus multarum vocum ſignificationes intelligit abſque eo, quòd attendat ad voluntatem imponentis voces ergo.

Reſpondeo: talem voluntatem cognoſci non in actu ſignato, & quodammodo reflexè, ſed in actu exercito, quatenus is, qui ſignificatum vocis intelligit, percipit quidem talem voluntatem, ſed non reflectit, nec aduertit ad illam.

Obijcies quartò: ex Ariſt. 1. Polit. 2. habetur, ſermonem eſſe homini naturalem, ergo voces naturaliter ſignificant. Confirmatur: quia conceptus formales ſignificant res naturaliter, ergo etiam voces.

Reſpondeo: ibi Philoſophum docere hominem eſſe animal politicum, & ſociabile, ideoque habere à natura vim, & facultatem loquendi, & efformandi voces. Ad Confirmationem reſpondeo; latam eſſe diſparitatem inter conceptus, & voces, quia cõceptus ſunt naturales imagines rerũ, nõ ſic voces indè fit, vt ſignificẽt naturaliter: maneat ergo, q ſicut homo natura gignitur expers omnis artis, omniſq; cognitionis cum poteſtate tamẽ quamlibet adipiſcendi, ità, & ſinè certa loquela cum poteſtate tamen quamlibet addiſcendi, ità notat Valeſius de Sacra Philoſophia cap. 3.

LECTIO II.

An Voces ſignificent Conceptus immediatè.

PRæmitto primò: Voces ſignificare conceptus, & res ipſas: quòd ſignificent conceptus, patet tùm ex communi ſenſu Philoſophorum, tùm ex Ariſt. hic, voces ſunt notæ earum, quæ in animo latent, paſſionum, ideſt conceptuum noſtrorum; & 1. Polit. 2. docet datam fuiſſe homini poteſtatem loquendi, vt poſſet, manifeſtare ſuos conceptus, & ſecreta reuelare amicis, vt hoc modo humanæ vitæ politia, & ſocietas conſeruetur, neq; enim poſſunt homines loqui per conceptus, vt faciunt Angeli: quòd etiam ſignificent res ipſas patet ex eodem Ariſt. 1. Elench. 1. vbi docet, quòd quia res ipſas non poſſumus in medium afferre, in-

diſ-

diſputationibus loco rerum vocibus vtimur; illi ergo qui primi voces inſtituerunt, ordinarunt voces ad vtrumque finem, vt ſignificarent conceptus, & ſignificarent res ipſas, controuertitur modo, an immediatè vtrumque voces ſignificent an verò alterum immediatè, & alterum mediatè:

Præmitto ſecundò: eſſe quaſdas voces, quę ſignificant ſolos conceptus, vt voces iſtæ cognitio, apprehenſio, & vox iſta conceptus; ſimiliter dantur aliquę voces, quæ ſolùm res ſignificant, ità ſunt voces prolatę à Pſitaco vel ab homine dormiēte, in quibus non ſunt conceptus, & ideò non poſſunt per voces ſignificari, de his vocibus non procedit præſens difficultas; ſed de alijs vocibus, quas certum eſt, ſignificare vtrumque, conceptus ſcilicet, & res ipſas; Certum eſt etiam, non poſſe à vocibus ſignificari æquè immediatè conceptus, & res, qui aliàs, eſſent voces æquiuocæ, & nulla daretur vox vniuoca, ſeù terminus vniuocus, quòd de ſe patet, eſſe falſum.

Concluſio eſt. Voces immediatè, & primò ſignificant res, mediatè, & ſecūdariò conceptus.

Probatur primò: quia ſignificare, eſt facere nos venire in cognitionem alicuius rei, ſeù obiecti ſed prolata aliqua voce, non ſolùm ruſtici, & idiotæ, ſed etiam docti, & ſapientes primò feruntur in cognitionem rei impoſitatæ per talem vocem, non verò in apprehenſionem conceptus formati à pronuntiante, & proferente vocem, vt patet experientia, ergo.

Probatur ſecundò: quia Voces ſubſtituuntur loco conceptuum, vt id præſtent audienti, quod proferenti præſtant ipſi conceptus, ſed voces immediatè, & primò ſignificant obiecta, & ea repræſentāt pronuntianti voces, ergò etiam audientibus immediatè repræſentantur obiecta, & res ipſæ per voces.

Probatur tertiò: quia ſi voces immediatè ſignificarent conceptus, ſequeretur contradictio manifeſta in verbis Philoſophi, qui 3. de Anima, habet, lapis non eſt in anima, ſed ſpecies, ſeù conceptus lapidis eſt in Anima, tùm ſic, vel per vocem lapis venit immediatè conceptus, vel non; ſi ſecundum, iam habetur intentum; ſi primum, ergo iam conceptus lapidis non eſt in Anima, ſed ſtatim infrà affirmat Ariſt. conceptum lapidis eſſe in Anima, ergo data immediata ſignificatione conceptus per vocem, ſequitur manifeſta contradictio in paucis verbis Ariſtotelis.

Obijcies primò: voces sūt inſtitutæ ad manifeſtandos noſtros conceptus, ergo illos immediatè ſignificant.

Reſpondeo, antecedens eſſe verum de his vocibus, cognitio, conceptus, & aliæ huiuſmodi, non verò de alijs vocibus, quæ ſunt adinuentæ, & impoſitæ ad ſignificandas res.

Obijcies ſecundò: ſi voces non ſignificarent conceptus tolleretur omne mendacium mentiri enim eſt contrà mētem i. e, ideſt affirmare obiectum eſſe aliter, ac fuit apprehenſum, & conceptum, ergo ſi voces immediatè non ſignificarent conceptus, tolleretur omne mendacium.

Reſpondeo: ex hoc argumento ſolùm ſequi, voces neceſſariò ſignificare conceptus, quod nos non negamus; at non probat voces debere immediatè ſignificare conceptus, hoc eſt, quod negamus.

Obijcies tertiò: Voces ſignificant mediantibus conceptibus, voces enim regulantur ex intentione proferentis voces, ergo primò debet attendi intentio, & perconſequens conceptus proferentis, & pronuntiantis voces.

Reſpondeo: Voces ſignificare mediantibus conceptibus, quatenùs ab his ſumunt, tanquam à cauſis, & principijs virtutem ſignificandi: non tamen mediantibus conceptibus tanquā obiectis priùs cognitis; priùs ergo debet eſſe conceptus proferentis voces, & poſteà eſt, quod voces ſignificent, non tamen priùs debet eſſe cognitus ille conceptus, vt poſtea voces ſignificent, id enim non requiritur.

LECTIO III.

De obiecto Propoſitionis Affirmatiuæ, vel Negatiuæ.

SVppoſita ex Summulis definitione Propoſitionis, quòd ſit Oratio affirmans, vel negans aliquid de aliquo verè vel falsè, progredimur ad clariùs explicādam illam definitionem pro ſolutione nonnullarum difficultatum, quarum prima conſiſtit in aſſignando obiecto pro-

po-

Digitized by Google

ri, & negari, & aliud eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, hoc enim ſecundum probatur per illud primum; ergo debet dari vtraq; contradictio formalis, & obiectiua; formalis, quæ ſe teneat ex parte intellectus: obiectiua, quæ ſe teneat ex parte obiecti ex mente Ariſtotelis.

Obijcies primò: *ex Ariſt 1. Priorum. 1.* definitur terminus eſſe ille, in quem reſoluitur Propoſitio, tanquam in prædicatum, & ſubiectum, ergo diſſoluta propoſitione non remanet, niſi prædicatum, & ſubiectum, & conſequenter non remanet copula, eiuſque conceptus intermedius, ſeù identitas obiectiua.

Reſpondeo: verè copulam, eiuſque conceptum obiectiuum non remanere, quia diſſolutio propoſitionis conſiſtit in diſſolutione, & ablatione copulæ, ſicut diſſolutio compoſiti naturalis conſiſtit, in diſſolutione, & ablatione vnionis, ſed tamen remanente, & ſtante propoſitione, ſicuti manere, & ſtare debet copula, ità manere, & ſtare debet identitas obiectiua formaliter importata per copulam eſt.

Obijcies ſecundò: Ruſtici, & idiotæ nullam concipiunt identitatem obiectiuam, quando affirmant hominem eſſe lapidem, ergo verè talis identitas non datur.

Reſpondeo: ruſticos concipere identitatem obiectiuam in actu exercito, eſto illam non concipiant in actu ſignato, & reflexè: ſed dicant aduerſarij, quam identitatem formalē, & ex parte modi cognoſcendi concipiant ruſtici, quando concipiunt hominem eſſe lapidem? remanet ergo idem argumentum ab illis ſoluendum, vel eodem modo, quo nos ſoluimus, vel alio, quem libenter audirem, & diſcerem.

Obijcies tertiò: Voluntas poteſt eſſe mala, etiam ſi tendat in obiectum bonum ex ſolo modo tendendi; exempli gratia per odium, quem modum tendendi non meretur obiectum bonum: Similiter poteſt eſſe bona, etiam ſi tēdat in obiectum malum, odio illud habendo, quo odio dignum eſt obiectum malum, ergo etiam cognitio affirmatiua poteſt eſſe falſa, etiam ſi tendat in obiectum verè, & realiter exiſtens, ſi nimirum tendat in illud malo, & falſo modo, vniendo ea, quæ non debent vniri, vel ſeparando ea, quæ non debent ſeparari.

Reſpondeo: diſparitatem eſſe, quia Voluntas eſt potentia libera, & non determinatur ab obiecto ad operandum, ideò benè poteſt bonitas, & malitia actuum moralium deſumi penès modum tendendi in obiectum; at verò Intellectus eſt potentia neceſſaria, quæ ab obiecto determinatur, ideò falſitas, & veritas ſuorum actuum deſumi debet primò, principaliter, & radicaliter ab obiecto, vnde benè habet *Ariſtoteles cap. de ſubſtantia, ex eo, quòd res eſt, vel non eſt. Propoſitio eſt vera, vel falſa.*

LECTIO IV.

An Veritas ſit Prædicatum eſſentiale Propoſitionis.

Præmitto primò: Veritatem eſſe conformitatem cognitionis ad obiectū prout eſt in ſe, ſiuè modo tale obiectum ſit ens reale, ſiuè ſit negatio aliqua, & non ens; cæterum tunc cognitio dicitur habere conformitatem cùm obiecto, cùm attingit, ſeù cognoſcit obiectum, ſicuti eſt in ſe: è contra falſitas eſt difformitas cognitionis cùm obiecto, cùm ſcilicet cognoſcitur, & apprehenditur obiectum aliter, ac eſt in ſe: colligitur ex *Ariſt. cap. de ſubſtantia, ex eo quòd res eſt, vel non eſt, Propoſitio eſt vera, vel falſa.* Vbi nomine conformitatis, & difformitatis intelligitur relatio tranſcendentalis cognitionis ad obiectum, vt eſt in ſe, vel ad obiectum, vt aliter eſt, ac cognoſcitur, talis autem relatio eſt eſſentialis cognitioni, quæ eſt eſſentialis repræſentatio, & expreſſio obiecti.

Præmitto ſecundò: veritatem complexam, ſeù perfectam, quæ habetur per affirmationem, & negationē, reperiri tantùm in ſecunda operatione Intellectus, quæ eſt Oratio affirmans, vel negans aliquid de aliquo, veritatem verò incomplexam, & imperfectam reperiri etiam in prima operatione intellectus, qui ſi apprehendat obiectum, ſicuti eſt in ſe, erit illius prima operatio vera, ſi apprehendat aliter, ac eſt in ſe, erit falſa.

Quando autem, *Ariſt. 3. de Anima t. 21* docet primā operationē Intellectus ſemper eſſe verā, atq; adeò videtur negare falſitatē in ſimplici apprehēſione, intelligēdus eſt in caſu, quo intellectus attingat

per ſimplicem apprehenſionem obiectū ſimplex, & indiuiſibile;ſi enim Intellectus apprehēdat hominem, verbi gratia, aliter ac eſt, iam nō apprehendit hominem,ſed aliud obiectū:quandò verò ſimplicis apprenſionis obiectū eſt complexum,vel integra oratio, exempli gratia, paries eſt albus, tunc etiam in ſimplici apprehenſione eſt falſitas,ſi nimirum apprehendat Intellectus parietem eſſe album, & in ſe paries non ſit albus, neque enim ſimplex apprehenſio dicitur ſimplex, quia nullo modo feratur in obiectum complexum,& in integram propoſitionem, ſed quòd in illud non feratur, niſi modo ſimplici, & incomplexo, nimirum non affirmādo, neque negando, talis falſitas reperitur etiam in Senſibus, vt cum verbi gratia,oculus videt colores in iride,remum in aqua curuum, apprehendit enim vnionem inter colores, & aerem,quæ tamen vnio non eſt, vnionē inter remum,& curuitatem,quæ vnio nō eſt,ſed tamen poteſt eſſe.

Cōcluſio mea eſt, Veritas eſt eſsētialis Propoſitioni, ità sētit *Hurtadus diſp.9. de Anima ſect. 3.* contra *Arriag. diſp. 16. Log.& Ouied. de anima cōtr.7.part.1.§.3.*

Probatur primò, quia propoſitio eſt actus intellectus tendentis in obiectum, ſed actus intellectus eſt eſſentialiter expreſſiuus,& repręſentatiuus obiecti;ergo propoſitio, vt ſic & ex genere ſuo eſt eſsētialiter expreſſiua, & repræſentatiua obiecti;tunc ſic, vel obiectum eſt ità in ſe,& à parte rei, ſicuti repræſentatur per cognitionem,ſeù propoſitionem, vel eſt aliter in ſe,ac exprimitur, & repræſentatur;ſi eſt ità in ſe, ſicuti repręsētatur,iam talis propoſitio erit eſſentialiter vera, ſi non eſt ità in ſe,ſicuti repræſentatur,iam propoſitio eſt eſſentialiter falſa.

Neque dicas, propoſitionē præciſiuè ſe habere, & repræſentare quidem obiectum,ſed præſcindere ab eo, quòd obiectum ſit ità,vel non ſit ità, ſicuti repræſentatur per illam; quia hoc eſſet ſumere propoſitionem in genere,& in abſtracto, at propoſitio in ſpecie,ſeù etiam,indiuidualiter accepta, debet eſſentialiter repræſentare obiectū tali modo,ideſt, vel ità exiſtens,ſicuti repræſentatur, vel non exiſtēs ità,ſicuti repræſentatur, & quidē ſi repræſentetur primo modo, propoſitio eſt eſſentialiter vera, ſi ſecundo modo,erit eſſentialiter falſa.

Cōfirmatur:quia homo vt ſic, eſt eſſentialiter animal rationale, ideò etiam hic homo eſt eſſentialiter hoc animal rationale, quidquid enim prædicatur de vniuerſali vniuerſaliter diſtributo,prędicatur & de quolibet ſuppoſito, ſeù indiuiduo eius,ergo à pari, quia propoſitio vt ſic, eſt eſſentialiter repræſentatiua obiecti, vt ſic,ideſt, præſcindentis ab eo, quòd ſit ità,ſicuti repræſentatur, vel aliter,propoſitio talis,& in ſpecie erit eſsētialiter repręſentatiua obiecti talis,ideſt, taliter exiſtentis, vti repræſentatur, vel non taliter exiſtentis.

Probatur ſecundò:quia dantur aliquę propoſitiones, quæ ſunt eſſentialiter veræ,& quę eſſentialiter repręſentant obiectum,ità exiſtere, ſicuti reuerà exiſtit in ſe,ergo aliæ etiam ſunt eiuſdem naturæ, & conditionis.Antecedēs patet in cognitione intuitiua, quæ tendit ad obiectum exiſtens,vt exiſtens, cognitio terminata ad Deū,& omnes propoſitiones de Fide reſpiciunt eſſentialiter obiectum ità exiſtens,ſicuti repræsētatur per huiuſmodi propoſitiones,ergo.

Nonnulli, vt vim huius argumenti effugerent,non dubitauerunt aſſerere, cognitioni intuitiuæ,etiam ſupernaturali poſſe correſpondere de abſoluta potentia obiectum non exiſtens; Viſioni terminatæ ad Deum, prout terminatur ad obiecta ſecundaria, poſſe correſpondere obiectum nō exiſtens,imò & actui Fidei Diuinæ poſſe ſubeſſe falſum de abſoluta potentia, quæ omnia quam verè dicantur, non eſt Philoſophi examinare, ſed Theologi.

Obijcies primò: *Ariſt. in Prædicam. cap. de ſubſtantia*, apertè docet,veritatē, & falſitatem eſſe accidentalem Propoſitioni, ideòque poſſe vnam propoſitionē de vera in falſam, & è contrario mutari, ergo veritas non eſt prædicatum eſſentiale propoſitionis.

Reſpondeo:ea verba nō eſſe Ariſtotelis, ſed Antiquorum, vt apertè colligitur ex hac particula in margine poſita; *Inſtantia*;erat enim argumentū, & inſtātia Antiquorum contrà definitionem propoſitionis traditam ab Ariſtotele,in qua definitione appoſita eſt veritas, vel falſitas, tanquam prædicatum eſſentiale propoſitionis;Inſtabant Antiqui,eadem propoſitio,Petrus ſedet,Petro ſedēte,eſt vera, Petro ſurgēte,eſt falſa,ergo veritas non

non eſt prædicatum eſſentiale propoſitionis. & per conſequens non debet poni in eius definitione. Reſpondet Ariſtoteles, quòd poteſt quis Petro ſedente, opinari, quod Petrus ſedeat, & eo ſurgente, retinere eandem opinionem, quæ quidem prius erat vera, & poſteà mutato obiecto, facta eſt falſa; atque ità indirectè negat manere eandem propoſitionem, mutato obiecto.

Obijcies ſecundò: Si cognitio eſſet vera eſſentialiter, ſequeretur Angelum certò ſcire futura, quod ſoli Deo competit, iuxtà illud Iſaiæ cap 41. Annunciate, quæ ventura ſunt, & dicemus, quia Dij eſtis ergo: Sequela Antecedentis probatur, quia Angelus perfectè penetraret cognitionem ſuam veram de aliquo effectu futuro, ſed illa eſt eſſentialiter vera, & eſſentialiter repræſentat obiectum, ſicuti eſt futurum, ergo Angelus haberet certã cognitionem de illo effectu futuro.

Reſpondeo: quòd quia Angelo non eſt debita cognitio futurorum, ideò illi non eſt debitus concurſus Dei ad cognoſcendum reſpectum eſſentialem, quẽ habet talis Propoſitio ad obiectum futurum, & ideò non ſequitur Angelum certò cognoſcere obiecta futura.

Obijcies tertiò: Propoſitionem eſſe veram nihil eſt aliud, quam repræſentare obiectum, ſicuti eſt in ſe, ex eo enim, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera, vel falſa, ſed Propoſitio habet repræſentare obiectum ſicuti eſt, abſque eo, quod veritas ſit illi eſſentialis, ergo. Minor probatur, quia ſit Propoſitio affirmans curſum Petri, & Petrus de facto currat, iam talis propoſitio eſt vera, etiã ſi ponatur veritas eſſe prædicatum accidentale talis propoſitionis, ergo propoſitio eſt vera etiam ſi veritas aſſeratur eſſe eius prædicatum accidentale, & non eſſentiale.

Reſpondeo: in facta hypotheſi, & ſuppoſitione poni principium vtriuſque partis contradictionis: nam ponere propoſitionem affirmantem Petrum currere, Petro currente, eſt ponere principium, & Cauſam veritatis in tali propoſitione; ponere negationem reſpectus eſſentialis repræſentationis, eſt ponere principium, & cauſam negationis veritatis in tali propoſitione, & ità ſequeretur vtraque pars contradictionis, ſicuti facta hac hypotheſi; ſi homo eſſet Angelus, ſequitur vtraque pars contradictionis, quòd eſſet Spiritus & quòd non eſſet Spiritus, eſſet Spiritus, quà Angelus, non eſſet Spiritus, quà homo; & data hypotheſi, quod motus fieret in vacuo, ex communi Philoſophorum ſenſu, ſequitur vtraque pars cõtradictionis, quod motus fieret in inſtanti, & quod non fieret in inſtanti; fieret in inſtanti, quia in Vacuo, non fieret in inſtanti, quia eſſet motus.

Reſpondeo ſecundò: quod ſi factum argumentum quidquam concluderet, concluderet etiam vnionem ad extrema, actionem ad terminum, Scientiam ad obiectum, non dicere reſpectum eſſentialem, ſi enim intelligamus ex vna parte vnionem, & ex alia extrema vnienda cum omnibus requiſitis ad poſſe vniri, eodem modo intelligemus ea extrema eſſe vnita præciſo prædicato eſſentialis reſpectus vnionis ad extrema, quo intelligeremus ea extrema eſſe vnita poſito prædicato eſſentiali vnionis; Similiter eodem modo intelligimus actionem producere terminum, ſiuè habeat, ſiuè non habeat reſpectũ eſſentialem ad terminũ; denique eodem modo intelligimus ſciẽtiam terminare ad obiectum, ſiuè habeat, ſiuè non habeat pro ſui prædicato eſſentiali reſpectum ad obiectum, & tamen Authores, qui nobis tale argumentum obijciunt, admittunt in vnione ad extrema, in actione ad terminum, in Scientia ad obiectum eſſe prædicatum eſſentiale reſpectus traſcendentalis, ergo etiam in propoſitione affirmante obiectum exiſtere, quod reipſa exiſtat, ſicut affirmatur, debet poni tanquam prædicatum eſſentiale, reſpectus traſcendentalis ad obiectum. Dicendum eſt ergo, quòd præciſo illo reſpectu, propoſitio eſt vera fundamentaliter, non formaliter, fit enim vera formaliter per illum reſpectum eſſentialem.

Obiicies quartò: impoſſibilis eſt talis reſpectus eſſentialis, nam ſi modò cogitem de peccato Petri futuro craſtina die, & illud affirmem, hæc eadem numero cognitio erit, ſiuè Petrus cras peccet, ſiuè non peccet; nam ſi non ſit eadem entitatiuè, iam non eſſet maior ratio, quare nunc producerem veram, quam falſam, atque ità neutram producerem.

Reſpondeo: negando eſſe eandem propoſitionem, ſiuè Petrus peccet, ſiuè non, quia ſi Petrus peccet, propoſitio aſ-

Digitized by Google

firmans peccatum Petri, eſt eſſentialiter vera, ſi non peccet, illa propoſitio eſt eſſentialiter falſa; quare talis propoſitio eſt quidem materialiter eadem, ſed non formaliter.

Replicabis. Petrum non peccare, eſt mera negatio & non ens, ergo non poteſt phyſicè influere in illam propoſitionem, & cauſare reſpectum eſſentialē, in quo dicitur falſitas conſiſtere, ergò ſi Petrus non peccet, illa propoſitio non poteſt dici eſſentialiter falſa.

Reſpondeo: priuationē eſſe phyſicū & reale principium mutationis naturalis, & tamen eſt non ens. Sæpè cognitio noſtra terminat ad non entia, & impoſſibilia, à quibus tamē dicitur aliquo modo ſpecificari. Dico igitur, quod non eſt negatio peccati Petri, quę producat phyſicè illum reſpectum eſſentialem, ſed nec producit moraliter: vt alii volunt, per voluntatem Dei determinantis intellectum potiùs ad hunc actum, quam ad alium, quia aliàs Deus determinaret intellectum ad actum falſum, & erroneum; producitur talis reſpectus eſſentialis ab ipſomet intellectu ſuppoſita illa negatione, tanquam conditione ſinè qua non; ſicuti ſuppoſita negatione diſtantiæ ignis à ſubiecto, producitur calor ab igne in ſubiectum ſibi approximatum.

Replicabis iterum: talis negatio peccati Petri, non ſignificatur à propoſitione falſa affirmante peccatum Petri, ergo non eſt terminus talis propoſitionis, ergo in ea propoſitione non poteſt eſſe reſpectus eſſentialis ad contradictoriū ſui termini, quale eſt illa negatio; ergo ſaltē propoſitionis falſitas non conſiſtit in eſſentiali reſpectu ad terminum, ſeù obiectum.

Reſpondeo: aliud eſſe terminum illius propoſitionis falſæ, & aliud eſſe obiectū eiuſdem; obiectum illius propoſitionis affirmantis curſum Petri, eſt curſus Petri, ſed terminus reſpectus eſſentialis, quem habet illa Propoſitio falſa, eſt negatio curſus Petri, & ideò illa propoſitio eſt falſa, quia habet pro obiecto curſum Petri, & tamen reſpicit eſſentialiter negationem talis curſus, & licèt hæc negatio non ſignificetur ab illa propoſitione, vt propoſitio eſt, ſignificatur tamen ab illa propoſitione, vt falſa eſt.

LECTIO V.

An eadem numero Propoſitio poſſit mutari de vera in falſam ad mutationem Obiecti.

PRæmitto primò: in noſtra ſententia non habere locum iſtam difficultatem, quia cum actus, ſeu propoſitio ſit intrinſecè, & eſſentialiter vera, eadem numero manens non poteſt fieri falſa ex mutatione obiecti merè extrinſecè & accidentaliter pertinentis ad propoſitionem veram. Habet tamen locum in ſententia ponente veritatem conſiſtere in denominatione partim intrinſeca, & partim extrinſeca, id eſt, in entitate actus, & exiſtentia obiecti pro eo tempore, quo ſignificatur exiſtere per propoſitionem: quæritur ergo, an ſicut albedo ex eo, quòd fuerit ſimilis alteri, poteſt mutari in non ſimilem præcisè ex defectu alterius albedinis: ità propoſitio vera ex mutatione obiecti poſſit mutari in falſam, eadem numero manens.

Præmitto ſecundò: quòd quia Propoſitio ſignificat non ſolùm obiectum, ſed etiam obiectum exiſtere pro aliqua temporis differentia, ſiuè determinata, ſiuè indeterminata, ideò veritas Propoſitionis non ſolùm deſumitur ab exiſtentia obiecti ſed etiam à differentia temporis, ſiuè determinata, ſiuè indeterminata, qua exiſtit obiectum; conſequenter veritas eſt quoddam aggregatum ex actu propoſitionis, & ex obiecti exiſtentia pro aliquo tempore, ſiuè determinato, ſiuè indeterminato.

Concluſio prima ſit. Propoſitio, quæ ſignificat tempus determinatum, non poteſt tranſire de vera in falſam. Probatur Concluſio: quia Propoſitio vera, dicit eſſentialiter aggregatum ex actu propoſitionis, & ex obiecti exiſtentia pro aliquo tempore determinato, verbi gratia, Petrus currit, dicit eſſentialiter aggregatum ex actu propoſitionis, & curſu Petri exiſtente pro tempore præſenti, ſed implicat, quòd curſus Petri exiſtēs tempore præſenti, non exiſtat tempore præſenti, quia idem obiectum non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe, neque enim duo contradictoria, vt ſunt eſſe, & non eſſe, poſſunt de eodem verificari, vt de ſe patet; ergo ſi illa propoſitio, Petrus currit, fuit ſemel

vera,

Digitized by Google

vera, non poteſt fieri falſa pro illo inſtāti determinato, eius enim obiectum pro illo inſtanti determinato non poteſt mutari.

Replicabis; hoc argumento probari, quòd ſicuti obiectum non poteſt eſſe, & non eſſe pro eodem inſtanti, itá Propoſitio vera non poteſt eſſe falſa eodem inſtanti; verùm ſicuti obiectum pro diuerſis inſtantibus, & ſucceſſiuè poteſt eſſe, & non eſſe, verbi gratia, Petrus, qui præſenti tempore currit, tempore futuro poteſt non currere, itá propoſitio, quæ tempore præſenti eſt vera currente Petro, poteſt eſſe falſa pro tempore futuro, Petro non currente.

Sed contra hanc replicam eſt; quia Propoſitio illa, Petrus currit, ſemper ſignificat curſum Petri tempore præſenti, vndè etiam tempore futuro quando Petrus non curret, aut tempore præterito, quando Petrus iam cucurrit, illa propoſitio ſignificat curſum Petri tempore præſenti, pro quo tempore ſicuti Petrus non poteſt non currere, itá Propoſitio vera, affirmans talem curſum, non poteſt non eſſe vera: exemplum ſit; imago Cæſaris pueri, ſemper repræſentat Cæſarem puerum, etiam ſi deindè Cæſar euadat vir, aut ſenex, aut etiam ſi mortuus, eodem modo Propoſitio ſignificans, & affirmans curſum Petri tempore præſenti, ſemper ſignificat curſum tempore præſenti, etiam ſi tale inſtans tranſierit iam, aut futurum ſit, etiam ſi Petrus de præterito non cucurrerit aut de futuro non ſit curſurus

Concluſio ſecunda: etiam Propoſitio, quæ affirmat in communi Petrum currere, non determinando aliquod inſtans in particulari, non poteſt tranſire de vera in falſam. Probatur; quia ad hoc vt iſta propoſitio, Petrus currit, tempore indeterminato, & indefinito ſit vera, ſufficit quòd Petrus currat pro aliquo inſtanti, ſiuè hoc, ſiuè illo, ſed dato, quod Petrus currat in aliquo inſtanti, non poteſt non currere in illo inſtanti, ergo propoſitio ſemel vera pro illo inſtanti, non poteſt fieri falſa.

Replicabis; quidem pro illo inſtanti eam propoſitionem nō poſſe eſſe falſam, ſed pro alio inſtanti; quare illa propoſitio nòn erit falſa, ſi Petrus ampliùs non currere ſupponatur.

Sed contrà hanc replicam eſt; quia inſtans, in quo Petrus non ſupponitur currere, non ſignificatur à tali propoſitione, quæ iam eſt verificata de illo inſtanti, in quo extitit curſus Petri, & ideò propoſitio illa ſemper remanet vera; niſi velis dicere, mutatam quoque fuiſſe propoſitionem, & ſic non eadem propoſitio vera, ſit falſa, ſed vna eſt vera, & altera erit falſa

Obijcies primò: per Ariſtotelem cap. de ſubſtantia eadem Enūciatio, ſeù Opinio, v.g. *Petrus ſedet*, eo ſedente, eſt vera, eo ſurgente, eſt falſa; ergo.

*R*eſpondeo: *P*hiloſophum ibi non loqui de Enunciatione, ſed de Opinione, quam exiſtimat poſſe eſſe eandem, etiam ſi veritas propoſitionis dextruatur ſimùl cùm ipſa *P*ropoſitione, nam ſi aliquis videret *P*etrum non ampliùs ſedentem, ſed currentem, adhùc poſſet opinari *P*etrum eſſe ſedentem, intellectus enim liberè, & ad libitum opinatur

Obijcies ſecundò: ſi aliqua propoſitio, verbi gratia, *P*etrus currit, duraret per totam horam, & *P*etrus curreret in medietate horæ, & in alia medietate non curreret, propoſitio iam priùs vera, deindè fieret falſa, ergo.

*R*eſpondeo illam propoſitionem, vel sēper eſſe veram, vel ſemper falſam; quia ſi ſignificat *P*etrum currere per totam horam, propoſitio ſemper eſt falſa; ſi propoſitio ſignificat *P*etrum currere in aliqua medietate, ſemper eſt vera, quantumcumque varietur obiectum, propoſitio illa ſemper erit vera in ordine ad illud tempus, quod ſignificat, quantumuis obiectum in alijs temporibus mutetur.

Obijcies tertiò: ſi quis diceret; homines, qui ſunt in foro, currunt; iſta propoſitio, ſi *P*etrus eſt in foro, illum ſignificat; ſi verò in foro fuiſſet *P*aulus, & non Petrus, ſignificaret Paulum, & non Petrum; ergo eadem propoſitio eſt indifferens ad ſignificandum hoc, vel illud obiectum, ergo etiam ad ſignificandum hoc, vel illud inſtans, ergo eadem propoſitio poteſt mutare ſignificationem, atque itá ſi modò ſignificat inſtans. A. poſtmodum poteſt ſignificare inſtans B. & in illo primo inſtanti eſſe vera, in alio falſa, vel è contrà.

Reſpondeo: illam propoſitionem ſignificare conditionatè omnes homines, ſenſus enim illius eſt, omnes homines, ſi ſunt

ſunt in foro, currunt; determinatè ergò nullum ſignificat, indeterminatè verò, & conditionatè omnes homines, ſi iſti ſint in foro. Eſt autem per accidens, quòd aliquando illa propoſitio verificetur in Petro, aut in Paulo, ſi vnus vel alter in foro ſupponatur exiſtere. Similiter quando propoſitio ſignificat aliquod inſtans conditionatè, ſemper idem ſignificat, atq; ità cùm dico, Petrus currit, ſi ſuppono Petrum determinatè currere in aliqua parte temporis, ſi in illa parte tēporis, Petrus currit, propoſitio eſt vera: at verò ſi propoſitio cōditionatè ſupponat pro pluribus inſtātibus, poterit verificari in vno, vel altero inſtanti, & hoc per accidens; idem dico, ſi propoſitio ſignificaret plura inſtantia indeterminatè, quia tunc per accidens in vno, vel altero inſtanti verificabitur, ſed dato quod in vno inſtanti ſit verificata, non poteſt in alio inſtanti verificari; ſicuti dato, quòd propoſitio illa, homines, qui sūt in foro, currunt, verificata ſit aliquando in Petro, nō poteſt verificari in Paulo; vel ſi poteſt verificari in Paulo, id accidit, quia etiam in Paulo ſignificatur, cùm dicitur, homines, qui ſunt in foro, currunt.

*R*eſpondeo ſecundò, obiectū primariū, formale, & per ſe huius propoſitionis, & ſimilium, eſſe aliquos homines; obiectum materiale, ſecundarium, & per accidens eſſe hunc, vel illum hominem in particulari, eſto igitur varietur obiectum materiale, & per accidens, at obiectum formale, & per ſe, ex quo formaliter, & per ſe deſumitur ſignificatio propoſitionis ſemper idem, & inuariatum manet, ideòque ſemper remanet eadem propoſitio, & ſemper eſt vera.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINTA.

IN LIBROS PRIORVM, ET POSTERIORVM.

A Secunda operatione Intellectus Ariſtoteles tranſit ad Tertiam, & in Libris Priorum, & Poſteriorum, agit priùs de Syllogiſmo in communi, deindè verò de Syllogiſmo in particulari, nimirū de Syllogiſmo Demōſtratiuo. Hi Libri appellantur etiam Analytici, ideſt, reſolutorij, quia Philoſophus in hiſce Libris diſtinguit Syllogiſmum, & Demonſtrationem in partes, ex quibus componuntur, & in quas diſſoluuntur, ſeù reſoluuntur.

LECTIO I.

Quomodo Præmiſſæ concurrant ad Concluſionem.

PRæmitto primò; definiri *ab Ariſtotele* Syllogiſmum hic 1. *Prior.* 1. eſſe Orationem, in qua quibuſdam poſitis aliud quid à poſitis neceſſè eſt, contingere, eò quòd hęc ſint, ideſt, Syllogiſmum eſſe, Orationem, in qua poſitis, vel etiam conceſſis duabus præmiſſis neceſſariò ſequitur Cōcluſio, ſeù conſequentia ex vi, ſeù virtute præmiſſarū. Ex quibus patet, quòd Syllogiſmus includit tùm præmiſſas, tùm Concluſionem, & quidem in recto, & principaliter dicit Concluſionem, in obliquo, & minùs principaliter dicit præmiſſas, Syllogiſmus enim eſſentialiter & formaliter eſt tertia operatio Intellectus, tertia autem operatio Intellectus eſt Concluſio, non quidem ſecundùm ſe, & ſolitariè accepta à præmiſſis, ſed prout à præmiſſis dependet:

Quando autem *Ariſt.* 2. *Prior.* 1. docet, ex vno, eodemq; Syllogiſmo plures elici poſſe Concluſiones, quibus verbis videtur ponere Concluſionem, vt quid diſtinctum à præmiſſis: explicandus eſt de Syllogiſmo amplè ſumpto pro qualibet cognitione, quo ſenſu etiam præmiſſæ appellari poſſunt Syllogiſmus, & ideò etiam 1. *Priorum*, in eodem ſenſu loquitur, vbi habet, *perfectum voco Syllogiſmum nullo alio indigentem præter aſſumpta*, videlicet, præter præmiſſas.

Præmitto ſecundò: in Syllogiſmo Concluſionem, & Conſequentiam idem eſſè, ſed tamen diſtinguenda eſſe duo iudicia; nempè iudicium conſequentiæ, & iudicium conſequentis, iudicium conſequentiæ, ſeù illationis eſt, cùm iudicamus bonam eſſe illationem, ſeù conſequentiā, & eam rectè deduci, ſeù inferri ex poſitis præmiſſis; iudicium conſequentis eſt, quando iudicamus verū eſſè conſequens, ſæpè enim fit, vt verum ſit conſequens, & falſa ſit conſequentia, & è contrà, nam poſitis præmiſſis falſis, iiſque conceſſis ſequitur aliquando optima conſequentia, & illatio, quamuis falſum ſit conſequens.

Præmitto tertiò: eſſe certum, præmiſſas concurrere ad Concluſionē; remanet explicandum, quomodo concurrant; ideſt, in quo genere cauſæ; & quidem de duplici genere cauſæ poteſt eſſe difficultas, videlicet, de genere cauſæ efficientis, & de genere cauſæ formalis; vel enim Præmiſſæ ſimul cùm Intellectu efficiunt vnum integrum Principium productiuum Cō-

cluſioni; vel ſe habent tanquam ratio mouens, & illuminans Intellectum ad aſſentiendum Concluſioni.

Si primo modo ſe habeant, concurrent Præmiſſæ ad Concluſionẽ in genere cauſæ efficientis; ſi ſecundo modo ſe habeant, concurrent ad concluſionem in genere Cauſæ formalis motiuæ, & illuminatiuæ.

Concluſio eſt: Præmiſſæ concurrunt ad Concluſionem in genere cauſæ formalis, ſeu tanquam ratio formalis motiua.

Probatur Concluſio; quia Intellectus, quando elicit Concluſionem, ſeu aſſentitur Concluſioni, debet habere aliquod motiuum aſſentiendi, ſed tale motiuum nullum aliud poteſt eſſe, quàm aſſenſus præmiſſarum, ideò enim extrema Concluſionis iudicantur eſſe vnita, quià fuerunt priùs vnita in præmiſſis, ergo: maior patet, tùm quia Intellectus non temerè, aut caſu aſſentitur Concluſioni, tùm quia in concluſione ponitur, τὸ ergo, quod denotat rationem formalem, & motiuũ, quod habet Intellectus ad faciendam illam propoſitionem, quæ quia habet illam particulam, dicitur Concluſio.

Confirmatur, quia ſi aſſenſus præmiſſarum non concurret tanquam ratio formalis motiua ad aſſenſum Concluſionis, ſequeretur, quòd aſſenſus concluſionis nõ differret ab aſſẽſu præmiſſarum, & ſic tertia operatio intellectus, ſeù diſcurſus, non differret à ſecunda operatione, & iudicio, eodem enim modo intellectus aſſentiretur præmiſſis, & Concluſioni, quia iam non aſſentiretur Concluſioni propter præmiſſas, ſeù vi, & virtute præmiſſarum, ſed aſſentiretur Concluſioni in ſe, & formaliter, ſicuti aſſentitur præmiſſis in ſe, & formaliter, ergo iam nulla eſſet differentia inter diſcurſum, & iudicium, inter tertiã, & ſecundam operationem.

Probatur ſecundò: quia eadem Concluſio compoſita ex ijſdem terminis, quatenus procedit ex diuerſis principijs, ſeù præmiſſis diſtinguitur ſpecie, ergo aſſenſus principiorum, ſeù præmiſſarum, eſt ratio formalis aſſentiendi Concluſioni. Conſequentia patet, quia ratio formalis aſſentiendi eſt illa, quæ facit differre ſpecie aſſenſus. Antecedens probatur, quia eadem Concluſio deduci poteſt per medium probabile, per fidem humanam, & per principia euidentia, ſed Concluſio quatenus deducitur per medium probabile differt ſpecie à Concluſione, quatenus ſcitur per principia euidentia, ſeù per fidem, quia quatenus deducitur per medium probabile, dicitur Opinio; quatenus deducitur per principia euidentia, dicitur Scientia; quatenus deducitur per teſtimonium alterius dicentis, eſt fides.

Obijcies primò: aſſenſus præmiſſarum concurrit, tanquam cauſa efficiens ad Concluſionem, ergo non concurrit, tanquam ratio formalis motiua. Conſequentia tenet. Antecedens probatur, quia aſſenſus præmiſſarum complet vim actiuã Intellectus, qui de ſe ſine aſſenſu præmiſſarum non eſt ſufficiens principium ad eliciendam Concluſionem, nam Intellectus Concluſionem nunquam eliceret, niſi eliciuiſſet præmiſſas, ergo.

Reſpondeo: negando antecedens, Intellectus enim ſicut de ſe habet virtutem eliciendi aſſenſum præmiſſarum, ità de ſe habet virtutem eliciendi aſſenſum Concluſionis, requiritur tamen, vt præhabeat aſſenſum præmiſſarum, quia illi inſeruit, tanquam ratio formalis motiua, & illuminatiua modo explicato.

Obijcies ſecundò: ſi aſſenſus præmiſſarum inſeruiret Intellectui, tanquam ratio formalis motiua, ſequeretur, quòd eo inſtanti, quo intellectus aſſentitur Concluſioni deberet ſimul aſſentiri præmiſſis, ſed hoc eſt falſum, quia, vt patet, intellectus priùs aſſentitur præmiſſis, & deindè aſſentitur Concluſioni, ergo. Confirmatur, quia quãdo Intellectus aſſentitur Concluſioni, iam non ſunt ampliùs præmiſſæ, ergo eo inſtanti aſſenſus nõ poteſt eſſe ratio formalis motiua ad aſſentiendũ Cõcluſioni.

Reſpondeo: Præmiſſas præcedere aſſenſum Concluſionis, ſed tamen eo inſtanti, quo intellectus elicit Cõcluſionem, quia retinet ſpeciem Præmiſſarum, recordatur Præmiſſarum, & ideò earum aſſenſus inſeruit intellectui, tanquam ratio formalis motiua aſſentiendi: eodem modo tenẽtur reſpondere omnes illi, qui ponunt teſtimonium Diuinum eſſe rationẽ formalem motiuam ad eliciendum actũ Fidei Diuinæ, & ſupernaturalis; quia licet præceſſerit talis aſſenſus, tamen eo inſtanti, quo elicitur actus Fidei, quia remanet eius ſpecies, inſeruit tanquam ratio formalis motiua. Et ex his patet etiam reſponſio ad Confirmationem.

Obijcies tertio: Voluntas amat media propter finem, itaut finis ſit ratio illius motiua, & tamen quãdo amat media

dia eo inſtanti, non cogitat de fine, ergo à pari licèt Intellectus aſſentiatur Concluſioni propter præmiſſas, poteſt aſſentiri Concluſioni, nihil cogitando de præmiſſis.

Reſpondeo: negando minorem & ea conceſſa, adhùc eſt lata diſparitas inter Voluntatem, & Intellectum, quia Voluntas eſt potentia libera, & ideò poteſt non amare obiectum, etiam ſi illi euidenter ſit propoſitum; è contrà Intellectus eſt potẽtia neceſſaria, & ſic, ſi habeat obiectum præſens, non poteſt non aſſentiri, & circa illud verſari.

Obijcies quartò: ex Ariſtotile 2. Topicorum 4. plura contingit ſcire, cogitare autem non ſed ſi Intellectus eodem inſtanti aſſentiretur Cõcluſioni, & præmiſſis, ſimul plura cogitaret, plura ſimul cognoſceret, ergo quando Intellectus aſſentitur Concluſioni, nihil cogitat de aſſenſu Præmiſſarum.

Reſpondeo: Intellectũ nõ poſſe ſimul, & in eodẽ inſtanti plura cogitare, quando plura ſe habent ad modum plurium, non ſic, ſi plura ſi habeant ad modum vnius; tunc plura ſe habent ad modum plurium, & ſunt verè plura, quando non ſunt inuicem ſubordinata; tunc plura non ſunt verè plura, ſed ſe habent ad modum vnius, quando ſunt inuicem ſubordinata: hoc ſecundo modo ſe habẽt aſſenſus Præmiſſarum, & aſſenſus Concluſionis, ille enim huic eſt ſubordinatus, ideò benè poteſt Intellectus habere pro motiuo formali aſſenſum Præmiſſarum, & ſimul aſſentiri Concluſioni.

LECTIO II.

An Aſſenſus Præmiſſarum neceſſitet Intellectum ad aſſenſum Concluſionis.

PRæmitto primò: duplicem à Philoſophis communiter aſſignari neceſſitatem; alteram quòad exercitium, alterã quòad ſpecificationem. Neceſſitas quòad ſpecificationem eſt, cùm facta ſuppoſitione, quòd circà aliquod obiectum potentia debeat elicere actum, tenetur elicere actum talis determinatæ ſpeciei, & non alterius; quamuis abſolutè, & ſimpliciter poſſet nullum elicere; verbi gratia, ſi Voluntati proponatur aliquod malum, vt malum, Voluntas circà illud neceſſitatur quòad ſpecificationem; nam ſi velit circà tale obiectum operari, non poteſt elicere, niſi actum odij. Neceſſitas quòad exercitium eſt, cùm potentia non poteſt ſimpliciter, & abſolutè non operari circà obiectum propoſitum; exempli gratia, ſi potentiæ viſiuæ, & cæteris potentijs neceſſarijs in debita diſtantia proponatur obiectum ſinè vllo impedimento, ſimpliciter, & abſolutè non poteſt oculus ceſſare ab actu viſionis.

Præmitto ſecundò: dupliciter poſſe à Volũtate impediri actum alterius potentiæ; directè nimirum, & indirectè: tunc Voluntas impedit directè, cùm poſitis omnibus requiſitis ad agendum imperat, nè potentia eliciat, vel vt eliciat actum oppoſitum illi, ad quem eliciendum habet omnia requiſita: tunc impedit indirectè, cùm Voluntas diſtrahit aliam potentiam, verbi gratia, Intellectum nè aduertat ad obiectum, proponendo aliquod aliud obiectum vehementius.

Præmitto tertiò: Poſſe Intellectum à Volũtate indirectè impediri, nè aſſentiatur Concluſioni, poteſt enim Voluntas Intellectui parato ad aſſentiendum Cõcluſioni, proponere obiectum aliquod vehementius, cui conſiderando magis ſe applicet Intellectus, atque ità non aduertat ad bonitatem illationis, vel ad veritatem præmiſſarum, & ità non eliciet aſſenſum circà Concluſionem.

Concluſio prima: poſitis Præmiſſis neceſſitatur Intellectus ad aſſenſum Concluſionis in tali ſpecie eliciendum: Probatur Concluſio: quia verum repræſentatum, vt verum, non poteſt eſſe obiectũ diſſenſus, ſed poſito aſſenſu præmiſſarum, & poſita aduertentia de bonitate illationis, Concluſio eſt vera & repræſentatur, vt vera, ergo in his circumſtantijs non poteſt eſſe obiectum diſſenſus, ergo ſi Intellectus circà illud operetur, non poteſt elicere, niſi actum aſſenſus. Maior patet, quia ſicut bonum cognitum, vt bonum, non poteſt eſſe obiectum odij, ità verum repræſentatum, vt verum, non poteſt eſſe obiectum diſſenſus. Minor probatur, quia ex præmiſſis veris rectè diſpoſitis non poteſt in bona forma ſequi, niſi Concluſio vera, ergo poſitis, & iudicatis præmiſſis veris, & poſita aduertentia de bonitate illationis, impoſſibile

P eſt,

Digitized by Google

eſt, vt Concluſio non repræſentetur vt vera.

Concluſio ſecunda: Poſitis præmiſſis veris neceſſitatur Intellectus, etiam quòad exercitium.

Probatur Cõcluſio, quia potẽtia neceſſaria eſt, quę poſitis reqſitis nõ poteſt nõ agere, ſicuti potentia libera eſt, quæ poſitis requiſitis poteſt agere, & nõ agere, ſed Intellectus eſt potẽtia neceſſaria, ergo poſitis omnibus requiſitis ad aſſentiẽdũ Cõcluſioni, nõ poteſt nõ aſſentiri. Maior eſt certa, & patet Inductione, poſito .n. obiecto viſibili in debita diſtantia, & cæteris requiſitis, oculus non poteſt non videre tale obiectum, & ſic de reliquis potentijs ſenſitiuis, quæ omnes ſunt neceſſariæ; Minor probatur, quia ſola Voluntas eſt potentia formaliter libera: tùm ſic argumentor, poſitis, & iudicatis præmiſſis veris, & poſita debitâ aduertentia de bonitate illationis, ſunt poſita omnia requiſita ad aſſentiendum Concluſioni, ergo his poſitis neceſſariò Intellectus aſſentitur Concluſioni.

Probatur ſecundò: ex Philoſopho 7. Eth. 3. vbi habet, facta maiori, & minori in re ſpeculatiua, Animam neceſſariò enunciaturam, in practicis verò ſequuturum opus: & 1 Poſt t. 4. docet Minorem ſimul cum Concluſione cognoſci; quòd eſſet falſum, niſi neceſſariò Intellectus aſſentiretur Concluſioni poſitis præmiſſis, nam benè poſſet cognoſcere Minorem, & ſimul non cognoſcere Concluſionem.

Obijcies primò: Voluntas non neceſſitatur quòad exercitium ad volendum bonum creatum & finitum, ergo neque Intellectus neceſſitatur quòad exercitiũ ad aſſentiendum cuicumque vero; conſequentia tenet, quia ſicuti ſe habet Voluntas ad bonum, ità Intellectus ad verum.

Reſpondeo: negando conſequentiam; diſparitas eſt duplex, prima quidem deſumitur ex parte potentiarum, quia Voluntas eſt potentia formaliter libera, & ideò non poteſt à bono particulari, & finito neceſſitari, Intellectus autem eſt potentia neceſſaria, quæ determinatur à vero particulari, ſicuti aliæ potentiæ neceſſariæ à ſuis obiectis particularibus. Altera diſparitas deſumitur ex parte obiectorum, quia de bono finito & particulari poteſt dubitari, vtrum ex aliqua ratione ſit malum; nam licèt aliquid ſit bonum corpori, verbi gratia, poteſt eſſe malum Animæ, & propterea Voluntas poteſt illud odiſſe, & deteſtari; ſed de vero particulari, non poteſt dubitari, vtrum ex aliqua ratione ſit falſum, verum enim eſt ex conformitate obiecti ad cognitionem, quæ illud attingit, quando autem talis conformitas repræſentatur Intellectui, non poteſt dubitari, vtrum illi ſubſit aliqua falſitas.

Obijcies ſecundò: Intellectus non neceſſitatur quòad exercitium, niſi poſitis omnibus requiſitis, ſed inter requiſita eſt, quod Voluntas, quæ habet imperium in omnes alias potentias, permittat Intellectum operari, ergo ſi Voluntas non permittat, ſed contrarium præcipiat, non poterit Intellectus aſſentiri Concluſioni, etiam poſitis præmiſſis.

Reſpõdeo: negando Minorẽ, maximè, ſi obiectum ſit clarum, & euidens, non enim poteſt Intellectus per imperium Voluntatis cohiberi, nè aſſenſum eliciat, neque requiritur, vt Voluntas permittat, vt patet in alijs potentijs neceſſarijs, nam etiam ſi Volũtas non permittat, & contrarium præcipiat, non poteſt oculus verbi gratia, non videre obiectum ſibi propoſitum in debita diſtantia, & ſinè alio impedimento.

Neq; dicas, ꝙ Intellectus eſt potentia minùs materialis, & quia magis coniũcta Voluntati, quã aliæ potẽtiæ, tenetur magis obedire Volũtati. Nã maior hęc obediẽtia non cõſiſtit in eo, vt poſitis requiſitis poſſit Intellectus à Volũtate directè impediri, ſed ſolùm conſiſtit in hoc, quòd Intellectus celeriùs, & faciliùs poſſit impediri indirectè, propoſito ſcilicet obiecto vehementiori, ad quod ſe applicat Intellectus, & non aduertat ad pręmiſſas, ſed ſi ſemel permittat Voluntas, vt Intellectus aſſentiatur præmiſſis, non poteſt deindè impedire, quòd aſſentiatur Concluſioni.

Obijcies tertiò: ad eliciendum actum Fidei requiritur pia affectio Voluntatis, ergo iam requiritur conſenſus, & imperium Voluntatis ad aſſentiendum Concluſioni.

Reſpondeo: pium affectum requiri adhoc, vt Intellectus aſſentiatur vni præmiſſarũ obſcuræ, ſed ea data, & conceſſa, non requiritur pius affectus, vt Intellectus aſſentiatur Concluſioni, ſicuti ne-

quæ requiritur pius effectus ad hoc, vt Intellectus aſſentiatur obiecto claro: & euidenti.

Obijcies quartò. Intellectus habet habitum, quo inclinat ad aſſentiendum Concluſioni, ergo eſt liber ad eliciendum talẽ aſſenſũ, neque enim in potẽtia determinata, & neceſſaria poteſt poni habitus.

*R*eſpondeo: in Intellectu poni habitum adhoc vt faciliùs, & promptiùs Intellectus aſſentiatur, licèt enim ſit determinatus ad aſſentiendum, non tamen eſt determinatus, ſed potiùs eſt indifferens ad aſſentiẽdum cum facilitate, & promptitudine, & ſinè facilitate, & promptitudine.

Obijcies quintò: poteſt dari caſus, quòd Intellectus ex iiſdem præmiſſis, poſſit elicere plures Concluſiones, ergo non eſt determinatus ad aſſentiendum vni potius Concluſioni, quàm alteri: Confirmatur; quia ſi Intellectus præbuerit aſſenſũ præmiſſis concludentibus propoſitiones contradictorias, quò ſe Intellectus vertet?

Reſpondeo: quòd intellectus illam Concluſionem eliciet, quam aduertet; & ſi vtramquè aduertat, vtramque eliciet, benè enim poteſt Intellectus vtramque Concluſionem elicere dependentem ab iiſdem præmiſſis: in alio caſu dico, tunc Intellectum probabilibus argumentis hinc indè ipſum in diuerſa trahentibus ſtare, & quaſi paribus librarum ponderibus neutram in partem inclinare, ſed ſuſpendere iudicium, donec alterutram partem clariùs præuiderit: in tali enim caſu per accidens impeditur Intellectus, nè aſſentiatur vni illarum Concluſionum contradictoriarum, quia vnius rationes obſtant, quominùs partis alterius rationes mentem determinent ad aſſenſum.

LECTIO III.

De Præcognitionibus, & Præcognitis.

TRactaturi de Demonſtratione, à Præcognitis, & Præcognitionibus exordimur cùm *Ariſtotele lib.1. Poſt. cap. 1. & 8.*

Præmitto primò: Demonſtrationem, (ſicuti etiam diximus de Syllogiſmo in communi) principaliter importare Concluſionem, quam præcedunt duæ Præmiſſæ, & earum termini; videlicet, ſubiectum, Prædicatum; & medius terminus: Præmiſſæ; & termini, ſicuti præcedunt Concluſionem Demonſtratiuam, ità debent antecedenter cognoſci, ſeù præcognoſci.

Præmitto ſecundò: vt aliquod obiectum diſtinctè cognoſcatur, quinque eſſe de eo cognoſcenda; primum eſt, quid nominis, ideſt, quid nomen ſignificet; ſecundum, an ſit, ſeù exiſtat obiectum; tertium, quid ſit obiectum; quartum, quale ſit obiectum; quintum denique propter quid ſit obiectum: quæ ità ſunt inter ſe ordinata, vt eodem ordine, quo ſunt hic poſita, & enumerata, vnum præſupponat aliud.

Concluſio. Antequam inferatur Concluſio Demonſtratiua, tria ſunt Præcognoſcenda; nimirùm, Subiectum, Prædicatum, & Præmiſſæ, ſeù Principia.

Probatur, quia Cõcluſio Demõſtratiua deducitur ex vi Præmiſſarum, quod nihil aliud formaliter ſunt, quàm termini copulati inuicem, coniuncti, atque connexi, ergo antequam inferatur Cõcluſio, debẽt Præmiſſæ, & earum termini cognoſci; tenet conſequentia, quia diſcurſus Demonſtratiuus formaliter conſiſtit in eo, quòd Intellectus à notis, & cognitis progreditur ad ignota ſibi, & incognita.

Dices: Præmiſſæ conſtant etiam ex medio termino, ergo etiam medius terminus debet præcognoſci.

Fateor, ideoque dixi debere Præcognoſci terminos, ideſt, prædicatũ, & Subiectum inuicem copulatos, & connexos.

Concluſio ſecunda: Duæ ſunt Præcognitiones habendæ de terminis, quòd ſint, & quid ſint, ſaltem ſecundum nomen: Ratio eſt, quia niſi de terminis ſciamus, quòd ſint, non poſſumus illis vti in conſtruenda Demonſtratione, de his enim quæ nõ ſunt, nulla eſt habenda ratio; at ſi de ſubiecto probanda ſit eius exiſtentia, in tali caſu, de illo non eſt præcognoſcendum, quòd ſit; ſemper autem eſt præcognoſcendum, quid nominis; nam ſi ignorem ſignificatum nominis, nihil prorſus potero de re ſignificata demonſtrare, vt patet; ideò ſaltem hæc præcognitio eſt habenda; imò etiam præhabenda eſt præcognitio rei tàm de ſubiecto, quàm de prædicato, quia explicatio nominis deducit nos in cognitionem quidditatis rei, ſaltem in confuſo, & ſubobſcurè.

Obijcies primò: aliquando ponitur in

E 2 quæ-

Digitized by Google

quæſtione, quid nominis; ideſt, quid nomen ſignificet, ergo non præcognoſcitur in Demonſtratione quid nominis.

Reſpondeo: Præcognoſcendum eſſe quid nominis cùm hac Reſtrictione, niſi quæſtio ſit de ipſa nominis ſignificatione, ſicuti etiam præcognoſcendum eſſe, quòd ſit, intelligendum eſt cũ reſtrictione, quando in quæſtione non eſt ipſa exiſtentia Subiecti, vel Prædicati.

Obijcies ſecundò: poſſet aliquis conſtruere Demonſtrationem Logicam ſinè Vocum vſu, vt patet in ſurdo, mutoque à Natura, qui poteſt eſſe bonus Logicus, ergo non erit habenda vlla Præcognitio nominis.

Reſpondeo: per Præcognitionem, quid nominis, deſignari, & importari quamlibet imperfectam cognitionem rei, quam nomen parere poteſt; & quamuis in caſu poſito ſurdus, & mutus vocibus non vtantur, regulariter tamen, & de facto vtimur vocali Demonſtratione.

Obijcies tertiò: tot ſunt Præcognitiones, quot ſunt præcognita, ſed Præcognita ſunt tria, Subiectum, Prædicatum, & Præmiſſæ; ergo etiam tres debent eſſe Præcognitiones, quæ diſtinguuntur per Præcognita.

Reſpondeo: negando maiorem, quia eadem Præcognitione poſſunt plura Præcognoſci, ſicuti eadem cognitione poſſunt plura Obiecta cognoſci, & attingi, quando ergo dicuntur Præcognita eſſe tria, *τὸ Præcognita*, ſumitur materialiter, pro obiecto cognitionis; non ſumitur formaliter, pro cognitione dante denominationem Præcogniti, ideò benè poſſunt eſſe tria Præcognita, imò & plura, licet duæ ſint Præcognitiones; aut etiam ſi eſſet vna Præcognitio, ſicuti quamuis vnus ſit calor, poſſunt eſſe plura calida; & quidem ex eo, quòd ſint duo Elementa calida, non proindè ſunt duo calores, ſed vnus eſt calor; ſimiliter ex eo, quòd ſint tria Præcognita, non proindè debent eſſe tres Præcognitiones.

LECTIO IV.

Quomodo Præmiſſa debeant eſſe vera.

Recolenda ſunt hic, quæ dixi in Summulis 3.p.Lect.8 nimirùm duas aſſignari ſpecies Demonſtrationis, nempè Demonſtrationem quia, & à Poſteriori, & Demonſtrationem propter quid, & à priori: In prima Demonſtratione Intellectus procedit ab effectu ad Cauſam, in ſecunda verò procedit à Cauſa ad effectum: exemplum ſecundæ Demonſtrationis ſit, ſi probes mixtum eſſe corruptibile, quia conſtat ex Elementis: exemplum primæ Demonſtrationis ſit, ignem eſſe hoc loco, quia hoc loco eſt fumus.

Noto autem: Demonſtrationem propter quid, ſeù à priori, & per Cauſã, eſſe verè, & propriè Demonſtrationem, quia hæc ſola eſt verè, & propriè Inſtrumentum ſciendi, cùm ſcire ſit, rem per Cauſam cognoſcere; Definitur autem hæc Demonſtratio, quòd ſit Syllogiſmus Scientalis conſtans neceſſariò ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque Concluſionis. 1. *Poſt. 2.*

Certè vix vnam, vel alteram reperies Demonſtrationem, quæ habeat iſtas omnes cõditiones, & videtur Ariſtoteles hic potiùs aſsignaſſe, qualis eſſe debeat Demonſtratio, non qualis de facto, & regulariter fit, & fiat in Diſputationibus; Præcipuæ conditiones Demonſtrationis, & quæ in omni Demonſtratione neceſſariò debent reperiri, ſunt duæ; quòd Præmiſſæ ſint notiores Concluſione, & quòd ſint veræ. De hac conditione in præſenti Lectione, de altera in ſubſequenti.

Concluſio eſt: Præmiſſę Demonſtrationis debent eſſe veræ.

Probatur Concluſio; quia obiectum Scientificæ Concluſionis non poteſt eſſe falſũ, Scientiæ enim repugnat falſitas, ſed præmiſſæ ſpectãt ad obiectũ Scietificę cognitionis, ſunt enim eius ratio formalis motiua, ergo Præmiſſæ Demonſtrationis debent eſſe veræ; In idem recidit, quod alij dicunt, verum nõ poteſt ſequi, niſi ex vero, ex falſo enim non ſequitur verum, ſed Concluſio Demonſtratiua eſt vera, ergo debet ſequi ex præmiſsis veris.

Pro-

Digitized by Google

Probatur ſecundò: quia præmiſſæ Demonſtrationis debent eſſe certæ, & euidentes, ergo debent eſſe veræ, repugnat enim euidentia de obiecto falſo.

Reſpondet *Arriaga diſput 16. Log. ſect. 3.* Argumētum hoc non eſſe efficax, quia ſi deſtrueretur diuinitùs albedo, & conſeruaretur eius ſpecies me inſcio, in tali caſu, ego eſſem certiſſimus de exiſtentia albedinis, & putarem me etiam euidenter intueri, & tamen falsò id exiſtimarem, ergo.

Sed contrà eſt: quia ſpecies eſt imago obiecti, atque adeò dicit eſſentialem ordinem ad obiectum, ideò deſtructo obiecto, deſtrueretur & ſpecies illius repræſentatiua: & dato etiam caſu illo miraculoſo, & ſupernaturali, ſequeretur, quòd tantum in illo caſu, & facta illa hypotheſi, veritas non eſſet connexa cum euidentia, ſed in præſenti ordine rerum, & ſtatu naturali obiectorum, vbi eſt euidentia, ibi quoque eſt veritas ob naturalem connexionem veritatis cùm euidentia.

Obijcies primò: ſi præmiſſæ deberent eſſe veræ, deberent quoque eſſe veriores, ſed non poſſunt eſſe veriores, ergo: probatur Maior; quia præmiſſæ debent eſſe notę, debent eſſe quoque notiores, ergo quia debent eſſe veræ, debent quoque eſſe veriores.

Reſpondeo: latam eſſe diſparitatem inter euidentiam, & veritatem, quia veritas cum conſiſtat in indiuiſibili, non ſuſcipit magis, & minus, ideò quamuis præmiſſæ ſint veræ, non tamen poſſūt eſſe veriores: euidentia autem, & claritas ſuſcipiunt magis, & minus; patet enim, vnum obiectum clariùs, & euidentiùs attingi, quàm aliud attingatur.

Replicabis ex Ariſt. 4. Meta. t. 18. *Aliquid eſt magis verum, quàm aliud, & pariter magis falſum*, quod probat, quia non æquè mentitur, qui dicit quatuor eſſe quinq; ac mentiatur ille, qui dicit quatuor eſſe mille. Confirmatur, quia Fides Diuina eſt magis vera, quàm Scientia, & quælibet cognitio creata; magis verum eſt, Deum eſſe Trinum, & Vnum, quàm parietem eſſe album; ergo iam veritas ſuſcipit magis, & minus.

Reſpondeo: veritatem poſſe tripliciter conſiderari; primò quidem formaliter, & ex parte eſſentiæ, qua ratione dicit formaliter conformitatem obiecti ad cognitionem, quæ conformitas cùm conſiſtat in indiuiſibili, non ſuſcipit magis, & minus, & per hoc differt iſta conformitas à claritate, quæ quia non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem, ideò ſuſcipit magis, & minus; per hoc quoq; differt veritas à falſitate, quæ quādo verſatur circa obiecta diuiſibilia, ſuſcipit magis, & minùs, & ideò benè notat Philoſophus, magis mentiri eū, qui dicit quatuor eſſe mille, quàm qui dicit quatuor eſſe quinq.

Dixi, quādo falſitas verſatur circà obiecta diuiſibilia, quia quādò verſatur circa obiectū indiuiſibile, vt ſi dicerē, Angelus non exiſtit, non ſuſcipit magis, & minus, quia dicit formaliter diſconformitatē cū obiecto, & talis diſcōformitas cōſiſtit in indiuiſibili, vndè actus affirmās, Angelū nō exiſtere, ità eſſet falſus, vt non poſſet dici magis, vel minus falſus; haberet. n. pro obiecto exiſtētiā Angeli, q cū ſit indiuiſibilis nō ſuſcipit magis, & minus.

Secundò poteſt conſiderari veritas ratione fundamenti, ideſt, entitatis, in qua eſt, & ità ſicuti vna entitas eſt perfectior alia, ità vna veritas eſt maior alia.

Tertiò deniquè poteſt conſiderari veritas ratione cauſarū, à quibus producitur, ideſt, ratione certitudinis, euidentiæ, neceſſitatis, & infallibilitatis; & ità quoque vna veritas dicitur maior alia. In hoc ſecundo, & tertio ſenſū magis verum eſt, Deum eſſe Trinum, & Vnum, quàm parietem eſſe album.

Obijcies ſecundò: ex falſo etiam infertur verum, ergo Demōſtratio non debet conſtare ex præmiſsis veris. Confirmatur quia; de falſo poteſt dari Scientia, ergo præmiſſæ poſſunt eſſe falſæ.

Reſpondeo: ex falſo ſequi verum vi formæ Syllogiſticæ, non quaſi ex falſo tanquam ex cauſa ſequatur verum, quia falſum non poteſt eſſe cauſa veri.

Ad Confirmationem reſpōdeo: diſtinguendo antecedens de falſo, vt ſubiecto Concluſionis concedo, quia de falſo poſſunt formari propoſitiones neceſsariæ; videlicet, quòd falſum ſit falſum, quòd falſum ſit contrarium vero, & ſimilia: de falſo, vt obiecto poteſt dari Scientia, nego, quia Demonſtratio non habet pro obiecto, niſi verum, ideò benè notat *hic Philoſophus, non Ens non ſciri*; intellige per actum aſſenſus.

Obijcies tertiò: Demonſtratio ad impoſſibile eſt uera Demonſtratio, ſed illa concludit aliquod abſurdum, & manife-

nifeſtè falſum, ergo.

Reſpondeo: Demonſtrationem ad impoſſibile abſolutè, & ſecundum ſe non procedere ex veris, ſed ex cõceſſis, tanquã veris in opinione eius, contrà quem ad hominem concluditur, ex ijs enim, quæ homo conceſſit, deducitur aliquid maniſeſtè falſum, & indè redarguitur, quòd malè Conceſſerit.

LECTIO V.

Quomodo Præmiſſæ debeant eſſe Certiores, & Euidentiores.

PRæmitto primò: dupliciter aliquid dici notius, & Euidentius alio; primò quidem ſecundum Naturam; ſecundò quòad nos; id eſt notius, & Euidentius ſecundum Naturam, quod ſecundum perfectum cognoſcendi modum poſtulat cognoſci prius, quàm aliud, & ſecundum hanc rationem omnis cauſa eſt notior effectu ſuo, cum enim cauſa ſit effectu prior, etiam petit cognoſci priùs, perfectus enim modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi: at verò notius quòad nos, eſt id, quòd priùs occurrit noſtris ſenſibus.

Præmitto ſecũdò: famoſum illud axioma, quo vtitur hic Ariſtoteles ad probandum, præmiſſas eſſe notiores Cõcluſione, nimirũ, *propter quod vnum quodque tale, & illud magis tale*, requirere nonnullas conditiones, vt verificari poſſit; prima eſt, vt forma ſubiectum denominans, tàm in cauſa reperiatur, quam in effectu, quare nõ valet hæc conſequentia, propter Solẽ Aer eſt calidus, ergo Sol eſt magis calidus; Secunda eſt, vt forma denominans ſuſcipiat magis, & minus, quare non valet hæc cõſequentia; Filius eſt homo propter Patrẽ, ergo Pater eſt magis homo, ſicut nec iſta alia, Cõcluſio eſt vera propter Præmiſſas, ergo Præmiſſæ ſunt magis veræ, quia veritas conſiſtit in indiuiſibili, & non ſuſcipit magis, & minus: Tertia eſt, vt comparetur ~~ſubiectum~~ cum ſubiecto, non verò cum forma, quare non valet hæc conſequentia; Petrus eſt homo propter Animam, ergo Anima eſt magis homo.

Præmitto tertiò: tres eſſe in hac re Recentiorum diuerſas Opiniones: in primis *Tannerus* 5. p. d. 2. qu. 3. dub. 2. quem ſequitur, & defendit *Ouied.* hic, negat Præmiſſas debere eſſe Certiores Concluſione; *Arriaga hic diſp.* 16. *ſect.* 4. *ſubſect.* 2. defendit, quòd ſaltem vna Præmiſſarum eſt Certior Cõcluſione, ſed tamẽ vtraq; Præmiſſa debet eſſe euidentior Concluſione.

Ruuius hic diſput. 5. *aſſerit* ambas Præmiſſas eſſe, & Certiores, & Euidentiores Concluſione. Sententia *Ruuij* mihi videtur probabilior.

Cõcluſio mea: Vtraque præmiſſa, ſicuti eſt Euidentior, ità eſt certior Concluſione in quacunque Demonſtratione.

Probatur primò argumento adducto hic ab Ariſt. quia Concluſio in Demonſtratione eſt certa, & euidens, certitudine, & euidentia deriuata ex Præmiſſis; ergo ipſæ Præmiſſæ debent in caſu præſenti eſſe magis certæ, & euidentes *quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*, quod axioma habet omnes conditiones requiſitas ad ſui verificationem: in primis enim certitudo, & euidentia ſuſcipiunt magis, & minus; Certitudo, & euidentia reperiũtur tàm in Præmiſſis, quàm in Concluſione, denique fit comparatio Præmiſſarum cum Concluſione, atque adeò fit comparatio ſubiecti cum ſubiecto, non ſubiecti cum forma, ergo.

Probatur ſecundò Concluſio: Ideò Præmiſſæ mouent ad aſſenſum Concluſionis, quia fundantur immediatè in primis, & vniuerſaliſſimis principijs, certiſſimis, & notiſſimis lumine Naturæ, ergo omnis certitudo, & euidentia, quæ eſt in Concluſione deriuatur à primis principijs mediatè, ſed quò effectus proximiùs deriuatur à cauſa, perfectiùs participat virtutem eius comparatiuè ad alium effectũ, qui non niſi mediatè participat virtutem cauſæ, ergo Præmiſſæ ſunt Certiores, & magis notæ, ſeù Euidentiores Concluſione.

Probatur tertiò contrà eos, qui cùm admittant Præmiſſas eſſe Euidentiores Concluſione, negant eſſe Certiores, ſed ſufficere, quòd altera ſit Certior;

Probatur, inquam, quia non video eſſe maiorẽ rationẽ, cur vtraque Præmiſſa debeat eſſe Euidentior, & nõ debeat vtraque eſſe Certior, Concluſio enim æquè dependet à Præmiſſis certis, ac à Præmiſſis euidentibus, & ex alia parte æquè concurrit vtraque Præmiſſa ad inferendam Concluſionem, & merè gratis dicitur, quòd altera cõcurrat minus principaliter, & tanquam ratio applicans, ergo ſi vtraque debet eſſe euidentior, vtraque debet eſſe certior, vel ſi vtraque non eſt certior, neque vtraque

eſt

Digitized by Google

eſt euidentior. Minor probatur quia ſi altera *Præmiſſarum* concurrit minus principaliter, & tanquam ratio applicans, & ideò ſufficit, quod altera ſit Certior, ergo etiam ſufficit, quod altera ſit Euidentior, & non vtraque. Deindè ſi altera ſe habet, vt conditio applicans, & minùs principaliter, adhùc poterit deduci Concluſio Demonſtratiua ex vna præmiſſa certa, & altera ſolùm probabili, quia Pręmiſſa probabilis ſe habebit, vt ratio applicans, non vt ratio influens, & mouens ad aſſenſum, ſed hoc eſt abſurdum, quia altera *Præmiſſa* exiſtente probabili, deducitur Concluſio probabilis, & non Demonſtratiua, ſeù certa, Concluſio enim ſequitur debiliorem partẽ, ideſt, debiliorem *Præmiſſam*, ergo.

Obijcies primò: Certitudo dicit firmã adhæſionem, firma autem adhęſio æquè competit *Pręmiſſis*, ſeù obiecto deducenti, ac competat Concluſioni, & obiecto deducto, ergo Concluſio, ſeù obiectum eſt æquè certum, ac vtraque *Præmiſſa*, ſeù obiectum deducens. Probatur Antecedens, quia firma adhæſio tẽdit in obiectum, quod non poteſt aliter ſe haberi, ſed obiectum deducens, quà deducens nõ habet magis, quòd non poſſit aliter ſe haberi, quàm obiectum deductum, vt deductum, ergo.

Reſpondeo negando Antecedẽs, nam magis neceſſarium eſt, & magis aliter nõ poteſt ſe haberi, Deum eſſe Trinum, & Vnum, quàm parietem eſſe album, ergo iam ſicuti vnum Ens eſt magis neceſſarium, quàm aliud, ità magis aliter non poteſt ſe haberi vnum Ens, quàm aliud, & ità magis neceſſarium eſt obiectum deducens, quàm obiectum deductum:

Obijcies ſecundò: Ariſt. hic non dixit, omnia principia Certiora eſſe Concluſione, ſed ſaltem aliqua, ergo aliqua *Præmiſſa* poteſt eſſe æquè certa, ac Concluſio.

Reſpondeo: ex vi Demonſtrationis vtramque *Præmiſſam* debere eſſe Certiorem, ſed per accidens tamen poteſt cõtingere, quòd Concluſio habeat aliam certitudinem experientiæ, præter eam, quam à præmiſſis participat, ratione cuius habebit æqualem certitudinem cùm aliqua Præmiſſarum, vt dum, quod Luna nimirùm Ecclypſetur, experientia ſenſuum cognoſcimus, & ideò non eſt minus nota, certa, quàm quod terra interponatur inteream, & Solem, per quam à priori demonſtratur.

Obijcies tertiò: ſi Certiores eſſent *Præmiſſę* Concluſione, ſequeretur, quòd Concluſio euidenter deducta ex duabus *Pręmiſſis* de Fide, non eſſet de Fide, imò nec aſſenſus, quo credo Deum eſſe Trinũ, & Vnum, eo quòd Deus reuelauerit, non eſſet de Fide, motiuo enim, & rationi formali magis eſt credendum, quàm obiecto materiali, ergo eſt maior certitudo de motiuo, quàm de obiecto materiali, ergo obiectum materiale non creditur Fide Diuina, quę cùm conſiſtat in indiuiſibili, non ſuſcipit magis, & minus.

Reſpondeo: Concluſionem deductam euidenter ex duabus Præmiſſis de Fide eſſe æqualem in certitudine cum Præmiſſis, quatenùs eſt Concluſio de Fide, quæ non ſuſcipit magis, & minus, ſed quatenùs deducitur, & infertur, ſeù vi deductionis, & illationis, certior eſt Concluſio, quàm *Præmiſſę*; per accidens eſt autem, quòd Concluſio de Fide, vel aliqua alia Concluſio aliundè nobis nota, ſit æquè nota, aut æquè certa, ac ſunt *Præmiſſæ*. Imò per accidens etiam fieri poteſt, vt Concluſio ſit certior Pręmiſſis, ſi nimirùm ex vna propoſitione de Fide, & altera naturaliter euidenti, inferatur, & deducatur Concluſio de Fide, vel Concluſio ſpectans ad Scientiam Theologicam, talis eſſet iſta Demonſtratio, omnis homo eſt diſcurſiuus, Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt diſcurſiuus: certior eſt Concluſio, quàm maior Præmiſſa, ſed nõ eſt certior ex vi deductionis, & illationis, ſed aliundè, quia aliundè ſcimus Chriſtũ fuiſſe diſcurſiuum, nempè ex Scripturis.

Obijcies quartò: licèt Deus cognoſcat Creaturas in ſeipſo, tanquam in medio, tamẽ magis euidenter cognoſcit Creaturas, quàm ſeipſum, quem immediatè cognoſcit, & in quo Creaturas cognoſcit, ergo quia *Præmiſſæ* ſunt certę, & euidentes immediatè, Concluſio verò eſt certa, & euidẽs in *Præmiſſis*, nõ ſequitur, quòd Concluſio ſit minùs certa, & minus euidens: Confirmatur quia idem eſt obiectũ Concluſionis, & Præmiſſarum, ergo non poteſt dici, quòd certiùs, & euidentiùs cognoſcantur *Præmiſſæ*.

Reſpondeo: in Deo diſparem eſſe rationem, ipſe enim propter infinitam perfectionem ſuæ Scientiæ, habet ęqualem claritatem, & euidentiam de omnibus obie-

obiectis; ità verò non accidit in nobis. Prętereà ea cognitio in Deo fit vno ſimpliciſſimo actu, in nobis fit duplici actu, quorum vnus deducitur, & infertur ex alio.

Ad Confirmationem *Reſpondeo* inprimis negando Antecedens. quia in Cõ-
*non cluſione *ponitur medius terminus, qui tamen eſt poſitus in Præmiſſis, ergo iam obiectum concluſionis eſt diuerſum ab obiecto Præmiſſarum; ſed dato, eſſe idem obiectum Concluſionis, & Præmiſſarum, negatur conſequentia; non enim eſt abſurdum, imò de facto ſæpè accidit, quòd de eodem obiecto prorſus indiuiſibili, habeantur duę cognitiones, quarum vna ſit clarior & euidentior altera, certitudo enim, & euidentia non sũt in obiecto, ſed in cognitionibus, & ideò idem obiectum poteſt attingi duplici cognitione, quarum vna ſit certior, & clarior altera, ità Deum eſſe, cognoſcitur cognitione naturali clara, & cognoſcitur Fide Diuina per cognitionem certam quidem, ſed obſcuram.

LECTIO VI.

Explicantur aliæ Conditiones Demonſtrationis.

ARiſtoteles hic cap. 4. non contentus definitionis, quã de Demõſtratione tradiderat cap. 2. addit, *Præmiſſas* Demonſtrationes debere eſſe neceſſarias, & pauló poſt, aſſignat tres conditiones, quas debent habere *Præmiſſæ*, vt ſint neceſſariæ; prima eſt, vt ſint de omni; ſecunda vt ſint per ſe; tertia vt ſint de omni ſecũdum quod ipſum.

Concluſio prima: *Præmiſſæ* Demonſtrationis debent eſſe neceſſariæ. *Probatur* quia, Concluſio Demonſtrationis eſt Scientia, ſed Scientia debet eſſe neceſſaria, & de obiecto neceſſario, ergo *Pręmiſſæ*, ex quibus cauſatur Concluſio, debent eſſe neceſſarię, non quidem neceſſitate ſimpliciter, & abſoluta. quia hac ratione de ſolo Deo poſſet dari Scientia, quia ſolus Deus exiſtit neceſſariò ſimpliciter, & abſolutè; ſufficit ergo, quod Præmiſſę ſint neceſſariæ ſecundum quid & facta hypotheſi exiſtentię ſubiecti; vndè iſta eſt optima Demonſtratio, omne quod currit, mouetur, ſed Petrus currit, ergo *Petrus* mouetur; & tamen in hac Demõſtratione, *Petrus* currit, eſt propoſitio cõtingens, ſed tamen facta ſuppoſitione, quòd ſit, habet neceſſariam cõnexionem cũ Concluſione factæ Demonſtrationis.

Confirmatur: quia exiſtentia Dei optimè Demonſtratur per exiſtentiam creaturarum, quæ tamen contingens eſt, quia poterat antecedenter non eſſe, ergo ad Concluſionem Demonſtratiuam ſufficit neceſſitas ex ſuppoſitione, & hypotheſi facta, qua data *Præmiſſę* habent neceſſariam connexionem cùm Concluſione.

Concluſio ſecunda. *Præmiſsę* Demõſtrationis debent eſſe vniuerſales, per ſe, & de omni. Debent eſse Vniuerſales, quia omnes Demonſtrationes fundantur in illis duobus primis principijs dici de omni, & dici de nullo, ſi excipias Syllogiſmum expoſitorium, qui procedit de ſolis ſingularibus, & qui propterea regulatur per illud aliud principium, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Similiter excipiendę ſunt Demonſtrationes, quæ fiunt in Diuinis, vbi non eſt aliqua ratio vniuerſalis, quia Deus ſingulariſſimus eſt. Debent quoque *Præmiſsę* eſse per *ſe*, quia in *Pręmiſſis* Demonſtrationis prędicatum debet ineſse per ſe ſubiecto, ineſt autem per ſe, ſi ſit eius prędicatum eſsentiale, aut eius ſubiecti proprietas.

Denique *Pręmiſsę* debent eſse de omni, quia cùm ſint Vniuerſales, debent verificari de quolibet ſuppoſito, ſeù inferiori; nam illa duo prima principia dici de omni, & dici de nullo, ſic clariùs explicantur, quidquid dicitur de Vniuerſali vniuerſaliter diſtributo, dicitur & de quolibet ſuppoſito, ſeù inferiori eius, & quidquid negatur de Vniuerſali vniuerſaliter diſtributo, negatur de quolibet ſuppoſito, ſeù inferiori eius.

Vltimę particulę, ſecundum quòd ipſum, verificantur de *Prędicato Pręmiſsarum*, hoc enim debet conuenire ſubiecto ſecundum quòd ipſum, ſeù ſecundum quòd tale eſt, ſeù quatenùs conuertibile eſt cùm ſubiecto, vt verbi gratia, riſibile reſpectu hominis eſt prędicatum ſecundum quòd ipſum, quia conuenit homini ſecundum quòd ipſum, ſeù ſecundum quod homo formaliter eſt, & ideo conuertitur cùm illo; at verò eſse calidum non eſt prędicatum homini ſecundum quòd ipſum, quia non conuenit homini,

qua

quia homo, neque cùm illo conuertitur, neque enim valet, eſt calidum, ergo Homo, nec è contrà, eſt Homo, ergo eſt calidum; & quia in omni perfecta Demonſtratione Prædicatū, vel eſt eſſentiale ſubiecto, vel eſt eius proprietas, & ſic ſemper conuertibile cùm ſubiecto, ideò omnis perfecta Demonſtratio debet conſtare ex Prædicato, quòd conueniat ſubiecto ſecundum quod ipſum.

LECTIO VII.

Definitio Scientiæ, eiuſque Diuiſio afferuntur.

INnoteſcet magis Demonſtratio ex ſequentibus Lectionibus de Scientia, quæ eſt effectus Demonſtrationis. quarè

Præmitto primò: omninò dari Scientiam, quia ex Ariſt. 1. Met. 1. omnes Homines Natura ſcire deſiderant; quod naturale deſiderium, ſeù naturalis appetitus ſciēdi eſſet omninò fruſtratorius, & inanis, ſi non expleretur, & ſatiaretur per acquiſitionem Scientiæ. Et quidem certum eſt, hanc Scientiam de nouo acquiri ſtudio, & labore, atque adeò non eſſe ſolam Reminiſcentiam eorum, quæ quōdam Animi didicerāt, antequam corporibus infunderētur, vt voluit Plato, nam, Fide Sanctum eſt, Animas Hominum nō priùs creari, quàm corporibus infundi, & cōſequenter in nullo ſtatu fuiſſe Animas, cùm Scientijs, antequam corporibus infunderentur; ità manifeſtè cōuincitur ex quibuſdam verbis *Leonis Primi Epiſt. 23. ad Epiſc. Aſturicen. c. 10 & ex Conc. Later. ſub Leone Decimo ſeſſ. 8.* Adducitur præterea ratio naturalis ex *Ariſt. 12. Met. t. 16. & 17.* quia Anima rationalis eſt cauſa formalis, & omnis cauſa formalis non poteſt eſſe, quin tribuat ſubiecto ſuū effectū formalē, à quo cauſa formalis realiter non diſtinguitur, ergo non poteſt Anima rationalis eſſe in aliquo ſtatu, quin ſit vnita, & infuſa corpori, tāquam proprio ſui ſubiecto.

Præmitto ſecundò: communiter recipi in Scholis definitionem Scientiæ traditam ab *Ariſt. 1. Poſt. 2.* ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, & quod illius cauſa eſt, & quod impoſſibile eſt aliter ſe habere; quę definitio ſic clariùs redditur; Sciētia eſt Cognitio certa, & euidens rei neceſſariæ per propriam cauſam; in qua Definitione tria ſunt præ cæteris ſignanter notanda; primum eſt Certitudo; ſecundum eſt, Euidentia; tertiū eſt, Neceſſitas Obiecti Scientifici: Neceſſitas in eo eſt poſita, vt Obiectum à nobis non fiat, nec in ſuo exiſtere à nobis dependeat, ità Obiectum Phyſicæ, quod eſt Cælum, & Elementum à nobis non fit; Certitudo eſt firma adhæſio Intellectus alicui Obiecto abſq; vlla dubitatione, vel formidine, vndè fit, vt Intellectus in tali adhæſione ſit omninò imperturbabilis. Deniq; Euidentia eſt veluti clara videntia Obiecti, & contingit, cùm Obiectum ità claré, & patenter manifeſtatur Intellectui, vt in illud per ſe, & ex innato lumine feratur. Cōtrouerſia eſt inter Philoſophos, an Euidētia ſit eſſentiale Prædicatum Scientiæ.

Concluſio mea eſt: Euidentia eſt Prædicatum eſſentiale Scientię naturalis, ità *Rub. in Log. trac. 2. de Habitu Sciētiæ. Auerſa in Log. q. 26. ſect. 3. Franciſc. delle Reès in Log. Com. in lib. Analyt. Art. 3. Complut. in Log. diſp. 1. Proœm. q. 5. & alij.* Contrà *Marſium in lib. Prior. q. 3. Concl. 1. & 2. Petrum à Sancto Ioſeph in ſua Idea Theol. Specul. in Proœm. Reſol. 2. & alios.*

Probatur Concluſio: quia Ariſtoteles in his libris ſæpè repetit, & inculcat, Præmiſſas, ex quibus conficitur Demonſtratio, & gignitur Scientia, debere eſſe per ſe notas; Concluſionem reſolui in principia per ſe nota, ſed Præmiſſas eſſe per ſe notas, idem eſt, ac eſſe Euidentes; principia eſſe per ſe nota, idem eſt, ac eſſe Euidentia, ergo ex mente Philoſophi Scientia naturalis, quę eſt effectus Demōſtrationis habitæ per Præmiſſas, eſſentialiter dicit, & importat Euidentiam.

Probatur ſecundò: quia Certitudo eſt Prædicatum eſſentiale Scientiæ, ergo & Euidentia. Antecedens omnes admittūt; conſequentia probatur, quia non poteſt naturaliter haberi Certitudo, & imperturbabilitas de aliquo Obiecto, niſi tale Obiectum ſit Euidens, & manifeſtè clarum, vt patet experientia, ergo. Dixi naturaliter, quia per lumen ſupernaturale Fidei Diuinæ poteſt haberi Certitudo multò maior ea, quæ habetur per Euidentiam.

Obijcies primò: quia Scientia ſubalternata, ſeù ſubordinata alteri eſt vera

Scientia, ſed tamen non eſt Euidens, ergo Euidentia non eſt de ratione Scientiæ. Minor probatur, quia Scientia ſubalternata, vt ſubalternata probat ſua principia per principia prima, & indemonſtrabilia Scientię ſubalternantis, ergo ſi proprios limites non tranſgrediatur, non habet principia Euidentia, & per ſe nota. Antecedens patet in Medicina, quæ quia eſt ſubalternata Phyſicæ, probat hanc ſuã Concluſionem, cõtraria contrarijs curãtur, per illud principium, Phyſicæ, vnum cõtrarium expellit aliud.

Reſpõdeo: quòd ſi Sciẽtia ſubalternata conſideretur præcisè, vt Sciẽtia ſubalternata intrà proprios ſui limites, quia nõ eſt Euidens, ideò nõ eſt Scientia, ſed Opinio quædam; ſi verò Scientia ſubalternata cõſideretur, vt vnita cùm ſubalternante in eodem Intellectu, tunc eſt verè Scientia, quia licèt ſe ſola non reducat ſua principia, vſque ad prima per ſe nota, & indemonſtrabilia, id tamen præſtat auxilio, & ope Scientiæ ſubalternantis.

Obijcies ſecundò: Theologia eſt Sciẽtia, & tamen non habet principia Euidentia, & per ſe nota, fundatur enim in propoſitionibus de Fide, quas certum eſt, eſſe obſcuras, & ineuidentes, ergo ad Scientiam non requiritur Euidentia, tanquam illius eſſentiale Prædicatum.

Reſpondeo in primis: ob id à plurimis Theologis Theologiam non numerari inter Scientias, quia non habet Euidentiam principiorum, in quibus fundatur, non enim ad Scientiam ſufficit Euidentia conſequentiæ, & illationis, ſed debẽt eſſe Euidentia principia, in quibus Sciẽtia ipſa fundatur. Præterea lata eſt diſparitas inter Theologiam & alias Sciẽtias, ſi quæ darentur ineuidentes, quia Theologia licèt ineuidens, certiſſima tamen eſt, Euidentia autem videtur requiri in Scientia naturali propter certitudinem; ſi verò darentur aliæ Scientiæ ineuidentes, talem certitudinem non haberent, ideò verè non eſſent Scientiæ, ſed Opiniones quædam.

Quòad Diuiſionem Scientiæ;

Diuiditur Sciẽtia celebri illa, & famoſa Diuiſione in Practicam, & Speculatiuã; quæ Diuiſio manifeſtè eſt tradita ab *Ariſt. 2. Met. t. 3.* alijſque plurimis ſuæ doctrinæ locis: eſt autem valdè difficile, & controuerſum apud Aucthores, in quo conſiſtat ratio conſtitutiua, & differentialis Scientiæ ſpeculatiuæ, & practicæ.

Concluſio mea eſt. Ratio formalis cõſtitutiua Scientiæ Practicæ eſt tradere regulas, & præcepta alicuius operis faciendi; ſicuti è contrà, ratio formalis cõſtitutiua Scientiæ ſpeculatiuæ eſt contẽplatio veritatis. Ità *Auerſa q. 27. Log. ſect. 1. Delle Reès Com. in Ariſt. organum ar. 6. Ariaga diſp. 1. Log. ſubſect. 4. Ouied. Contro. 1. Proœm. punct. 2.* Contrà *Scotum in Prol. Sent. q. 4. Suarez diſp. 44. Met. ſect. 13. à nu. 20. Greg. de Arim. q. 5. Prol. ar. 2.*

Probatur Concluſio primò: ex Ariſtot. loco ſupracitato, vbi cùm aſſignaſſet Diuiſionem Scientiæ in Practicam, & ſpeculatiuam, ſubdit vtriuſque rationem differentialem, dicens rectè autem ſe habet, Philoſophiam Scientiam veritatis appellare, ſpeculatiuæ enim finis veritas; practicæ autem opus Sed Scientia Speculatiua circa veritatem non verſatur, niſi ſimpliciter, & nudè ſpeculando, & contemplando; Practica verò in tantum habet pro fine opus, in quantum tradit regulas, & præcepta operis faciendi, ergo.

Probatur ſecundò: quia per hoc, quòd eſt tradere regulas, & præcepta operis faciendi primò contradiſtinguitur Scientia Practica à Speculatiua, ergo & per illud ipſum conſtituitur, idem eſt enim principium conſtitutiuum, & primò diſtinctiuum. Antecedens probo, quia nullam inuenies Scientiam Practicam, quæ nõ tradat regulas, & præcepta operis faciendi, ſicuti è contrà nullam inuenies Scientiam Speculatiuam, quæ tradat regulas, & præcepta operis faciendi, & in contemplatione veritatis non ſit occupata, ergo.

Obijcies primò: ſufficit ad cognitionem, atque adeò ad Scientiam Practicã, quòd ex illa poſſit ſequi opus, etiam ſi ipſa Scientia non tradat regulas, & præcepta operis faciendi, ergo. Antecedens probatur, quia Viſio Dei eſt practica, ex ipſa enim ſequitur amor Dei, & tamen talis Viſio non tradit regulas, & præcepta eliciendi hunc amorem, aut efficiendi Deum, qui à nobis nullo modo factibilis, aut effectibilis eſt.

Reſpondeo: falſum eſſe Antecedens, nam eo dato, ſequeretur nullam dari cognitionem purè ſpeculatiuam, vix enim aſſignabis ſpeculationem aliquam, ad quam nõ ſequatur opus aliquod, ad minus

nus enim ex quacumque ſpeculatione naſcitur delectatio, vt conuincit experientia, & teſtatur *Ariſt. 10. Ethic. t. 7. & 8. & D. Thom. p. 1. q. 10. ar. 4.* docet ex eo, quòd Philoſophus ſciat, Animam eſſe immortalē, poſſe moueri ad benè viuendum; non ergo ſufficit ad cognitionem, & Scientiam practicam, quòd ex ipſa ſequatur opus quocumque modo, ſed debet ſequi opus ex vi præceptorum, & regularum, quas tradat ipſa Cognitio, & Scientia practica.

Obijcies ſecundò: non poteſt eſſe Cognitio, quæ ſit practica, praxis enim eſt operatio potentiæ cōtradiſtinctæ ab Intellectu, ergo: Antecedens probatur, tùm quia omnis operatio Intellectus eſt ſpeculatio, ergo non eſt praxis, tùm quia *Ariſt. 3. de Anima t. 49.* docuit Intellectum extenſione fieri practicum, ſed Intellectū fieri practicum extēſione, nihil eſt aliud, quàm in ſuis operationibus nō agnoſcere praxim, ſed eā agnoſcere in operibus potentiarum ab ipſo contradiſtinctarū, ad quas dirigendas, & regulandas ſe extendit, ergo.

Reſpondeo: in primis textum citatum in Ariſtotele non inueniri; & eo dato, dico Intellectum fieri practicum extenſione, cùm nimirùm vnam ſui operationem dirigit per aliam, & in eodem ſenſu, licèt omnis operatio ſit ſpeculatio, & Cognitio, prout tamē vna Cognitio regulatur, & dirigitur per aliam, ſortitur nomen, & proprietatem praxis.

Obijcies tertiò: ad actum practicum requiritur, quod ſit liber, itàut poſſit fieri, & non fieri; ſed talis eſt actus ſolius Voluntatis, ergo. Probatur Maior ex *Ariſt. 6. Ethic. cap. 5. & 6.* vbi docet, Prudentiam, & Artem eſſe de ijs rebus, quæ eſſe, & non eſſe poſſunt, non autē de ijs, quæ ex neceſſitate ſunt, aut fiunt.

Reſpondeo in primis: etiam actum Intellectus eſſe liberum, ſi non formaliter, cuiuſmodi eſt actus Voluntatis, ſaltem participatiuè; imò nec omnis actus Voluntatis eſt liber, nam actus amoris circà bonum in communi, aut circà bonum infinitū, nō eſt liber, & tamen adhùc poteſt regulari, & dirigi per actum Intellectus; Ariſtoteles autem intelligi debet in hoc ſenſu, quatenùs ſcilicèt Prudētia, & Ars ſunt de Obiecto contingenti, quod poſſit fieri à nobis, & in ſuo eſſe à nobis dependeat, ad differentiam Obiecti Scientiæ Speculatiuæ, quod eſt neceſſarium; ideſt à nobis in ſuo fieri, & eſſe independens.

LECTIO VIII.

An Scientia ſit vna ſimplex Qualitas?

PRæmitto primò: Scientiam aliam eſſe Actualem, aliam Habitualem; Sciētia Actualis ſunt plures actuales cognitiones de pluribus, & diſtinctis Obiectis ſpecificè, & materialiter diuerſis; quę actuales cognitiones ſpecie ſunt inter ſe diuerſæ, ſicuti ſunt diuerſa ſpecie Obiecta, circà quæ verſantur, & quæ conſiderant, & attingunt. Scientia Habitualis eſt habitus acquiſitus per plures; & plures actuales cognitiones. Difficultas præſens non procedit de Scientia actuali, ideſt de pluribus actualibus cognitionibus, quas certum eſt, eſſe & plures, & ſpecie diſtinctas; ſed procedit de Scientia habituali.

Præmitto ſecundò: præſētem difficultatē procedere de Sciētia aliqua integra & totali, cuiuſmodi eſt Logica, verbi gratia, vel Phyſica; non de Scientia partiali, aut de peculiari tractatu ſciētifico; quælibet enim Scientia totalis plures complectitur Diſputationes, ſeu Tractatus, quorum quemlibet eſſe ſimplicem Qualitatem facilè admitto, ſed an ipſa Scientia totalis habens plures huiuſmodi Tractatus, & Diſputationes poſſit dici vna ſimplex Qualitas, nō quidē prorſus indiuiſibilis, vt eſt Angelus, vel Anima rationalis, verbi gratia, ſed prout eſt Qualitas quælibet naturalis, quæ ità eſt indiuiſibilis, vt tamen adhùc ſit compoſita ex varijs gradibus intenſionis.

Concluſio mea eſt. Sciētia totalis nō eſt vna ſimplex qualitas, ſed potiùs aggregatum quoddam ex pluribus habitibus inuicem aliquo modo ſubordinatis. *Ità Auerſ. in Log. q. 27. ſect. 7. Ariag. diſp. 1. ſubſect. 4. Ouied. Contr. ib pun. 4. Suar. diſp. 44. Met. ſect. 11. n. 16. & 60. Hurtad. diſp. 1. Met. ſect. 7. Scotiſtæ omnes ſequentes Scotum in Prol. Sent. q. 2. Laterali. Le Rcès in Com. Org. art. 6.* Contrà *Caiet. p. 1. q. 1. ar. 3. Medinam, & alios Thomiſtas.*

Probatur Concluſio primò: quia habitus producitur ab actibus, ex frequentatis .n. actibus fit habitus, ſed in Scien-

Scientia, ſed tamen non eſt Euidens, ergo Euidentia non eſt de ratione Scientiæ. Minor probatur, quia Scientia ſubalternata, vt ſubalternata probat ſua principia per principia prima, & indemonſtrabilia Scientię ſubalternantis, ergo ſi proprios limites non tranſgrediatur, non habet principia Euidentia, & per ſe nota. Antecedens patet in Medicina, quæ quia eſt ſubalternata Phyſicæ, probat hanc ſuã Concluſionem, cõtraria contrarijs curãtur, per illud principium, Phyſicæ, vnum cõtrarium expellit aliud.

Reſpõdeo: quòd ſi Sciẽtia ſubalternata conſideretur præcisè, vt Sciẽtia ſubalternata intrà proprios ſui limites, quia nõ eſt Euidens, ideò nõ eſt Scientia, ſed Opinio quædam; ſi verò Scientia ſubalternata cõſideretur, vt vnita cùm ſubalternante in eodem Intellectu, tunc eſt verè Scientia, quia licèt ſe ſolâ non reducat ſua principia, vſque ad prima per ſe nota, & indemonſtrabilia, id tamen præſtat auxilio, & ope Scientiæ ſubalternantis.

Obijcies ſecundò: Theologia eſt Sciẽtia, & tamen non habet principia Euidentia, & per ſe nota, fundatur enim in propoſitionibus de Fide, quas certum eſt, eſſe obſcuras, & ineuidentes, ergo ad Scientiam non requiritur Euidentia, tanquam illius eſſentiale Prædicatum.

Reſpondeo in primis: ob id à plurimis Theologis Theologiam non numerari inter Scientias, quia non habet Euidentiam principiorum, in quibus fundatur, non enim ad Scientiam ſufficit Euidentia conſequentiæ, & illationis, ſed debẽt eſſe Euidentia principia, in quibus Sciẽtia ipſa fundatur. Prætereà lata eſt diſparitas inter Theologiam & alias Sciẽtias, ſi quæ darentur ineuidentes, quia Theologia licèt ineuidens, certiſſima tamen eſt, Euidentia autem videtur requiri in Scientia naturali propter certitudinem; ſi verò darentur aliæ Scientiæ ineuidentes, talem certitudinem non haberent, ideò verè non eſſent Scientiæ, ſed Opiniones quædam.

Quòad Diuiſionem Scientiæ;

Diuiditur Sciẽtia celebri illa, & famoſa Diuiſione in Practicam, & Speculatiuã; quæ Diuiſio manifeſtè eſt tradita ab *Ariſt.2.Met.t.3.* alijſque plurimis ſuæ doctrinæ locis: eſt autem valdè difficile, & controuerſum apud Aucthores, in quo conſiſtat ratio conſtitutiua, & differentialis Scientiæ ſpeculatiuæ, & practicæ.

Concluſio mea eſt. Ratio formalis cõſtitutiua Scientiæ Practicæ eſt tradere regulas, & præcepta alicuius operis faciendi; ſicuti è contrà, ratio formalis cõſtitutiua Scientiæ ſpeculatiuæ eſt contẽplatio veritatis. Ità *Auerſa q.27.Log.ſect.1.Delle Reds Com. in Ariſt. organum ar.6. Ariaga diſp.1.Log.ſubſect.4.Ouied.Contro.1.Proœm.punct.2.* Contrà *Scotum in Prol. Sent.q.4.Suarez diſp.44.Met.ſect.13.à nu.20.Greg.de Arim.q.5.Prol.ar.2.*

Probatur Concluſio primò: ex Ariſtot. loco ſupracitato, vbi cùm aſſignaſſet Diuiſionem Scientiæ in Practicam, & ſpeculatiuam, ſubdit vtriuſque rationem differentialem, dicens rectè autem ſe habet, Philoſophiam Scientiam veritatis appellare, ſpeculatiuæ enim finis veritas; practicæ autem opus. Sed Scientia Speculatiua circa veritatem non verſatur, niſi ſimpliciter, & nudè ſpeculando, & contemplando; Practica verò in tantum habet pro fine opus, in quantum tradit regulas, & præcepta operis faciendi, ergo.

Probatur ſecundò: quia per hoc, quòd eſt tradere regulas, & præcepta operis faciendi primò contradiſtinguitur Scientia Practica à Speculatiua, ergo & per illud ipſum conſtituitur, idem eſt enim principium conſtitutiuum, & primò diſtinctiuum. Antecedens probo, quia nullam inuenies Scientiam Practicam, quæ nõ tradat regulas, & præcepta operis faciendi, ſicuti è contrà nullam inuenies Scientiam Speculatiuam, quæ tradat regulas, & præcepta operis faciendi, & in contemplatione veritatis non ſit occupata, ergo.

Obijcies primò: ſufficit ad cognitionem, atque adeò ad Scientiam Practicã, quòd ex illa poſſit ſequi opus, etiam ſi ipſa Scientia non tradat regulas, & præcepta operis faciendi, ergo. Antecedens probatur, quia Viſio Dei eſt practica, ex ipſa enim ſequitur amor Dei, & tamen talis Viſio non tradit regulas, & præcepta eliciendi hunc amorem, aut efficiendi Deum, qui à nobis nullo modo factibilis, aut effectibilis eſt.

Reſpondeo: falſum eſſe Antecedens, nam eo dato, ſequeretur nullam dari cognitionem purè ſpeculatiuam, vix enim aſſignabis ſpeculationem aliquam, ad quam nõ ſequatur opus aliquod, ad minus

nus enim ex quacumque ſpeculatione naſcitur delectatio, vt conuincit experientia,& teſtatur *Ariſt.10.Ethic.t.7.& 8.& D.Thom.p.1.q.10.ar.4.* docet ex eo, quòd Philoſophus ſciat, Animam eſſe immortalẽ,poſſe moueri ad benè viuendum;non ergo ſufficit ad cognitionem, & Scientiam practicam, quòd ex ipſa ſequatur opus quocumque modo, ſed debet ſequi opus ex vi præceptorum,& regularum, quas tradat ipſa Cognitio, & Scientia practica.

Obijcies ſecundò:non poteſt eſſe Cognitio, quæ ſit practica, praxis enim eſt operatio potentiæ cõtradiſtinctæ ab Intellectu,ergo:Antecedens probatur, tùm quia omnis operatio Intellectus eſt ſpeculatio, ergo non eſt praxis, tùm quia *Ariſt.3.de Anima t.49.* docuit Intellectum extenſione fieri practicum,ſed Intellectũ fieri practicum extẽſione,nihil eſt aliud, quàm in ſuis operationibus nõ agnoſcere praxim,ſed eã agnoſcere in operibus potentiarum ab ipſo contradiſtinctarũ, ad quas dirigendas, & regulandas ſe extendit,ergo.

Reſpondeo:in primis textum citatum in Ariſtotele non inueniri; & eo dato, dico Intellectum fieri practicum extenſione,cùm nimirùm vnam ſui operationem dirigit per aliam, & in eodem ſenſu,licèt omnis operatio ſit ſpeculatio,& Cognitio,prout tamẽ vna Cognitio regulatur, & dirigitur per aliam,ſortitur nomen,& proprietatem praxis.

Obijcies tertiò: ad actum practicum requiritur, quod ſit liber, itàut poſſit fieri, & non fieri; ſed talis eſt actus ſolius Voluntatis, ergo. Probatur Maior ex *Ariſt. 6. Ethic. cap. 5. & 6.* vbi docet,Prudentiam, & Artem eſſe de ijs rebus, quæ eſſe, & non eſſe poſſunt, non autẽ de ijs, quæ ex neceſſitate ſunt, aut fiunt.

Reſpondeo in primis etiam actum Intellectus eſſe liberum, ſi non formaliter, cuiuſmodi eſt actus Voluntatis, ſaltem participatiuè; imò nec omnis actus Voluntatis eſt liber,nam actus amoris circà bonum in communi, aut circà bonum infinitũ,nõ eſt liber,& tamen adhùc poteſt regulari,& dirigi per actum Intellectus; Ariſtoteles autem intelligi debet in hoc ſenſu,quatenùs ſcilicèt Prudẽtia, & Ars ſunt de Obiecto contingenti, quod poſſit fieri à nobis, & in ſuo eſſe à nobis dependeat,ad differentiam Obiecti Sciẽtiæ Speculatiuæ, quod eſt neceſſarium; ideſt à nobis in ſuo fieri,& eſſe independens.

LECTIO VIII.

An Scientia ſit vna ſimplex Qualitas.

PRæmitto primò: Scientiam aliam eſſe Actualem,aliam Habitualem; Sciẽtia Actualis ſunt plures actuales cognitiones de pluribus,& diſtinctis Obiectis ſpecificè,& materialiter diuerſis;quę actuales cognitiones ſpecie ſunt inter ſe diuerſæ,ſicuti ſunt diuerſa ſpecie Obiecta,circà quæ verſantur, & quæ conſiderant,& attingunt.Scientia Habitualis eſt habitus acquiſitus per plures; & plures actuales cognitiones.Difficultas præſens non procedit de Scientia actuali,ideſt de pluribus actualibus cognitionibus,quas certum eſt, eſſe & plures, & ſpecie diſtinctas;ſed procedit de Scientia habituali.

Præmitto ſecundò:præſẽtem difficultatẽ procedere de Sciẽtia aliqua integra & totali, cuiuſmodi eſt Logica, verbi gratia,vel Phyſica;non de Scientia partiali,aut de peculiari tractatu ſciẽtifico; quælibet enim Scientia totalis plures complectitur Diſputationes, ſeù Tractatus,quorum quemlibet eſſe ſimplicem Qualitatem facilè admitto, ſed an ipſa Scientia totalis habens plures huiuſmodi Tractatus,& Diſputationes poſſit dici vna ſimplex Qualitas, nõ quidẽ prorſus indiuiſibilis,vt eſt Angelus,vel Anima rationalis,verbi gratia, ſed prout eſt Qualitas quælibet naturalis, quæ ità eſt indiuiſibilis, vt tamen adhùc ſit compoſita ex varijs gradibus intenſionis.

Concluſio mea eſt. Sciẽtia totalis nõ eſt vna ſimplex qualitas, ſed potiùs aggregatum quoddam ex pluribus habitibus inuicem aliquo modo ſubordinatis. *Ità Auerſ.in Log.q.27.ſect.7.Ariag.diſp.1.ſubſect.4.Ouied.Contr.ib pun.4.Suar. diſp. 44.Met.ſect.11.n.16.& 60.Hurtad.diſp.1. Met.ſect.7.Scotiſtæ omnes ſequentes Scotum in Prol.Sent.q.2.Laterali. Le Reès in Com. Org.art.6.* Contrà *Caiet.p.1.q.1.ar.3.Medinam,& alios Thomiſtas.*

Probatur Concluſio primò: quia habitus producitur ab actibus,ex frequentatis .n. actibus ſit habitus,ſed in Scien-

tia totali ſunt plures actus ſpecie diuerſi, ergo & plures habitus ſpecie diuerſi. Confirmatur, quia habitus non dat facilitatem, niſi ad actus ſimiles ijs, à quibus eſt productus, habitus enim eſt ſemen actuum, & conſequenter non alios fructus producit, niſi ſimiles illis, quorum eſt ſemen, & à quibus eſt productus, ergo ſi ſit productus ab actibus verſantibus circà aliqua obiecta, verbi gratia, ſimplices terminos, non dabit facilitatem circà alia Obiecta ſpecie diuerſa, putà circà integras propoſitiones, ergo pro facilitate ad cognoſcendas integras propoſitiones debet dari nouus, & diſtinctus habitus, ſicuti datur noua, & diſtincta cognitio, noua & diſtincta facilitas.

Replicabis: hoc argumento probari per primum habitum, ſi nihil ei addatur, non haberi facilitatem, niſi ad actus ſimiles ijs, à quibus eſt productus, at ſi huic habitui addamus nouum modum, iam hic habitus poterit dare facilitatem etiam ad alios actus diuerſos; hic autem nouus modus non eſt habitus diuerſus, & diſtinctus à primo, ſed eſt quædam perfectio primi habitus.

Sed contrà hanc replicam eſt: quia hic nouus modus dat facilitatem ad actus ſpecie diuerſos ab ijs, à quibus eſt productus primus habitus, ergo verè eſt habitus diuerſus, & diſtinctus à primo, tenet conſequentia, quia iſte nouus modus dat nouam, & diſtinctam facilitatem, quæ à ſolo habitu habetur, exiſtētia enim habitus ex facilitate, tanquam ex vnico, eoque infallibili ſigno deprehenditur, & demonſtratur, ergo ſi nouus iſte modus dat nouam facilitatem diſtinctam ad Obiecta omninò ſpecie diuerſa, erit nouus, & diſtinctus habitus.

Obijcies primò: quia Temperantia eſt vna Virtus, & tamē quis habet facilitatem circà vnum Obiectum, & non circà aliud, nam ſentit quis facilitatem, verbi gratia, in abſtinentia à carne, ſed non ſentit talem facilitatem circà abſtinentiam à lacticinijs in die ieiunij, ergo etiam Scientia poteſt eſſe vnus ſimplex habitus, licèt quis habeat facilitatem circà aliqua Obiecta, & circà alia non.

Reſpōdeo: quòd ſi ſermo ſit de Temperantia, vt eſt habitus acquiſitus, in ea eſſe diſtinguendos plures habitus totales, ſicuti aſſignantur plures facilitates, eſto Temperantia vna ſit Virtus, eſt enim vna per aggregationem, non vna ſimpliciter. Quòd ſi Temperantia ſit Virtus infuſa, eſto quòd Temperātia licèt vna ſe extendat ad plura, & diſtincta ſpecie Obiecta, quia in tali caſu ſe habet, vt potentia, & non eſt limitata ab actibus, & ideò benè poteſt ſe extendere ad plura Obiecta ſpecie diſtincta; & ſicuti potentia circà diuerſa Obiecta ſentit, & experitur varias difficultates, ità & Temperantia infuſa, & quilibet alius habitus infuſus ſentit, & experitur circà varia, & diuerſa ſpecie Obiecta varias, & diſtinctas difficultates, quia habitus infuſus non dat facilè operari, ſed poſſe operari.

Obijcies ſecundò: Vnus habitus Fidei Diuinæ inclinat ad plura Obiecta diſtincta, & diuerſa, quę tamen reſpicit ſub vna ratione formali, ergo etiam vnus habitus Scientiæ poteſt ſe extendere ad plura ſpecie Obiecta.

Reſpondeo: iam eſſe aſſignatam diſparitatem, quia habitus Fidei Diuinæ, quia eſt infuſus, comparatur potentiæ, quæ non ſuſcipit limitationem ab actibus; prætereà dico in Obiectis Fidei Diuinæ eſſe vnam rationem formalem, ſub qua reſpiciuntur omnia Obiecta materialia, ſed in Obiectis materialibus vnius Scientiæ nō eſt vna ſpecie ratio formalis, exemplum ſit in Logica, quæ licèt habeat pro Obiecto formali rectitudinem inducendam in operationes Intellectus, tamen diuerſa eſt ſpecie rectitudo inducenda in primam operationē à rectitudine inducenda in ſecundam, & tertiam, ſicuti & ipſæ operationes ſpecie ſunt diuerſæ. Quòd ſi aſſignaretur aliqua Scientia reſpiciens omnia Obiecta materialia ſub vnica ratione formali, non dubitarem talem Scientiam dicere vnum ſimplicem habitum, vnam ſimplicem qualitatem.

Obijcies tertiò: Datur habitus Fidei naturalis, & humanæ facilitans ad actus ſpecie diuerſos, & ad Obiecta ſpecie diuerſa, nam habitus facilitans me ad credendam veracitatem Petri, ideſt, ad credenda eſſe vera omnia, quæ Petrus dicit, facilitat me ad credenda omnia dicta Petri, etiam ſpecie diuerſa, ergo Scientia per vnum habitum poteſt habere facilitatem ad plura Obiecta etiam ſpecie diuerſa.

Reſpondeo primò: hoc argumento

con-

conuinci Aduerſarios ad negandum etiam modum nouum diſtinctum circà Obiecta ſpecie diuerſa; prætereà dico, me habere facilitatem ad credenda omnia dicta Petri etiam ſpecie diuerſa, quia credo ea omnia dicta eſſe vera propter motiuum, quod complectitur omnia dicta Petri etiam ſpecie diuerſa, quia nimirum ad credendum quicquid dicit Petrus, moueor ob eximiam eius, vel Sanctitatem, vel veracitatem, quam expertus ſum, Petrum nunquam eſſe mẽtitum, ſed non datur vna ſpecie ratio formalis, ſub qua Scientia reſpiciat omnia ſua Obiecta etiam ſpecie diuerſa.

Obijcies quartò: Scientia totalis eſt vna, ſed non poteſt aſſignari, quomodo ſit vna, ſi in ea ſint plures ſpecie habitus; ſi enim dicas, Scientiam eſſe vnam vnitate per aggregationem, adhùc debes aſſignare, qua ratione plures habitus totales concurrant ad faciendam vnam Scientiam totalem, nam hoc modo poſſet etiam probari, omnes Scientias eſſe vnam Scientiam.

Reſpondeo: plures habitus totales vniri, & connecti inuicem in vnam Scientiam totalem ratione naturalis cõnexionis, quæ eſt inter Obiectum vnius habitus totalis, & Obiectum alterius habitus totalis ſpectantis ad eandem Sciẽtiam, patet hoc in Logica, in qua iuxtà tres operationes Intellectus diſtinguo tres habitus totales, & quia prima operatio eſt connexa cum ſecunda, à qua naturaliter ſupponitur, ſicuti ſecũda naturaliter ſupponitur à tertia, cũ qua ſimiliter eſt cõnexa ſecunda, ideò hi tres habitus totales cõſpirãt, & vniuntur ad faciendum vnum habitũ per aggregationẽ, & vnam Scientiam, quæ eſt Logica.

LECTIO IX.

An Scientia, & Opinio poſſint eſſe ſimùl de eodem Obiecto.

PRæmitto primò: in Intellectu, præter quinque Habitus, qui inclinant Intellectum ad verum, dari quoque Habitum Opinionis, qui inclinat Intellectum ad veriſimile, ſeù probabile, vndè fit, vt Intellectus eliciens aſſenſum opinatiuum habeat formidinem, & dubitationem de oppoſito eius, quòd opinatur: Cæterum iſta formido licèt aliquandò ſit actualis, non tamen debet neceſſariò eſſe actualis, ſed ſufficit, tàm ad habitum, quàm ad aſſenſum opinatiuum, quòd ſit capacitas ad habendam talem formidinem, quatenùs vi medij probabilis, per quod procedit, & in quo fundatur, capax eſt talis formidinis; & ratio eſt quia per talem capacitatem ad habendam formidinem, ſeù vt alij loquuntur, per formidinem radicalem, ſufficienter contradiſtinguitur Opinio à Scientia; Scientia enim dicit actualem certitudinem, & negationem formidinis, quia dicit firmam, & imperturbabilem adhæſionem in Obiecto; Opinio verò dicit capacitatem ad habendam formidinem, quæ capacitas fundatur in medio probabili, per quod procedit, medium enim probabile de ſua Natura, & conditione capax eſt formidinis, & dubitationis de oppoſito eius, quod opinamur.

Præmitto ſecundò. Certum eſſe de diuerſis Obiectis ſimùl, & in eodem inſtanti, poſſe eſſe Scientiam, & Opinionem; & ſimiliter certum eſt, de eodem Obiecto à diuerſis Intellectibus poſſe ſimùl haberi Scientiam, & Opinionem; Difficultas eſt, an idem Intellectus de eodem Obiecto ſimùl, & in eodem inſtanti poſſit habere Scientiam, & Opinionem. Denique neq; Difficultas procedit comparando habitum Scientiæ, & habitum Opinionis, vel Habitum Sciẽtiæ cùm actu Opinionis, quia videtur certum poſſe dari duos habitus, ſicuti etiam duas potentias ad actus oppoſitos; & ſimiliter Potentiam, ſeù habitum, & actum oppoſitum; punctus ergo difficultatis reducitur ad actus Opinionis, & Scientiæ, an poſſint eſſe ſimul in eodem Intellectu de eodem Obiecto.

Concluſio mea eſt: Non repugnat in eodem Intellectu de eodem Obiecto ſimul, & in eodem inſtanti eſſe actum opinatiuum, & Scientificum. Ità *Alen. 3. part. quæſt. 79. memb. 3. Antiſiod. Lect. 3. tract. 3. quæſt. 4. & 5. Bonau. in 3. diſt. 24. Palud. diſt. 31. quæſt. 2. art. 1. Argentinas in Prol. quæſt. 3. art. 2. Villapand. 1. Poſt. cap. 26. Hurt. diſp. 10. de Anima ſect. 5. Auerſa, quæſt. 29. ſect. 4. Le Reès Com. in org. art. 6.* Contrà *Caiet. 1. Poſt. cap. 26. §. circà hanc partem, Sot. quæſt. 8. art. 2.* Concl. 3. *Tolet. Louanien. eodem capite. Scotum in 3. diſt. 23. quæſt. vnic.* Cap. *diſt. 25. quæſt. 1. concl. 2. & alios.*

alios, quos cit. Auerſa loco citato.

Probatur Concluſio primò: quia radicalis incertitudo, formido, & dubitatio non pugnant cùm actuali certitudine, quæ eſt eſſentiale Prædicatum Scientiæ, ergo non repugnat, eſſe ſimùl actum Scientiæ, & actum Opinionis. Antecedens probatur quia, potentia ad ambulandum non repugnat cùm actuali ſeſſione, ergo nec potentialis, ſeù radicalis formido pugnat cùm actuali certitudine.

Probatur ſecundò: quia in probabili ſententia poſſunt eſſe ſimùl actus Fidei Diuinæ obſcuræ, & actus Scientiæ naturalis euidentis in eodem Intellectu, & de eodem Obiecto, dummodo adſit diuerſum motiuū, vt reuerà adeſt, eo quia diuerſitas motiui tollit omnē repugnantiam, ergo etiam poſſunt eſſe ſimùl actus Scientiæ, & actus opinionis, quia procedunt ex diuerſo motiuo, ſeù ex diuerſo medio, vt patet.

Replicabis ex hoc ſequi, quòd actus Opinionis etiam ſi diceret formidinem actualem, poſſet eſſe ſimul cùm actu ſcientifico, quia adeſſet diuerſum motiuum, ſicuti actus Fidei Diuinæ, quamuis dicat actualem obſcuritatem, eſt ſimul cùm actu ſcientifico ratione diuerſi motiui.

Sed contrà hāc replicā eſt, quia actualis certitudo Scientiæ impedit, nè oriatur actualis incertitudo, ſed actualis euidentia Scientiæ non impedit, nè oriatur actualis obſcuritas; & ratio eſt, quia actualis certitudo opponitur priuatiuè, ſeù negatiuè actuali incertitudini, ſed actualis euidentia non priuatiuè, ſed poſitiuè opponitur obſcuritati, nam obſcuritas Fidei Diuinæ lux eſt, ſed parua, euidentia Scientiæ eſt lux magna. Prætereà eſt alia diſparitas, quia euidentia Scientiæ non eſt adeò perfecta, vt obſcuritatem aliquam non inuoluat, multis tenebris Scientia noſtra offunditur, & ideò benè poteſt eſſe cùm Fide obſcura; quòd ſi Scientia eſſet intuitiua, & perfecta omnem excludens obſcuritatem, tunc non poſſet eſſe ſimùl cùm Fide nō ob repugnantiam, quam tollit motiui diuerſitas, ſed ob ſuperfluitatem; & ideò in Patria non remanet Fides Diuina.

Probatur tertiò: quia idem actus poteſt eſſe ſimul actus Fidei, Opinionis, & Scientiæ, vt ſi quis alicui Obiecto aſſentiatur ob triplex motiuum, teſtimonium Diuinum, medium euidens, & medium probabile, neque enim credibile eſt, quòd quis habens hæc tria motiua eliciat tres actus, ergo elicit vnum actum ob triplex motiuum, ergo multo magis poteſt elicere duos actus Opinionis, & Scientiæ ob diuerſum motiuum.

Fateor, quod licèt non ſit repugnantia in hoc, quòd ſint ſimul iſti duo actus Scientiæ, & Opinionis; in praxi non ità facilè reperies Intellectum habentem duplex hoc motiuum, elicere duos actus, tùm quia non videtur, quòd Intellectus poſſit attendere ad duo, tùm quia à motiuo Scientiæ, vtpotè motiuo efficaciori, & vehementiori abripitur Intellectus, nè attendat ad motiuū Opinionis, quòd eſt valde leue, & debile.

Obijcies primò: Ex *Ariſt. 1. Poſt. manifeſtūm eſt autem in his, quòd neque opinari ſimul idem, & ſcire contingit*, ergo non poſſunt eſſe ſimul actus Scientiæ, & actus Opinionis.

Reſpondeo: Philoſophum eſſe intelligendum in hoc ſenſu, quatenùs ob rationes mox adductas in Intellectu fortaſſe non eſt tanta vis, vt ſimul poſſit attendere ad duo, nō quia putarit, aliquam eſſe repugnātiam inter illos duos actus, ità vt eſſent in eodem Intellectu incompatibiles.

Obijcies ſecundò: *ſi in eodem Intellectu eſſet actus opinatiuus, & ſcientificus*, iam Intellectus ſimùl eſſet certus, & incertus; certus per Scientiam, incertus per Opinionem, ſed hoc eſt impoſſibile.

Reſpondeo in tali caſu, Intellectum eſſe dicendum ſimpliciter certum, non incertum, ſicuti licèt homo ſecundum corpus ſit mortalis, & ſecundum Animam ſit immortalis, dicitur tamen ſimpliciter mortalis, non immortalis; ratio eſt, quia Prædicatum poſitiuum non facit ſenſum vniuerſalem, ideò poteſt ſimpliciter attribui ſubiecto; non ſic Prædicatum negatiuum, vti ſunt, τὸ immortalis in homine, & τὸ incertitudo in actu Opinionis, quia facerent ſenſum vniuerſalem, & τὸ immortalis tolleret ab homine mortalitatem, quam habet ratione corporis, & τὸ incertitudo tolleret ab Intellectu certitudinem, quam habet ratione Scientiæ.

Obij-

Obijcies tertiò : ſi eſſet vnus actus Scientiæ, & Fidei Diuinæ, iam idem actus eſſet neceſſarius, & liber, ſupernaturalis, & Naturalis, ſed id videtur impoſſibile, ergo.

Reſpondeo, quòd actus Fidei tunc eſt ſupernaturalis, & liber, quando elicitur ſolus, non quando elicitur ſimùl cùm actu Scientiæ. Addo quòd in tali caſu ille actus eſſet tertiæ cuiuſdam innominatæ ſpeciei, ſicuti ſi ex Leone, & Aquila aliquid generaretur, eſſet tertiæ cuiuſdam innominatæ ſpeciei, non enim repugnat commixtio ſpecierum in eodem, mulus enim generatur ex Equo, & Aſina; ex Lupo, & Cane.]

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTIONES PHYSICAE

AVTHORE

R.P. AVGVSTINO DE ANGELIS.

CONGREGATIONIS SOMASCHAE.

PROOEMIVM.

DIgnitatem, Vtilitatemque, *Philoſophiæ* (cuius Pars prior eſt Phyſica) ſuprà reliquas Scientias, & Diſciplinas lóga commendatione proſequi, non eſt eius, qui ſe breuitatem ſe qui (quam adeò Studiosè Moderni quærunt, & amant) initio huius operis profeſſus eſt. Quare ſufficiat vobis, *Auditores Optimi*, loco conſuetæ huius commendationis exordium Libri de Mundo, quem ad Alexandrum Macedoniæ Regem, & Auditorem ſuum ſcripſit olim Philoſophorum Princeps Ariſtoteles. Eſt autem. *Philoſophia ſæpè numero, Alexander, viſa eſt mihi res quædam Sacra, & planè Diuina, potiſſimum in ijs, quibus illa ſola ad res contemplandas elata cognoſcere ſtuduit, quæ in illis verè haberentur. Cumque alij propter ſublimitatem, & magnitudinem ab eadem ipſa re procul recederent, illa eiuſmodi negotium nihil reformidauit, nec ſeipſam rerum honeſtiſſimarum intelligentia indignam cenſuit: imò earum ipſarum Diſciplinā ſibi ipſi cognitam, & in primis naturæ ſuo conſentaneam exiſtimauit, nam cùm minùs corpori liceret in cæleſtem emigrare ſedem, & relicta Terra ipſum Cælum inſpicere, quod olim dementes Aloidæ facere cogitarunt, Animus poſt mētem beneficio* Philoſophiæ *Ducem ſibi aſſumptam per omnia tranſiit, peregrèquè profectus eſt: cùmq; in viam quandam, ex qua nullam laſſitudinem ſenſurus foret, ingreſſus eſſet, quæ locorum interuallo plurimum in-*

ter ſe diſcreta eſſent,cogitatione vna comprehendit: ac paruo quidem,vt arb itror negotio ea , quibus cùm Naturæ cognatione tenebatur , nouit , & Diuina mentis acie percepit,mortalibuſque præſagiuit. Sit ergo huius Sacræ, ac planè Diuinæ Scientiæ.

DISPVTATIO PRIMA.

DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM.

P*HYSICAM,quam* φύσιν *Græci,Naturā Latini appellant;eſſe Scientiā Speculatiuam,eſt adeò certum,& ab omnibus conceſſum,vt probatione non indigeat; habet enim pro ſui Obiecto* Corpus Naturale,*quod eſt Obiectum neceſſarium, & in ſuo eſſe fieri,& conſeruari à nobis non dependens;tale eſt Cælum,& Elementum.Quia verò omnis Sciētia Speculatiua in ſui Obiecti contemplatione occupata,tria de illo conſiderat;nempè Principia,& Cauſas:Proprietates,& Paſſiones.Denique Partes, & Species.Ideò Prima hæc Diſputatio eſt de Principijs Corporis naturalis;vbi nomine Corporis naturalis venit Compoſitum Subſtantiale,reſultans ex Materia prima,& Forma Subſtantiali;licèt enim in Phyſica conſiderentur etiam Compoſita accidentalia, quorum altera pars eſt Forma Accidentalis , tamen hæc non per ſe primò,ſed per accidēs,& in ordine ad aliud,ideſt in ordine ad compoſitum ſubſtantiale conſiderantur, ideòque Compoſita accidentalia non ſunt Obiectum per ſe,& Attributionis,ſeù ordinationis,ſed Obiectum per accidens , & conſiderationis.Cæterum eo ordine,& methodo tractat Ariſt. de Corpore naturali,vt primis Octo Libris,quos inſcribit de phyſico auditu, tractet de corpore naturali,vt ſic,& in communi ; deindè de corpore*

pore

pore naturali in particulari, videlicet de Corpore Cæleſti, & incorruptibili; de Corpore corruptibili; de Elementis, de Mixtis, tùm inanimatis, tùm animatis.

LECTIO I.

Definitio Principiorum aſſignatur.

PRæmitto: nomine Principij latiſſimè, & generaliſſimè ſumpti venire omne id, ex quo primò aliquid fit, originatur, ſeù incipit eſſe, ità fundamentum eſt Principium Domus, quia à Fundamento incipit eſſe, & originatur Domus. In qua acceptione Principium omninò differt à cauſa, nam Cauſa non ſolùm eſt, id à quo effectus incipit eſſe, & originatur, ſed etiam à Cauſa accipit effectus ſuum eſſe, ſuum exiſtere, & ab ea dependet, at à principio poteſt aliquid originari, & incipere eſſe abſque eo, quod ab illo accipiat eſſe, ab eoque dependeat, ſic in Diuinis Pater eſt Principium Filij, ſed non eſt Cauſa filij; Priuatio, vt mox videbimus, eſt principium mutationis, & compoſiti naturalis, & tamen nec mutatio, nec naturale compoſitum accipit eſſe à Priuatione, quæ eſt nudum non Ens.

Præmitto ſecundò: Principia eſſe duplicis generis, nempè principia intrinſeca, quæ ſunt intrà rem principiatam. Principia extrinſeca, quæ ſunt extrà rẽ principiatam, vti cauſa efficiens, & finalis. Iterum Principia intrinſeca, alia ſunt perfectè intrinſeca, vel quia ſunt partes, ex quibus componitur res principiata in facto eſſe, vt Anima, & Corpus reſpectu Hominis, Materia, & Forma reſpectu cuiuſcunque Compoſiti naturalis; vel eſſentialiter reſpiciuntur à Compoſito in fieri, nimirum ab ipſa compoſiti generatione, vti ſunt Materia, Forma, & Priuatio, quæ communi phraſi dicuntur principia mutationis; mutatio enim, generatio Compoſiti, & Compoſitum in fieri idem ſunt.

Alia ſunt imperfectè intrinſeca, quæ ſunt extrà rem principiatã, ità tamẽ, vt intrinſecè, & eſſentialiter illa exigat res prĩcipiata; ità Materia prima eſt principiũ intrinſecũ Formæ, quia ità eſt extrà Formam, vt tamen intrinſecè exigat habere Formam, tanquam ſui complementum, ideòque etiam Forma dicitur intrinſecũ principium Materiæ primæ, quia intrinſecè exigit illam, tanquam ſui ſubiectum.

Definiũtur ab *Ariſt.* 1. *Phyſ.* c. 5. t. 42. Principia, eſſe illa, quę non fiunt ex alijs, nec ex alterutris, ſed ex his fiunt omnia. Ex qua Definitione communiter in Scholis recepta, eliciuntur tres Conditiones requiſitæ in Principijs ad hoc, vt verè ſint, & dicãtur eſſe Principia Corporis naturalis. Quarum prima eſt, vt non fiant ex alijs principijs, alioquin non eſſent prima principia. Secunda conditio eſt, vt non ſint ex ſe inuicem, ſeù ex alterutris, ſ.n. vnum Principium fieret ex altero, iam ſingula non eſſent principia; ſed vnum eorum eſſet principium, alterum principiatum. Tertia denique conditio eſt, vt ex ipſis fiant omnia, id eſt, omnia Corpora naturalia, de quibus in præſenti eſt ſermo.

Quia verò in hac Definitione ter reperitur particula, ex; non vna eſt omnium Philoſophorum Sententia, in quo ſenſu accipienda ſit. Sed hæc difficultas ſimùl cum alijs Argumentorum ſolutione mox explicabitur.

Concluſio ſit: Definitio Principiorũ poſita hic ab Ariſtotele ſufficiens eſt, & accurata.

Probatur: quia eſt adæquata definito, conuenit omnibus, & ſolis Principijs Corporum, ſeù rerum naturalium, ergo eſt ſufficiens, & accurata; quæ Ratio magis firma manebit ex ſolutione Argumentorum in oppoſitum.

Obijcies primò: In Definitione non debẽt aſſumi voces æquiuocæ, ſed τὸ, ex, eſt vox æquiuoca, & plures habet ſenſus, ergo. Minor probatur quia, τὸ ex, nõ poteſt ſignificare ſolã habitudinẽ partis componentis; Priuatio enim eſt vnum ex principijs; & tamen cùm non ſit Ens, non poteſt eſſe pars componens Corporis naturalis, neque poteſt importare ſolam habitudinem termini à quo, quia hac ratione non verificaretur, principia non fieri ex ſe inuicem, ſeù ex alterutris, verè enim Forma fit ex Priuatione, tan-

quam ex termino, à quo, ergo particula, ex, debet ſumi in duplici ſenſu, & prout importat habitudinem termini à quo, & & prout importat habitudinem partis componentis; ſi enim ſic accipiatur, omnia conciliantur; ſaluatur enim, Formam, & Corpus naturale fieri ex Priuatione, tanquam ex termino à quo, ſed non tanquam ex parte componente; Corpus verò naturale fieri ex alijs principijs putà Materia, & Forma tanquam ex partibus componentibus.

Reſpondeo: non eſſe magnum abſurdum, vſurpari aliquando in definitionibus voces æquiuocas, quando aliter fieri nõ poteſt, cùm enim rerũ Eſſentiæ occultiſſimæ ſint, eo modo meliori quo poſſunt, debent explicari: imò vix reperie Definitionem, cui non deſit aliqua cõditio ex requiſitis: ad bonã Definitionẽ ſatis eſt, ad hoc vt ſit ſufficiens & accurata, quòd ſit adæquata Definito, & rei eſſentiam, quo quo modo explicet, & declaret.

Dico præterea: quòd ſi, τὸ ex, accipiatur ſemper in eodem ſenſu, prout, ſcilicet, importat ſolùm habitudinem partis componentis, adhùc verificatur tradita Definitio; Forma enim propriè, & in rigore philoſophico nõ dicitur fieri ex Priuatione, compoſitum enim ſolum eſt id, quod fit, & fieri dicitur, vt patet *ex Ariſtot. 1. Phyſic. cap. 7. t. 26. 7. Met. c. 8. t. 26. & 27. non forma ignis, nec candor, nec frigus fieri, dicendũ; ſed ignis, candidum, frigidum, & 1. Moralium cap. 1.* omnis productio, & effectio terminatur ad ſuppoſitum.

Obijcies ſecundo: Materia prima, vt potè diuiſibilis in ſuas partes, componitur, & fit ex illis tanquam ex partibus omninò ſibi intrinſecis, ergo iam Principia fiunt ex alijs.

Confirmatur quia: Materia prima, & Forma componuntur ex Genere; & Differentia, tanquam ex partibus intrinſecis, tàm enim Materia prima, quàm Forma, eſt Species, & omnis Species conſtat ex genere, & Differentia, ergo.

Reſpondeo: Materiam primam componi ex ſuis partibus intrinſecis integrantibus, non ſubiectiuis; vbi nomine partium integrantium veniunt illæ partes, quarum qualibet ablata, adhùc remanet denominatio totius, vt ablato pede, adhùc remanet *H*omo; ad differentiam partium eſſentialium, quarum qualibet ablata, non remanet amplius totum, vt ablata Anima, non remanet amplius *H*omo. Dixi Materiam nõ cõponi ex ſuis partibus ſubiectiuis, quia partes eius non ſe habent, vt ſubiectum reſpectu Materiæ, quo modo ſe habet ipſa Materia reſpectu compoſiti naturalis, cuius eſt principium.

Ad confirmationem dico: Genus, & Differentiam eſſe partes Metaphyſicas, & in alio ordine; quòd non obſtat, quò minus Materia ſit primum principium in genere *Phyſico*; de quo hic eſt ſermo.

Obijcies tertiò: Elementa non fiunt ex aliis, nec ex alterutris, imò potiùs ex Elementis fiunt omnia, & tamen Elementa non ſunt prima Principia, ergo Definitio Principiorum conuenit alteri à Definito

Reſpondeo: Elementa non eſſe prima principia, imò ipſa conſtare ex Materia prima & Forma. Imò & Elementa fiunt ex alterutris, ex aere enim fit ignis, ideò eam Definitionem non verificari de Elementis.

Obijcies quartò: Etiam *V*nio partiũ conſtituit intrinſecè totum, ſeù Compoſitum naturale, ergo iam etiã *V*nioni competit Definitio Principiorum, ſed *V*nio inter Principia non enumeratur, ergo Definitio Principiorum competit alteri à Definito.

Reſpondeo: *V*nionem non eſſe Principium conſtituens, ſed eſſe rationem formalem qua principia conſtituunt, & faciunt Compoſitum; ſeù eſſe principium, quo, non principium quod, ſicuti etiam Actio eſt principium quo agit, & producit Agens effectum.

LECTIO II.

Statuitur Numerus Principiorum.

PRæmitto: ſtatuẽdum eſſe numerum Principiorũ in ordine ad duo, ideſt, in ordine ad Compoſitum in fieri, & in ordine ad Compoſitum in facto eſſe: Compoſitum in facto eſſe dicitur, quando iam eſt completè factum, & perfectè productum. Compoſitum dicitur eſſe in fieri, quando eſt in ſuo fieri, & produci; porrò ipſum fieri, & produci naturalis Compoſiti, vnico verbo, Mutatio dicitur, ſicuti Compoſitum in facto eſſe,

venit

venit ſimpliciter,& ſinè addito nomine Compoſiti.

Præmitto ſecundò: Sermonem eſſe in præſenti de *Principijs* intrinſecis,non de *Principijs* quomodocunque, & extrinſecis, quo ſenſu etiã Cauſa efficiens, & finalis poſſunt dici *Principia*.

Concluſio prima ſit: *Principia* Compoſiti naturalis in fieri, ſeù mutationis naturalis ſunt tria, Materia prima,Forma,& *Priuatio*. *Ità Ariſt. hic cap.7. t.67. D.Thomas ibidem,& Opuſcul.31. Ariaga diſ.1. Phyſ.ſect.3. & alij omnes Philoſophi Antiqui,& Recentiores.*

Probatur Concluſio: quia naturalis mutatio eſt formaliter, & eſſentialiter tranſitus Subiecti de non eſſe formæ ad eſſe formæ Subſtãtialis quatenùs Subiectum de non habente ſit habens formã Subſtantialem, in quo tranſitu eſſentialiter tria interueniunt;Subiectum,quod tranſit de nõ eſſe ad eſſe formã, hoc eſt Materia prima; non eſſe formæ, & hoc eſt *Priuatio* Formæ; deniq; eſſe Formę, & hoc eſt ipſa Forma; ergo iam tria eſſentialiter interueniunt in tali tranſitu Subſtantiali, & conſequenter tria ſunt principia intrinſeca, & eſſentialia naturalis mutationis.

Sed poſita Concluſio magis firma manebit ex ſolutione argumentorum in oppoſitum.

Obijcies primò: *Priuatio* eſt mera carentia formæ,ſeù non eſſe formæ, atque adeò eſt non Ens, ergo non poteſt eſſe principium naturalis mutationis, quæ eſt Ens reale,& poſitiuum.

Reſpondeo: mutationem non eſſe adæquatè Ens reale,ſed inadęquatè,quia ex parte etiam eſt non Ens, quia eſt eſſentialiter tranſitus de non eſſe Formæ ad eſſe Formæ, ideò benè *Priuatio*, & non eſſe Formæ, poteſt eſſe *Principium* mutationis. Præterea *Priuatio* eſt principiũ mutationis,non quia ſit eius intrinſeca pars componens, aut influens aliquod eſſe in mutationem,ſed per modum termini à quo, terminus autem à quo non debet eſſe Ens reale poſitiuum.

Obijcies ſecundò: *Poteſt* eſſe productio, & generatio Formæ, atque adeò productio, & generatio Compoſiti ſinè *Priuatione*,ergo *Priuatio* non eſt *Principium* mutationis, ſeù Compoſiti in fieri. Antecedens probatur,quia poſſunt produci ſimul à Deo Materia, & Forma,vt de facto creata, & producta ſimul fuerunt Materia, & Forma Elementorũ, in quo caſu ad talem productionem nõ concurrit *Priuatio*, tanquam terminus à quo,quia in nullo priori eſt aſſignare Materiam ſinè Forma, ſupponuntur enim eſſe ſimul creata,& producta Materia,& Forma, ergo iam *Priuatio* cùm in nullo priori præceſſerit Formam,non poteſt eſſe *Principium* productionis Formæ, & conſequenter productionis Compoſiti.

Reſpondent nonnulli,quòd licèt in priori temporis non poſſet aſſignari Priuatio in generationibus Elementorum, imò & in omni generatione,in qua producantur ſimùl Materia,& Forma;ſufficere tamẽ,quòd in aliquo priori naturæ ſit *Priuatio*,quia tunc etiam benè intelligitur Materia pro illo priori naturæ ſinè forma,quæ deindè eſt in poſteriori naturæ,licèt ſimul ſit ſimultate temporis cùm Materia,vt ſupponitur in argumento.

Sed contrà eſt quia: in nullo inſtanti reali poſſunt eſſe ſimùl *Priuatio*, & Forma,ſi autem valeret iſta reſponſio de priori,& poſteriori naturæ, iam iſta duo inſtantia Naturæ clauderentur in vno, eodemque inſtanti reali, atque adeò in eodem inſtanti reali eſſent *Priuatio*, & Forma, quod eſt impoſſibile, quia ſunt contradictoria,nõ eſſe, & eſſe Formam, *Priuatio* enim eſt,non eſſe Formam.

Reſpondeo igitur:in præſenti nos loqui de generatione Formæ,& Compoſiti,quæ de facto,ordinariè,& regulariter ſit,non de generatione formæ, quæ fieret in illo caſu, neque de Generatione Formarũ Elementorum,aut etiam Formarum Cæleſtium,quæ quia producuntur ſimùl cum Materia,non habent pro ſui principio *Priuationem*, tanquam terminum à quo.

Obijcies tertiò: *Diſpoſitiones* ad Formam præcedunt Formam, & ad illius productionem omninò requiruntur non minùs,ac requiratur *Priuatio*,ergo vel etiam ipſæ ſunt *Principia*,vel *Priuatio* non eſt *Principium*.

Confirmatur: quia non poteſt intelligi generatio, & productio Formæ ſinè cauſa generante, & producente, ergo etiam cauſa producens, ſeù efficiens, vnico verbo, ipſum Agens debet numerari inter *Principia*.

Reſpondeo: diſpoſitiones ad Formam reduci ad Materiam primam, tanquam

ad

Digitized by Google

ad cauſam Materialem ; quia non exercent diſtinctum munus ab ipſa materiali cauſa, è contrà Priuatio, quæ exercet munus termini à quo.

Ad Confirmationem dico: Agens eſſe merè extrinſecum productioni, & generationi Formę, ideò eſto ſit Principium, non tamen eſt principium intrinſecum, de quo in præſenti eſt ſermo, ſed eſt Principium extrinſecum, quale etiam eſt Finis, ſeù Cauſa finalis, ſicuti enim omne agẽs agit propter finem, itá omnis actio eſt ordinata ad aliquem finem.

Colligite ex his primò: omnia, quæ hic ſunt dicta de generatione ſubſtantiali, dicenda eſſe quoque de generatione accidentali, per quam ſcilicet producitur forma accidentalis, dummodo ſoli termini varientur; ſicuti enim generatio ſubſtantialis eſt productio formæ ſubſtantialis, itá generatio accidentalis eſt productio formæ accidentalis.

Colligite ſecundò: Rationem Principij, vt ſic, non eſſe communem vniuocè, ſed ad ſummum analogicè reſpectù Materiæ, Formæ, & Priuationis, quia enti, & non enti non poteſt dari vnus conceptus vniuocus.

Colligite tertiò: aliqua Principia ex aſſignatis eſſe inuicem contraria, imò & contradictoriè oppoſita, huiuſmodi ſunt Priuatio, & Forma; Priuatio enim eſt non eſſe Formæ, ideò contradictoriè opponitur Formæ. Dixi Formæ, non Materiæ, quia Priuatio non eſt, non eſſe Materiæ, ſed eſt, non eſſe Formæ.

LECTIO III.

Definitur Materia Prima.

PRæmitto primò: Dari Materiam, eamque non ſolum eſſe primam inter omnia naturalia, ſed etiam eſſe primam reſpectu *P*rincipiorũ, certum eſt, & inconfeſſo apud omnes; *P*riuatio enim eſt prior Forma, ſed Materia eſt prior *P*riuatione; ita nomine Materiæ primæ venit primũ quoddam Ens *P*hyſicum, & naturale, quod omnia entia naturalia, & alia duo *P*rincipia, *P*riuationem, & Formam, antecedat.

*P*ræmitto ſecundò: Materiam primã varijs nominibus fuiſſe appellatam; quæ nomina ad duas claſſes reduco; nam aliqua ſpectant ad explicandam eius imperfectionem, & alia ſpectant ad explicandum eius munus, & officium, ſeù effectum, quem Materia præſtat. *Primò* igitur Materia à *D. Auguſtino* 12. *Confeſ. cap.* 7. *appellatur propè nihil & cap.* 8. *eſſe propè nudam rem, à Platone in Timæo appellatur non Ens. ab Ariſtot. hic t.* 59. appellatur propè, & quodammodo Subſtantia; his nominibus explicatur imperfectio Materiæ primæ. Secundò Materia prima apppellatur à *P*latone in Timæo gremium, ſeù ſinus omnium Formarum: ab Arabicis Scriptoribus Origo, Maſſa, Sylua, Seminarium, locus formarum, & nutrix. Ab Ariſtot. hic appellatur *t.* 82. Elementum, & Subiectum, quibus nominibus explicatur munus, & officium Materiæ primæ eſſe, recipere omnes formas, earumque eſſe primum Subiectum, in quo recipiantur.

Præmitto tertiò: Dari Materiã primã; probatur primò quia, vt eſt commune axioma, ex nihilo nihil fit; & ſenſus eſt, ꝙ Agens naturale, & finitæ virtutis per hoc contradiſtinguitur à Deo, vt agente ſupernaturali, & infinitæ virtutis; quòd Agens naturale operatur in Subiecto, & in præiacente Materia, & ſi nullum Subiectum ſupponatur, nihil operatur: è contrà Agens ſupernaturale, & infinitæ virtutis operatur nullo præſuppoſito ſubiecto, & nulla præſuppoſita materia, imò ex nihilo omnia producit, & creat.

Secundo probatur ex transmutatione, vel ipſis ſenſibus obuia, & nota; videmus enim ex aqua fieri aerem, ex ligno fieri ignem, quæ tranſmutationes fieri non poſſunt abſque aliquo cõmuni Subiecto, quod intelligatur tranſire à forma aquæ ad formã Aeris, à forma ligni ad formã ignis, non enim tota aqua perit, & totus aer de nouo producitur, quando ex aqua fit, aliàs iſta non eſſet tranſmutatio, ſicuti non fieret, nec intelligeretur fieri tranſmutatio Angeli, verbi gratia, in formicam, ſi Deus destructo Angelo produceret Formicam, non niſi quia non daretur Subiectum commune Angelo, & Formicæ. *P*orrò tale commune Subiectum omnium formarum eſt Materia prima.

Definitur ergo Materia prima ab Ariſt. duabus definitionibus; prima eſt negatiua, quam tradit 7. *Met. t.*8. *Dico autem Materiam, quæ per ſeipſam non eſt quid, nec quale, nec quantum, nec quicquam*

aliud

aliud dicitur, quibus Ens determinatur. Qua definitione declaratur imperfectio Materiæ primæ,& excluditur è numero *Prædicamẽtorũ*;cùm .n. Materia prima ſit Ens incompletum, & partiale non ponitur in recta linea Prædicamentali.

Altera Definitio, quæ ad *Phyſicum* ſpectat inſtitutum,traditur hic *t.82. Etenim Materiam id dico, quod primum eſt vniuſcuiuſque Subiectum, è quo quidpiam eo fit pacto,vt non per accidens inſit. Si corrumpitur, ad hoc vltimum ſanè proficiſcetur*. & Senſus eſt,Materiam eſſe primũ Subiectum formarum Subſtantialium, quæ vnitæ cùm Materia prima faciunt vnum per ſe Subſtantiale,non accidentale; ideſt compoſitum Subſtantiale, quod quando corrumpitur in Materiã, tanquam in vltimũ, & cõmune Subiectum,reſoluitur,& corrumpitur.

Concluſio ſit:Optima eſt, & accurata vtraque Definitio Materiæ primæ allata ab Ariſt.locis citatis.

Concluſio probata, & ſimùl explicata manebit ex ſolutione Argumentorũ in oppoſitum.

Obijcies ergo primò: *ab Ariſtotele 6. Topicorum*, prohibentur Definitiones negatiuæ,ergo non benè definitur Materia prima per negationes.

Confirmatur quià: ſi Materia non eſt vnum ex decem *Prædicamentis*, ergo jam non datur in rerum Natura, quicquid enim in rerum Natura datur, includitur in numero decẽ *Prædicamentorum* vno excepto Deo.

Reſpondeo:Definitiones negatiuas in duobus generibus Entium eſſe neceſſarias, nimirum quando definiuntur res perfectiſſimæ, vt Deus, qui quo quo modo poteſt à nobis cognoſci per negationem, & remotionem omnium imperfectionum:& quando definiuntur res imperfectiſſimæ, vt eſt Materia prima,quæ quia difficilè cognoſcitur, traditur eius Definitio per negationem,& per remotionem omnium perfectionũ tanquam per quid notius, & manifeſtius

Ad Confirmationem dico:Materiam primam poni in linea tranſuerſali,& laterali *Prædicamenti* Subſtãtię,quia Ens eſt incompletum,& partiale.

Obijcies ſecundò:In prima definitione de Materia dicitur, quòd non ſit quid,ideſt,Subſtantia, ergo ex Materia, & forma non poteſt fieri vnum per ſe, ſeù Compoſitum Subſtantiale.

Reſpondeo: Materiam non eſſe Subſtantiam completam, atque perfectam, ſed Subſtantiam incompletam,ideòque aptè poſſe ex illa,& forma Subſtantiali, tanquã altera parte incõpleta fieri vnũ per ſe Subſtantiale; imò ſi eſſet Subſtãtia completa, non poſſet ex illa, & forma fieri vnum per ſe, quia ex duobus entibus completis non fit vnum per ſe, ſed vnum per accidens.

Obiicies tertiò: Materia eſt Subiectũ formarum etiam accidentalium, imò & modorum,tàm Subſtantialium,quàm accidentalium, ſed cùm illis non facit vnũ per ſe,ergo nõ benè in definitione Materiæ appoſita eſt illa particula, per ſe.

Reſpondeo: Materiam fuiſſe definitã in ordine ad formam Subſtantialem, quam principaliter, & per ſe reſpicit, nam formas accidentales,& modos ſiuè accidentales, ſiuè Subſtantiales non reſpicit per ſe,& primariò, ſed ſecundariò,& per accidens; ſicuti & ipſum compoſitum accidentale non per ſe intendit Natura, ſed per accidens, in ordine,ſcilicet,ad Compoſitũ Subſtãtiale,quod primò, & per ſe reſpicit, & intendit.

LECTIO IV.

An Potentia Paſſiua Materiæ ſit Eſſentialis.

DEfinita eſt Materia prima per eſſe Subiectum receptiuum formarũ, tàm Subſtantialium, quàm accidentalium; Porrò Materiam primam eſſe Subiectum receptiuum formarum,& eſſe Potentiã paſſiuã idem eſt,recipere enim eſt pati; Quare videtur eſſe extrà Controuerſiam, potentiam paſſiuam Materiæ eſſe illius eſſentiale prædicatum, ex definitione enim patet, eam eſſe Eſſentialiter Subiectum paſſiuum formarum; verum quia poſſet quis eam Definitionem non recipere tanquam rigoroſam Definitionem,ſed potiùs tanquã Deſcriptionem,aut etiam negare, quòd eſſe Subiectum receptiuum formarum, & eſſe potentiam paſſiuam, idem ſint, ideò habet locum præſens Controuerſia;ad quam ſoluendam.

Præmitto primò:In Materia aſſignari

ri cōmuniter ab Auctoribus duplicem potentiam paſſiuam; remotam, ſcilicet, & Vniuerſalem; proximam, & particularem. Potentia paſſiua remota, & Vniuerſalis eſt in Materia nudè conſiderata, & abſque vllis particularibus diſpoſitionibus ad particulares formas. Potentia paſſiua proxima, & particularis eſt in Materia, prout affecta, & veſtita particularibus, & peculiaribus diſpoſitionibus ad formas particulares recipiendas; & ſanè certum eſt, Potentiam paſſiuam particularem non eſſe Eſſentiale prædicatum Materiæ, quia talis Potentia includit diſpoſitiones, & accidētia, quæ realiter diſtinguuntur à Subſtantia, & & Eſſentia Materiæ. Quare difficultas, & Controuerſia eſt de Materia remota, & Vniuerſali.

Præmitto ſecundò: Potentiam paſſiuam Materiæ Vniuerſalem, & remotam poſſe conſiderari tùm in ordine ad formas Subſtātiales, tùm etiā in ordine ad formas accidentales, ſeù etiam in ordine ad modos rerum, ſiuè Subſtantiales, ſiuè accidentales, Materia enim eſt cōmune Subiectum, ſeù commune receptaculum omnium formarum, vel entitatum ſe habentium ad modum formarum; & ſanè nonnulli, quamuis admittant Potentiam paſſiuam Materiæ in ordine ad formas Subſtantiales eſſe illius prædicatum Eſſentiale, negant tamen eius potentiam paſſiuam in ordine ad formas Accidentales eſſe prædicatum eſſentiale Materiæ primæ.

Concluſio mea: Potentia paſſiua Materiæ ad recipiendas formas, ſiuè Subſtātiales, ſiuè Accidentales, eſt prædicatum Eſſentiale Materiæ.

Ità Auerr. lib. de Subſtant. Orbis cap. 1. Simplicius 1. Phyſic. t. 82. D. Thomas 1. Phyſic. circa t. 64. Capreolus in 1. d. 42. q. 1. Soncin. 8. Met. q. 6. Henricus in Summa ar. 35. q. 8. Conimb. cap. 9. q. 8. Ruuius tract. 1. q. 6 Maſius cap. 9. Lect. 2. qu. 7. Hurtadus diſp. 2. Phyſic ſect. 2. Fonſeca 1. Met. cap. 3. ſect. 3. Suarez diſp. 13. ſect. 8. Arriaga diſp. 2 Phyſic. ſubſect. 4 Ouiedo Contr. 1. pun. 3. Franciſcus le Reès, ſaltem de potentia paſſiua in ordine ad formas Subſtantiales, & alij plures, quos citat, & ſequitur Auerſa to. 1. Philoſ. q. 20. ſect. 6

Contrà *Themiſtium in Digreſſ. circà t. 61 Toletum q 14. Iandunum q. 25. & lib. de Subſtantia Orbis cap. 14. Zabarel. lib. 1. de Materia cap. 9. Perer. lib. 5. cap. 22. Contaren. in quæſt. de Potentia Materiæ, Raguſeium diſ. 4. Peripat.*

Probatur Cōcluſio primò quia: id eſt rei Eſſentiale, ſinè quo res, nec intelligi, nec explicari poteſt, ſed nec intelligi, nec explicari poteſt, quid ſit Materia, niſi eam intelligas eſſe Subiectum receptiuum formarum, ſeù potentiam paſſiuam, ergo.

Probatur Minor quia: ſi per Intellectum præſcindas rationem potentiæ à Materia, ſeù, ſi concipias Materiam, vt ſic, & indifferentem ad habendam, vel non habendam iſtam potentiam paſſiuam, nō formabis conceptum Materiæ primæ, ſicuti ſi præſcindas Rationalitatem ab Homine, & concipias Hominē, vt indifferentem ad habendam, vel non habendam Rationalitatem, non formabis conceptum Hominis

Reſpondebis, poſſe concipi Materiā, vt Eſſentialiter exigitiuam talis potentiæ paſſiuæ, & ità Eſſentialis iſta exigētia, vel radicale principium talis potentiæ paſſiuæ, erit prædicatum Eſſentiale Materiæ, ipſa verò potentia paſſiua erit Proprietas.

Sed contrà eſt quia: ſi ità intelligere, & loqui fas eſſet de Eſſentia Materiæ primæ, ſimiliter poſſet dici, non rationalitatem, ſed radicale principium, & exigentiam Hominis ad habendam Rationalitatem eſſe eius Eſſentiam, Rationalitatem verò eſſe eius proprietatem, quod nemo admittit, ergo nec talis exigentia, aut radicale principium potentiæ paſſiuæ, debet poni tanquam Eſſentiale prædicatum Materiæ primæ.

Probatur ſecundò Concluſio quia: Potentia informatiua formæ ſeù actualitas formæ, eſt Prædicatum Eſſentiale formæ, ergo potentia paſſiua, ſeù receptiua Materiæ, eſt eius Prædicatum Eſſentiale; Antecedens eſt certum, conſequentia tenet à paritate rationis, quia ſicuti forma habet ex ſui Eſſentia, & quidditate informare, & actuare Materiam, quia eſt eſſentialiter forma, ſeù actus; ità Materia habet recipere, & ſubiectare paſſiuè formam, quia eſt Eſſentialiter Subiectum, ſeù paſſiua potentia.

Probatur tertiò Concluſio quia: omninò ſuperfluè ponitur iſta potentia paſſiua, tanquam proprietas, & qualitas accidentalis contradiſtincta à Materia, ergo connaturalius eſt, ſeù conformius Naturæ, quæ ſuperfluitatem ſemper

exc

execratur, & odit, non ponere iſtam potentiam paſſiuam contradiſtinctam à Materia.

Antecedens probatur quia: iſta qualitas poneretur ad hoc, vt materia reciperet formas ſubſtantiales, illiſque vniretur, ſed iam tali qualitati Materia immediatè vniretur, immediatè illam reciperet, ergo etiam poteſt immediatè recipere Formam Subſtantialem, illique immediatè vniri.

Confirmatur quia: data iſta qualitate, iam Forma Subſtantialis non vniretur immediatè Materiæ primæ, neque illi immediatè communicaret ſuum effectum formalem, ſed potiùs immediatè vniretur huic qualitati, illi communicaret ſuum effectum formalem, & conſequenter ſimul cùm iſta qualitate faceret vnum per ſe Subſtantiale, quod eſſe abſurdum, de ſe patet; Compoſitum enim Subſtantiale non ex aliqua qualitate, & forma accidentali, ſed ex duplici Subſtantia coaleſcit.

Obijcies primò: inter Species qualitatis ſecundo loco ponitur Potentia, tàm Actiua, quàm Paſſiua, ergo Potentia eſt Accidens de Prædicamento qualitatis, ergo non eſt de Eſſentia Materiæ.

Cōfirmatur quia: in quolibet Ente contradiſtinguitur eſſe, & poſſe, ergo Potentia Materiç contradiſtinguitur ab Eſſentia Materiæ.

Reſpondeo: ibi nomine Potentiæ intelligi eam potentiam, quæ eſt accidens diſtinctum à Subſtantia, non verò potētiam Subſtantialem, qualis eſt potentia Actiua in Deo, & potentia Paſſiua Materiæ.

Ad Confirmationem reſpondeo: falſum eſſe vniuerſaliter Antecedens, nam in ipſa Potentia non diſtinguitur eſſe, & poſſe: vel ad ſummum verificari de eſſe, & potentia Actiua in Creatis; non verò de potentia Paſſiua: dixi in creatis, quia in Deo etiam potentia Actiua non diſtinguitur realiter à Diuina Eſſentia, vt enim eſt commune axioma apud Theologos, quicquid eſt in Deo, eſt realiter ipſemet Deus.

Obijcies ſecundò: ſi potentia ad recipiendas Formas non eſſet diſtincta à Materia, ſequeretur Materiam primam, etiam nunc habere potentiam ad Formas iā corruptas, & conſequenter earū reproductio non eſſet miraculoſa, quòd eſt contrà omnes, ergo illam potentiam Materia amiſit, & conſequenter illa potentia eſt diſtincta à Materia.

Reſpondeo: quòd licèt in Materia ſit potentia paſſiua ad formas corruptas; non proindè ſequitur, quòd earum reproductio non ſit miraculoſa, nam etiam in cauſa effectiua manet eadem vis, & efficacia ad producendum effectum corruptum, & tamē eius reproductio adhùc eſt miraculoſa; & ratio eſt, quia non ſufficit illa potentia paſſiua Materiæ ad reproductionē Formæ corruptæ, ſed aliud quid requiritur, quod à ſolo Agente ſupernaturali præſtari poteſt.

Obijcies tertiò: Eſſentia rei conſiſtit in priori, ſed in Materia prius eſt, eſſe Ens imperfectum, quàm eſſe potentiam, ergo Materiæ non eſt eſſentialis potentia.

Confirmatur quia: ſæpè Materia dicitur tranſire de potentia ad actum; Materia eſt vna, potentia eſt multiplex, & diuerſa iuxtà multiplicitatem, & diuerſitatem formarum, quas recipit, ego potentia Paſſiua eſt diſtincta à Materia.

Reſpondeo: Eſſentiam rei conſiſtere in priori, quandò valet ſubſiſtendi conſequentia, at quando non valet ſubſiſtēdi conſequentia, ratio prior ſe habet vt ratio eſsētialis incōpleta, & generica, nō vt ratio eſsētialis completa, & ſpecifica.

Ad Confirmationem dico: vel nomine Potentiæ venire Priuationem Formæ; vel nomine potentiæ venire Potentiam proximam, & particularem, non communem, & Vniuerſalem.

Obijcies quartò: Cauſa efficiens cauſat mediante accidente, ergo & materialis, ergo Materia cauſat, & recipit Formam mediante potentia Paſſiua à ſe diſtincta.

Reſpondeo: diſparitatem eſſe, quia Cauſa efficiens non vnitur cùm effectu ſuo, at Materia cauſat, & recipit formam, cui vnitur immediatè. Præterea difficiliùs eſt agere, quàm pati, ideò Cauſam efficientem indigere potentia Actiua à ſe diſtincta ad cauſandum, Cauſam verò Materialem ſeipſa cauſare, ſeipſa recipere Formas.

Digitized by Google

LECTIO V.

An Materia Prima habeat propriam Exiſtentiam.

TAm imperfecta, manca, & vilis viſa *M*ateria Thomiſtis, vt illi propriã negauerint exiſtentiam; & vix Eſſentiã conceſſerint. Thomiſtis contradicunt Schola Scoti, & Recentiores communiter; Eſt ergo famoſa, & nobilis Controuerſia, An *M*ateria Prima propriam habeat exiſtentiam, per quam in rerum natura conſtituatur, an verò exiſtat per exiſtentiam, quam accipiat, & mutuet à Forma. Pro huius Controuerſiæ intelligentia, & Deciſione.

Præmitto primò: In qualibet re, Metaphyſicè loquendo, eſſe diſtinguenda tria ſaltem per Intellectum, & ex noſtro modo concipiendi; ſunt autem Eſſentia, exiſtentia, & Subſiſtentia; Eſſentia eſt id, per quod formaliter res ponitur extrà nihil, & inter entia numeratur: Exiſtentia eſt id, per quod formaliter ponitur res extrà ſui cauſas, & per quod dicitur formaliter exiſtere: Subſiſtentia demum eſt quidam modus Subſtantialis, per quem Subſtantia fit independens à Subiecto, ad differentiam inhærentiæ, quæ eſt modus, per quem Accidens inhæret Subiecto, vndè patet Subſiſtentiam, & inhærentiam opponi, ſicuti opponuntur Subſtantia, & Accidens.

Præmitto ſecundò: Exiſtentiam ab Eſſentia diſtingui realiter, ſaltem tanquam modum à re in Sententia Thomiſtarum; è contrà in Sententia Scoti, & Recentiorum exiſtentiam ab eſſentia diſtingui ſola ratione, vt etiam nos probabimus in *M*etaphyſicis.

Cæterum exiſtentia ſolet dici actus entitatiuus, & *M*etaphyſicus, ad differentiam Formæ Subſtantialis, quæ dicitur actus *P*hyſicus, & formalis; & iuxtà hunc duplicem actum, duplex quoque aſſignatur Potentia, nimirùm potentia *M*etaphyſica, dicens negationem Exiſtentiæ, & actus *M*etaphyſici, ſeù entitatiui; & potentia Phyſica, dicens negationem actus formalis, & Phyſici.

Concluſio ſit: *M*ateria Prima propriã habet Exiſtentiam, & non exiſtit per Exiſtentiam Formæ.

Ità *Ex Antiquis Alex. 1. de Anima cap. 1. Themiſtius, & Simplicius 1. Phyſ. 61. Philop. 1. Phyſ. 66. Sotus in 2. diſt. 12. q. 1. & 2. quem ſequuntur non modo Scotiſtæ, ſed etiam Nominales, Greg. Gab. Ocham. Riccardus, Mayronius in 2. d. 12. Ex Recentioribus Toletus hic q. 13. Perer. lib. 5. cap. 13. Hurtadus diſp. 2. Phyſ. ſect. 6. Suarez diſp. 13. Met. ſect. 4. Ariaga diſp. 2. Phyſic. ſubſect. 1. Ouiedus Contr. 1. p. 3. Franciſcus Le Reès Com. in Phyſ. art. 3. §. vlt. & alij, quos citat, & ſequitur, Auerſa hic q. 20. ſect. 8.*

Contrà *Capreolum in 2. diſt. 13. q. vnica, Caiet. de Ente, & Eſſentia cap. 5. q. 8. & 1. p. q. 76. art. 2. Ferrarien. 2. contrà gentes cap. 68. & 1. Phyſic. q. 11. Bagnes lib. 1. de Generat. cap. 3. dub. vlt. Durand. in 2. d. 12. q. 2. Compluten. hic diſp. 3. q. 2. §. 2.*

Probatur Concluſio primò quia: Eſſentia non diſtinguitur ab Exiſtentia realiter, ſed vna, & eadem entitas eſt eſſentia, & Exiſtentia, ergo cùm *M*ateria prima habeat propriã eſſentiam, habet quoque propriam Exiſtentiam; *Maior* in *M*etaphyſicis probabitur.

Hoc argumento conuicti nonnulli Thomiſtæ, quos ſubtiliores (proprio eorum nomine ſuppreſſo) appellat *Franciſcus Le Reès Com. in Phyſ. art.* 3. negant *M*ateriæ primæ propriam eſſentiam, volunt enim, *M*ateriam eſſentiari per Formam.

Sed contrà eſt quia: hi Thomiſtæ ſubtiliores videtur peius peccare, quàm alij craſſiores; ſi n. *M*ateria prima caret propria eſſẽtia, & eſſẽtiatur per Formã, ergo illud Agens naturale, quod producit primam Formam ex *M*ateria, producit illã ex nihilo ſubiecti, quia verè *M*ateria ſinè eſſentia eſt nihil, & conſequenter iam crearet Formam: at creatio ſoli Deo cõceditur ex communi omnium Sententia, ergo peius errãt Subtiliores hi Thomiſtæ, quàm alij, quos Craſſiores ibi vocat *Franciſcus Le Reès*.

*P*robatur ſecundò Concluſio quia: *M*ateria eſt cauſa materialis, & ſubiectiua formæ, ergo cùm omnis cauſa debeat præexiſtere ad effectum ſuum, & nõ poſſit ab effectu accipere Exiſtentiam, aut eſſe, iam *M*ateria habet propriã ſui Exiſtentiam, & non poteſt illã accipere à Forma, quæ eſt eius effectus.

Reſpondent huic argumento Thomiſtæ: quòd ſola cauſa effectiua, quia eſt cauſa perfecta, debet præexiſtere ad effectum ſuum, non verò cauſa materialis, quia hæc eſt cauſa imperfecta.

Sed

Sed contrà eſt:quia eadem militat ratio de cauſa effectiua, & perfecta, ac de *Materiali*, ſeù imperfecta, vtraq;enim dat aliquod eſſe effectui. aliàs non eſſet cauſa, ergo vtraque debet exiſtere antè effectum; niſi velint negare, Cauſam *Materialem* eſſe Cauſam. Prætereà *Materia* eſt vera Cauſa effectiua, vel ſuarum proprietatum, vel ad minùs eorum accidentium, quæ tanquam diſpoſitiones prærequiruntur ad Formam, ergo iam debet præexiſtere *Materia* prima ad Formam.

Reſpondent alij: *Materiam* prius exiſtere in genere Cauſæ materialis, at Formam exiſtere prius *Materia* in genere cauſæ formalis, datur enim mutua cauſalitas inter *Materiam*, & Formam.

Sed contrà eſt:quia ſuo loco probabo non poſſe dari iſtam mutuā cauſalitatem inter *Materiam*, & Formā, ſed ea data, adhùc inſto, quia hoc eſt, quod argumentum probat : ſi Forma in exiſtendo eſt prior in genere Cauſæ formalis, ità vt ipſa det exiſtentiam *Materiæ*, ergo iam *Materia* per hanc ipſam exiſtentiam non poteſt priùs exiſtere tanquam ſubiectum in genere Cauſæ materialis; nam ſicuti eſt prorſus inintelligibile, nè dum impoſſibile, quòd paries, verbi gratia, debeat eſſe albus in aliquo priori, vt recipiat albedinem, & tamen ſit albus per albedinem, ità inintelligibile, nè dum impoſſibile eſt, quòd *Materia* debeat exiſtere in aliquo priori, antequam recipiat exiſtentiam à Forma, & tamen exiſtat per exiſtentiam Formæ.

Reſpondet *Ouied. hic Contr. 2. p. 5. num.* 10. vt oſtendat argumentum factum non eſſe efficax. *Materiam* primam ſecūdum ſui Eſſentiam præſupponi ad Formam, tanquam cauſam materialem illius, præſcindendo pro illo priori, in quo ſupponitur, ab exiſtentia; eo modo, quo ſupponeretur ad propriam exiſtēciam, ſi illam haberet diſtinctam à Forma, eademque ratione, qua ſupponitur *Materia* ad ſuā præſentiam, præſcindendo pro illo priori, in quo ſupponitur, à præſentia.

Sed contrà eſt quia: in primis, quantū ſpectat ad præſentiam, ideò pro aliquo priori *Materia* præſcindit à præſentia, quia non debet eſſe præſens, antequam recipiat præſentiam, at debet eſſe exiſtens, antequam recipiat Formam, quia eſt Cauſa Formæ; quantum ad exiſtentiam, ſi ponatur modus diſtinctus: in primis dico, ob id exiſtentiam non eſſe ponendam, vt diſtinctam; ſed facta hypotheſi; quod exiſtentia eſſet diſtincta ab eſſentia *Materiæ*, eadem difficultas fieret de exiſtentia Formæ, quomodo ſcilicet reciperetur in eſſentia Formæ, tanquam in Subiecto, quod in aliquo priori ad exiſtentiam, non poteſt ſupponi exiſtens.

Dico igitur: quòd exiſtentia reciperetur in eſſentia, non tanquam in vero, & proprio ſubiecto, quia talis eſſentia nō ſupponeretur in aliquo priori ad exiſtentiam, quod eſt de ratione veri ſubiecti, ſicuti & terminus, vtpotè quia producitur per actionem, atque adeò non ſupponitur ad actionem, deficit à ratione veri ſubiecti reſpectu actionis, ideòq; actio dicitur illi adhærere, non inhærere.

Probatur tertiò Concluſio quia : ſi *Materia* prima acciperet exiſtentiam à Forma, & non exiſteret per propriam exiſtentiam, ſequeretur, *Materiam* generari, & corrūpi ad generationem, & corruptionem formarum, à quibus accipit exiſtentiam, generari enim eſt accipere exiſtentiam, corrumpi verò eſt deperdere exiſtentiā, at hoc eſt falſum, & contrà communem ſenſum *Philoſophorum* aſſerentium *Materiam* eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, ergo.

Obijcies primò: communes loquutiones *Philoſophorum*, qui *Materiam* appellant non Ens, non eſſe aliquid, non eſſe Subſtantiam, eſſe potentiam, eſſe Ens in potentia, poni in actu per formam, & ſimilibus alijs modis de *Materia* diſcurrunt, ergo *Materia* debet carere propria exiſtentia.

Reſpondeo : *Materiam* non eſſe Ens completum, non eſſe aliquid, aut Subſtantiam *Phyſicè* completam, quia eſt pars compoſiti. Dici quoque eſſe in potentia, Ens in potentia *Phyſica*, quia caret Forma *Phyſica*, ſed non dici Ens in potentia *Metaphyſica*, quia careat Forma *Metaphyſica*, ſeù actu entitatiuo, qui eſt exiſtentia.

Obijcies ſecundò: ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum Ens per ſe, vt enim habet commune dictum, quicquid aduenit Enti in actu, accidentaliter aduenit, ſed ſi *Materia* haberet propriā exiſtentiam, iam eſſet Ens in actu, ergo ex ipſa, & Forma non poſſet fieri Compoſitum, quod eſt Ens per ſe.

Reſpondeo: *Maiorem* eſſe veram de Ente in actu completo, non de Ente in

per Vbi, & aliquo tempore per Durationem.

Hanc dependentiam à poſteriori priùs impugnat, deinde approbat, & ingenioſè probat *Ouied. hic Controu. 2. p. 7. §. 2* licèt enim id, quod eſt poſterius, nullum influxum ſiuè moralem, ſiuè Phyſicum habeat in id, quod reſpectu eius eſt prius, & quod iam ſupponitur completè, & perfectè exiſtere, attamen vt ſaluetur communis Sententia admittens hanc dependentiam rei à ſuo poſteriori, poteſt ſatis probabiliter dici, id, quod eſt prius, habere intrinſecam, & eſſentialem exigentiam ad habendum aliquod ſibi poſterius, & ità iam id, quòd eſt prius habebit intrinſecam, & naturalem connexionem cùm ſuo poſteriori.

Præmitto ſecundò: Thomiſtas cohærenter ad eorum Doctrinam de Cauſalitate Formæ reſpectu Materiæ, aſſerere, dependere Materiam à Forma à priori, & tanquam à Cauſa dante illi exiſtentiam, & conſequenter nec de abſoluta potentia poſſe Materiam exiſtere abſque Forma, quia implicat Materiam exiſtere ſinè exiſtentia, quam accipit à Forma. Scotiſtæ, & Recentiores talem dependentiam omninò negant, & conſequenter docent, poſſe de abſoluta potentia Materiam exiſtere ſinè forma, à qua ſupponunt Materiam dependere à poſteriori modo explicato; imò *Ouied. Contro. 2. p. 7. §. 3.* putat, etiam naturaliter poſſe conſeruari Materiam abſque Forma.

Quid ſentiam duabus Concluſionibus aperio.

Concluſio Prima: Materia prima de facto, & naturaliter non poteſt exiſtere abſque aliqua forma ſubſtantiali.

Ità communiter ſentiũt Auctores hic *Auerr. 1. Phyſic. com. 76. & lib. 2. com. 3. Auicen. 2. Met. cap. 2. & 3. Them. 1. Phyſic. digreſ. vlt. Alex. lib. 2. nat. Quæſt. cap. 11. Auerſa q. 20. ſect. 10. Dico ſecundò, Arriaga diſp. 2. ſect. 6. ſubſect. 3. Ruuius tract. 1. q. 5. à fortiori Thomiſtæ, qui nec de abſoluta potentia volunt Materiam poſſe exiſtere ſinè Forma, & alij communiter.*

Contrà *Marſilium in 3. q. 13. art. 1. Gabriel. in 3. d. 2. q. vnica, art. 3. Ouied. Contr. 2. p. 7. §. 3. & alios, quos citat Argentinas in 2. d. 12. q. vn. art. 2.*

Probatur Concluſio: Materia prima de ſua intrinſeca ratione, & natura exigit habere aliquam formam, ergo naturaliter, & conſiderata eius naturali exigẽtia non poteſt eſſe Materia prima abſque omni forma, aliàs eſſet in ſtatu violento, & ſibi naturaliter indebito. Conſequentia tenet. Antecedẽs difficilè probari, oſtendit *Arriaga loco cit.* vbi varias probationes adducit, & ſoluit, oſtendendo eſſe parum efficaces.

Probatur tamen: quia Materia de ſua natura eſt pars incompleta, & imperfecta, ergo exigit de ſua natura compleri, & perfici, at non completur, neque perficitur, niſi per formam, ergo iam exigit habere aliquam formam, à qua perficiatur, & compleatur.

Replicabis: Anima rationalis, & ipſa eſt pars incompleta, quæ exigit compleri, & perfici, & tamen naturaliter poteſt eſſe ſinè ſubiecto, & ſinè altera comparte.

Sed contrà eſt quia, Anima Rationalis, licèt ſit pars, tamen eſt ordinis, & Naturæ Spiritualis, atque adeò conditionis in ſuo genere perfectæ; hinc eſt, vt nobiliſſimas eliciat operationes, etiam quandò eſt extrà ſubiectum; non ſic Materia prima, quæ eſt ex Genere ſuo Ens imperfectum potentiale, & prorſus inhabile ad exercendum ſuum proprium, & naturale munus recipiendi, ſi careat omni forma Subſtantiali.

Dices: nulla cauſa habet intrinſecam exigentiam ad habendum effectum, ità vt ſinè illo non poſſit naturaliter exiſtere, & conſeruari, ergo nec Materia prima habet intrinſecam, & naturalem exigentiam ad habendam formam.

Reſpondeo: negando Antecedẽs, quia Anima Rationalis non poteſt eſſe naturaliter ſinè ſuis potentijs, quas intrinſecè, & eſſentialiter exigit, imò & quælibet eſſentia intrinſecè, & eſſentialiter exigit ſuas paſſiones, & proprietates; denique nulla eſt res creata, quæ eſſentialiter non exigat Vbicationem, & Durationem.

Replicabis: Potentias ab Anima Rationali; Paſſiones ab Eſſentia; Vbicationem, & Durationem emanare à re Vbicata, & Durante; at Formæ Subſtantiales non emanant à Materia, ideò eſto Anima rationalis exigat ſuas potentias, & quælibet eſſentia exigat naturaliter ſuas proprietates, ſicuti & quælibet res creata exigit Vbicationem, & Durationem, non tamen Materia habet talem intriſecam exigentiam ad Formas Subſtantiales.

Sed

Sed contrà eſt quia: formæ Subſtantiales, licèt à Materia non emanent, educuntur tamen ex illa, eductio autem æquiualet emanationi, perindè enim ſe habent, ac ſi emanarent; patet quia, quæ educuntur in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari dependent à Materia, non minùs, ac ea, quæ emanant, ergo ſi in Anima Rationali ponitur intrinſeca exigentia ad habendas ſui potentias, etiam in Materia prima aptè, & congruè poteſt, & debet poni intrinſeca exigentia ad habendas Formas Subſtantiales.

Concluſio ſecunda: De abſoluta Dei Potentia poteſt Materia ſeparari ab omni Forma Subſtantiali. *Ità Scotiſtæ, & Recentiores communiter* Contrà *Thomiſtas ſupracitatos*.

Probatur Concluſio: quia Diuinæ Omnipotētiæ id ſolùm eſt denegandum, quod aliquam inuoluit contradictionis implicantiã, quod enim tale eſt, eſt purũ nihil, & non Ens, atque adeò non poteſt eſſe terminus Diuinę Omnipotentię, cuius terminus eſt realis exiſtentia; ſed Materiam primam exiſtere ſinè forma Subſtantiali, non inuoluit contradictionis implicantiam, vt ex ſolutione argumentorum mox patebit, ergo.

Confirmatur quia: Materia minùs pēdet à Formis Subſtantialibus, quàm hæ pendeant ab ipſa, quia earum eſt cauſa, ſed Formæ Subſtantiales poſſunt eſſe extrà Materiam, & diuinitùs conſeruari, quia vel ipſæ formæ accidentales poſſunt eſſe ſinè Materia, vt patet in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, vbi peracta conſecratione remanet Quantitas ſinè Subſtantia panis, ergo à fortiori poterit Materia prima ſinè formis Subſtantialibus conſeruari.

Obijcies primò: ſi Materia eſſet ſinè Forma Subſtantiali, eſſet actu, & non eſſet actu, ſed hæc eſt manifeſta contradictionis implicantia, ergo. Minor probatur quia, Materia eſſet actu ex ſuppoſitione, non eſſet actu, quia non haberet exiſtentiam, quia careret forma, à qua habetur omnis exiſtentia, ergo.

Confirmatur quia: non poteſt dari eſſe accidentale ſinè forma accidentali, ergo non poteſt dari eſſe Subſtantiale ſinè Forma Subſtantiali, ergo Materia nõ poteſt eſſe aliquid Subſtantiale, ſi careat Forma Subſtantiali,

Reſpondeo: ex dictis iam, & probatis Materiam de ſe, & independenter à Forma Subſtantiali habere propriam exiſtentiam: eſto igitur careat omni Forma Subſtantiali, non tamen caret exiſtentia.

Ad Confirmationem dico, latam eſſe diſparitatem, quia eſſe accidentale habetur à ſola Forma accidentali, non ſic eſſe Subſtantiale, nam Deus, & Angeli habent eſſe Subſtantiale, & non per formas Subſtantiales ſibi ſuperadditas, ità & Materia prima habet ſuum eſſe Subſtantiale, & non per Formam Subſtantialem.

Obijcies ſecundò: Materia eſt eſſentialiter Ens incompletum, atque adeò dicit eſſentialem, & tranſcendentalem ordinem ad formam, tanquam ad terminum ſui completiuum, & perfectiuum, ergo non poteſt exiſtere ſinè omni forma, & ſi implicaret forma, etiam Materia prima implicaret, quia deeſſet illi ordo eſſentialis ad formam, nihil autem poteſt exiſtere ſinè ſuis eſſentialibus.

Reſpõdeo: aliud eſſe, Materiam implicare, ſi Forma implicaret; & aliud eſſe, Materiã implicare, aut nõ poſſe exiſtere, non exiſtente Forma. Primum vltrò admitto, & nego ſecundum, quia benè poteſt ſtare ordo eſſentialis ad terminum, non quidem actu exiſtentem, ſed poſſibilem; imò etiam ſi terminus eſſet impoſſibilis, poſſet ad illum eſſe ordo eſſentialis, & tranſcendentalis, nam de facto Scientia tranſcendentaliter, & eſſentialiter refertur ad Obiectum, quamuis Obiectum ſit nihil, & non Ens, aut Ens implicans, & impoſſibile.

Obijcies tertiò: omne Ens conſtituitur in determinata aliqua Specie per Formam, ergo ſi Materia careret omni Forma Subſtantiali non eſſet in aliqua determinata Specie, & conſequenter nõ poſſet eſſe in rerum natura, nihil enim exiſtit, quod non ſit determinatæ alicuius Speciei.

Reſpondeo: Per Formam omne Ens conſtitui in determinata ſpecie completa, non in determinata ſpecie incompleta, ideò Materia in caſu ſeparationis ab omni Forma Subſtantiali, eſſet in aliqua Specie incompleta, eſſet enim Subſtantia incompleta, & partialis.

Quæri ſolet hic: an facta ſemel ſeparatione Materiæ ab omni Forma Subſtantiali, opus eſſet nouo miraculo ad conſeruandam Materiam ſic ſeparatam, ità vt debeat Deus nouo, & maiori influxu

con-

Digitized by Google

concurrere ad conſeruandam Materiam ſeparatam ab omni Forma Subſtantiali, quàm anteà concurrebat ad conſeruandam eandem Materiam vnitam Formæ Subſtantiali.

Sentio: Deum non debere concurrere maiori influxu ad conſeruandam Materiam ſinè Forma; Ratio eſt, quia res ad ſui conſeruationem non exigit maiorem, & vberiorem influxum, quàm anteà, niſi quando ipſi ſubtrahitur aliqua cauſa, à qua in conſeruari depẽdebat, tunc enim talis influxus debet à Deo ſuppleri, ſed iam ex dictis, & probatis, Materia non dependet à Forma, tanquam à cauſa dante illi eſſe, aut exiſtere, ergo ad hoc, vt conſeruetur ſinè Forma, non indiget maiori, & vberiori influxu:

Dices: Materia eſſet in ſtatu ſibi violento, & præternaturali, ergo nouo modo, & nouo concurſu conſeruaretur à Deo, ac conſeruaretur anteà, ſed nouus iſte concurſus non eſſet minor, ergo maior priori concurſu, quo conſeruabat eandem Materiam vnitam Formæ, ergo.

Reſpondeo: non fore Materiam in ſtatu violento poſitiuè, quaſi aliquod poſitiuè contrarium ſtatui naturali Materiæ ſuperaddatur, ſed eſſe in ſtatu violento negatiuè, quia deeſſet illi aliquod ſibi connaturaliter debitum, non ergo requiritur nouus concurſus poſitiuus ad ſic conſeruandam Materiam, ſed ſufficit concurſus negatiuus conſiſtens in denegatione, ſeù ſeparatione Formæ, aliàs naturaliter debitæ; ſeù ſufficit, quòd deſit Materiæ ille concurſus, qui præerat, quò ad Formam, & quò ad eſſe informatum ipſius Materiæ, ità loquitur *Scotus in 2.d.12. quæſt.2.* Vel denique, vt explicat *Ioannes Cardinalis Lugo in Manuſcriptis*, miraculoſũ Dei concurſum ad conſeruandam Materiam ſinè Forma, fore miraculoſum in poſteriori, non in priori; ſeù miraculum conſiſtere, non in conſeruatione Materiæ, ſed in expoliatione Materiæ ab omni Forma, & impeditione Agentium naturalium à productione omnis Formæ Subſtantialis in Materia.

LECTIO VII.

Aliæ Quæſtiones de Materia Prima Reſoluuntur.

QVæſtio prima ſolet eſſe: An Materia prima habeat Appetitũ ad Formas, tàm Subſtantiales, quàm Accidentales. Verùm Appetitus nõ niſi Metaphoricè appropriatur materię, ſicuti & vnicuique Enti inanimato, & non viuenti; propriè enim Appetitus dicitur de Viuentibus, & Animatis, ſaltem Anima ſenſitiua, in his enim adeſt potentia appetitiua Obiecti ſibi boni, & conuenientis, vbi proprius actus tali potentiæ appetitiuæ, dicitur Appetitus; Hic diuiditur, ità vt alius ſit Appetitus deſiderii, & alius ſit Appetitus complacentiæ; Appetitus deſiderij fertur in bonum abſens, vt abſens; Appetitus complacentiæ fertur in bonum præſens, & iam poſſeſſum.

Ducta igitur Metaphora à Viuentibus ponitur in materia duplex iſte Appetitus, ideſt naturalis inclinatio, & propenſio ad Formas tùm Subſtãtiales, tùm Accidentales, ità tamen, vt primariò talis Appetitus feratur in Formas Subſtantiales, Secundariò in Accidentales.

Ratio autem ponendi talem Appetitum in materia eſt, quia vnumquodque Ens inclinat naturaliter ad id, quod eſt ſibi bonum, & conueniens, ſed formæ Subſtantiales ſunt quid maximè bonum & maxima perfectio materiæ primæ, ergo materia appetit formas; & quia formæ Subſtantiales ſunt maius bonum, quàm formæ accidentales, ideò materia primò appetit formas Subſtantiales, ſecundariò appetit formas accidentales.

Porrò quandò hic Appetitus fertur in formas actu exiſtentes in materia, dicitur complacentia, quando fertur in formas abſentes, dicitur appetitus deſiderij.

Quęſtio Secunda ſolet eſſe de Proprietatibus Materiæ Primæ.

Et quidem Materiæ prima proprietas eſt, quòd illa ſit ingenerabilis, & incorruptibilis. Ità *Ariſt. 1.Phyſic.t.82. & communiter omnes alij Philoſophi.* Ratio eſt, quia quicquid generatur, generatur ex ſubiecto, quicquid corrumpitur, corrumpitur,

Digitized by Google

pitur,& deſinit in Subiectum, ſed materia ipſa eſt primum,& vltimum Subiectum, ergo non habet aliud Subiectum, ex quo generatur, aut in quod corrumpatur, & reſoluatur Materia ergo immediatè creatur à Deo ex nihilo, & in nihilum à Deo ſolo poteſt reſolui,& anihilari, ſolius enim Dei eſt res naturales anihilare,ſicuti & creare.

Dices: ſi Materia eſſet ingenerabilis, & incorruptibilis,ergo poſſet dici compoſitum eſſe ingenerabile,& incorruptibile,quod eſt falſum,ergo.

Reſpondeo: prædicata negatiua vniuerſaliter diſtribuere,ideò non poſſe dici compoſitum ingenerabile, & incorruptibile, quamuis habeat Materiam ingenerabilem, & incorruptibilem; ſenſus enim eſſet, quòd ſecundum omnes ſui partes,eſſet ingenerabile, & incorruptibile,quod eſt falſum.

Eſt tamen Materia cauſa generationis,& corruptionis rerum, quia cùm omnes Formas appetat, & non poſſit omnes ſimùl habere, eſt in cauſa, vt aliæ generentur, & aliæ corrumpantur; ideòque etiam dicitur malefica, & nouerca Formarum.

Altera Proprietas Materiæ eſt: quòd habeat quantitatem interminatam;ideſt indeterminatè, & indefinitè ſumptam, Vbi nomine quantitatis indefinitè acceptæ venit extēſio localis,ſeù externa, abſtrahendo ab eo, quòd ſit maior aut minor,nam idem pugillus Materiæ nunc magis extenditur,dum rareſcit,nunc minùs extenditur, dum denſatur, & quia omnis proprietas,& eſt inſeparabilis ab eo,cuius eſt proprietas,& eſt illi coæua, ſeù ſimùl exiſtens,ideò Quantitas, & eſt inſeparabilis à Materia,& eſt illis coæua.

Quæſtio tertia ſolet eſſe;An Materia prima ſit vna Specie.

Et quidem communis Sententia vult Materiam primam omnium Corporum Sublunarium eſſe vnam Specie; quia Materia prima conſtituitur in ſuo eſſe ſpecifico per eſſe ſubiectum paſſiuum formarum,ſed omnes Materiæ omnium Corporum ſublunarium ſunt æquè capaces,ſunt æquè paſſiuum ſubiectum omnium formarum, ideò Materia prima eſt vna Specie in omni corpore Sublunari. An verò Materia Sublunaris,& Materia Cæleſtis ſit vna Specie,in Libris de Cælo examinabimus.

Dices: Formæ differunt Specie inter ſe,ergo & Materiæ.

Reſpondeo: negando conſequentiam, quia quælibet Materia eſt capax omniū formarum, ideò ex diuerſitate formæ nō licèt inferre diuerſitatem Materiæ;ſicuti neque ex diuerſitate actuum Intellectus, licèt inferre diuerſitatem ſpecificam ipſius Intellectus.

Dices ſecundò: Planta, & Homo differunt Specie inter ſe, ergo & eorum Materiæ.

Reſpondeo: nego conſequentiam, quia compoſitorum diuerſitas ſpecifica habetur à Forma, quæ eſt præcipua eorum pars,non à materia.

Quæſtio Quarta ſolet eſſe: An materia prima reſpiciat, & dicat ordinem eſſentialem ad formas in communi,an ad formas in particulari?

Sententia mea eſt:Materiam primam nō reſpicere formas in communi,ſed in particulari;ratio eſt,quia reuera cū non detur Forma in communi, vt probatum ſuppono in Logicis, ideo non poteſt ab illa actuari, & perfici materia, quæ propterea reſpicit formas in particulari, non quidem indeterminatè ſiuè hanc,ſiuè illam,quo modo etiam ſi eſſet impoſſibilis forma Canis, verbi gratia, adhùc materia eſſet eadem, quæ prius, & nullū amitteret prædicatum eſſentiale, atque intrinſecum; ſed eas reſpicit determinatè, per ſingulos enim reſpectus reſpicit ſingulas formas, quarum ſi vna ſit impoſſibilis, materia non remanet eadem eſſentialiter, ſed intrinſecè mutaretur, amittendo illum reſpectum.

Probatur quia:ſi data impoſſibili Forma Canis,verbi gratia, adhùc eſt materia, ergo etiam data impoſſibili forma Leonis eſſet eadem materia, & ſic data impoſſibili omni Forma,adhùc eſſet eadem materia,quod eſt falſum;ſicuti Omnipotentia Diuina,quæ reſpicit Creaturas indeterminatè,ità ſe habet,vt ſi eſſet impoſſibiles omnes Creaturæ,adhùc tamen eſſet idem Deus; hoc autem dici non poteſt de materia, quæ de ſua natura eſt complebilis, & pars eſſentialis de ſe ordinata ad Compoſitum.

Dices: data hac Doctrina, ſequeretur Materiam primam reſpicere infinitas formas poſſibiles;vndè Angelus perfectè cognoſcens entitatem Materiæ,cognoſceret formas actu infinitas.

Reſpondeo:negando ſequelam,quia Materia prima reſpicit Formas poſſibiles

Digitized by Google

les duntaxat in hoc ordine,& diſpoſitione rerum : hæ autem non ſunt infinitę, & determinatę. Prætereà Intellectus Angelicus poteſt cognoſcere infinita obiecta non ſolum in hoc ordine, & diſpoſitione rerum, ſed etiam in alio ordine,& diſpoſitione rerũ,& tamen de facto licèt perfectè cognoſcat Intellectũ ſuum,non tamẽ cognoſcit omnia obiecta in omni ordine rerum poſſibilia.

LECTIO VIII.

De Priuatione, & quomodo ſit Principium.

PRiuatio ab *Ariſt.6.Met.t.27.* definitur,quòd ſit carentia Formæ in ſubiecto apto ad habendam illã Formã;in qua Definitione,*τὸ carentia Formæ*, ponitur loco generis, quia etiam negatio eſt carentia Formæ. *τὸ in ſubiecto apto*,ponitur loco Differentiæ, quia per hoc differt Priuatio à negatione, quæ eſt carentia formæ in ſubiecto non apto; hinc Cæcitas in oculo Hominis eſt Priuatio; Cæcitas in lapide eſt negatio, quia oculus Hominis eſt aptus natus ad habendum viſum,non ſic lapis; & licèt ſæpè negatio,& carentia formæ explicentur termino poſitiuo,vt Cæcitas, & tenebræ, reuerà tamen ipſa carentia Formæ eſt non Ens.

Quia ergo Priuatio reuerà eſt non Ens.& eſt omninò oppoſita Formæ oppoſitione priuatiua, non ità facilè explicatur, quomodo ſit Principium Generationis,ſeù mutationis naturalis,non enim poteſt principiare in inſtanti generationis,quia tunc eſt Forma;Priuatio autem, & forma non poſſunt eſſe in eodem inſtanti,non poteſt principiare antè inſtans generationis, quia antè inſtãs generationis Priuatio non eſt, & quod non eſt, principiare non poteſt. Dixi mutationis naturalis,quia certum eſt,nõ eſſe principium Compoſiti Subſtantialis,cùm non ſit eius pars eſſentialis, & intrinſeca; vt iam etiam ſuprà explicauimus.

Primò ergo, nonnulli volunt Priuationem principiare in ipſomet inſtanti Generationis ſimùl cùm Forma, non enim reputant abſurdum, ſimùl eſſe Priuationem,& Formã Ità *Bacconus in 3.d.3.quæſt.2.art.3.Vertorius Pariſienſis in Summulas Petri Hyſpani tract.1.tit. de lege cõtradictoriarum ad 4.& plures alij,quos ſuppreſſo nomine refert Dur. in 3.d.3. quæſt.2. num.5.*

Sed alij multò probabiliùs defendunt Priuationem eſſe Principium mutationis,& Generationis non quidem in eodem illo inſtanti,in quo eſt forma,ſed in inſtanti immediatè antecedenti; Mutatio enim, & ipſa Generatio, vt mutatio eſt,eſt Ens ſucceſſiuum,atque adeò plura inſtantia includit, quibus perficitur, & completur; includit ergo primò inſtans illud,in quo eſt Priuatio, & non eſt Forma;includit deindè inſtans illud, in quo eſt forma, & non eſt Priuatio ; ſicuti enim Dies,verbi gratia, includit Aurorã,& Veſperas,ità tamen vt Aurora præcedat Veſperas, quæ deindè ſubſequuntur; ità Priuatio principiat mutationem in aliquo inſtanti priori ad Formam, quæ deindè ſubſequitur in alio inſtanti poſteriori,mutatio tamen vtrumque includit, ex vtroque componitur, quia Ens ſucceſſiuum eſt, atque adeò conſtat ex partibus, quarum aliquę ſunt priores, aliæ poſteriores, ad differentiam Entis permanentis, cuius partes omnes ſimùl exiſtunt *Ità Mayronius in 1.d.43.quæſt.3. Greg.diſt.38.quæſt.10.art.3. Suarez diſpu. 19.Met.ſect.9.num.8. Auerſa qu.10.ſect.6. Dico ſecundò.* licèt hi Auctores non ità clarè rem iſtam explicent.

Concluſio mea eſt: Priuatio principiat in inſtanti antecedenti ad Formam.

Probatur Cõcluſio quia:ſic benè explicatur, Priuationẽ principiare, & ex alia parte ſaluatur, Priuationẽ non eſſe ſimùl cũ forma ſubſtãtiali, cuius eſt Priuatio, ergo. Antecedens quò ad primã partem probatur quia, ſicuti Aurora principiat Diem in inſtanti, in quo non ſunt Veſperæ, & benè intelligitur Dies, vtpotè res ſucceſſiua, componi ex Aurora, & Veſperis ſibi inuicem ſuccedẽtibus, ità benè poteſt intelligi, & explicari, mutationem fieri,& principiari per Priuationem,& Formam ſibi inuicem ſuccedentes, ità vt Priuatio antecedat, & ſit veluti primum initium,& deindè ſuccedat Forma;ergo.

Obijcies primò : mutatio, antequam ſit forma,non eſt,ergo tunc non eſt principiata à Priuatione.

Reſpondeo:mutationem tunc non eſſe ſecundum omnes ſui partes, & completè,ſed eſſe incompletè,ſed initiatiuè,

Digitized by Google

& ſecundum aliquã ſui partem, eſt enim ſecundum terminũ à quo, mutatio n.e ſt trãſitus à termino à quo ad terminũ ad quem, atque adeò includit terminum, à quo, & terminum, ad quem, tanquam duas ſui partes, vnam priorem, alteram poſteriorem.

Obijcies ſecundò: Principium dicit realem relationem ad principiatum, ſed Priuatio, cum ſit non Ens, & nihil, non poteſt dicere relationem realem, ergo.

Reſpondeo: maiorem eſſe veram de Principio realiter influente, talis non eſt Priuatio, hæc enim principiat, non realiter influendo, ſed potiùs recedendo, principiat enim per modum termini à quo, ſcilicet, à quo recedit mutatio, dum tranſit ad terminum, ad quem.

Obijcies tertiò: expellens, & expulſum debent eſſe ſimul, ſed forma expellit Priuationem, ergo debet eſſe ſimul, & in eodem inſtanti cum Priuatione.

Reſpondeo; Maiorem eſſe veram, quando expellens poſitiuè, & per realem poſitiuam actionem dextruit, & expellit, tunc enim, quia expellens debet agere in expulſum, debent exiſtere expellens, & expulſum, illud vt agat, iſtud, vt recipiat actionem ſui expulſiuam; at quando aliquid expellitur ratione incompatibilitatis, & incompoſſibilitatis ſimultaneæ cùm alio ſui expellente, non ſolum non debent eſſe ſimùl expellens, & expulſum, ſed neceſſariò vnum præcedit, aliud ſubſequitur, hoc enim eſt, duo eſſe incompatibilia, & incompoſſibilia, ſimùl non poſſe eſſe in eodem ſubiecto.

LECTIO IX.

Definitur Forma Subſtantialis.

PRæmittitur primò: Formam Subſtantialem varijs appellari nominibus; quorum aliqua eius perfectionem explicant, & declarant, alia eius munus, officium, & effectum, quem cauſat, & exercet circà Materiam, & circà Compoſitum aſſignant. Primi generis nomina ſunt, *Mens, & Diuina proles* à Platone appellatur in Timæo, quia eſt adumbrata quædam ſimilitudo Diuinæ mentis; vndè etiam ab *Ariſto. hic cap. 9.* dicitur, *quidpiam Diuinum, & optimum*, & *cap. 8. t. 81.* dicitur pulchrum, *Forma appetitur à Materia, ſicut pulchrum à turpi*: Communi, & vulgari appellatione, dicitur Forma, eo quòd formet, & poliat ruditatem Materiæ. Secundi generis nomina ſunt, Character, quia contradiſtinguit vnum Compoſitum ab alio, imprimendo quodammodo vni Compoſito notã, qua ab alijs dignoſcitur, & diſcernitur, ab *Ariſt. 2. Phyſ.* appellatur ratio, & hic dicitur, quod quid erat, eſſe, ideſt, ratio formalis, & quidditas, ſeù eſſentia Compoſiti; appellatur actus, quia actuat Materiam.

Præmitto ſecundò: Formam Subſtantialem dari, certũ eſſe in Scholis, & omiſſis pluribus argumentis, quibus Formæ exiſtentia probatur ab Auctoribus, præſertim ab *Arriaga hic Diſpu. 3. ſect. 1.*

Probatur primò ratione petita ex ipſis rerum naturis quia: Aqua quantumuis calefiat, relicta tamen ſuæ naturæ, priſtinam recuperat frigiditatem, ergo manet in ipſa aliquod principium illius frigiditatis, ſed hoc non eſt Materia, quia hæc non exigit potiùs frigus, quàm calorem, ergo eſt Forma Subſtantialis Aquæ. Nec enim poteſt dici, quòd principium talis frigiditatis ſit forma accidentalis, quia vel talis forma ſupponere aliud principium prius ſe, & tale erit Forma Subſtantialis, quia hæc eſſet primum principium, & radix operationum naturalium, vel non ſupponit aliud principium, & tunc ipſa erit Forma Subſtãtialis, quia iam eſſet de primo conceptu aquæ, & prima radix operationum eius.

Probatur ſecundò quia: de Fide eſt, definitum in *Concilio Lateranenſi Tertio, ſub Leone X. ſeſſ. 8. & in Clementina vnica de Summa Trinit.* Dari in Homine, præter Corpus, ſeù Materiam, Animam Rationalem, quæ eſt vera forma Corporis, ſed eadem militat ratio de Compoſito humano, ſeù de Homine, ac de reliquis Cõpoſitis naturalibus, ergo in ijs, præter Materiam, dari debet forma, ta quam ratio formalis determinatiua, & completiua Materiæ primæ, de ſe cæteròqui indeterminatæ, & omninò incompletæ.

Definitur ergo, Forma Subſtantialis ab *Ariſto. 5. Met. t. 2.* Forma eſt Ratio ipſius, quod quid erat, eſſe; quæ definitio ſic clariùs redditur ab Auct.. ibus: Forma eſt actus Subſtantialis Materiæ primę, cùm ea conſtituens Compoſitum naturale. In qua Definitione, *τὸ actus*, ſtat

Digitized by Google

ſtat loco Generis,quia in hoc conuenit cùm forma accidentali; τὸ *Subſtantialis*, ſtat loco differentiæ: cætera de ſe ſatis clara ſunt.

Verùm quia forma eſt actus Materiæ, quatenùs illam actuat, & perficit, ideò dicit ad Materiam ordinem eſſentialem, & tranſcendentalem, ſicuti & Materia, vt iam diximus,dicit ordinem tranſcendentalem, & eſſentialem ad Formam; quia ab ipſa actuatur,& perficitur.

Obijcies primò contrà Definitionem Formæ hic aſſignatam: Forma Subſtantialis dicit tranſcendentalem ordinem ad Materiam,tanquam ad ſui ſubiectum quòd actuat,& in quo recipitur, ergo iam dependet à ſubiecto, ergo non eſt Subſtantia, hæc enim eſt independens à ſubiecto.

Reſpôdeo:iã nos in Logicis aſſignaſſe, differentiam inter formam Subſtantialẽ, & accidentalẽ petẽdam eſſe ex eo, quòd licèt vtraque dependeat à ſubiecto, tamen Forma Subſtantialis de ſe eſt apta nata à ſubiecto non dependere, non ſic autem forma accidentalis.

Obijcies ſecundò:Materia prima in ſuperiori Lect. III. explicata eſt, & definita per ordinem ad Formam, ergo nõ benè modo Forma explicatur, & definitur per ordinem ad Materiam,ſic enim committitur vitioſus circulus.

Reſpondeo: Relatiua non poſſe aliter explicari,& definiri,niſi adinuicem,vnũ per aliud,& è contrà:& ſane in Relatiuis circulus non eſt vitioſus.

Obijcies tertiò:*ex Ariſt.8.Met.t.15.& 2.de Anima t.7.*ità ex Materia, & Forma fit vnum,ſicuti ex ære,& figura vna ſtatua,ſed ſtatua eſt vnum per accidens,ergo ex Materia, & Forma non fit Compoſitum naturale,quod eſt vnum per ſe, & Subſtantiale.

Reſpondeo: eam ſimilitudinem ab Ariſtotele adductam tenere ſolum quò ad hoc,quòd ſicuti ex Materia ſecunda, & forma accidentali, ex ære, & figura fit vnum, ità ex Materia prima, & forma Subſtantiali fit vnum;non tamen tenere quò ad alia; ſimilitudines enim, & exempla claudicant, non tenent quò ad omnia,ſed quòad aliqua,aliàs non eſſent exempla, & ſimilitudines, ſed potiùs identitates.

LECTIO X.

An Forma ſit tota Eſſentia Compoſiti.

HAc in re tres ſunt Philoſophorum Sententiæ omninò diuerſæ inter ſe,& oppoſitæ.

Primò ergo nonnulli defendunt, ſolam Formam eſſe ſolam, & totam quidditatem Compoſiti, ſeù Corporis naturalis,ac proindè Materiam non ſpectare ad Eſſentiam, & quidditatem naturalis Compoſiti. Ità *Auerr.7.Com.21.Iandunus 7.Met.quæſt.14. Alex. Aphrod.2. Met. t.12.Themiſtius 3.de Anima t.9.& 38.*

Secundò alij ex oppoſito contendunt Materiam eſſe ſolam,& totam quidditatem Compoſiti, Formam verò eſſe terminum quendam intrinſecum Materiæ, & non ſpectare ad Eſſentiam, & quidditatem Compoſiti. Ità *Riccard. quodlib.2. quæſt.1.& quodlib.4 quæſt.5.art.1. Aureol. in 2.diſt.12.quæſt.2.art.1. Auicebron,in lib. Fontis Vitæ,citantur Philoponus,& Galenus pro hac Sententia à Franciſco Le Reès Com. in Phyſ.art.1* nam in Sententia Philoponi,& Galeni,non datur Forma Subſtantialis, ſed loco eius ſubſtituitur Craſis quædam,& temperies qualitatum, vndè remanet, quòd Materia ſit ſola, & tota Eſſentia Compoſiti.

Tertiò communiter reliquì omnes Philoſophi,tàm Antiqui, quàm Recentiores omnium Scholarum, & Claſſium vnanimi conſenſu defendunt, tàm Materiam primam,quàm Formam eſſe partes Subſtantiales Compoſiti naturalis.

Concluſio mea eſt:non ſola Forma, ſicuti nec ſola Materia, ſed vtraque eſt tota eſſentia Compoſiti, ſeù Corporis naturalis.

Probatur Concluſio primò quia: Cõpoſitum naturale,q; eſt Homo,reſultat ex Materia prima,& Forma, ex Corpore,& Anima Rationali tanquam ex partibus Eſſentialibus,& Subſtantialibus, ſed eadem eſt ratio de hoc Compoſito naturali,quod eſt Homo,& de reliquis naturalibus Compoſitis,ergo. Maior probatur quia:habemus in Symbolo Athanaſij,ſicut Anima Rationalis,& Caro vnus eſt Homo, ità Deus, & Homo vnus eſt Chriſtus,ergo iã Homo coaleſcit ex carne, ſeù Corpore, ſeù Materia prima,&

Digitized by Google

Anima Rationali, tanquam forma, eodem modo, quo Chriſtus coaleſcit ex Deo,& Homine, ſed neque ſolus Deus conſtituit Chriſtum, nec ſolus Homo, ergo nec ſola Anima conſtituit Hominem, nec ſolum corpus; Hinc benè habet *D. Auguſtinus* 19. *de Ciuit. Dei cap.*3. *H*omo neque eſt Anima ſolùm, neque ſolùm Corpus, ſed ex vtroque Compoſitum.

Confirmatur quia: in triduo mortis Chriſti Domini diſſolutum fuit hoc cõpoſitum, quod in Chriſto erat *H*omo, ſed Anima remanſit vnita Verbo Diuino,hoc enim,quod ſemel aſſumpſit, nũquam dimiſit, (Theologicum axioma) ergo ſi hoc compoſitũ, quod eſt *H*omo, conſiſteret in ſola Anima,hoc compoſitum, quod eſt *H*omo, non fuiſſet mortuũ, quod eſt apertè falſum, imò & contrà Fidem,ergo.

Verum quia: tota difficultas defendendi hanc Doctrinam oritur ex efficacia argumentorum, quæ in contrarium obijciuntur, ideò ad eorum diſſolutionẽ nunc accedamus.

Obijciunt ergo primò;*H*omo continuò augetur,& diminuitur,augetur quidem, quia nouas,& nouas Materiæ partes acquirit; diminuitur, quia alias & alias veteris Materiæ partes deperdit vi caloris naturalis humidum radicale cõtinuò depaſcentis,vndè fit, vt in *H*omine ſene nulla iã ſit pars Materiæ, quã habebat infans, vel puer, ſed omnia omninò diuerſa Materia ſucceſſerit, & tamen eſt idem numero *H*omo, qui erat puer,& qui modo eſt ſenex,ergo Materia non ſpectat ad intrinſecam, et Eſſentialem *H*ominis Compoſitionem.

Reſpondeo, rigoroſè, & Phyſicè loquendo, non remanere eundem *H*ominem,ſed remanere duntaxat *H*ominem moraliter eundem,partes enim Materiæ, quæ adgenerãtur, reponuntur in eodem loco,eodem modo,ſeruata eadem diſpoſitione, & figura; Prætereà iſtæ partes non omnes ſimul,ſed ſucceſſiuè, & paulatim reponuntur, ideò inſenſibilis cum ſit mutatio, moraliter, & communi, ac prudenti *H*ominum exiſtimatione,idem omninò *H*omo reputatur ſenex, & puer,ſicuti idem eſt fluuius, quamuis in eo nouæ, & nouæ ſemper aquæ ſuperueniant,& fluant.

Reſpondent alij: ſemper remanere quaſdam partes primigenias; & eandem Vnionem eſſe reproducendam in generali reſurrectione, docet *Scotus in* 4. *diſt.* 43. *quæſt.*1. & ideò remanere eundem *H*ominem ratione illarum partium, & ratione vnionis eiuſdem.

Obijcies ſecundò; Argumentum,quo (vt refert Iuſtinus Martyr in quæſtionibus Græcorum) vtebantur Gentiles cõtrà Chriſtianos, vt Articulum Reſurrectionis mortuorum impugnarent.

In Reſurrectione mortuorum idem *H*omo numero,qui perierat,debet reſurgere,ſed non remanet in eodem *H*omine eadem portio Materiæ, ergo vel Materia non ſpectat ad eſſentialem conſtitutionem huius Compoſiti, quod eſt *H*omo, vel non reſurgit idem numero *H*omo,qui erat mortuus.Minor probatur quia: Materia vnius *H*ominis per varias tranſmutationes fit,ſæpè Materia alterius *H*ominis,vt patet in ijs,qui humanas carnes comedunt, at impoſſibile eſt,quòd Materia eadem numero ſpectet ad duplex numero Compoſitum, ergo.

Reſpondeo:ad Diuinam Prouidentiã ſpectare res ità ordinare,ac diſponere,vt non tota Materia vnius *H*ominis euadat Materia alterius, atque adeò in *H*omine,qui reſurgit, licèt non ſit tota eius Materia,eſt tamen aliqua eius pars;quòd ſufficit, vt dicatur idem *H*omo moraliter: vt enim benè habet *D. Auguſtinus* 22.*de Ciuit.Dei cap.*2. quem Deus mirabiliter creauit, poteſt modo mirabiliori recreare.

Obijcies tertiò:idem eſt principium cõſtitutiuum,& diſtinctiuum ex *Ariſt.*7. *Met.t.*41.ſed *H*omo,verbi gratia,ab omni alio Compoſito naturali per ſolam formam diſtinguitur, ergo. Minor. Probatur quia: per Materiam primam, quæ eſt eadem, & communis omni indiuiduo, non diſtinguitur *H*omo ab alijs compoſitis.

Reſpondeo: quòd etiam per Materiã diſtinguitur *H*omo ab alijs Compoſitis, nam Materia *H*ominis per proprium, & peculiarem reſpectum eſſentialem reſpicit Animam Rationalem, vt ſupra explicaui Lect. VII Prętereà,Metaphyſicè loquendo,Genus eſt eſſentiale conſtitutiuum entis Metaphyſici, & tamen eſt commune pluribus ſpeciebus, atq; adeò non eſt principium diſtinctiuum,quare illud axioma ſolùm habet locum in forma Subſtantiali,prout illa diſtinguitur à forma Accidentali, vel habet locum in

in definitione, de qua ibi loquitur Ariſt. Definitio enim eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum, quia duas habet partes, Genus, & Differentiam; & ſic ratione Generis, eſt Principium conſtitutiuum, ratione differentiæ eſt Principiũ diſtinctiuum.

Obijcies quartò: Pro Galeno, poſito, vel ſublato conuenienti temperamento, & Craſi, ponitur, & tollitur id, quod dicitur Forma Subſtantialis, ergo verè hæc forma non datur, neque eſt pars Subſtãtialis Compoſiti.

Reſpondeo: in primis falſum eſſe Antecedens, nam ſæpè notabiliter mutatur, imò & deletur temperies, vt patet in aqua calidiſſima, & tamen res non perimitur. Præterea neganda eſt conſequentia, dato enim Antecedente ſolùm ſequitur, vel ipſam formam in ſuo conſeruari dependere à certa qualitatum temperie, & Craſi.

LECTIO XI.

Formarum Productio, & Origo.

NOta cùm ſit Origo Materiæ primæ, quam cùm alijs Philoſophis probauimus immediatè creari à Deo, vlteriùs progredimur ad inueſtigandam originem Formæ Subſtantialis; & ſanè Origo Subſtantialis Formæ fuit adeò ſemper occulta, & inuoluta, vt Antiquos Philoſophos in plures, & planè abſurdas coegerit abire Sententias.

Nonnulli opinati ſunt: Formam Subſtantialem immediatè creari à Deo, vt eſt communis Sententia de Materia prima. Hanc opinionem tribuit *Albertus in 2.d.18.art.12. Platoni in Phædone, & Auicen. 1. Sufficientiæ cap. 10. & 9. Met. cap.4.*

Alij è contrà opinati ſunt: Formam Subſtantialem latitare, & abſconditam eſſe in ſinu, & gremio Materiæ, è quo deindè virtute Agentis naturalis educerentur, & foras quodammodo extraherentur. Hanc opinionem tribuit *Franciſcus Le Reès in Phyſic. Com. ſect. 3. art. 3. Anaxagoræ, & Democrito.*

Recentiores aliqui putarunt in Materia Formam prę exiſtere, vel ſecundum quaſdam inchoationes, vt voluerunt *Alb. 1. Phyſic. tract. 3. cap. 3. Sotus ibidem Sontinas 7. Met. quæſt. 28.* vel ſecundum quaſdam poſſibilitates, vt voluit *Duran. in 2. diſt. 18. quæſt. 2.*

Sed iam contrà has omnes Sentētias tanquam omninò abſurdas, & antiquatas conclamatum eſt in Scholis, ideò.

Concluſio mea ſit: Forma Subſtantialis corruptibilis, & materialis vi agentis naturalis educitur de potentia paſſiua Materiæ.

Dixi forma corruptibilis, & materialis, quia de Anima Rationali, vtpotè Forma incorruptibili, & Spirituali ſuo loco dicemus, ſicuti etiam de Forma incorruptibili Cælorum, & de Formis Elementorum.

Probatur Concluſio quia: Forma Subſtantialis in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari dependet à Materia, ergo ex eius potētia paſſiua educitur, conſequētia tenet, quia in omnium conceptu, & ſenſu educi Materiã, eſt formaliter in ſuo eſſe, fieri, et conſeruari ab illa dependere, licèt enim, vt ſic, et vniuerſaliter loquendo, in ſuo eſſe, fieri, et conſeruari dependere ab alio, non ſit ex illo educi, quia poteſt vnum ab alio dependere in eſſe, fieri, et conſeruari tanquam à Cauſa efficiente, aut etiam tanquam à conditione: attamen iuxtà ſubiectam materiam, cùm aliundè conſtet Materiam primam, neque eſſe Cauſam efficientem, neque conditionem, ſi ab illa dependeat forma in eſſe, fieri, et conſeruari, dependet tanquam à Cauſa Materiali, et non aliter.

Antecedens probatur à priori quia: Forma Subſtantialis cùm ſit ordinis naturalis petit de ſua natura produci ab agēte naturali per naturalem actionem, ſed actio naturalis eſt omninò dependēs à Materia, tanquam à ſubiecto recipiēte, et ſuſtentante, nullum enim agens naturale poteſt operari ex non præiacente ſubiecto, ſeù ex nihilo, ergo Forma Subſtantialis dependet à Materia, tanquam à ſubiecto eam recipiente, et ſuſtentante, effectus enim eſt eiuſdem conditionis cùm actione, per quam producitur.

Probatur ſecundò idem Antecedens à poſteriori quia: Forma Subſtantialis in ſuo operari omninò dependet à Materia, forma enim ſi à Materia, ſeù corpore ſeparetur, nullã eliciet operationem, ergo et in eſſe, fieri, et conſeruari à Materia, et corpore dependet, modus enim operandi ſequitur modum eſſendi.

Obij-

Digitized by Google

Obijcies primò: Anima Rationalis in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari dependet à Materia, vt patet, tùm quia non creatur, niſi in Materia, tùm quia non exercet ſuas operationes, niſi in corpore, & dependenter à Corpore, & tamen non educitur, ſed immediatè creatur à Deo, ergo quamuis forma Subſtantialis corruptibilis in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari dependeat à Materia, non proindè ex illa educitur.

Reſpondeo: In primis Animam Rationalem non dependere à Materia, tanquam à ſubiecto recipiente, & ſuſtentãte, poteſt enim Anima Rationalis naturaliter exiſtere ſeparata à Corpore, vt patet in Morte *H*ominis naturali, quæ nihil eſt aliud, quàm naturalis ſeparatio Animæ Rationalis à Corpore. Prætereà Anima Rationalis exercet ſuas nobiliſſimas operationes, Intellectionem, & Volitionem, etiam quando eſt ſeparata à Corpore, non ſic Forma Subſtantialis corruptibilis.

Obijcies ſecundò: ex nihilo nihil fit, ergo Formæ Subſtantiales fiunt ex aliquo ſui, & non ex nudo ſubiecto, ergo ſunt in ſubiecto aliquæ inchoationes formarum.

Reſpondeo: ſenſum illius axiomatis ex nihilo nihil fit, eſſe huiuſmodi, ex nullo præiacente ſubiecto, nihil fit; non verò eſſe ſenſum, quaſi omne quod fit, fiat ex aliquo ſui eſſe antecedente ſiuè perfecto, ſiuè imperfecto, & inchoatiuè ſe habente.

Obijcies tertiò: quod ex alio educitur anteà in illo latebat, & abſcondebatur, ergo ſi forma educitur de potentia paſſiua Materiæ, iam in illa latitabat.

Reſpondeo: diſtinguendo Antecedẽs, ſi educatur ex alio tanquam ex loco, ſeù per ſolam loci mutationem, concedo, ſi educatur ex alio per actionem productiuam, tanquam ex cauſa Materiali, nego Antecedens, hoc ſecundo modo educitur Forma Subſtantialis, quæ in ea iam virtualiter cõtinebatur, ſicuti & effectus virtualiter continetur in ſua Cauſa effectiua, ex qua etiam dicitur educi.

LECTIO XII.

An præter Partes ponenda ſit Vnio.

EX Materia prima, & Forma Subſtantiali hucuſque aſſignatis, & explicatis conſlari, & tanquam ex duabus partibus coaleſcere Compoſitum, certum eſt apud omnes. Sed an præter aſſignatas Partes, ſuperaddendus ſit modus Vnionis, quo ipſæ Partes vniantur, variæ ſunt, & diuerſæ Philoſophorum Sententiæ.

Primò ergo Nominales, vti ſunt Modorum omnium hoſtes iurati, hunc modum Vnionis, tanquam omninò ſuperfluum ad faciendum Compoſitum naturale, ſeù Totum, omninò negant, & tollunt, Ità *Gregor. de Arimino in 2.d.28.q.2. Maior ibidem diſt.1. qu.2. art.2. Bacconus in 3.diſt.1. quæſt.1. art.1. & quæſt.2.art.2. Ocham in 1.diſt.32.quæſt.1. ad 2.* Ex Thomiſtis hanc Sententiam ſequuntur *Caie. 1.part.quæſt.2. Medina ibidem. Aureol.in 4. d.44.ar.6. Aluarez 3.p diſp.13.*

Altera Sententia omninò contraria defendit præter Materiam, & Formam dandum eſſe modum Vnionis Subſtantialis in ordine ad faciendum Compoſitum naturale, ſeù Totum. Ità ferè *omnes Thomiſtæ, paucis illis exceptis, quos mox citauimus; horum longam ſeriem referunt, & ſequuntur Complutenſes hic diſp.6 quæſt.2. §.2.* ferè omnes Recentiores, quos cit. & ſequitur *Ouied. hic Controu. 6. part. 1. §.1. Franciſcus Le Rees in Phyſ Com. art.5. §.1. Auerſa quæſt.19. ſect.5.* & quamuis hi Recentiores modum ſuperadditum Relationis negauerint, apertè tamen pugnãt pro modo Vnionis: an conſequenter philoſophentur, ipſi ſint Iudices.

Concluſio mea eſt: Præter partes, Materiam, & Formam, admitti debet Vnionis modus Subſtantialis ad faciendum Compoſitum naturale, ſeù Totum.

Probatur Concluſio primò: Auctoritate *Ariſtot. 8. Met. cap.6. t.15.* vbi ex profeſſo videtur hanc difficultatem tractare, & poſitæ Concluſioni omninò fauere; *Circà Definitiones, & circà numeros, quæ cauſa eſt, vt vnum ſint? omnium namque, quæcunque plures partes habent, & non eſt totum, quaſi coaceruatio, ſed ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes, eſt aliqua cauſa, nam in corporibus quibuſdam tactus eſt cauſa, vt vnum ſint; quibuſdam verò viſcoſitas, aut aliqua alia talis paſſio. Definitio vero vna eſt, non coniunctione, vt Ilias, ſed eo quod vnius eſt.* Et verſus finem, *æs eſſe triangulum, eſt compoſitio æris, & trianguli; & albũ eſſe, eſt compoſitio ſuperficiei, et albedinis.* Et ſanè per totum hoc caput, aſſignat plura genera Compoſitorum, ſemper inculcans

Digitized by Google

cans, Compoſitum, quod eſt vnum per ſe, includere aliquid aliud præter partes, ità vt nihil clariùs poſſit in Ariſtot. deſiderari.

Probatur ſecundò Concluſio quia: Vnus *H*omo verè, & propriè generat, & producit alium, ergo debet aſſignari pro prius, & formalis terminus talis actionis productiuæ, ſed formalis terminus talis actionis non eſt Materia, quæ immediatè creatur à Deo, non forma, nempè Anima Rationalis, quæ & ipſa immediatè à Deo creatur, ergo erit ipſa Vnio Subſtãtialis.

Neq, enim poteſt dici, quòd terminus talis actionis ſint diſpoſitiones, aut præſentia localis harum partium; quia tàm diſpoſitiones, quàm iſta præſentia localis eſt accidens, ſed accidens non poteſt eſſe formalis terminus actionis, & productionis Subſtantialis, cuiuſmodi eſt generatio, & productio *H*ominis, ergo terminus talis actionis erit modus Subſtantialis Vnionis.

Cõfirmatur quia: vt habetur in Symbolo Athanaſij, ſicut corpus, & Anima vnus eſt homo, ità Deus, & *H*omo vnus eſt Chriſtus, ſed Deus, & *H*omo vnus eſt Chriſtus medio modo Subſtãtiali Vnionis, quæ propterea dicitur *H*ypoſtatica, quia terminata fuit ad Diuinam *H*ypoſtaſim, & naturam, & recepta ſubiectiuè in *H*umanitate, vt communis eſt ferè omnium Theologorum Sententia, paucis exceptis, qui etiam obſcuri ſunt nominis, ergo etiam ad hoc, vt ſit *H*omo præter Corpus, & Animam, admittendus eſt modus Subſtantialis Vnionis.

Probatur tertiò quia: poteſt dari Materia prima cùm omnibus diſpoſitionibus requiſitis ad faciendum vnum quid cùm forma, imò & cùm locali pręſentia, ſeù debita approximatione, abſque eo, quòd Materia dicatur, & ſit vnita, ergo Vnio eſt aliud quid præter diſpoſitiones & localem præſentiam. Antecedens patet, quia ſi Petrus penetretur cùm Paulo, forma Pauli erit præſens corpori Petri, & tamen illi non eſt vnita, ſicuti non fuit vnita Anima Chriſti cùm Corpore B. Virginis, cui erat intimè præſens, quãdo erat in Vtero.

Reſpondebis negando Antecedens, quia Materiam eſſe vnitam formæ, nihil aliud eſt, quàm Materiam eſſe localiter præſentem, & habere vltimas diſpoſitiones ad hanc formam, ità tamen, vt inter has diſpoſitiones numeretur negatio omnis formæ, quæ nõ ſit hæc, cui ſupponitur eſſe localiter præſens; ideò enim in penetratione aſſignata, Anima Pauli non eſt vnita corpori Petri, quia corpus Petri carebat iſta diſpoſitione negatiua, qua etiã carebat Corpus Beatę Virginis, ideò illi non potuit vniri Anima Chriſti Domini, quamuis localiter, & intimè præſens.

Sed contrà hanc reſponſionem eſt quia: hi Auctores contrà quos agimus in præſenti, nobiſcum ſentiunt cõtrà Thomiſtas, poſſe ſupernaturaliter Materiam ſeparari ab omni Forma Subſtantiali, quo dato caſu ſeparationis, poteſt intelligi Materia cùm præſentia locali ad aliquam formam, cùm vltimis diſpoſitionibus requiſitis ad illam, & conſequenter cùm negatione omnis formæ, quia iam ab omnibus formis ſupponitur eſſe ſeparata, & tamen non intelligeretur vnita illi formæ, cui dicitur localiter præſens, & ad quam habet requiſitas diſpoſitiones vltimas; ergo eſſe vnitum formæ, eſt quid ſuperadditum materiæ primæ, & formæ omninò diuerſum à locali præſentia, præuijs diſpoſitionibus, & à negatione omnis formæ.

Obijcies primò: Auctoritatem Philoſophi 8.*Met.cap.6.* vbi Ariſtoteles reprehendit Lycophronem quendam quærentem aliam rationem, cur materia, & forma faciant vnum præter hanc, quia Materia eſt potentia, & forma eſt actus, ergo ex mente Ariſto. non eſt neceſſaria Vnio ad hoc, vt ex Materia, & Forma fiat vnum.

Reſpondeo: ſi Aduerſarij attentè totũ illud *Caput* 8.*Met.* legiſſent in ipſo fonte & textu, & non tranſcripſiſſent ex alijs Auctoribus, non illud nobis obijcerent; Certè ibi Ariſt. Lycophronem non reprehendit, ſed potiùs refert eius Sententiam, & approbat; dicebat Lycophron. Scire eſſe Copulam Scientiæ, et Animæ. Dicebant quidam alij ex Antiquis Philoſophis, viuere, eſſe coniũctionem Corporis, et Animæ; vtrumque dictum confirmat, & approbat Ariſt. ſubdens, *etiam ſanum, eſſe copulam, & coniunctionem ſanitatis, & Animæ; æs eſſe triangulum, eſſe coniunctionem æris, & trianguli: album eſſe cõiunctionem albedinis, & ſuperficiei.* Non ergo ille textus eſt contrarius, ſed fauet potiùs Concluſioni poſitæ.

Obijcies ſecundò: ſi Materia, & Forma

ma vnirentur media vnione, deberet dari alia Vnio,qua vniretur ipſamet Vnio partibus,& extremis,hoc videtur abſurdum,ergo·

Reſpondeo:Vnionem vniri partibus, & extremis ſeipſa,& non per aliam vnionem ſuperadditam,quia ipſa eſt ratio formalis vniendi, & ſicuti actio non fit per aliam actionem , & relatio non refertur per aliam Relationem,ità Vnio nõ vnitur per aliam Vnionem.

Obijcies tertiò : Materia, & Forma ſunt partes immediatæ totius , ergo immediatè componunt totum , ergo non componunt totum mediante vnione, & conſequenter non datur iſta vnio inter Materiam,& Formam.

Reſpondeo : Materiam,& Formam vniri immediatè , ideſt, non mediante alia parte,non tamen vniri immediatè ideſt,non mediante vnione, licèt enim vnio mediet inter partes,non tamen tollit,quin immediatè vniantur, non enim ſe habet Vnio ad modum bituminis, ſed admodum vnci ſuprà duos lapides immediatè ſe tangentes,infixi.

LECTIO XIII.

Aliæ Quæſtiones de Vnione reſoluũtur

PRima Quæſtio ſolet eſſe. An Vnica ſufficiat Vnio ad connectendas ambas partes.

Opinio fuit,*Hur.diſp.5.Phyſ.ſect.7. & Areſii 1.de Gen.diſp.2.q.16.& aliorum Recentiorum,quos ſuppreſſo nomine cit.Auerſa hic q.18.ſect.6.*

Hi aſſerunt , non ſufficere vnicam Vnionem ad connectendas, & vniendas ambas partes ; ſed duas eſſe ponendas Vniones iuxtà partium dualitatem .

Opinio communis eſt in Contrarium, & vnicam ſufficere Vnionem, defendit. Ità *Suarez diſput.14.Met.ſect.9. num.13. Vaſq.t.1. in 3.p.diſp.9. num.23. Quicd. hic Contr.4.p.2.§.1.Ariaga Diſp.4 ſect.2.ſubſect.1.Franciſcus Le Reès Com.in Phyſ.art.5.§.5.Auerſa q.19.ſect.6.Dico primò.*

Concluſio : Vnica ſufficit Vnio ad vniendas partes.

Probatur Concluſio quia:ſufficit vnica Vnio ad connectenda duo , ergo ſuperfluè ponatur alius modus Vnionis. Antecedens probatur quia; implicat intelligere Vnionem , & non intelligere, quòd connectat duo,Vnio enim quid eſt aliud, quàm duorum nexus , & vinculum ?

Confirmatur quia : in Chriſto Domino fuit vnita Humanitas Verbo , & Verbum Humanitati per vnicam Vnionem,in Compoſito accidentali per vnicum modum inhærentiæ accidens vnitur cùm ſubiecto , & facit vnum Compoſitum cùm illo , ergo etiam in Compoſito naturali , & ſubſtantiali ſufficit vnica Vnio ad connectendam Formam cùm Materia,& Materiam cùm Forma.

Dices: Vna ſimilitudo non ſufficit ad denominandos , & conſtituendos duos Parietes albos , verbi gratia, in eſſe ſimilis,ſed requiruntur duæ ſimilitudines, ergo etiam requiruntur duæ Vniones ad vniendas duas partes Compoſiti .

Reſpondeo : Diſparitatem eſſe primò quia : ſæpè ſimilitudo eſt inter duos parietes albos maximè inter ſe diſtantes, in quo caſu ſimilitudo exiſtens hic Neapoli,verbi gratia,non poteſt denominare Parietem ſimilem,qui exiſtat Romæ. Altera diſparitas eſt, quia ad hoc, vt paries dicatur ſimilis,debet recipere in ſe ſimilitudinem,quia ad hoc,vt paries dicatur relatus debet eſſe ſubiectum Relationis ; hinc terminus Relationis non denominatur relatus : ad hoc autem, vt extremum dicatur vnitum , non debet recipere Vnionem , aut eſſe ſubiectum Vnionis,æquè enim vnitur Materia,quæ recipit Vnionem,ac vniatur forma,quæ Vnionem non recipit , ſi enim ponamus à Deo creari Vnionem, (vt poſſe creari plures doctiſſimi Philoſophi defendunt) in tali caſu , Vnio à nullo extremorum dependeret tanquam à ſubiecto in quo recipiatur , & tamen æquè vniret vtrumque extremum.

Replicabis : Forma debet eſſe intrinſecè vnita,ſed non eſt intrinſecè vnita, niſi recipiat Vnionem diuerſam ab ea, quæ recipitur in Materia, quia illa recipitur in Materia, tanquam in adæquato ſui ſubiecto, ergo.

Sed cõtrà eſt,quia Forma eſt intrinſecè vnia,nõ quia recipit Vnionẽ,ſed quia eſt intrinſecus terminus Vnionis, eſt autem intrinſecus terminus,quia ſimul cũ Vnione cõcurrit ad faciẽdũ vnũ per ſe Subſtãtiale;vel vt alijs placet, quia intrinſecè exigit Vnionẽ,& intrinſecè exigitur ab illa.

Dices ſecundò : ſi ponatur duplex Vnio, magis perfectè dicuntur eſſe partes

tes vnitæ,quàm ſi eſſet vnica Vnio,ſicuti magis perfectè dicitur ligatus ille, qui pluribus catenis conſtringitur, & tenetur.

Reſpondeo:adhùc eas partes eſſe magis vnitas,ſi mille haberent Vniones, ſicuti magis ligatus dicitur ille, qui mille catenis conſtringitur, & tenetur. Ad faciendum Totum, ſeù Compoſitum, ſufficit,quòd partes ſint ſufficienter,& perfectè vnitæ,& non requiritur, quòd ſint vnitæ omni perfectione maiori, quà poſſint Vniri; aliàs argumentum probaret etiam, eas partes fore vniendas vnione aliqua ſupernaturali, & Diuina, quæ eſt multò perfectior.

Dices tertiò: nō eſt maior ratio,quòd iſta Vnio potiùs recipiatur in vna,quam in altera parte,ergo vel debet recipi in vtraque parte, vel danda duplex Vnio, quarum vna recipiatur in vna parte, & altera in altera.

Reſpondeo negando Antecedēs quia Materia cùm ſit commune ſubiectum, imò & ab ipſa Natura inſtituta ſit ad recipiendum,talis Vnio magis debet recipi in Materia,quàm in forma.

Replicabis:ſi iſta vnio reciperetur in Materia iam eſſet materialis, ergo non poſſet perficere Animam Rationalem, quæ eſt Spiritualis,& altioris ordinis.

Confirmatur quia: Vnio intrinſecè perficit formā, ergo debet in illa intrinſecè recipi.

Sed contrà eſt, quia talis vnio intrinſecè perficeret Animam Rationalē, non abſolutè,& ſimpliciter,ſed relatiuè; in ordine,ſcilicet,ad Compoſitum;ideò, quāuis vnio ſit inferioris ordinis adhùc modo explicato perficeret Animā Rationalē; nam etiā ſpecies intentionalis, quamuis accidentalis, poteſt dici perficere Animam Rationalem relatiuè ad intelligendum

Ad Confirmationem Reſpondeo, negando Antecedens: quia de facto Verbum Diuinum intrinſecè perficit Humanitatem,& tamen in Humanitate nō recipitur;& ſi forma materialis crearetur à Deo, intrinſecè perficeret Materiā primà, & tamen in illa non reciperetur.

Quæſtio ſecunda ſolet eſſe. An Vnio ſit diſtincta ab Vnitione, ideſt productione Formæ Subſtantialis.

Concluſio mea eſt: Vnio eſt diſtincta ab actione,qua producitur Forma. Probatur manifeſtè Concluſio in *Homine*, in quo Anima Rationalis creatur, vt eſt de Fide,at productio vnionis,eſt eductio, ſeù generatio,ergo.

Quòd autem idem ſit dicendum de Vnione aliorum Compoſitorum,patet; quia alioquin variato Agente, & producente,variaretur etiam Vnio, variato enim Agente,variaretur etiam Actio, & conſequenter; variaretur Vnio, quæ ab Actione non ſupponitur diſtingui;vndè ſequeretur variata Vnione variari etiā eſſentialiter equum, verbi gratia, quia variatur vnio illi intrinſeca; & conſequenter effectus hic numero productus à Cauſa ſecunda, non poſſet à ſolo Deo conſeruari,quia iam non eſſet idem numero, quinimò nec idem ſpecie, & in eſſentia, variaretur enim actio, conſequenter Vnio, & conſequenter tota eſſentia ſpecifica; & ſic non eſſet idem Equus, qui à ſolo Deo conſeruatur, & qui à Deo ſimùl, & Cauſa ſecunda fuit productus.

LECTIO XIV.

An Totum diſtinguatur à Partibus Vnitis, & ſimùl ſumptis.

HVcuſque probaui ad conſtituendum Totum, ſeù Compoſitum naturale præter Partes, Materiam, ſcilicet,& Formam,requiri modum Subſtātialem Vnionis; progredior vlterius, & inquiro;an Totum præter has partes, & Vnionem,etiam ſimùl ſumpta,& accepta, includat aliquam totalitatem, ſeù tertiam quādam entitatem omninò diuerſam à partibus,& Vnione.

Præmitto autem: in Sententia Scoti, (quam ego ſequor,& amplector) Gradus Metaphyſicos, ideſt gradus eſſentiales, ſeù prædicata eſſentialia,quæ in vna aliqua re *Phyſica* reperiuntur,diſtingui inter ſe quidditatiuè, ſeù formaliter ex natura rei,quatenus vnum prædicatum eſſentiale non eſt de quidditatiuo, & formali conceptu alterius; ſic diſtinguuntur Animal, & Rationale in *Homine*; quia Animal non eſt de formali,& quidditatiuo conceptu Rationalis, Animal enim definitur eſſe principium ſentiendi,at Rationale non eſt principium ſentiendi formaliter; & è contrà Rationale non eſt de formali, & quidditatiuo conceptu Rationalis, quia Rationale eſt

Digitized by Google

principium diſcurrendi, ſed Animal formaliter non eſt principium diſcurrendi.

Duæ ſunt in propoſita Difficultate Opiniones omninò inter ſe diuerſæ, & contradictoriæ.

Prima Opinio docet. Totum non eſſe tertiam entitatem realiter diſtinctam à partibus vnitis ſimul, & collectiuè acceptis, quamuis non neget, Totum eſſe entitatem diſtinctam à partibus vnitis diſtributiuè ſumptis; quare Totum in hac Opinione nihil aliud eſt, quàm Materia Forma, & Vnio ſimul, & collectiuè ſumptæ, & in recto omnes ſimul poſitæ. Ità omnes Græci, & Latini Expoſitores *Ariſtot. ex Thomiſtis quamplurimi ſequentes D. Thomam 1. part. quæſt. 75. art. 4. & alijs locis; vt videre eſt apud Complutenſes hic Diſput. 6. quæſt. 4. & Auerſam quæſt. 19. ſect. 8.* Ex Recentioribus. *Suarez diſp. 36. ſect. 3. Areſius lib. 1. de Gen. diſput. 2. quæſt. 13. Contar. in quæſt. de Diſtinct. partium à ſuo toto. Ariaga hic diſput. 5. ſect. 1. Ouiedo Contr. 5. pun. 1. Complutenſes, et Auerſa locis cit. Franciſcus Le Reès Com. in Phyſic. art 5.*

Contraria Opinio docet: Totum dicere præter partes vnitas ſimùl, & collectiuè ſumptas, tertiam entitatem, ſeù formalitatem, & quidditatem diſtinctam. Ità *Scotus in 3. diſt. 2. quæſt. 5. quem ſequuntur Mayronius, Lych. Ant. And. ibidem. Citatur etiam ab Auerſa, vbi ſuprà, pro hac Sententia, D. Thomas in 3. d. 2. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. ad 3. & in 3. d. 16. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 3. ad 2. & 3. part. quæſt. 6 art. 5. ſequuntur Heru. quodlib. 2. quæſt. 15. Capreolus in 3. d. 2. quæſt. 1. Caietanus 3. p. quæſt. 6. art. 5. Ferrarienſis 4. contrà gentes cap. 81. Iauellus 7. Met. qu. 20. et alij plures.* Ex Recentioribus *citari poſſunt Conimb. 1. Phyſic cap. 2. quæſt. 1. & Pererius lib. 7. cap. 18.* qui problematicè vtramque opinionem defendunt, quibus adde *Soncin. 7. Met. quæſt. 42.*

Concluſio mea eſt: Totum dicit formalitatem, ſeù quidditatem diſtinctam à partibus vnitis ſimul acceptis.

Probatur Concluſio primò: quia Materia, ſeù Forma vnitæ ſimul cauſãt realiter totum, ſed idem non poteſt cauſare realiter ſeipſum, ergo totum eſt realiter, ſeù formaliter, & quidditatiuè quid diuerſum, & diſtinctum à partibus vnitis ſimùl. Minor eſt adeo certa, & de ſe adeò clara, vt nec explicatione, nec probatione indigeat. Maior ſic euincitur, quia non poteſt aſſignari aliud, quod cauſet realiter totum, niſi aſſignentur Materia, & Forma ſimul vnitæ.

Reſpondebis: Materiam, & Formam ſimul vnitas cauſare realiter totum diſtributiuè acceptas non collectiuè ſumptas; ideſt, Materia vnita formæ, & forma vnita Materiæ, cauſant realiter totum, ſed Materia, forma, & Vnio non cauſant realiter totum, ſed ſunt ipſum totum formaliter

Sed contrà eſt quia: realiter idem ſunt hæc; Materia vnita formæ, & forma vnita Materiæ, ac Materia, forma, & Vnio, ergo ſi Materia vnita formæ, & forma vnita Materiæ cauſat totum, iam Materia, forma, & vnio cauſant totum: ſeù ſi partes vnitę diſtributiuè cauſant totum, etiam partes vnitæ collectiuè acceptæ cauſant totum. Antecedens probatur quia: Materia vnita formæ, & forma vnita Materiæ, dicit Materiam, formam, vnionem, & nihil aliud, realiter loquendo. dico, realiter loquendo, vt omne præcludatur effugium aduerſarijs, reſpondendi; quòd Materia vnita formæ, & forma vnita Materiæ, dicit Materiam, & formam in obliquo, Materia verò forma, & Vnio dicunt partes in recto. Quia partes eſſe in recto, vel in obliquo poſitas ſpectat ad modum intelligendi, & explicandi, non ad realitatem ipſam, ergo iam realiter à parte rei, idem eſt dicere, Materia vnita formæ, & forma vnita Materiæ, ac dicere, Materia, forma, & vnio.

Probatur Concluſio ſecundò quia: ex noſtro modo concipiendi, & explicandi, aliud eſt totum, aliud ſunt Materia, forma, & vnio; quia Materia, forma, & vnio concipiuntur ad modum plurium, totum verò concipitur ad modum vnius, vt patet, & ipſi Aduerſarij vltrò admittunt, concedunt enim totum à partibus, & vnione diſtingui ratione, & ſecundum noſtrum modum concipiendi, vt videre eſt apud *Complutenſ. loc. cit.* quo dato, vlterius progredior talis modus concipiendi diuerſus, nempe totum ad modum vnius, partes verò, & vnionem ad modum plurium, habet fundamentū in ipſo obiecto, in ipſiſmet rebus, ergo iam à parte rei aliquid diuerſum eſt totum à partibus, & vnione etiam collectiuè acceptis.

Probo Antecedens quia: ego cognitione experimẽtali, & ſenſata cognoſco

totam

totam manum, verbi gratia, eſſe calidã, ſed tali cognitione non attingitur Materia, nec forma, nec vnio, quia hæc omnia ſunt ſubſtantialia, quæ innoteſcere non poſſunt, nec immediatè attingi cognitione ſenſata, & experimẽtali, ergo id, quod cognoſco cognitione experimentali, & immediata, quando cognoſco totam manum eſſe calidam, eſt tertia entitas, ſeù quidditas, formalitas, ſeù denique ipſa totalitas.

Probatur tertiò: quia contrà negantes modum Relationis in Logicis, ità ſunt argumentati plures ex Auctoribus contrariæ Sententiæ. Datur denominatio ſimilis intrinſeca, ergo debet eſſe ab aliqua forma relatiua, ſeù modo intrinſeco Relationis, ergo à ſimili, valeat ità argumentari, datur denominatio totius, ergo debet eſſe ab aliqua forma intrinſeca, quæ ſit totalitas, ſeù quidditas, & formalitas ipſius totius; ſicuti enim album eſt ab albedine, ità & totum eſt ab ipſa totalitate, ſeù formalitate, & quidditate totius, ità loquitur *Scotus loco ſupracit.* §. *Reſpondeo*.

Obijcies primò *ex Ariaga*: iſta totalitas diſtincta à partibus, vel eſt aliquid ipſius compoſiti, vel non eſt aliquid ipſius Compoſiti; ſi eſt aliquid ipſius cõpoſiti, ergo eſt pars eius, & conſequenter non eſt aliquid ſuperadditum partibus, ſi non eſt aliquid ipſius Compoſiti, ergo non ſpectat ad Compoſitum.

Reſpondeo: totalitatem eſſe ipſam formalitatem, & quidditatem Compoſiti, ſeù totius, ſicuti Humanitas eſt ipſa quidditas, & formalitas Hominis, non ergo illa totalitas eſt pars compoſiti, ſed eſt ipſimet tota eſſentia, & formalitas compoſiti.

Obijcies ſecundò: *ex Ouiedo*, vel totum à partibus vnitis diſtinguitur adæquatè, vel inadæquatè, neutrum dici poteſt, ergo. Minor probatur, quia non poteſt dici, quòd diſtinguatur inadæquatè, quia diſtinctio inadæquata eſt inter duo, quorum vnum includit aliud, & aliquid amplius, ſed totum nihil aliud includit præter partes, & vnionem, ipſa enim totalitas hæc tria tantum dicit: non poteſt dici, quòd diſtinguatur adæquatè, quia diſtinctio adæquata eſt inter duo, quorum vnum non includit aliud, at totum verè includit partes, & vnionem, ergo.

Reſpondeo: totum diſtingui à partibus, & vnione adæquatè, tanquam effectum à ſuis Cauſis; ad probationem in contrarium reſpõdeo, diſtinguendo Maiorem; tunc duo diſtinguuntur adæquatè, quando vnum non includit aliud, tanquam ſui partiale conſtitutiuum, concedo maiorem, quando vnum non includit aliud, non vt partiale, ſed vt totale conſtitutiuum, nego Maiorem; Porrò totum includit Materiam, formam, & vnionem, tanquam totale ſui conſtitutiuum, ideò adæquatè ab illis diſtinguitur, tanquam effectus à cauſa.

Obijcies tertiò: vel iſta tertia entitas ponitur, tanquam tertia pars totius, vel tanquam tota eſſentia, & quidditas totius; primum eſt apertè falſum, neque eſt ad mentem Scoti; ſecundum etiam dici non poteſt, quia aliàs Materia, & forma non eſſent partes totius, hoc enim conſiſteret in illa tertia entitate, quæ cùm ſit diſtincta à partibus, partes illas non includit.

Reſpondeo: illam tertiam entitatem eſſe totam quidditatem, & formalitatem Compoſiti, ità tamen vt partes includat, diſtinguitur enim à partibus non realiter, aut modaliter, ſed formaliter ex natura rei, quo modo diſtinguitur Animal à Rationali, cum quo ſtat, quòd Animal includat rationale, ità etiam iſta totalitas includit partes, quamuis ab illis diſtinguatur; & hæc etiam eſt ratio, cur non poſſit iſta totalitas à partibus ſeparari, ſicuti nec poteſt animal in Homine ſeparari à Rationali.

Obijcies quartò: In vniuerſum omne totum, ſiue Metaphyſicum ex genere, & differentia, ſiue integrale, & quantitatiuum, nihil aliud eſt, quàm ſuæ partes, ergo etiam totum Phyſicum nihil eſt aliud, quàm ſuæ partes, ergo omninò ſuperfluè ponitur iſta totalitas, & tertia entitas.

Confirmatur quia: quicquid aduenit enti in actu, accidentaliter aduenit, ſed iſta totalitas iam adueniret Materiæ actuatæ per formam, ergo accidentaliter adueniret, & faceret vnum per accidens, quod eſt abſurdum, ergo.

Reſpondeo: eo argumento in primis probari non dari modum vnionis, quia in toto Metaphyſico ex genere, & differentia, in toto quantitatiuo, putà in numero binario, præter partes non datur Vnio diſtincta; Dico igitur paritatem non valere, quia ſunt res diuerſi generis,

Digitized by Google

atque adeò ſicuti in toto Phyſico, præter partes, datur Vnio, quæ non datur in toto alterius generis, itâ in toto Phyſico datur totalitas, & tertia entitas, quæ non datur in toto alterius generis.

Ad Confirmationem Reſpondet *Scotus loco cit.* §. *Reſpondeo, & dico,* quòd iſta totalitas non aduenit toti, tanquam forma informans, ſed tanquam forma, qua conſtituitur totum quidditatiuè ad eum modum, quo loquitur *Auicen.* 5. *Met.* equinitas eſt tantum equinitas, & ideò non ſequitur, quòd adueniat accidentaliter, quia non aduenit enti in actu, vt actuet, & informet.

Obijcies quintò: Auctoritatem Philoſophi 4. *Phyſic.* 23. *non enim eſt præter partes totum,* vel vt habet alia lectio. *Totum non eſt diuerſum à partibus.*

Reſpondeo: hoc argumento, etiam probari non dari vnionem diſtinctam à partibus; ſi ergo ea auctoritate non obſtante, adhùc datur Vnio, quæ eſt modus diſtinctus à partibus, ergo etiam ea verba non obſtant, quòminus detur iſta totalitas; ſenſus ergo eorum verborum eſt, non dari aliquid, quod ſit in partibus præter ipſum totum, ibi enim Ariſtoteles, vt patet legenti textum, aſſignat varios modos, quibus aliquid eſt in alio. *Nam aliquid eſt in alio, vt digitus in manu, & pars in toto; alio modo vt totum in partibus, neque enim præter partes totum, alio modo, vt Homo in Animali, & omni no vt in genere ſpecies.* Cæterum Ariſtot neque hic, neque alijs ſuæ doctrinæ locis poſitę Concluſioni aduerſatur, imò potiùs apertè fauet 7. *Met. in fine*, en verba; *quia manent A. & B. & non manet Ab. ideò Ab eſt realiter diſtinctum ab A. & B. neque enim idem poteſt manere, & non manere.*

DISPVTATIO SECVNDA.

DE NATVRA, ET CAVSIS.

COmplectemur hac ſecūda Diſputatione ea omnia, quæ Ariſtoteles tradit ſecundo Phyſicorum Libro, qui eſt De Natura, & Cauſis; ſicuti prima Diſputatione complexi ſumus Materias ab eodem Ariſtotele tractatas primo Phyſicorum Libro de Principijs Rerum Naturalium. Et quidem non eſt hic ſermo de Natura, prout nomine Naturæ venit ipſe Deus, qui propterea ſolet dici Natura naturans; neque eſt ſermo de Natura, prout accipitur pro rerum Vniuerſitate, in quo ſenſu dicitur aliquid eſſe, vel non eſſe in rerum Natura; neque denique eſt ſermo de Natura, prout ſignificat cuiuſque rei Eſſen-

Digitized by Google

ſentiam, aut Naturalem complexionem Viuentis, ſed pro primo, & radicali Principio operationum, ſiuè paſſiuo, vt eſt Materia prima, ſiuè actiuo, vt eſt Forma Subſtantialis; nam in Prima Diſputatione plura tractauimus de Materia, & Forma, vt erant Principia intrinſeca, ſeù Partes Compoſiti Subſtantialis; hic verò de ijſdem nobis agendum eſt, vt ſunt Principia, & Cauſæ naturalium effectuum.

LECTIO I.

Natura, & Ars Definiuntur.

NAturã exiſtere eſt adeò certum, vt meritò Ariſtoteles dixerit; ridiculum eſt tentare, demonſtrare Naturam, itá 2.*Phyſic.t.6.*Hæc tamen doctrina intelligẽda eſt de Demõſtratione à priori, ſeù per Cauſam, cùm enim ipſa Natura ſit Cauſa, & primum principium radicale operationum naturalium, non datur alia Cauſa prior, per quam probetur Naturæ exiſtentia; à poſteriori, & per effectum proprium Naturæ, qui eſt naturalis motus, ſeù naturalis tranſmutatio, optimè probatur, Naturam eſſe, Naturam exiſtere; ad ſenſum enim patet, dari motum, dari naturalem tranſmutationem, ſed huius naturalis motus, & tranſmutationis Principium, natura eſt, ergo. Cæterũ. *Ariſt.2.Phy.t.3.*Naturã ità definiuit; *Natura motionis, & quietis eius rei, in qua eſt primum, & per ſe, & non ex accidenti principium quoddam eſt, & cauſa.* Hanc Definitionem omnes Philoſophi recipiunt, & ſic clariùs explicant, ac declarant. Natura eſt principium, & Cauſa motus, & quietis eius, in quo eſt primũ per ſe, & non ſecundum accidens.

Dicitur ergo in hac definitione, quòd Natura eſt *Principium, & Cauſa* loco generis; aptè autem non ſolùm eſt poſitus terminus, *Principium*, ſed etiam terminus, *Cauſa*, quia ex dictis *Diſp.1. Lect.1.* latiùs patet terminus, *Principium*, quàm terminus, *Cauſa*, vndè per, τὸ *Cauſa*, excluditur ab hac Definitione, priuatio, quæ eſt principium, & non eſt Cauſa, quia nullum eſſe tribuit Compoſito naturali. Reliquæ particulæ ſtant loco differentiæ.

Dicitur ergo: *Motus, & Quietis*, quod eſt ità intelligendum, vt Natura cauſet motum, & quietem ſucceſſiuè, nõ ſimùl; non enim eſt poſſibile, idem Corpus ſimùl moueri, & quieſcere. Particula, ET, à quibuſdam ſumitur diſiunctiuè, ità vt ſenſus ſit. Natura eſt Cauſa motus, vel quietis, vt ità ſaluetur, in Terra eſſe Naturam, quamuis ſemper quieſcat, & nũquam moueatur. Similiter, & in Cælo eſſe Naturam, licèt ſemper moueatur, & nunquam quieſcat Ab alijs illa particula ſumitur copulatiuè; quatenus Natura ſit cauſa motus in Corpore exiſtente extrà ſuum locum naturalem, & ſit Cauſa Quietis in Corpore exiſtente in ſuo loco naturali.

Cæterùm nomine Quietis intelligitur non tàm carentia motus, quàm conſiſtentia, & permanentia in termino acquiſito per motum, & nomine motus, venit motus Phyſicus, nẽpè Generatio, Alteratio, Augumentatio, & Latio, ideſt motus localis omniũ præcipuus, & notiſſimus, qui proptereà eſt certiſſimus Index Naturæ. Hinc patet, etiam in Angelis eſſe aliquo modo Naturam, quia in ijs adeſt motus localis, & conſequenter principium talis motus poteſt dici aliquo modo Natura. Dixi aliquo modo, quia ſicuti talis motus non eſt corporeus, & verè Phyſicus, ità in Angelo non adeſt vera Cauſa Phyſica talis motus, & vera Natura.

Dicitur, *eius in quo eſt*, vt à ratione Naturæ excludantur externæ Cauſæ quorũdam motuum phyſicorum, quales ſunt Angeli motores Syderum, & Cælorum.

Dicitur, *primum*; quia Natura eſt primum, & radicale Principium motus, ità vt ante ipſam non ſit aſſignare aliud Prin-

Principium prius, quod non ſit Cauſa motus.

Denique additur, *per ſe, & non ſecundũ accidens*, vt denotetur, quòd Natura eſt principium motus in eo Compoſito, in quo eſt ipſa Natura, tanquam eius intrinſeca pars; per quod Natura contradiſtinguitur ab Arte, quæ non eſt intrinſeca pars, ſed potius merum accidens eius ſubiecti, in quo cauſat motum.

Quòad Definitionem Artis, quæ eſt oppoſita Naturæ, vt melius eiuſdem Naturæ Definitio innoteſcat, & explicetur, ab Auctoribus Ars ità definitur. Ars eſt Habitus tradens regulas, & præcepta operis faciendi; ex quo patet, plures eſſe differentias inter Artem, & Naturam. In primis enim Natura eſt Subſtantia, Ars verò Accidens de prima ſpecie Prædicamenti Qualitatis Secundò Natura eſt radicale, & primum principium, imò & cauſa dans eſſe rei; at Ars ad opus non concurrit dando eſſe, ſed dirigendo, regulando, ſeù illuminando potentiam, in qua eſt talis habitus. Denique opus ad quod faciendum concurrit Natura, eſt opus naturale, eſt ens naturale, & ſubſtantiale, opus ad quod Ars concurrit directiuè, & illuminatiuè, eſt opus artificiale, & accidentale, ſic verbi gratia; Marmor eſt opus naturale factum à Natura; at Marmor excauatum, & in ſtatuã efformatum, eſt opus artificiale, elaboratum ab Arte.

LECTIO II.

An Ars efficere poſſit opera Naturæ.

ARtem, quam Naturæ æmulam, & imitatricem ſemper agnouit Philoſophia, dupliciter poſſumus imaginari, quòd opera Naturæ efficiat; primò quidem propria, & innata vi, ſeù virtute; ſecundò virtute ipſius Naturæ, applicãdo, ſcilicet, actiua paſſiuis; ità Ars Medica naturali virtute herbarum ſibi bene cognita, ægris corporibus ſanitatem impertit; ſimiliter & aliæ artes, adhibito igne, alijſque huiuſmodi naturalibus Cauſis, variè Materiam immutant, & plures effectus producunt.

Eſt autem peculiaris difficultas de Arte Chymica, an virtute ipſius Naturæ, poſſit efficere verum, & probatum aurum.

Quòad Primum.

Concluſio ſit: Ars non poteſt efficere opera Naturæ propria ſui vi, & virtute.

Probatur Concluſio quia: Cauſa debet eſſe vel perfectior, vel æque perfecta, cùm effectu ſuo; ſed Ars neque eſt perfectior, neque æque perfecta, ac ſit opus, ſeù effectus naturalis, ergo

Probatur Minor quia: ffectus naturalis eſt forma, vel ſubſtantialis, vel accidentalis, ſed Ars eſt merum accidens de prima ſpecie qualitatis, ergo non eſt Perſectior forma ſubſtantiali, ſed neque accidentali, quia prima ſpecies qualitatis, nempe habitus, eſt omninò imperfectæ, & minimæ virtutis, ergo.

Confirmatur quia: habitus ad opus quod facit, non concurrit effectiuè, ſed illuminatiuè, & directiuè; ergo non poteſt efficere aliquod opus naturale.

Quòad Secundum.

Concluſio ſecunda: Ars Chymica poteſt efficere verum, & probatum aurum virtute Naturæ.

Ità *D. Thomas 2.2. quæſt. 77. art. 2. Magnus Albertus lib. 3. de Mineral. cap. 9. Henricus Gandauen. quodlib. 5. quæſt. 3. Zimara in tract. de Differentijs Naturæ, & Artis. Mirandulanus lib. 9. de euerſione ſingularis certaminis ſect. 7. Conimbric. hic cap. 1. quæſ. 6. Franciſc. Le Reès Com. in Phyſ. art. 3. §. 2.*

Contrà *Auerroem in Paraphraſi ad primum lib. de Generat. Animalium. Auicen. in ſuis Comment. Meteororum. AEgidium in 3. quodlib. q. 8. Cornelium Agrippam cit. à Le Reès*, vbi ſupra.

Probatur Concluſio primò quia: Ars virtute Naturæ poteſt præſtare, & efficere opera nobiliora, & perfectiora, quã ſit productio auri, ergo à fortiori poteſt efficere verum, & probatum aurum. Antecedens probatur quia: Apes gignuntur ex ventribus bouum recentibus cùm fimo obrutis, vel iuuencorum corpore exanimato, buſones elixatura anatis ſub dio poſitæ, ranæ ex humido puluere; pulli ex ouis in fornacibus virtute ignei caloris excluduntur Alexãdriæ AEgypti, nec non oua Niccdalorum, teſte Scaligero: denique Agricultura fruges omnes, & fructus producit, ergo etiam poteſt Ars, quæ ſemper Naturam imitatur, efficere verum aurum, quod eſt opus multò ignobilius, quàm ſint Animalia & viuentia modo enumerata.

Confirmatur quia: in Hungaria in Monte Carpato fontes ſunt, in quos dum fer-

Digitized by Google

ferrũ conijcitur, vertitur in cuprũ, ligna quoq; & herbæ virentes ſi in quoſdã gelidiſſimos fontes incidãt, lapideſcũt, ergo etiã poteſt aurum fieri ex alijs metallis virtute ignis, quod eſt elementum magis efficax, & actiuum, quàm ſit aqua.

Probatur ſecundò quia: ſi aurum non poſſet effici ab Arte, maximè quia adhùc neſcitur, quæ ſit Materia, & ſub quo Aſtrorum influxu, debeant applicari ignis, & alia requiſita ad auri productionem, ſed hoc probat ſolummodò valdè difficilem eſſe reſpectu Hominis, non tamẽ impoſſibilem auri productionem, ſeù Chryſopęam, & lapidem Philoſophicum, ergo. Dixi reſpectu Hominis, quia id Angelo facile erit.

Obijcies primò: Aurum Chymicum non habet conditiones, & notas auri legitimi, ergo non eſt verum, legitimum, & probatum aurum, ſed potiùs eſt quædam auri tinctura.

Reſpondeo: notas veri, & probati auri eſſe, quòd ſit coloris citrini, vix ſonorum, maximè ductile, & extenſum ſub malleo, ità vt vnius grani tertia pars trahi, & duci poſſit in filum centum triginta quatuor pedum, vt tradit *Cardanus lib. de rerum varietate*, vt ſit incorruptibile tùm in aere, tùm in aqua; denique, vt omnes probas ſuſtineat, tale autem eſt aurum Chymicum, ideò habet notas veri auri, imò in Theſauro Ducis *Hetruriæ* oſtenditur Clauus media ſui parte verſus in optimum aurum per artem Chymicam; & ſi fides adhibenda eſt Hiſtorijs, legimus Arnoldum de Villanoua cùm Remundo Lullio hac de re diſputaſſe, & vt Remundum conuinceret Arnoldus inter diſputandam in Aula Summi Pontificis virgulas aureas arte confectas examini ſubiecisse, & fuiſſe probatas.

Obijcies ſecundò: Aurum non poteſt confici, niſi virtute cæleſtis caloris in gremio, ſeù viſceribus terræ, ſed Ars Chymica vtitur igne ad producendum aurum, quod conficit in ſuperficie terræ, & aperto aere, ergo vel nullum conficitur aurum, vel conficitur aurum fucatum, & apparens.

Reſpondeo: calorẽ cæleſtem, & igneũ eſſe eiuſdem ſpeciei, & ideò poſſe eundem effectum præſtare; & licèt aurum à natura in gremio terræ producatur, nulla ratio prohibet, quo minùs in ſuperficie terræ, vel etiam alibi produci poſſit, locus enim merè Materialiter ſe habet ad productionem effectus naturalis.

Obijcies tertiò; Eccleſia, vt patet ex Extrauag Ioann. XXII prohibet vſum Artis Chymicæ, ergo non fit per eam verum aurum.

Reſpondeo: eam Artem fuiſſe damnatam, tanquam pernicioſam Animæ, plures enim, dùm ardentiùs diuitias amant, & aſſequi per hanc artem procurant, incidunt in tentationes, in laqueos, & inſidias Diaboli; vel etiam damnari propter exceſſum impenſarum, vel denique ob ſummam eius difficultatem, non quia impoſſibilis ſit.

Obijcies quartò: Virtute Artis Dædali ſtatuæ hùc illùc diſcurrebant, *ex Ariſtot. 1. Polit. 3.* Archyta Tarentinus ligneam Columbã volare docuit, Archimedes vitream Sphæram confecit, vbi Ortus, & Occaſus Syderum videbantur; denique anulis, & imaginibus aſtronomicis, multa mirabilia, & ſuprà vſitatum Naturæ curſum conficiũtur, ergo iam Ars poteſt efficere motum, & alia opera Naturæ.

Reſpondeo: omnes huiuſmodi motus fieri ab Arte virtute Naturæ, vt patet ex diſpoſitis intus machinis, & rotis; exemplum habemus in *H*orologijs, quorum motus eſt ab Arte, ſed virtute Naturæ; quòd autem dicitur, de anulis aſtronomicis, vel id eſt fabuloſum, vel ad Dæmonum præſtigias ſpectat.

LECTIO III.

Definitur Cauſa in Communi.

Non reperitur Definitio Cauſæ in Communi in Ariſtotelis libris, nã illa, quæ circumfertur, tanquam tradita ab Ariſtotele, in Libello de Cauſis, nec in tali Libello reperitur, nec ille Libellus à probatis Auctoribus cenſetur eſſe Ariſtotelis; eſt autem ea Definitio; Cauſa eſt illa, ad quam aliud ſequitur.

Hęc Definitio reijcitur communiter quia, ad primam horam ſequitur ſecunda, nec tamen prima hora eſt Cauſa ſecundæ: ad Priuationem ſequitur Compoſitum, & tamen Priuatio non eſt Cauſa Compoſiti. Alii alias adducunt Definitiones, ſed quælibet earum ſicuti ſuas patitur difficultates, & pluribus patet oppoſitionibus, ità poteſt ad bonum ſenſum trahi, & conſequenter proba-

Digitized by Google

babiliter defendi;

Nā, Primò Definitio ſupradicta, Cauſa eſt illa, ad quā ſequitur aliud, defēditur à *D. Thoma hic Lect.* 10. *& opuſc.* 31. *circà medium à D. Bonau. in* 2. *diſtin.*20. *art.*2. *à Maſio* 2. *Phyſic. cap.*3. *quæſt.*2. *Tolet. ibidem quæſt.*1. *Soto quæſt.*3. *& communiter à Thomiſtis* præcipuè verò à *Compluten. hic diſput.*8. *quæſt.*1. §. 1. 2. *&* 3. *ab Auerſa to.*1. *Philoſ. quæſt.*11. *ſect.*1. Qui explicat eam Definitionem, eſſe intelligendam non de conſecutione quomodocunque, ſed de conſecutione neceſſaria cùm neceſſaria dependentia; ſenſus ergo eius definitionis eſt, Cauſa eſt illa, ad quam aliud neceſſariò ſequitur, & neceſſariò dependet; *H*inc in Diuinis Pater non eſt Cauſa Filii, quia nec filius ſequitur ad Patrē, tanquam poſterius ad prius, nec Filius dependet à Patre, in Creatis verò non eſt aſſignare aliquid, quod ſequatur ad aliud, tanquam poſterius ad prius, & quod dependeat, abſque eo, quòd ſit effectus recognoſcens pro Cauſa id, quod eſt ſibi prius, & à quo in ſuo eſſe dependet.

Sed contrà hanc Definitionē, eiuſque explicationem eſt quia, in Creatis effectus æquè dependet à conditionibus, & à Cauſa, & quidem tanquam quid poſterius à ſuo priori, æquè enim Cauſa, & Conditiones ad cauſandum requiſitę, ſunt quid prius effectu.

In Diuinis verò *Ariag. hic diſp.*6. *ſect.*1 *n.*4. nō dubitat, aſſerere Filium dependere à Patre, quia Filius indiget Patre, vt exiſtat, atque adeò non poteſt exiſtere ſinè Patre, dependere autem vnum ab alio, eſt vnum nō poſſe exiſtere ſinè alio, & tamen Pater non eſt Cauſa Filij; Præterea certum eſt inter Latinos, Patrem non eſſe Cauſam Filii, & tamen non omnes negant eam prioritatem Naturæ in Diuinis, vt teſtatur *Ariaga vbi ſupra num.*5. Dixi inter Latinos, quia Græci Patres abſque vllo ſcrupulo admittunt in Diuinis, Patrem eſſe Cauſam Filii, ſed apud illos Principium non diſtinguitur à Cauſa, quia ergo Pater eſt Principium Filii, ideò libenter concedunt, etiam Patrem eſſe Cauſam Filii.

Secundò: *Franciſcus Ouied. hic Contr.*6. *pun.*1. §. 3. relatis, & reiectis aliorum Definitionibus, conſiderans rationem fundamentalem, quæ mouit Latinos ad negandam cauſalitatem in Diuinis in Patre reſpectu Filii, eſſe, quia ratio cauſæ importare videtur aliquam limitationē in effectu producto, talem aſſignat definitionem Cauſæ; Cauſa eſt Principium influens per influxum ex ſe formaliter defectibilem; vbi per *influxum ex ſe formaliter defectibilem*, aſſignatur ratio adæquata, cùr in Diuinis Pater non ſit cauſa Filii, quia generatio filii in Diuinis eſt ex ſe indefectibilis, atque adeò omninò illimitata, & infinita, ſicuti è contrà actio, ſeù influxus defectibilis, eſt quoque finitus, & limitatus, ſi non formaliter, ſaltem arguitiuè, in creatis verò nulla eſt cauſa, quæ agat, & influat per influxum indefectibilē, illimitatū & infinitū, omnis enim actio creata defectibilis, finita, & limitata eſt.

Sed hæc definitio, præter difficultates, quas ipſemet *Ouied.* contrà ſe adducit, & ſoluit, adhùc ex eo mihi non probatur, quia videtur, eſſentiam, & formalitatem Cauſæ per aliquid æquè, aut fortaſſe magis obſcurum explicare; ſanè facilius intelligitur, quid ſit Cauſa, quàm intelligatur, quid ſit iſte influxus ex ſe formaliter defectibilis: Deinde, non video, cur ratio Cauſæ vt ſic, debeat eſſe finita, & limitata, cur eius influxus debeat eſſe defectibilis, cur effectus debeat eſſe finitus & limitatus? Ratio enim Cauſæ, vt ſic, ſicuti præſcindit à Cauſa, ſiuè creata, ſiuè Increata, ità præſcindit ab eo, quòd ſit finita, vel infinita, quòd eius influxus ſit defectibilis vel indefectibilis. In Diuinis, ideò Pater non eſt Cauſa Filij, quia Cauſa, vt Cauſa dicit effectū à ſe dependentem, & omnis dependētia imperfectionē, & minoritatem importat in eo, quod ab alio ponitur dependere; ſi ergo Pater eſſet Cauſa Filij, eſſet dependens à Patre, & eſſet minor, aut ſaltem imperfectior Patre, quòd eſt contrà Symbolum *Athanaſij*, qui loquens de Filio, ait *æqualis Patri ſecundum Diuinitatem, minor ſecundum Humanitatem.*

Tertiò: *Ariaga diſput.*6. *ſect.* 1. *num.*7. Definit Cauſam eſſe illam, quæ producit eſſentiam, ſeù, quæ per ſe influit producendo eſſentiam, & ideò Pater in Diuinis non eſt Cauſa Filij, quia non producit eſſentiam, ſed eſſentiam eandem numero communicat Filio.

Sed contrà hanc Definitionem eſt, quia: Pater in Diuinis, licèt non producat, & generet eſſentiam, producit tamen, & generat Perſonalitatem Filii, qui propterea in Symbolo Athanaſii dicitur Genitus à Patre.

Præ-

Digitized by Google

Prætereà, qui producit Accidens, adhùc habet veram rationem Cauſæ, quia etiam Accidens habet ſuam eſſentiam; vt fatetur vltrò *Ariaga*, ergo Pater, qui producit Perſonalitatem Filij, adhùc habet veram rationem Cauſæ, quia etiam Perſonalitas habet ſui propriam perſonalem eſſentiam, & quidditatem.

Quartò alij definiunt Cauſam eſſe illam, ex qua aliquid per ſe pendet, ità *Fonſeca Met.1.cap.7.quæſt 1.Conimbricen. 2.Phyſic.cap.7.qu.1.* ex parte hanc definitionem approbant *Auerſa, & Complut. locis cit.*

Hæc Definitio mihi videtur clariùs, & probabilius Cauſæ formalitatem explicare. Nam in Diuinis ideò Pater non eſt Cauſa Filij, quia Filius non pendet à Patre, omnis enim dependentia importat imperfectionem, & minoritatem, quæ non poteſt eſſe in Filio reſpectu Patris, & ex alia parte in Creatis non eſt reperire dependentiam vnius ab alio abſque Cauſalitate, ergo per eam definitionem optimè explicatur formalitas, & eſſentia Cauſæ, vt ſic, & in Communi. Quare

Concluſio mea eſt. Cauſa vt ſic, & in communi optimè definitur eſſe illa, à qua aliquid per ſe pendet. Ità Auctores mox citati.

Probatur Concluſio tùm ex modo dictis, tùm ex ſolutione argumentorum.

Obijcies primò: effectus æquè dependent à ſuis cauſis, atque à conditionibus, ergo, τὸ *per ſe dependens*, non explicat formalitatẽ Cauſæ. Prætereà datur dependẽtia rei à ſuo poſteriori, & non tanquam à Cauſa. vt Materia, quæ dependet à poſteriori à Forma; ergo.

Reſpondeo: aliquid dependere à conditionibus per accidens, & non per ſe: quod ex eo patet, quia Conditiones poſſunt Diuinitus ſuppleri; nam, verbi gratia, ad cauſandum requiritur approximatio localis, tanquam conditio ſine qua non, & tamen poteſt Cauſa Diuinitus, & ſupernaturaliter agere in diſtans. ſimiliter dependentia à poſteriori, eſt dependentia per accidens, Diuinitus enim & ſupernaturaliter poteſt eſſe Materia ſinè forma, & omne priùs poteſt eſſe ſinè ſuo poſteriori.

Obijcies: Filius in Diuinis non poteſt eſſe, ſeù exiſtere ſinè Patre, atque adeò dependet à Patre, & tamen Pater non eſt Cauſa Filij, ergo per dependere vnum ab alio non bene explicatur formalitas Cauſæ.

Reſpondeo: dependẽtiam poni à Philoſophis inter ea, quæ habent eſſentiam numero diuerſam, licèt ergo Filius eſſe, ſeù exiſtere nõ poſſit abſque Patre, quia tamen non habet eſſentiam numero diuerſam à Patre, ideò non depẽdet à Patre, ſicuti nec Pater, vt Pater dependet à Filio, ſinè quo nec poteſt eſſe, ſeù exiſtere, relatiua n. ſunt ſimul natura, & ea sũt ſimul natura, vt diximus in Logicis, quæ ſimul exiſtũt, & neutrũ eſt cauſa alterius.

Obijcies tertiò: in probabili Sentẽtia, quã docent *Suar. 3.p.diſp.50. Coninch.de Sacr.Euch.ar.4.dub.5.Petr. à S. Ioſeph in Idæa Theol.Sacr.lib.2.c.6.Reſp.3.* ſupernaturaliter poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, nã in Sanctiſs. Euchariſt. Sacramento Chriſtus Dominus ſeipſum producit; ſed idẽ non poteſt dici, quod à ſeipſo depẽdeat, ergo.

Reſpondeo: Auctores eius Sententiæ, quæ ponit idem poſſe ſeipſum producere, aſſignare aliam definitionem Cauſæ, non iſtam, quam aſſignauit Fonſeca vbi ſupra, & nos approbamus Prætereà dico, benè poſſe idem non quomodocunque, ſed prout ſecundò productum dependere à ſeipſo vt primò producto, ſaltem enim hæ duæ productiones realiter diſtinguuntur, non quidem ratione termini, qui idem realiter eſſe ſupponitur in vtraque productione, ſed ratione principij; nam prima productio eſt ab vno principio, ſecunda eſt ab alio principio omninò diuerſo, quãdo enim idem ſeipſum ſecundò producit, ſecunda productio eſt ab ipſo effectu primò producto; prima vero productio eſt ab Agente extrinſeco.

LECTIO IV.

An Cauſa Definitio conueniat Cauſa Remota.

Nomine Cauſæ remotæ venit ea Cauſa, quæ producit Cauſam proximam, ex qua proximè immediatè procedit effectus; verbi gratia, ſilex percuſſus producit ignem, Ignis producit calorẽ; quæritur, an ſilex poſſit dici, & verè ſit cauſa caloris, non minùs, ac ignis, à quo immediatè, & proximè productus eſt calor.

Concluſio mea eſt: Cauſæ remotæ nõ competit aſſignata definitio cauſæ. Ità *Hurtadus diſput.8.ſect.4.* vbi pro ſe citat

Suarez diſput.18.Met.ſect.2.nu.22. Vaſq. tom.1.in 3.part.diſput.21.num.17. His addo *Scotum in 2.d.18.quæſt.vnic.§.præterea,* vbi docet,quòd Plato generatus à Sorte, poteſt generare Ciceronem,Sorte non exiſtente,nec cauſante.

Probatur Concluſio quia: à Cauſa remota,& mediata effectus non dependet per ſe,ſed merè per accidens, ergo Cauſæ remotæ non conuenit Definitio Cauſæ ſupra explicata, vbi tribuitur effectui dependentia per ſe à Cauſa. Probatur Antecedens quia: ea eſt cauſa per accidens,qua deficiente adhùc habetur effectus, ſi enim producto ſemel igne à ſilice,deſinat eſſe, & deſtruatur ſilex, adhùc producitur calor ab igne producto à ſilice,ergo calor merè per accidens à ſilice producitur.

Confirmatur quia:Accidentia Eucharistica operantur,& præcipuè calor calefacit,& non adeſt ſubiectum, ſeu cauſa remota talis caloris, quæ eſt Subſtantia panis, ergo iam remanet effectus non exiſtente cauſa remota,ergo effectus per ſe non pendet à Cauſa remota.

Confirmatur ſecundò quia: eodem modo aqua diciturvideri,ac dicatur calefacere; dicitur enim videri per colorē, calefacere per calorem,ſed aqua propriè non videtur, nulla enim Subſtantia poteſt eſſe obiectum viſus, ergo neq; verè, & propriè calefacit.

Probatur ſecundò quia: ſi cauſa remota eſſet vera, & propria Cauſa, effectus naturales æquè poſſent attribui Cauſæ primæ mediatè, ac remotè concurrenti, ac tribuantur Cauſæ ſecundæ immediatè,& proximè concurrenti, ſed hoc eſt falſum,& erroneum apud omnes Theologos,qui propterea tanquam erroneam damnant Sententiā Durandi, ponentis Deū cōcurrere ad effectus naturales mediatè,& remotè, quatenus ab initio tribuit cauſis ſecūdis vim,& virtutē operādi,ergo Cauſa prima non eſſet vera cauſa,ſi mediatè,& remotè concurreret.

Probatur tertiò quia: In communi Sententia proprietates dicuntur emanare,& produci ab ea eſſentia, cuius ſunt proprietates, non verò ab Agente producente eſſentiam,& tamen Agens producens eſſentiam,eſt Cauſa remota proprietatum ad eſſentiam conſequentium, ergo in communi ſenſu cauſa remota non eſt cauſa,in communi phraſi Scholarum, cauſa remota non dicitur Cauſa.

Confirmatur quia: Auus non dicitur Pater nepotis,quamuis Auus ſit Cauſa Patris,& Pater ſit cauſa nepotis,non niſi quia Auus non eſt cauſa proxima, & immediata.

Obijcies primò:quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam Cauſa cauſati, ergo cauſa remota eſt verè,& propriè cauſa. Confirmatur ex *Ariſtot.hic t.3.* aliquæ Scientiæ ſunt circà cauſas proximas ſui obiecti, aliæ vero ſunt circà cauſam vltimam,& primam, ſed cauſa vltima, & prima eſt cauſa alicuius,quia ſolum eſt cauſa cauſæ,ergo.

Reſpondeo:Cauſam remotam,& mediatam eſſe quidem cauſam, ſed non eſſe cauſam per ſe,& propriè;imò potius eſſe cauſam per accidens, & valdè impropriè;ideòque ſimpliciter nomine cauſæ venit cauſa proxima,non remota.

Obijcies ſecundò:Ignis dicitur comburere lignum, licèt talis combuſtionis cauſa ſit calor: ergo etiam cauſa remota ſimpliciter eſt, & denominatur cauſa. Confirmatur quia:homo dicitur tangere alium Hominem, licèt veſtes tangat & non eius Subſtantiam,ergo.

Reſpondeo:Ignem comburere lignū, quia forma ignis immediatè ſimul cum calore concurrit ad combuſtionem; ſimiliter,quando Intellectus intelligit, Anima intelligit, quia Anima concurrit immediatè ſimul cum intellectu.Ad Cōfirmationem dico, eam eſſe locutionem minus propriam,eſſe phraſim vulgi,non Scholæ.

Obijcies tertiò:Aqua calida calefacit manum,& tamen non poteſt dici, quòd aqua immediatè concurrat ſimul cum calore ad talem calefactionem, quia aqua non eſt cauſa naturalis caloris, in tantum ergo dicitur cauſa illius calefactionis,in quantum eſt ſubiectum caloris immediatè calefacientis.

Reſpondeo:Verè aquam nō eſſe cauſam per ſe talis calefactionis,ſi enim Diuinitus conſeruetur calor extrà aquam, adhuc calefacit manum; dicitur ergo aqua calida calefacere manum, quia ſicuti id,quod fit,& fieri dicitur, compoſitum eſt; quamuis ſola forma, aut ad ſummum forma ſimul, & vnio producātur, ità aqua denominatur calefacere, quamuis ſolus calor verè, & propriè calefaciat.

Reſpondebis cum *Ouiedo hic Controu. 7.punc.5.* tunc cauſam remotam eſſe per

cauſam effectus producti, quando cauſa proxima effectus in ſuo eſſe, & conſeruari ità dependet à cauſa remota, vt ea deficiente alia ſuppleatur, & ideò Auus non eſt cauſa nepotis, quia mortuo Auo, adhùc conſeruatur Pater, nulla alia cauſa ſupplente concurſum Aui in Patrem, è contrà Ignis eſt vera cauſa calefactionis in manu, quamuis ſit cauſa remota, quia deficiente igne debet calor, qui eſt cauſa proxima calefactionis in manu, conſeruari à Deo ſupplente concurſum Ignis conſeruantis calorem.

Sed contrà eſt quia: iam habeo vniuerſaliter eſſe falſum, quòd cauſa remota ſit vera, & propria cauſa. Deindè, quòd deficiente cauſa remota, debeat per aliam cauſam ſuppleri eius influxus in ordine ad conſeruãdam cauſam proximam, non arguit, cauſam remotam influere in effectum productum à cauſa proxima, aliud eſt enim cauſam proximam conſeruari, & aliud eſt eam operari; poteſt enim conſeruari, abſq; eo, quòd operetur.

D. deficiente igne, vt conſeruaretur calor ipſius ignis, debere ſuppleri influxũ ignis ad conſeruandum ſuum calorem per aliam cauſam, aliàs deficeret calor ignis, quia in ſuo conſeruari ab igne dependet; ſed rurſus calor productus in manu deficeret, niſi calor ignis conſeruetur, ergo calor in manu per ſe pendet ab igne, qui tamen eſt cauſa remota caloris exiſtentis in manu.

Reſpondeo: negando minorem, patet enim manifeſta experientia, manũ conſeruari calidam, accepto ſemel calore ab igne; quamuis ignis deindè, & calor ignis deſtruantur.

LECTIO V.

An Cauſa dicat Relationem ad Effectum.

PRæmitto primò: Cauſam poſſe in triplici ſtatu conſiderari; primò quidem ſecũdũ virtutẽ, & vim cauſatiuã, quo pacto conſideratur cauſa in actu primo, quia in hoc ſtatu conſideratur, vt potens cauſare. Secundò conſideratur cauſa, ſecundum ſui cauſalitatem, quo pacto conſideratur cauſa in actu ſecundo, quia in hoc ſtatu conſideratur, vt actu cauſans. Tertiò demum poteſt conſiderari cauſa ſecundum hanc præciſam denominationem cauſæ, quo pacto conſideratur cauſa, prout habet hanc denominationem, vel dum producit, vel poſtquam produxit effectum.

Præmitto ſecundò: Cauſam, vt actu cauſantem eſſe tranſcendentaliter relatiuã ad effectũ ſuum; ratio eſt, quia cauſa conſtituitur eſſentialiter actu cauſans per cauſalitatem, ſed cauſalitas eſt ratio tranſcendentaliter relatiua, nam talis cauſalitas vel eſt actio, vel eſt vnio; eſt actio ſiuè realis, ſiuè metaphorica in cauſis extrinſecis, efficiente, ſcilicet, & finali; eſt vnio in cauſis intrinſecis, Materia, ſcilicet, & forma, ſed tàm actio, quàm vnio eſt ratio tranſcendẽtaliter relatiua, vt patet, ergo iam cauſa, vt actu cauſans, eſt tranſcendentaliter relatiua.

Concluſio mea eſt: Cauſa in actu primo, ſeù ſecundum virtutem cauſatiuam, eſt ratio abſoluta, non relatiua.

Probatur Concluſio quia: omnis cauſa vel eſt perfectior, vel æquè perfecta effectu ſuo, ergo non poteſt dicere realem relationem ad effectum, imò debet eſſe abſoluta ab ordine, & relatione ad effectum; tenet conſequentia, quia ſi diceret relationem, & ordinem ad effectũ, iam ab effectu ſuo ſpecificaretur, ab eo acciperet ſuum eſſe, & exiſtere, ab eoq; dependeret, ſed omnis dependentia dicit imperfectionem, ergo iam cauſa eſſet imperfectior effectu ſuo.

Cõfirmatur quia: ratio relatiua ex ordinatione Naturę eſt ad terminũ, ſed natura nunquam ordinat id, quod eſt perfectius ad imperfectius, ergo non ordinauit cauſam ad effectum.

Probatur ſecundò: quia cauſa, vt cauſa ſemper eſt prior effectu ſuo, ſed relatiua ſunt ſimul Natura, & ſimul ſunt, ſeù exiſtunt, ergo cauſa comparata ad effectum non eſt relatiua ad effectũ, ſed potiùs eſt ratio abſoluta, independens ab effectu, & prior illo.

Cùm hoc tamen ſtat, vt cauſa referatur ad effectum relatione ſecundum dici, quia referri ad aliud relatione ſecundum dici, nihil aliud realiter importat, quàm terminare tendentiam alterius in ipſum, quo modo Obiectũ ſcibile terminat tendentiã Sciẽtiæ in ipſũ; & ſicuti ſi ſumatur obiectũ ſcibile, vt ſcibile præciſè; obiectũ, vt obiectũ, ſcibile, vt ſcibile ſecundum hãc denominationẽ præciſè, obiectum refertur ad Scientiam relatio-

Digitized by Google

ne ſecundum dici,aut relatione rationis, ità cauſa in actu primo accepta præciſè,vt cauſa,ſecundum hanc formalem, & præciſam denominationem, refertur ad effectum ſuum relatione rationis, & ſecundum dici, quæ relatio nõ importat vllam imperfectionem, nam etiam hæc relatio rationis,& ſecundum dici reperitur in Deo reſpectu creaturarum abſq; eo,quòd in Deo imperfectio arguatur.

Obijcies primò: Cauſa in actu primo, ſeù ſecundum virtutem cauſatiuam, eſt eſſentialiter potens producere effectum, ſeù habet eſſentialiter virtutem, & potentiam producendi effectum, ſed habere eſſentialiter virtutem, & potentiam producendi effectum,eſt habere eſſentialẽ ordinem,& tranſcendentalem relationem ad effectum poſſibilem, ergo.

Confirmatur quia: nõ poteſt intelligi cauſa,vt potens producere effectum ſine ordine, & relatione ad effectum, ergo cauſa in actu primo eſt tranſcendentaliter relatiua.

Reſpondeo: negando minorem, eius enim falſitas colligitur ex eo, quia ſi eſſet impoſſibilis omnis effectus,adhùc remaneret cauſa in actu primo, ſeù adhùc remaneret virtus cauſæ, nõ quidem in ratione cauſæ productiuæ effectuum poſſibilium, & à ſe producibilium, ſed in ratione entitatis; ſicuti in probabili Sententia;quam defendit *Vaſquez 3.par. diſputat.21.* ſi eſſent impoſſibiles omnes creaturæ,adhùc in Deo remaneret Omnipotentia, non quidem in ratione potentis omnia creare,ſed in ratione entitatis;eodem pacto, ſi ponamus Potentias reſpicere obiecta in communi, non in particulari, poſito impoſſibili omni obiecto, adhuc remaneret potentia ad illud, non in ratione potentiæ ad illud, ſed in ratione entitatis. Ità dato impoſſibili omni effectu, adhuc eſſet cauſa, eiuſq;virtus ſaltem in ratione entitatis, ſi non in ratione cauſæ habentis virtutem,ſeu vim, & potentiam ad tales effectus producendos.

Obijcies ſecundò: Cauſa in actu primo conſtituitur per actionem poſſibilẽ, ſed actio poſſibilis eſt tranſcendentaliter relatiua ad effectum poſſibilem, ergo etiam cauſa in actu primo eſt tranſcendentaliter relatiua Maior probatur,quia cauſa in actu ſecundo conſtituitur per cauſalitatem, ſeu actionem actualem, ergo cauſa in actu primo conſtituitur per actionem poſſibilem.

Reſpondeo: duplicem eſſe actum primum; nempè actum primum Logicum, & actum primum Phyſicum; actus primus Logicus eſt ipſamet poſſibilitas cauſæ, ſeù non repugnantia cauſæ ad exiſtendum; actus primus Phyſicus eſt virtus productiua, ſeù effectiua alicuius, verbi gratia,virtus,quam habet Deus ad producendam Creaturam, eſt actus primus Phyſicus Dei: concedo igitur cauſam in actu primo Logico conſtitui per actionem poſſibilem,ſicuti cauſa in actu ſecundo conſtituitur per actionem exiſtentem, vt benè probat argumentũ, nego tamẽ per actionẽ poſſibilẽ cõſtitui cauſam in actu primo *Phyſico*, quia in cauſa adeſt virtus productiua independenter ab omni actione,& effectu.

Obijcies tertiò: ex Ariſtotele,inter alia genera Relationum realium aſſignatur Genus Relationis fundatæ in actione, & paſſione,& conſequenter in ratione cauſæ, & effectus,ergo cauſa dicit Relationem realem ad effectum.

Reſpondeo: Cauſam, vt cauſantem concretiuè acceptam, vtique dicere relationem realem ad effectum, vt iam ſuprà explicaui; vel etiam cauſam ſequuto effectu dicere realem relationem ad effectum, generato enim Filio, reſultat relatio realis Paternitatis in Homine generante ad Filium, & ad Hominem genitum,id ego non nego; nego ſolum, cauſam in actu primo,ſeù cauſam,prout dicit virtutem productiuam effectus,dicere relationem realem ad effectum, pono enim cauſam ità conſideratam, eſſe omninò independentem ab effectu, & conſequenter non dicere realem relationem ad effectum.

LECTIO VI.

Conditiones ad Cauſandum Requiſitæ.

TRes ſolent enumerari Conditiones requiſitæ in cauſa ad hoc, vt effectum producat. Prima eſt cauſę exiſtentia;Secunda eſt,Propinquitas,ſeù approximatio Cauſæ,ſeù,vt alij loquũtur contactus Cauſæ cùm ſubiecto,in quod debet agere,& operari. Tertia eſt eiuſdem Cauſæ prioritas.

Quòad primam Conditionem.

Concluſio ſit: Cauſa debet exiſtere

in

Digitized by Google

in eo inſtanti, quo producit effectum; ità *eſt communis Sententia*.

Contrà *aliquos ex Thomiſt. Nunnum Cabezudo 3.p. q 22.art.1.diff.5.§.quinta Sententia, Capreolum, Sotum, quos citat Suarez 3. part. d. 13.ſect.7.*

Probatur Concluſio primò ex *Ariſtot. 4. Met.cap.4.t.16.ea, quæ non ſunt, quonam pacto loquentur, aut ambulabunt?* ergo cauſa, dum cauſat, debet exiſtere.

Probatur ſecūdò: quia nemo dat, quod non habet, ergo eo inſtanti, quo cauſa non habet exiſtentiam, non poteſt illam tribuere effectui.

Dices: Viuentia moriuntur, ergo in inſtanti mortis realiter mutantur, ergo etiam poterunt realiter operari, ſed tunc non exiſtunt, ergo.

Reſpondeo: in primis non eſſe dicendum, Viuentia mori in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diuiſo; ideſt illa quæ fuerunt viuentia, moriuntur. Prætereà talis mutatio eſt mera negatio, & ideò mirum non eſt, quòd cauſa talis mutationis non exiſtat, exiſtentia enim requiritur in cauſa, vt productiua effectus realis, & poſitiui.

Dices ſecūdò: Ad hoc, vt corpus moueat aliud corpus, non requiritur, quòd ſit penetratum cùm illo, ſed ſufficit, ſi ſit illi contiguum, ergo ad hoc vt cauſa producat exiſtentiam effectus, non requiritur, quòd exiſtentia cauſæ ſit penetrata cùm exiſtentia effectus, ſed ſufficit, ſi anteà extiterit cauſa, atque adeò ſufficit, quòd ſit illi contigua

Reſpondeo: Cauſam tunc eſſe contiguam cùm effectu, quando exiſtit ſimul cum effectu, contigua enim debent eſſe ſimul; vndè patet tale argumentum potiùs eſſe contrà Aduerſarios. Et ſanè nihil iuuat ad exiſtentiam effectus, quòd cauſa paulò anteà fuerit, perindè enim ſe habet, ac ſi nunquam extitiſſet, quia in eo inſtanti, in quo operatur, & producit effectum, non exiſtit.

Quòad Secundam Conditionem, quæ eſt approximatio Cauſæ ad ſubiectum, in quod debet operari, ſeù indiſtantia localis.

Concluſio ſit: Cauſa debet eſſe approximata ſubiecto, in quod agit. Probatur manifeſta experientia quia; ignis, verbi gratia, exiſtens Romæ, non poteſt calefacere manum meam exiſtentem Neapoli, non niſi ob defectum debitæ approximationis. Similiter paries albus in maxima diſtantia non poteſt videri ab oculo, quia non eſt in debita diſtantia, ſeù quia non eſt debitè approximatus, & conſequenter non poteſt tranſmittere ſui ſpecies ad oculum, qui proptereà non poteſt videre parietem à ſe maximè diſtantem. Ex quo factum eſt commune dictum, non datur actio in diſtans.

Vndè autem, aut ex quo capite requiratur approximatio iſta cauſæ ad ſubiectum, in quod debet agere, an ex limitatione virtutis, an ex peculiari ratione cauſæ, infrà examinabimus.

Quòad Tertiam Conditionem, quæ eſt prioritas Cauſæ ad effectum; Communis Sententia eſt; cauſam debere eſſe priorem effectu ſuo.

Noto autem tres aſſignari in Scholis Prioritates; nempè Prioritatem originis, prioritatem Naturæ, & prioritatem Tēporis. Illud dicitur prius tēpore reſpectu alterius, quod eſt in aliquo inſtāti, in quo aliud nō eſt, ideoq; talis prioritas, dicitur prioritas, in quo. Prioritas Naturæ eſt, cū duo ſunt ſimul in eodem inſtāti reali, ſeù temporis, ſed vnum eſt dependēter ab alio; ideòq; vnū non poteſt concipi abſque alio, & hæc prioritas, dicitur prioritas, à quo, ſeù prioritas indepēdētiæ. Tertia prioritas originis eſt, cū vnū eſt, ſeù procedit ab alio tanquam à principio abſque vlla dependentia, & abſque eo, quòd vnum ſit, aut concipiatur eſſe ſinè alio, ità ſe habet in Diuinis Pater reſpectu Filij, hæc prioritas à Theologis, potiùs dicitur ordo, quàm prioritas.

Cōcluſio ſit: Cauſa eſt prior ſaltē prioritate Naturæ effectu ſuo; dixi ſaltē prioritate Naturæ, quia ſæpè cauſa eſt prior tēpore effectu ſuo, ità Pater eſt prior tēpore Filio; ſed nō ſemper cauſa eſt prior tēpore effectu ſuo, quia Sol non eſt prior tēpore luce, quā ex ſe producit, ſed ſolū prior prioritate Naturæ, ſeù prioritate independētiæ, & ſic etiā Anima ſuis potentijs, & omnis eſſentia ſuis proprietatibus eſt prior prioritate Naturæ, ſeù prioritate independentiæ.

Ad cauſandum etiam requiritur applicatio cauſæ, & remotio impedimentorum, ſi n. ad operandum Cauſa non ſe applicet, aut ſit impedita, non poteſt agere, & operari, quamuis ſit prior effectu ſuo, ſit debitè approximata, & verè exiſtat, quod maximè verificatur de cauſa libera, hæc enim poſitis omnibus requi-

ne ſecundum dici, aut relatione rationis, ità cauſa in actu primo accepta præciſè, vt cauſa, ſecundum hanc formalem, & præciſam denominationem, refertur ad effectum ſuum relatione rationis, & ſecundum dici, quæ relatio nō importat vllam imperfectionem, nam etiam hæc relatio rationis, & ſecundum dici reperitur in Deo reſpectu creaturarum abſq; eo, quòd in Deo imperfectio arguatur.

Obijcies primò: Cauſa in actu primo, ſeù ſecundum virtutem cauſatiuam, eſt eſſentialiter potens producere effectum, ſeù habet eſſentialiter virtutem, & potentiam producendi effectum, ſed habere eſſentialiter virtutem, & potentiam producendi effectum, eſt habere eſſentialē ordinem, & tranſcendentalem relationem ad effectum poſſibilem, ergo.

Confirmatur quia: nō poteſt intelligi cauſa, vt potens producere effectum ſine ordine, & relatione ad effectum, ergo cauſa in actu primo eſt tranſcendentaliter relatiua.

Reſpondeo: negando minorem, eius enim falſitas colligitur ex eo, quia ſi eſſet impoſſibilis omnis effectus, adhùc remaneret cauſa in actu primo, ſeù adhùc remaneret virtus cauſæ, nō quidem in ratione cauſæ productiuæ effectuum poſſibilium, & à ſe producibilium, ſed in ratione entitatis; ſicuti in probabili Sententia; quam defendit *Vaſquez 3. par. diſputat.* 21. ſi eſſent impoſſibiles omnes creaturæ, adhùc in Deo remaneret Omnipotentia, non quidem in ratione potentis omnia creare, ſed in ratione entitatis; eodem pacto, ſi ponamus Potentias reſpicere obiecta in communi, non in particulari, poſito impoſſibili omni obiecto, adhuc remaneret potentia ad illud, non in ratione potentiæ ad illud, ſed in ratione entitatis. Ità dato impoſſibili omni effectu, adhuc eſſet cauſa, eiuſq; virtus ſaltem in ratione entitatis, ſi non in ratione cauſæ habentis virtutem, ſeu vim, & potentiam ad tales effectus producendos.

Obijcies ſecundò: Cauſa in actu primo conſtituitur per actionem poſſibilē, ſed actio poſſibilis eſt tranſcendentaliter relatiua ad effectum poſſibilem, ergo etiam cauſa in actu primo eſt tranſcendentaliter relatiua. Maior probatur, quia cauſa in actu ſecundo conſtituitur per cauſalitatem, ſeu actionem actualem; ergo cauſa in actu primo conſtituitur per actionem poſſibilem.

Reſpondeo: duplicem eſſe actum primum; nempè actum primum Logicum, & actum primum Phyſicum; actus primus Logicus eſt ipſamet poſſibilitas cauſæ, ſeù non repugnantia cauſæ ad exiſtendum; actus primus Phyſicus eſt virtus productiua, ſeù effectiua alicuius, verbi gratia, virtus, quam habet Deus ad producendam Creaturam, eſt actus primus Phyſicus Dei: concedo igitur cauſam in actu primo Logico conſtitui per actionem poſſibilem, ſicuti cauſa in actu ſecundo conſtituitur per actionem exiſtentem, vt benè probat argumentū, nego tamē per actionē poſſibilē cōſtitui cauſam in actu primo Phyſico, quia in cauſa adeſt virtus productiua independenter ab omni actione, & effectu.

Obijcies tertiò: ex Ariſtotele, inter alia genera Relationum realium aſſignatur Genus Relationis fundatæ in actione, & paſſione, & conſequenter in ratione cauſæ, & effectus, ergo cauſa dicit Relationem realem ad effectum.

Reſpondeo: Cauſam, vt cauſantem concretiuè acceptam, vtique dicere relationem realem ad effectum, vt iam ſuprà explicaui; vel etiam cauſam ſequuto effectu dicere realem relationem ad effectum, generato enim Filio, reſultat relatio realis Paternitatis in Homine generante ad Filium, & ad Hominem genitum, id ego non nego; nego ſolum, cauſam in actu primo, ſeù cauſam, prout dicit virtutem productiuam effectus, dicere relationem realem ad effectum, pono enim cauſam ità conſideratam, eſſe omninò independentem ab effectu, & conſequenter non dicere realem relationem ad effectum.

LECTIO VI.

Conditiones ad Cauſandum Requiſita.

TRes ſolent enumerari Conditiones requiſitæ in cauſa ad hoc, vt effectum producat. Prima eſt cauſę exiſtentia; Secunda eſt, Propinquitas, ſeù approximatio Cauſæ, ſeù, vt alij loquūtur contactus Cauſæ cùm ſubiecto, in quod debet agere, & operari. Tertia eſt eiuſdem Cauſæ prioritas.

Quòad primam Conditionem.

Concluſio ſit: Cauſa debet exiſtere

Digitized by Google

in eo inſtanti, quo producit effectum; ità *eſt communis Sententia*.

Contrà *aliquos ex Thomiſt. Nunnum Cabezudo 3. p. q. 22. art. 1. diff. 5. §. quinta Sententia, Capreolum, Sotum, quos citat Suarez 3. part. d. 13. ſect. 7.*

Probatur Concluſio primò ex *Ariſtot. 4. Met. cap. 4. t. 16. ea, quæ non ſunt, quonam pacto loquentur, aut ambulabunt?* ergo cauſa, dum cauſat, debet exiſtere.

Probatur ſecūdò: quia nemo dat, quod non habet, ergo eo inſtanti, quo cauſa non habet exiſtentiam, non poteſt illam tribuere effectui.

Dices: Viuentia moriuntur, ergo in inſtanti mortis realiter mutantur, ergo etiam poterunt realiter operari, ſed tunc non exiſtunt, ergo.

Reſpondeo: in primis non eſſe dicendum, Viuentia mori in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diuiſo; ideſt illa quæ fuerunt viuentia, moriuntur. Præterea talis mutatio eſt mera negatio, & ideò mirum non eſt, quòd cauſa talis mutationis non exiſtat, exiſtentia enim requiritur in cauſa, vt productiua effectus realis, & poſitiui.

Dices ſecūdò: Ad hoc, vt corpus moueat aliud corpus, non requiritur, quòd ſit penetratum cùm illo, ſed ſufficit, ſi ſit illi contiguum, ergo ad hoc vt cauſa producat exiſtentiam effectus, non requiritur, quòd exiſtentia cauſæ ſit penetrata cùm exiſtentia effectus, ſed ſufficit, ſi anteà extiterit cauſa, atque adeò ſufficit, quòd ſit illi contigua.

Reſpondeo: Cauſam tunc eſſe contiguam cùm effectu, quando exiſtit ſimul cum effectu, contigua enim debent eſſe ſimul; vndè patet tale argumentum potiùs eſſe contrà Aduerſarios. Et ſanè nihil iuuat ad exiſtentiam effectus, quòd cauſa paulò anteà fuerit, perindè enim ſe habet, ac ſi nunquam extitiſſet, quia in eo inſtanti, in quo operatur, & producit effectum, non exiſtit.

Quòad Secundam Conditionem, quæ eſt approximatio Cauſæ ad ſubiectum, in quod debet operari, ſeù indiſtantia localis.

Concluſio ſit: Cauſa debet eſſe approximata ſubiecto, in quod agit. Probatur manifeſta experientia quia; ignis, verbi gratia, exiſtens Romæ, non poteſt calefacere manum meam exiſtentem Neapoli, non niſi ob defectum debitæ approximationis. Similiter paries albus in maxima diſtantia non poteſt videri ab oculo, quia non eſt in debita diſtantia, ſeù quia non eſt debitè approximatus, & conſequenter non poteſt tranſmittere ſui ſpecies ad oculum, qui proptereà non poteſt videre parietem à ſe maximè diſtantem. Ex quo factum eſt commune dictum, non datur actio in diſtans.

Vndè autem, aut ex quo capite requiratur approximatio iſta cauſæ ad ſubiectum, in quod debet agere, an ex limitatione virtutis, an ex peculiari ratione cauſæ, infrà examinabimus.

Quòad Tertiam Conditionem, quæ eſt prioritas Cauſæ ad effectum; Communis Sententia eſt; cauſam debere eſſe priorem effectu ſuo.

Noto autem tres aſſignari in Scholis Prioritates; nempè Prioritatem originis, prioritatem Naturæ, & prioritatem Tēporis. Illud dicitur prius tēpore reſpectu alterius, quod eſt in aliquo inſtāti, in quo aliud nō eſt, ideoq; talis prioritas, dicitur prioritas, in quo. Prioritas Naturæ eſt, cū duo ſunt ſimul in eodem inſtāti reali, ſeù temporis, ſed vnum eſt dependēter ab alio; ideòq; vnū non poteſt concipi abſque alio, & hæc prioritas, dicitur prioritas, à quo, ſeù prioritas indepēdētiæ. Tertia prioritas originis eſt, cū vnū eſt, ſeù procedit ab alio tanquam à principio abſque vlla dependentia, & abſque eo, quòd vnum ſit, aut concipiatur eſſe ſinè alio, ità ſe habet in Diuinis Pater reſpectu Filij, hæc prioritas à Theologis, potiùs dicitur ordo, quàm prioritas.

Cōcluſio ſit: Cauſa eſt prior ſaltē prioritate Naturæ effectu ſuo; dixi ſaltē prioritate Naturæ, quia ſæpè cauſa eſt prior tēpore effectu ſuo, ità Pater eſt prior tēpore Filio; ſed nō ſemper cauſa eſt prior tēpore effectu ſuo, quia Sol non eſt prior tēpore luce, quā ex ſe producit, ſed ſolū prior prioritate Naturæ, ſeù prioritate independētiæ, & ſic etiā Anima ſuis potentijs, & omnis eſſentia ſuis proprietatibus eſt prior prioritate Naturæ, ſeù prioritate independentiæ.

Ad cauſandum etiam requiritur applicatio cauſæ, & remotio impedimentorum, ſi n. ad operandum Cauſa non ſe applicet, aut ſit impedita, non poteſt agere, & operari, quamuis ſit prior effectu ſuo, ſit debitè approximata, & verè exiſtat, quod maximè verificatur de cauſa libera, hæc enim poſitis omnibus requi-

Digitized by Google

quiſitis ad operandum, non operabitur, niſi ſe applicet,& velit operari.

LECTIO VII.

Cauſa Materialis, & Formalis Definiuntur.

SVppono quatuor eſſe Genera Cauſarum, nempè Cauſam Materialem, Formalem, Finalem, & Efficientem Hãc Diuiſionem Cauſarum tradit *Ariſtot.* 2. *Poſt.t.*48.2.*Phy.t.*28. 1.*Met.* & *lib.*5.*c.*2. Hanc ipsã cauſarũ Diuiſionẽ agnouerũt Antiquiores Philoſophi, & Recentiores communiter receperunt; & licèt plures poſſint aſſignari rationes, quibus ſufficientia huius Diuiſionis oſtenditur, omnium potiſſima mihi videtur, ſenſus cõmunis omnium Philoſophorum; addito præſertim, quòd ſi quæ alia cauſa, præter iſtas, aſſignetur, ad vnã ex quatuor enumeratis facilè reducitur.

Quòd igitur ſpectat ad Definitionem Cauſæ materialis; ea ſic definitur ab *Ariſt.tùm hic t.*28.*tùm* 5.*Met.*2. Materialis Cauſa eſt, ex qua fit aliquid, cùm inſit; clariùs ſic redditur, ex qua inexiſtente aliquid fit, cùm inſit, vbi per terminum, *inexiſtente*, contradiſtinguitur Cauſa Materialis à Priuatione, ex qua fit etiam aliquid, ſeù Compoſitum, ſed tanquam ex termino, à quo, non tanquam ex parte inexiſtente, & componente.

Sed hæc explicatio mihi non videtur ſufficiens, debet enim Cauſa Materialis non ſolum cõtradiſtingui à Priuatione, ſed etiam à Cauſa Formali, à qua tamen non diſtinguitur, per, τὸ *inexiſtente*; dicatur ergo, ex qua *recipiente*, ſeù *ſuſtentante*, aliquid fit; ſic enim contradiſtinguitur Cauſa Materialis non ſolũ à Priuatione, ſed etiam à Forma, ſuſtentare enim, & recipere ſoli Materiæ primæ conuenit.

Verùm quia non ſolum Materia prima, ſed etiam ipſum compoſitum recipit & ſuſtentat quædam Accidentia; imò & omnis eſſentia ſiuè corporea & materialis ſiuè incorporea, & ſpiritualis, recipit ſuas proprietates, & accidentia, ideò tàm Compoſitum, quàm omnis eſſentia, imò & qualibet res recipiens aliam, reducitur ad hoc genus Cauſæ materialis, præſertim verò ipſum Compoſitum ſolet dici Materia ſecũda, & in ipſo Compoſito, vtpotè magis noto, & ſenſibus obuio, exemplificat hic Ariſtoteles genus Cauſæ Materialis, ait enim, *vt ex ære fit ſtatua, ex argento phiala.*

Quòad Definitionem Cauſæ Formalis; Hæc ità definitur ab Ariſtot. hic. *Ratio quod quid erat, eſſe*, ſeù *Ratio quidditatis.* Clariùs ſic redditur ab *Auerſa tom.* 1. *Philoſ. quæſt.* 2. *ſect.* 1 Cauſa formalis illa eſt, à qua intrinſecè actuante, aliud dependet, vbi, per τὸ *actuante*, excluduntur non ſolum cauſæ extrinſecæ, efficiens, & Finalis, ſed etiam excluditur Cauſa Materialis, quæ non actuando, ſed recipiendo concurrit.

Ad hoc Genus cauſæ reducitur omnis forma accidentalis, ſiuè naturalis, ſiuè ſupernaturalis; reducuntur omnes modi, qui etiam actuant, & informant ſubiectũ, in quo recipiuntur Denique etiam Differentia reſpectu Speciei, quam componit, & Generis, quod determinat, reducitur ad hoc genus Cauſæ, ſicuti ipſum Genus reducitur ad Cauſam Materialem.

Cæterum hæ Cauſæ ad cauſandum, præter conditiones ſuprà Lect. VI. aſſignatas, requirunt proportionem quandam, quæ ſit inter Subiectũ, & Formam; non enim quælibet Forma informare poteſt quodlibet ſubiectum, non enim poteſt ſubiectum ſpirituale recipere formam corpoream, nec è conuerſo poteſt Forma ſpiritualis informare ſubiectum corporeum, ſed requiritur aptitudo quędam, & proportio; Hæc autem proportio conſiſtit in eo, quòd ſubiectum, & Forma ſint eiuſdem ordinis, & gradus.

Altera conditio eſt, vt ſit in Materia apta præparatio, & diſpoſitio ad recipiẽdam formam, quæ in ſubiectum præuie non diſpoſitum, & minimè pręparatum, non inducitur; hæc autem diſpoſitio, & præparatio non eſt vna, & eadem reſpectu omnium formarum, ſed eſt multiplex, & diuerſa iuxtà multiplicitatem, & diuerſitatem formarum, ſic ad recipiendam formam ignis requiruntur in Materia tanquam præuiæ diſpoſitiones, calor, & ſiccitas; hinc videmus lignum viride, & humidum quàm difficillimè ignẽ concipere.

Et licèt vniuerſaliter formæ accidentales ſint pręuiæ diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales, imò ad id ſint inſtitutæ, & ordinatæ à Natura, attamen etiam vna forma accidentalis eſt præuia diſpoſitio ad

Digitized by Google

ad aliam, hinc perſpicuitas, & diapheneitas eſt diſpoſitio ad recipiendam lucem, quæ nõ niſi in ſubiectum perſpicuum, & diaphanum introducitur.

LECTIO VIII.

Cauſalitas, & effectus vtriuſque Cauſæ aſſignantur.

PRæmitto: Cauſalitatem eſſe omninò realiter diſtinctam à Cauſa Materiali, & Formali; ratio eſt quia, ſæpè eſt reperire Cauſam, & non eſt reperire cauſalitatem, non enim ſemper cauſa eſt actu cauſans, conſtituitur autem Cauſa actu cauſans per cauſalitatem; ſi ergo reperitur cauſa, & nõ reperitur cauſalitas; cauſalitas eſt realiter diſtincta à Cauſa, quæ enim ſeparantur, realiter diſtinguũtur.

Dices Materia ſemper eſt vnita formæ, atque adeò ſemper eſt actu cauſans Cõpoſitum; ſimiliter & Forma ſemper eſt actu informans Materiam, neque enim eſt reperire materiam ſinè forma, & formam ſinè materia.

Reſpondeo: Materiam ſaltem ſupernaturaliter eſſe ſinè forma, & formam materialem ſinè materia; dixi ſupernaturaliter, quia Anima Rationalis etiam de facto datur ſeparata à corpore, & materia, abſque eo quòd vllam exerceat cauſalitatem.

Si ergo Materia eſt, & non eſt actu cauſans, ergo actu cauſare, ſeù cauſalitas eſt diſtincta à materia, & non eſt de eius eſſentia, quæ enim ſunt de eſſentia materiæ, nèc ſupernaturaliter poſſunt ab illa ſeparari: eadem omninò ratio, & diſcurſus militat de forma, ſeù cauſa formali.

Concluſio mea ſit: Cauſalitas vtriuſq; cauſæ, materialis ſcilicet, & formalis, eſt Vnio ſubſtantialis, per quam materia vnitur formæ, & forma materiæ. Eſt cõmunis Sententia, quæ Argumentorum ſolutione meliùs firmabitur.

Probatur primò quia: Cauſalitas eſt quid diſtinctum, & realiter ſeparatum à cauſa tàm materiali, quàm formali, ſed tale quid diſtinctum non eſt effectus, non eſt relatio, non eſt actio generatiua, ſeù productiua formæ, ergo eſt iſte modus ſubſtantialis Vnionis. Minor probatur quia in primis non eſt effectus, quia effectus ſupponit cauſalitatem, ſeù cauſã actu cauſantem, non enim eſſet productus effectus, niſi priùs fuiſſet cauſa actu cauſans: non eſt Relatio, quia Relatio conſequitur ad cauſam actu cauſantem, Relatio enim fundatur in ipſamet cauſalitate, ex eo enim, quòd cauſa fuerit actu cauſans, oritur in ipſa Relatio cauſæ ad effectum. Deniq; non eſt ipſa actio, & generatio formæ, quia datur cauſalitas materiæ, & cauſalitas formæ abſque eo, quòd ſit productio formæ, vt patet in generatione Hominis, vbi materia, & forma, ideſt, Anima Rationalis ſupponuntur creata immediatè à Deo; ergo cauſalitas cauſæ tàm materialis, quàm formalis non eſt effectus, neque Relatio, neque actio, ſeù productio formæ, ergo debet eſſe iſte modus Subſtantialis Vnionis, nihil enim aliud eſt aſſignabile.

Probatur ſecundò Concluſio quia Cauſalitas eſt id, per quod cauſa conſtituitur actu causãs, ſed poſita ſola Vnione, præciſo quocunque alio, cauſa materialis intelligitur actu cauſans, quia poſita ſola Vnione fiunt Compoſitum, & Forma ex Materia; & viciſſim forma intelligitur actuare, & informare materiã, ergo Vnio eſt cauſalitas tàm materiæ, quàm formæ.

Verum quidem eſt: quòd Vnio prout ſe tenet ex parte Materiæ, & eſt illius cauſalitas, dicitur receptio, ſeù ſuſtentatio, prout verò ſe tenet ex parte formæ, & eſt illius cauſalitas, dicitur actuatio, ſeù informatio, atq; adeò Vnio, licèt ſit vna realiter, eſt duplex formaliter, & ſecundum noſtrum modum formalem concipiendi.

Obijcies primò: Vnio fit per actionẽ, ſeù generationem agentis, ergo Vnio non eſt cauſalitas, cauſalitas enim non fit per aliud, ſed fit ſeipſa. Confirmatur quia: ipſa actio, ſeù generatio cauſatur à Materia, ſed non cauſatur per Vnionẽ, quia Materia non vnitur ipſi actioni, ſeu generationi, ergo Vnio non eſt cauſalitas.

Reſpondeo: Vnionem non eſſe Cauſalitatem reſpectu Agentis, quia potiùs eſt terminus actionis, quæ eſt ipſamet Cauſalitas Agentis, vt infrà videbimus, ſed eſſe cauſalitatẽ reſpectu Materiæ primæ, quia per vnionem Materia cauſat recipiendo formam, & conſtituendo Cõpoſitum.

Ad Confirmationem dico: Vnionem

non

non eſſe cauſalitatem Materiæ reſpectu generationis, ſed eſſe cauſalitatem Materiæ reſpectu formæ, & reſpectu Compoſiti, ratio eſt, quia cum ipſa actio, ſeu generatio ſit modus non fit per alium modum, ſed ſeipſa, ſicuti etiam ipſa Vnio ſeipſa fit à materia, & non per aliã Vnionem; denique ipſa inhærentia accidentis fit ſeipſa, & non per Vnionem à Materia, quare patet vniuerſaliter omnem modum à Materia non fieri, & cauſari per alium modum ſuperadditum.

Dices: Vnio eſt modus, & tamen ab Agente fit per aliũ modum, quia fit per actionem, ſeu generationem, quæ propterea etiam dicitur Vnitio, ideſt, actio productiua Vnionis.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia Vnio reſpectu Agentis nõ eſt modus, ſed potius eſt terminus actionis, & generationis, at verò ipſa generatio eſt modus etiam reſpectu materiæ, quia etiam Materiam afficit modificando, & actuando modaliter.

Obijcies ſecũdò: Materia cauſat actu, quatenus ſuſtentat formas, ergo ſuſtentatio eſt cauſalitas. Confirmatur quia: Materia cauſat formam recipiendo, ſed recipere idem eſt, ac pati, & paſſio idem eſt ac actio, ergo cauſalitas materiæ eſt actio, non vnio.

Reſpondeo, tàm ad principale Argumentum, quàm ad eius Confirmationẽ; ſuſtentationem, & receptionem idem eſſe, ac Vnionem; Materiam enim recipere, & ſuſtentare in actu ſecundo formam, idem eſt, ac illi vniri: dixi in actu ſecundo, quia recipere, & ſuſtentare in actu primo non diſtinguitur ab ipſa eſſentia materiæ; quando dicitur, quòd paſſio idem eſt, ac actio verum eſt de Paſſione, quæ ſit accidens, non de Paſſione, quæ ſit ipſamet eſſentia Materiæ, neque de Paſſione in actu ſecundo reſpectu materiæ, qua ratione eſt modus ſubſtantialis Vnionis.

Obijcies tertiò: Materia prima vnitur Animæ Rationali, & tamen non eſt eius cauſa, ergo cauſalitas Materiæ non eſt Vnio.

Reſpondeo: Vnionem, qua materia vnitur Animæ rationali, eſſe eſſentialiter diuerſam ab Vnione, qua eadem Materia vnitur cæteris formis materialibus, iſta enim Vnio eſſentialitèr reſpicit Animam Rationalem, & ideò mirum non eſt, quòd talis Vnio nõ ſit cauſalitas materiæ reſpectu Animæ Rationalis. Nonnulli concedunt Materiam eſſe quoque aliquo modo causã Animæ Rationalis, hæc enim non producitur, nec operatur, ſaltem in præſenti ſtatu ſinè Materia, quę propterea poteſt dici aliquo modo cauſa; dixi aliquo modo, quia Anima Rationalis multò minorem habet à materia dependentiam, quàm habeant reliquæ formę materiales, quę propterea & ſunt, & dicũtur Materiales, quia earum eſſentia, & natura tota eſt immerſa in Materia, & omninò dependens à materia.

Obijcies quartò: Cauſalitas debet fieri, ſaltem, vt quo à cauſa, vt patet in Actione, quæ fit vt quo à cauſa efficiente, cuius eſt cauſalitas, ſed Vnio non fit à forma, quia non informatur à forma, ergo non eſt cauſalitas reſpectu formæ.

Confirmatur quia: iſta Vnio poteſt ſaltem ſupernaturaliter à Deo creari, ſed in tali caſu, nec in materia reciperetur, nec ab illa cauſaretur, quia creatio eſt omninò independens à Materia, & ſubiecto, ergo.

Reſpondeo: Vnionem informari, vt quo à forma, Materia enim informatur mediante vnione; & ità Vnio ſe habet, vt id, quo forma Materiam actuat, & informat.

Ad Confirmationem Reſpondeo, negando Maiorem, quia enim Vnio eſt eſſentialiter duorum Vnio, non poteſt ſola Vnio creari.

Quòd ſpectat ad effectus Materiæ primæ, vt cauſa materialis eſt, ſolent enumerari duo; nimirũ Forma, & Compoſitum; & ſane Materia cauſat formam, illam recipiendo, & ſuſtentando. Cauſat verò Compoſitum, illud intrinſecè conſtituendo, tanquam eius intrinſeca, & eſſentialis pars conſtitutiua.

LECTIO IX.

Definitio, & Diuiſio Cauſæ finalis.

Licèt aliqui cauſam finalem è numero Cauſarum excludant, Communis tamen, & concors Philoſophorum Sentẽtia inter reliquas cauſas Phyſicas, finalẽ etiam cauſam agnoſcit vnà cùm Ariſtotele, Platone, & alijs ex Antiquis.

Definitur ergo ab Ariſt. Cauſa finalis, tum

tùm hic *c.3.t.39.* tùm etiam *2.Met.t.8.id, cuius gratia aliquid fit, vt deambulandi ſanitas*. Hæc Definitio ſic clariùs redditur; finis eſt, cuius gratia cætera fiunt, ipſe verò nullius gratia. verbi gratia, deambulatio, & ſciſſio venæ fit propter ſanitatem, ſeù ſanitatis gratia, ſed ad ſanitatem eſt ordinata, ipſa verò ſanitas non eſt ordinata ad ſciſſionem venæ, aut ad deambulationem, nec ad aliquid aliud.

Et ſanè ea, quæ ad aliud, tanquam ad finem, ordinantur, dicuntur media; id verò, ad q alia ordinantur, dicitur finis, ſeù Cauſa finalis, ſic ambulatio, & ſciſſio venæ ſunt media reſpectu ſanitatis, quia ad ſanitatem conſequendam ordinantur, & conducunt; ipſa verò ſanitas dicitur finis, & Cauſa finalis. Hinc media dicuntur amari, & eſſe volita non propter bonitatem, quam habeant in ſe, ſed propter bonitatem finis, ipſe verò finis dicitur amari, & eſſe volitus propter bonitatē, quam in ſe habet; ità ſciſſio venę non eſt volita, & amata à voluntate propter bonitatem, quam habeat in ſe, imò potiùs ſecundum ſe eſt inuiſa Voluntati, ſed amatur propter bonitatem ipſius Sanitatis, Sanitas verò ſeipſa amatur, & propter bonitatem, quam in ſe habet.

Quòad Diuiſionem Cauſæ finalis.

Diuiditur primò finalis Cauſa, ſeù finis, in finem cui, & in finem, cuius gratia; quæ Diuiſio ſumitur ex *Ariſtot.2.de Anima t.37.& 2.Phyſ.24.* Finis cuius, eſt id, cuius adipiſcendi, vel acquirendi gratia aliquid fit, vt ſanitas, cuius gratia eſt facta ſciſſio venæ; vndè etiam ſolet dici finis quod, vel qui debet acquiri; finis cui eſt is, cui alius finis eſt acquirendus, vt ſanitas, quæ eſt acquiſita, ſi eſt acquiſita mihi, vel Petro, ego vel Petrus ſum, vel eſt finis, cui. Vndè benè habet *Ariſt. hic t.24. vtimur omnibus, quæ ſunt, propter nos, ſumus enim quodammodo, & nos finis.*

Secundò diuiditur finis in finem vltimum, & non vltimum; finis vltimus eſt is, ad quem omnia ordinantur; finis non vltimus, vel proximus eſt is, ad quem proximè tendit intentio, vel operatio agentis. verbi gratia, Deus eſt finis vltimus actus boni, & honeſti, at finis proximus benè, & honeſtè operantis, eſt ipſamet operatio bona, & honeſta.

Obijcies primò contrà aſſignatam Definitionem, Cauſa finalis nihil producit, nec dat eſſe alicui, ergo non eſt illa, cuius gratia aliquid fit. Antecedens probatur, quia Cauſa finalis non exiſtit, vt patet manifeſtè in ſanitate, à qua tanquā à fine mouetur infirmus ad ſumenda medicamenta, & tamen ſanitas non exiſtit, & ſæpè etiam non acquiritur per medicamenta, atque adeò ſæpè non ſolùm non exiſtit, ſed neque eſt futura: ſed quod non exiſtit, non poteſt dare eſſe alteri, ergo.

Reſpondeo: finem, ſeù Cauſam finalē eſſe poſſibilem, atque adeò habere exiſtentiam poſſibilem, licèt non habeat exiſtentiam actualem; ſufficit autem talis exiſtentia ad hoc, vt Cauſa finalis ſit actu cauſa, & actu det eſſe alteri, quia non dat eſſe alteri per influxum realem, ſed prout eſt in apprehenſione, & cognitione; ſanitas enim, verbi gratia, apprehenſa, & cognita, vt bona, & acquiſibilis ab Intellectu infirmi, mouet illum ad ſumenda medicamēta; vbi ſumptio medicamentorum fit gratia ſanitatis, non quidem actu exiſtentis, ſed actu apprehenſæ, vt quid bonum, & vt quid acquiſibile. Dixi, vt quid bonum, quia ratio motiua in Cauſa finali, ſeù ratio formalis cauſandi eſt bonitas; dixi, vt quid acquiſibile; quia finis, ſaltem debet eſſe poſſibilis, quamuis actu non exiſtat, ſi enim apprehenderetur, vt impoſſibilis, & vt nō acquiſibilis, non moueret Agēs ad operandum.

Obijcies ſecundò: Omnis Cauſa eſt principium, ſed finis non poteſt eſſe Principium, Principium enim, & finis opponuntur, ergo.

Reſpondeo, finem, & principium opponi, prout nomine principij venit extrema, ſeù vltima pars rei alicuius, non prout nomine principij venit Cauſa finalis, ſic.n. verè cauſa finalis eſt prīcipiū earum actionum, quæ fiunt ab agente in ordine ad acquirendum, & conſequendū finem.

Obijcies tertiò contrà Diuiſionem aſſignatam finis; Finis eſt id, cuius gratia cætera fiunt, ipſe verò nullius gratia, ergo non benè diuiditur finis in finem cui, & finem cuius gratia; in finem vltimū, & finem non vltimum, quia finis, cuius gratia non debet ordinari ad finem cui, nec finis non vltimus debet ordinari ad finem vltimum, aliàs non eſſet finis, ſed potiùs medium, id enim quod ad aliud ordinatur, habet rationem medij, non finis.

Reſpondeo cū *D.Thoma 1 2.quæſt.13. art.*

Digitized by Google

art.3. finem reſpectu Voluntatis ità ſe habere, ſicuti ſe habet principium, ſeù premiſſa reſpectu Intellectus, ſicuti enim vna præmiſſa probatur per aliam, & alia per aliam, quòad vſque perueniamus ad præmiſſas per ſe notas, & indemonſtrabiles; ità Voluntas vnum obiectum vult, & amat propter aliud, & aliud, quòuſque perueniat ad obiectũ, quod per ſe amet, & velit, & non in ordine ad aliud; vndè ſicuti vna præmiſſa reſpectu Concluſionis eſt præmiſſa, & reſpectu alterius præmiſſæ notioris, & certioris, ſe habet vt Concluſio, ità aliqua obiecta ſunt media reſpectu finis, & ſunt finis reſpectu aliorum mediorum; ità Sanitas, verbi gratia eſt finis reſpectu ſciſſionis venæ, ſed eſt medium reſpectu Hominis, cui Sanitas comparatur; actio bona, & honeſta eſt medium reſpectu Dei, qui eſt vltimus finis, ſed eſt finis reſpectu Agentis intendentis operationem honeſtam, & bonã, patet ergo idem reſpectu diuerſorum benè eſſe poſſe finem, & medium, medium, & finem.

LECTIO X.

Ratio Formalis Cauſandi in Fine aſſignatur.

Ex dictis ſuperiori Lectione patet Finem Cauſare, quatenùs exiſtit in apprehenſione; & quatenùs in ſe habet aliquam bonitatem, intantum enim Agens Intellectuale mouetur ad procuranda media conducentia ad aſſequendum finem, in quantum apprehendit in fine aliquam bonitatem ſibi bonam, & conuenientem; ſi enim in fine non eſſet aliqua bonitas, vel ſi eſſet aliqua bonitas, & illa non eſſet apprehenſa, ſinè dubio Agens non moueretur, nec procuraret media, quibus aſſequatur, & ſibi finem comparet; ſi ægrotus non apprehenderet in ſanitate eſſe bonitatem ſibi maximè conuenientem, non procuraret potionem Medicinæ; & ſciſſionem venę; duo ergo ſunt in fine cauſante, ſeu mouente Agens ad operãdum, nimirum Bonitas, & Apprehenſio, ſeu cognitio Hinc oritur difficultas, quęnam ſit ratio formalis cauſandi in fine, Bonitas finis, an Apprehenſio, ſeu Cognitio finis; vtrumque enim requiritur, vtrumque ità neceſſariò concurrit, vt altero, & quolibet eorum deficiente, finis non cauſet, & Agens non ſe moueat ad procuranda media conducentia ad finem.

Concluſio ſit: Bonitas realis eſt ratio formalis, ſeu virtus cauſandi in fine, cognitio vero, & apprehenſio talis bonitatis eſt cõditio, ſinè qua non, ſeu eſt ratio applicans virtutem cauſatiuam ad cauſandum.

Ità *D. Thomas* 1. *contra gentes cap*. 75. *&* 1. *part, quæſt*. 80. *art*. 1. *ad primum, Scotus in* 2. *d*. 25. *quæſt*. 2. *Gab. in* 1. *d. quæſt*. 5. *ar*. 1. *Caiet*. 1. 2 *quæſt*. 1. *art*. 1. *&* 1. *par quæſt*. 1. *art*. 4. *Ferrarien. lib. contrà gentes cap*. 44. *Iauellus* 5. *lib. Met. quæſt* 15. *Scotus lib*. 2. *Phyſ. quæſt*. 3 *Complutenſes hic diſpu*. 14. *q*. 4. *S*. 2.

Ex Recentioribus, *Tol. quæſt*. 14. *Pererius lib*. 8 *quæſt*. 4. *Fonſeca* 5. *Met. cap*. 2 *qu*. 11 *Conimb*. 2. *lib. Phyſic cap*. 7. *qu*. 23 *Suarez diſp*. 23 *ſect*. 8 *Rubius lib*. 2 *Phyſ tract*. 5 *q*. 5. *n*. 41. *Auerſa tom*. 1. *Philoſ. q*. 13. *ſect*. 6. *Quiedo, & Arriaga hic*.

Contrà *Auicennam* 6. *Met. cap*. 5. *Capreol in* 2. *d*. 25. *q*. 1. *art*. 3 *Medinam* 1. 2. *q*. 1 *ar* 1. *Soncin*. 5 *Met q*. 3.

Probatur Concluſio primò quia: finis cauſat ſecundum quod mouet Voluntatem Agentis ad operandum; ideſt, ad procuranda media conducibilia, & vtilia ad conſequendum finem, vt ſequenti Lect. ſuſius explicabimus, ſed id, quod mouet Voluntatem Agẽtis eſt realis bonitas, non eſt apprehenſio, ſeu cognitio, quia potentia mouetur à ſuo obiecto, quod propterea etiam dicitur motiuum, obiectum autem, & motiuum Voluntatis eſt bonitas, ſicuti enim motiuum Intellectus eſt verum, ſeu veritas ità motiuum Voluntatis eſt bonitas, ergo.

Probatur ſecundò quia: finis ſecũdum eam rationem formaliter cauſat, ſecundum quam ſatiat appetitum, & qua obtenta dicitur Agens habuiſſe intentum, & qua non adepta, dicitur ſuo fine fruſtrari, vt patet ex cõmuni loquutione, & ex *Ariſt*. 2 *Phyſ*. 6. *Vt ambulare, ſi purgationis gratia eſt; ſi verò non facta fuit ambulanti, fruſtrà dicimus ambulaſſe, & quòd ambulatio fruſtrà fuit*. Sed id, quod ſatiat appetitum, & quo obtento Agens nõ dicitur fruſtari fine ſuo, eſt realis bonitas, ſiuè exiſtens, ſiuè apprehenſa, non verò cognitio ipſa, aut apprehẽſio, ergo ratio formalis cauſandi in fine, & ratio cauſatiua eſt bonitas, nõ cognitio, vel apprehenſio.

Di-

Digitized by Google

Dixi bonitas realis, vel exiſtens, vel apprehenſa, quia ſæpè accidit, in obiecto mouente Voluntatem realiter non eſſe bonitatem, vt quando Voluntas impoſſibilia, aut etiam ſibi noxia, & pernicioſa deſiderat, & procurat, ſed tamen in his caſibus adeſt in tali obiecto bonitas realis apprehenſa, & propoſita Voluntati ab Intellectu; quæ non minus mouet Voluntatem, quàm bonitas verè realiter exiſtens à parte rei, vt benè notat hic *Ariſt.* 31. *Differt autem nihil dicere, idē bonum, vel apparens bonum, &* 8. *A Eth. c. 2 amat vnuſquiſque, non quod ipſi eſt bonum, ſed quod apparet, ſed id, nihil refert, quia amabile apparens erit*, in qua Doctrina communiter recepta fundatum eſt vulgare dictum, *nemo reſpiciens ad malum, operatur*.

Quòd autem Cognitio, & apprehenſio requiratur, tanquam Conditio ſinè qua non, & tanquam ratio applicans; probatur quia: Voluntas eſt potentia cæca, atque adeò non poteſt ſe ſola videre, & proſequi obiectum, indiget ergo illuminari ab Intellectu per obiecti propoſitionem; debet ergo cognoſci obiecti bonitas, eaque repræſentari Voluntati, cōſequenter cognitio, & apprehenſio bonitatis realis eſt Conditio ſinè qua non, & applicatio Voluntatis ad operandum, ideſt, ad procuranda media conducibilia, & vtilia ad conſecutionem finis.

Confirmatur quia: ſicuti in cæteris cauſis requiritur tanquam conditio ſinè qua non, approximatio Cauſæ ad ſubiectum, in ꝙ debent operari; ità vt Volūtas moueatur à bonitate reali finis, debet talis bonitas veluti approximari Voluntati, approximatur autem per cognitionem, & apprehenſionem, ergo cognitio, & apprehenſio bonitatis ſe habet tanquam conditio, ſinè qua non.

Obijcies primò: Finis cauſat, quando non exiſtit, ſed quando non exiſtit, non habet bonitatem realem, ſed ſolum bonitatem intentionalem, & apprehēſam, ergo non bonitas realis, ſed apprehenſio eſt ratio formalis cauſandi in fine.

Confirmatur quia: ſæpè ab Intellectu proponitur Volūtati aliquod obiectum impoſſibile, ſed in obiecto impoſſibili nulla eſt realis bonitas, niſi illa, quæ fingitur, & apprehenditur ab Intellectu, ergo etiam ipſa apprehenſio eſt ratio formalis, & virtus cauſatiua in fine.

Reſpondeo; aliud eſſe vi apprehenſionis, & cognitionis repræſentari Voluntati bonitatem realem, quæ aliàs non poſſet mouere Voluntatem; & aliud eſſe formalem rationem, & virtutem motiuam Voluntatis eſſe apprehenſionem, & cognitionem; quando ergo in fine nō eſt bonitas actu exiſtens, vel etiam quādo eius bonitas eſt impoſſibilis, adhùc tamen per apprehenſionem repræſentatur Voluntati aliqua bonitas, realis in ſe, ficta tamen per Intellectū, & hæc eſt, quæ mouet Voluntatem, non ipſa apprehenſio, non ipſa fictio.

Obijcies ſecundò: ſi cognitio eſſet conditio ſinè qua non, & ratio formalis finalizandi, vt ità dicam, poſſet ſaltem de abſoluta potentia, bonitas realis finis mouere Voluntatem nulla præuia cognitione, ſeù apprehenſione talis bonitatis, ſicuti quia approximatio in cæteris Cauſis ſe habet, vt conditio ſinè qua non, poteſt de abſoluta potentia ſuppleri, ità vt Agens agat in diſtans, ſed hoc eſt falſum, quia nec de abſoluta potentia Voluntas poteſt ferri in incognitum, nihil enim volitum, quin præcognitum, ergo cognitio non ſe habet, vt conditio, ſed vt ratio formalis cauſandi.

Reſpondeo: in primis non omnes cōditiones poſſe ſupernaturaliter ſuppleri, nam etiam exiſtentia eſt conditio ſinè qua non, & non eſt virtus formalis cauſandi, & tamen non poteſt ſupernaturaliter ſuppleri, neque enim de abſoluta potentia poteſt fieri, vt Cauſa non exiſtens agat, & operetur. Dico prætereà; plures ex Philoſophis probabiliter defēdere, poſſe Voluntatem in incognitum ferri Ità *Ouiedus Controu. 7. de Anima pun. 3. Palud. in 4. d. 49. quæſt. 1. art. 2. num. 29.* quē videtur ſequi *Gregorius ibidem Ochamus quæſt. 77. art. 7. & 15.* & nonnulli ex myſticis Theologis, aſſerentibus eos, qui altiſſimæ contemplationi dediti ſunt poſſe peruenire ad eum ſtatum, in quo Voluntas ſinè præuia cognitione bonū diligat.

Obijcies tertiò: Actus Volūtatis motæ à fine ſpecie diuerſificatur ex diuerſitate cognitionis, & apprehenſionis, ergo cognitio, & apprehenſio ſe habet, vt ratio formalis, non vt conditio, actus enim ſpecie diuerſificantur ex diuerſa ratione formali. Antecedens probatur quia: ſi apprehendatur bonum abſolutè, cauſatur amor, ſi apprehendatur bonum, vt abſens, cauſatur deſiderium, ſi

Digitized by Google

apprehendatur, vt præſens, cauſatur gaudium, vel delectatio, ergo.

Reſpondeo: quod licèt eſſe præſens, vel abſens habeatur per apprehenſionem, tamen id, quod eſt præſens, vel abſens eſt ipſa realis bonitas; & hæc eſt, quæ deſideratur, & quæ delectat, quare ipſa bonitas eſt ratio formalis ſpecificatiua eorum actuum, licèt requirant tanquam condionem, ſinè qua non, quòd ſit præſens, vel abſens.

LECTIO XI.

Cauſalitas finis declaratur.

COmmunis Sententia Philoſophorum pro Cauſalitate finis motionem metaphoricam aſſignat; quid autem ſit motio metaphorica, ſic explico.

Præmitto: nomine motionis, ſeù motus venire motum phyſicum propriè, & in rigore, ſiuè ſit generatio, ſiuè augmentatio, ſeù alteratio, ſiuè latio, quæ idem eſt ac motus localis, qui omnium proprijſſimè, & per antonomaſiam dicitur motus. & motio. Hinc per metaphoram nomen motus, & motionis attributum eſt etiam actibus Intellectus, & Voluntatis, nam operatio Intellectus, ſeù ipſa cognitio motio dicitur, actus Voluntatis, amor ipſe, motio dicitur; & quando Intellectus operatur, dicitur ſe mouere, quando operatur Voluntas, dicitur ſe mouere, ſed talis locutio eſt metaphorica, & tranſlatitia, ità Voluntas, quando amat aliquod obiectum bonum, dicitur ſe ſe mouere, & quodammodo ad illud ire, in quo eſt fũdatum commune dictum; Anima plus eſt, vbi amat, quàm vbi animat, quia Voluntas amando Obiectum, quaſi ad illud ſe transfert.

Præmitto ſecundò: Ad actum Intellectus, & Voluntatis concurrere etiã obiectum, ſed diuerſo modo; & quidem ad actum Intellectus obiectum, quod eſt verum, concurrit intrinſecè, quia concurrit tranſmittendo ſui ſpeciem ad Intellectum, ſimul cùm quo conſtituit vnum intrinſecum Principiũ Intellectionis, in quo fundatur vulgare dictum, ex obiecto, & potentia páritur notitia; obiectũ verò voluntatis, ꝙ eſt bonum, concurrit & ipſum ad actum Volũtatis, ſed extrinſecè, ideſt, alliciendo, & trahendo; quia nimirum Intellectus oſtendendo, proponendo, & repræſentando bonum Voluntati, illam trahit, & allicit, vt illud obiectum amet, & proſequatur, ſimili ratione, qua ramum viridem oſtendis oui, & illam trahis, & allicis; nuces puero, & illum trahis, & allicis ad tui proſecutionem.

Quando ergo Intellectus oſtendit, & repræſentat Voluntati noſtræ realem bonitatem, quæ eſt in fine, talis bonitas oſtenſa, & repræſentata allicit Voluntatem, & trahit ad amorem, & proſecutionem ſui; qui amor, & quæ proſecutio, dicitur motio metaphorica; & hanc eſſe cauſalitatem Cauſę finalis, docet Sententia Communis, quare ſit.

Concluſio mea: Cauſalitas finis eſt motio metaphorica, ſeù actus amoris à Voluntate elicitus vi bonitatis realis apprehenſæ ab Intellectu, & repræſentatæ Voluntati.

Probatur Concluſio quia: Cauſalitas eſt id, quo poſito intelligitur cauſa actu cauſans ſed poſita metaphorica motione intelligitur finis actu cauſare, ergo. Probatur Minor, quia poſita motione metaphorica, & amore Voluntatis circà bonitatem finis, Voluntas vlteriùs progreditur ad procuranda media conducibilia ad finem conſequendum, ergo iam procurat media gratia finis, & cõſequẽter poſita motione metaphorica, & amore finis, intelligitur finis actu cauſare.

Obijcies primò: amor bonitatis finis eſt effectus finis, ergo non eſt eius cauſalitas: effectus enim, & cauſalitas diſtinguuntur.

Confirmatur quia: Bonitas finis, allicit, inuitat, & trahit Voluntatem, ſed eo ipſo, quo finis intelligitur allicere, & trahere Voluntatem, intelligitur eius cauſalitas, ergo Cauſalitas finis nõ eſt amor, aut aliquis alius actus elicitus à Voluntate.

Reſpondeo: Amorem bonitatis finis eſſe effectum finis, vt quo, non effectum, vt quod; ſicuti etiam actio eſt effectus efficientis, vt quo, non vt quod.

Ad Confirmationem dico: non poſſe intelligi, quid ſit, bonitatem finis allicere, & trahere Voluntatem abſque aliquo actu Volũtatis elicito à Voluntate tanquam ab intrinſeco principio, & ab ipſa bonitate obiectiuè, & extrinſe-

cè

Digitized by Google

cè concurrente, aliter enim non video, quomodo poſſit explicari iſta allicientia, ſeù tractio, ſed talis actus Voluntatis nō poteſt eſſe alius, quàm amor Bonitatis iam cognitæ, & repræſentatæ, ergo iam talis amor eſt vera Cauſalitas finis. Quòd ſi velis, talem amorem appellare elicientiam, ſeù tractionem, ſeù etiam finalizationem, vt alij loquuntur; parum refert, quomodo loquaris in hac materia, dummodo benè ſentias.

Obijcies ſecundò: ſi cauſalitas finis eſſet motio metaphorica, iam finis non eſſet Cauſa Phyſica, & realis, ſed potius cauſa moralis, ſed hoc videtur abſurdum, ergo.

Probatur Minor, quia cauſalitas finis non eſſet realis, ſed metaphorica.

Reſpōdeo: motionem metaphoricam non dici metaphoricam, quaſi non ſit realis, ſed dici metaphoricam relatiuè ad motum localem, qui omnium proprijſſimè dicitur motus, ſeù motio; fateor tamen Cauſam finalem in genere cauſæ non eſſe ità perfectam, ſicuti eſt Cauſa efficiens, quæ propterea habet cauſalitatem magis perfectam, quàm ſit Cauſalitas cauſæ finalis, actio enim, quæ eſt cauſalitas efficientis eſt ab illa, tanquam ab intrinſeco principio effectiuo; Cauſalitas verò finis fit à fine, tāquam à principio duntaxat extrinſecè concurrente modo explicato.

Obijcies tertiò: Cum finis allicit, eo pacto mouet, quo is, qui conſulit, vterq; in inuitat, obiectū appetitui, & Volūtati proponendo, ſed motio conſulentis ſpectat ad Cauſam efficientem, ergo. Minor probatur ex *Ariſtot. 2. Phyſ. cap. 3 t. 29. Præterea id, vndè mutationis, aut quietis primum eſt principium, qualis cauſa eſt, is, qui conſulit*; ergo.

Reſpondeo: quòd motio metaphorica, ſeù actus amoris elicitus à Voluntate vi bonitatis realis apprehenſæ in fine, ſpectat ad genus cauſæ effectiuæ, & ad genus cauſæ finalis ſecundum diuerſam rationem, nam actus amoris, prout elicitur à Voluntate, eſt vera actio procedēs à Voluntate, tanquam à cauſa effectiua; prout verò talis amor eſt elicitus vi illius bonitatis extrinſecè concurrentis, ſpectat ad Cauſam finalem.

Obijcies quartò: etiam ea, quæ carent cognitione, operantur gratia finis, & tamen à fine non alliciuntur modo explicato, ergo talis motio metaphorica, ſeù allicientia non eſt Cauſalitas finis.

Reſpondeo: quòd in Agentibus propter finem aliqua magis propriè, aliqua minus agunt propter finem; & quidem rationalia proprijſſimè agunt propter finem, vt patet; animalia ſenſibilia minùs propriè, quia cognoſcunt ſolùm finem media cognitione ſenſitiua; adhùc minus propriè res inſenſibiles, quia nō habent ipſæ cognitionem finis, & mediorum conducentium ad finem, ſed vice illarum Deus, vt Auctor Naturæ, habet talem cognitionem, ità Deus cognoſcit bonitatem fructuum, vtilitatem frōdium ad fructus tegendos, ex qua cognitione facit in arbore tale temperamentum, vt poſſit ſuis temporibus facere frondes ad tegendos fructus, quod temperamentum benè poteſt appellari naturalis appetitus frondium; Hinc eſt, vt opus Naturę, dicatur opus Intelligentiæ; ideſt, Dei, qui ſicuti naturas rerum creauit, ità eaſdem regit, & gubernat, dirigendo ad finem, & dictando media conducibilia ad finis conſecutionem.

LECTIO XII.

Cauſa Exemplaris, ſeù Idealis explicatur.

DVo ſunt hic explicanda de Idæa; primum quid ſit Idæa, ſecundum, ad quod Genus Cauſæ Idæa reducatur.

Quò ad Primum.

Idæam Græci, Exemplar, ſeù etiam formam Latini appellant id, ad cuius ſimilitudinem Agens Intellectuale operatur, dum facit opus; neque enim hic nomine Ideæ venit Idæa Platonis, ſeù Natura aliqua Vniuerſalis à ſingularibus abſtracta, & ſeparata: de qua in Logicis.

Porrò Idæa triplex aſſignatur; primò quidem Idæa externa, ſeù externus modulus operis faciendi ab artifice, verbi gratia, Architectus, ſi velit nouum Templū ædificare, vel archetypum ligneum conſtruit, vel etiam in tabula, aut carta delineat noui templi conſtructionem; ſecundò nomine Ideæ intelligitur cōceptus noſter obiectiuus; ideſt, ipſa res faciēda, prout mente concipitur, antequam enim opus exiſtat in ſe, mente præconcipitur, & hæc Idæa appellatur Idæa obiectiua. Tertiò nomine Ideæ venit conceptus ipſe formalis rei faciendæ,

Agens

Agens.n.Intellectuale antequã opus aliquod aggrediatur, format de tali opere verũ, formalẽ conceptũ, & per hoc contradiſtinguitur Agens Intellectuale ab alio quocunq; Agente non Intellectuali, quia nimirum Agens Intellectuale prius intelligit, & format de re à ſe facienda conceptum, & deindè opus aggreditur, vndè patet Idæam habere locum ſolùm in Agente Intellectuali, ſicuti & ratio cauſæ finalis ſolùm quoque in Agente Intellectuali reperitur.

Definitur Idæa ab *Ariſt.7. Met. cap.7. t.32.* eſſe illud, in quod Artifex inſpiciẽs, operatur; quia nimirum omne Agens Intellectuale, antequam faciat externum aliquod opus, illud prius concipit, & ad ſimilitudinem obiecti à ſe concepti, externum opus efformat, & ideò Agens Intellectuale dicitur imitari Idæam in ſuis operationibus, & Idæa definitur à *D. Auguſtino lib.12. de Ciuit. Dei cap.25.* eſſe forma, quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem.

Ex qua duplici definitione Idęæ; Ariſtotelis, nimirum, & D. Auguſtini, patet, nomine Idęæ propriè, & in rigore venire conceptum obiectiuum rei faciendæ. Probatur quia, Idæa eſt id, in quod inſpiciẽs Artifex, operatur, ſed Artifex inſpicit conceptum obiectiuũ rei faciendæ, non conceptum formalem, ergo.

Probatur minor quia: Artifex volẽs nouum Templum ædificare, non intendit aſſimilare tale opus ſuo conceptui formali, & cognitioni, non inſpicit ſuam cognitionem, aut ſuprà illam reflectit, imò nè quidem de illa cogitat, imò potius inſpicit Templum à ſe mente præconceptum, vt patet experientia, ergo.

Dices primò: Artifex non inſpicit cõceptum obiectiuum, ſed potius externũ modulum in carta, vel etiam in tabula efformatum, ergo neq; conceptus obiectiuus eſt Idæa.

Reſpondeo: etiam externum modulum eſſe efformatum ad ſimilitudinem conceptus obiectiui. prius enim Artifex Templum aliquod, verbi gratia, mente præconcipit, deindè illud in carta, aut tabula exprimit, poſtremò opus externum, & ædificationem noui Templi aggreditur.

Dices ſecundò: Idæa eſt illa, quam Artifex imitatur, & ad cuius ſimilitudinem operatur, ſed Artifex non operatur ad ſimilitudinem conceptus obiectiui, conceptus enim obiectiuus non diſtinguitur ab opere externo, idem autem nõ poteſt eſſe efformatum ad ſimilitudinem ſuimetipſius, ergo non benè nomine Idęæ venit conceptus obiectiuus.

Reſpondeo: Idem benè poſſe eſſe efformatum ad ſimilitudinem ſuimetipſius, ſi conſideretur in diuerſo ſtatu, nam nouũ Templum, verbi gratia, prout eſt à parte rei, benè poteſt eſſe efformatum ad ſimilitudinem ſuimetipſius, prout mente cõcepti, & cogniti.

Quò ad Secundùm initio huius Lectionis propoſitum, nimirum, ad quodnam Genus Cauſæ Idæa reducatur.

Prima Sententia reducit Idæam ad Genus Cauſæ formalis. Ità *Albertus Magnus in 1. diſt.20. art.1. Durandus diſt.45. quæſt.2. Argent. art.2. AEgid. prop.35. de Euchar. Caiet.1. par. quæſt.6. art.3. & quæſt. 44. art.3. Fonſ.5. Met. cap.2. quæſt.7. ſect.5. Commb. hic cap.7. quæſt.4. art.2.*

Secunda Sententia reducit Idæam ad Genus Cauſæ efficientis. Ità *D. Thomas in 1.d.2.q.vnica, Scotus quæſt.2. D. Bonaue. in 3.d.11. quæſt.2. Alenſis 1. part. quæſt. 23. memb.4. art.1. Henricus in 1.d.36. quæſt.1. Pererius lib.8. cap.1. Suarez tom.1 Met. diſp.25. ſect.2. num.8. Ruuius hic tract 5. q. 6. nu.80. Auerſa tom.1. Philoſ. q.15. ſect.1.*

Concluſio ſit: Idæa reducitur ad Genus Cauſæ efficientis.

Probatur Concluſio primò: Auctoritate *Ariſtot.7. Met. t.23.* quomodo ex ſanitate, ſanitatem accidit fieri, & domum ex domo quæ ſinè Materia, eam, quæ habet materiam; vbi per domum ſinè materia intelligit domum mente conceptam, ex qua fit domus externa, & materialis, ſicuti & ſanitas fit ex ſanitate mẽte concepta.

Probatur ſecundò quia: Idæa concurrit ad faciendum opus externum regulando, & dirigendo Agens Intellectuale in factione talis operis, ſed concurrere regulatiuè, quomodo concurrunt omnes Artes, eſt concurſus in Genere Cauſæ effectiuæ, ergo.

Obijcies primò: Cauſa efficiens debet eſſe realiter exiſtens, ſed Idęa non exiſtit realiter, ſed duntaxat intentionaliter, & in mente, quomodo exiſtit cauſa finalis, ergo potiùs Idæa reduci debet ad Genus Cauſæ finalis, quàm ad Genus Cauſæ efficientis.

Reſpondeo: quòd licèt Idæa in modo exiſtendi aſſimiletur Cauſæ finali, vt

oſten-

Digitized by Google

oſtendit Argumentum, in modo tamen operandi aſſimilatur Cauſæ efficienti, quia Idæa non mouet Agens ad operandum, alliciendo, & trahendo per ſui bonitatem, quem mo um operandi ſeruat Cauſa finalis; ſed potius Idæa operatur regulando, dirigendo, & illuminando Agens ad operandum, vti faciunt etiam omnes Artes, qui modus operandi regulatiuè, directiuè, & illuminatiuè, eſt modus operandi cauſæ effectiuæ; quæ licèt debeat realiter exiſtere, quando realiter influit, & dat eſſe effectui, non debet tamen realiter exiſtere, quando concurrit ſolùm dirigendo, & regulando.

Obijcies ſecundò: Idæa, & exemplar inſeruit Agenti, vt conferat effectui determinatam Speciem, & Formam, ideò enim Agens exteriùs producit potiùs nouum Templum, quàm aliud quodcũque opus, quia in mente præhabet Idæã Templi, non alterius operis, ſed cauſa formalis eſt illa, quæ dat Speciem operi, ergo Idæa potius reducitur ad Genus Cauſæ formalis, quàm ad Genus Cauſæ efficientis.

Reſpondeo: Cauſam formalem dare Speciem effectui dando ſeipſam effectui, tanquam alteram eius partem intrinſecam, quomodo Idæa non dat Speciem effectui, & operi, quod Agens producit; Idæa enim dat Speciem operi, & effectui regulatiuè, & directiuè modo ſuprà explicato.

Obijcies tertiò: Idæa definitur eſſe forma, quam imitatur Artifex, ſed forma non poteſt reduci ad aliud Genus Cauſæ, quòd non ſit Cauſa formalis, ergo.

Reſpondeo: etiam Artes eſſe formas, ſeu habitus Intellectuales, & tamen non ad Genus Cauſæ formalis, ſed ad Genus Cauſæ effectiuæ reducuntur; etiam Anima Rationalis eſt forma, & tamen eſt principium effectiuum ſuarum operationum; eſto igitur, Idæa ſit forma, non tamen ſequitur, eam eſſe reducendam ad Cauſam formalem, ſed benè poſſe reduci ad Genus Cauſæ efficientis.

LECTIO XIII.

Definitur Cauſa efficiens, & Varia eius Diuiſio.

DEfinitur Cauſa efficiens ab *Ariſt.* *tùm hic cap. 2. & 3. tùm 5. Met.* eſſe, vnde primum principium eſt mutationis, & quietis; quæ definitio, quia obſcura ſit clarius redditur à *Suarez diſput. 17. Met. ſect. 1. à Rubio hic tract. de Cauſa efficienti num. 1. ab Auerſa tom. 1. Philoſ. q. 14. ſect. 1.* Cauſa efficiens eſt Principium per ſe, à quo primò eſt, aut fit mutatio, & quies.

In qua Definitione, *Principium*, ſtat loco generis, reliquæ verò particulæ ſũt appoſitæ loco differentiæ, & per eas cõtradiſtinguitur Cauſa efficiens à Cauſa finali, quia Cauſa finalis non eſt illa, à qua eſt mutatio & quies, ſed eſt illa propter quam eſt motus, aut quies; contradiſtinguitur etiam per eaſdem particulas à cauſa materiali, & formali, quia res naturales non dicuntur fieri à materia, & forma, ſed ex materia, & forma, tãquam ex partibus intrinſecè componentibus, & conſtituentibus; Cauſa verò efficiens eſt omninò extrinſeca effectui, vnde notanter eſt appoſita illa particula, *Vndè*, in definitione Ariſtotelica, quia per illã particulam denotatur extrinſeca cauſalitas cauſæ efficientis reſpectu ſui effectus.

Dices ex *Ouiedo hic Contron. 9. Punc. 1. num. 6.* etiam materia eſt cauſa extrinſeca reſpectu formæ, ergo non benè per aſſignatam definitonem, & ſignanter per particulam, *Vndè*, contradiſtinguitur Cauſa efficiens à Cauſa materiali; aliundè ergo petenda eſt differentia vtriuſq; Cauſæ, nimirum ex eo, quòd Cauſa efficiens eſt principium primum motus, ideſt, principium determinatiuum, tale nõ eſt materia prima, quæ cũ ſit principium paſſiuum, non eſt determinatiuum motus, ſed eſt potius indeterminatum quid, & indifferens ad omnem motum.

Reſpondeo: quòd licèt differentia, quam aſſignat Ouiedo, optima ſit, & ingenioſa; etiam illa prior à nobis, & alijs Auctoribus aſſignata, poteſt defendi, & ſuſtineri, licèt enim materia ſit extrinſeca formæ, quia verè non eſt eius pars componens, tamen eſt eius intrinſecum ſubiectum, quia formam intrinſecè recipit, & intrinſecè recipiendo, illam cauſat.

Replicabis, etiam cauſa efficiens intrinſecè recipit effectus ſuos, Intellectus enim eſt Cauſa efficiẽs reſpectu ſuarum operationum, quas tamen intrinſecè recipit, ergo.

Reſpondeo: Intellectum, nõ quà Cauſa

ſa efficiens eſt,ſed quà immanens eſt,recipit ſuas operationes;& ideò firmum ſtat, quod cauſa efficiens, quà efficiens non habeat intrinſecè recipere effectus ſuos;è contrà cauſa materialis,qua cauſa materialis eſt,habere intrinſecè recipere formas. Dixi quòd cauſa efficiens, quà efficiens, non habeat intrinſecè recipere effectus ſuos,non quòd illi repugnet, intrinſecè recipere effectus ſuos, quia ſi hoc illi repugnaret, nulla eſſet aſſignabilis Cauſa efficiens, quæ reciperet intrinſecè effectus ſuos, quod enim repugnat generi, repugnat & ſpeciei.eſt enim primum principium à nobis in Logicis explicatum, & ab Auctoribus communiter admiſſum, quicquid negatur de vniuerſali,negatur & de quolibet ſuppoſito,ſeù inferiori eius.

Quò ad Diuiſionem Cauſę efficientis.

Diuiditur illa primò: in Cauſam increatam,ſeù primam,& Cauſam creatã, ſeù ſecundam.Cauſa increata,ſeù prima, eſt illa,quæ ità eſt principium aliarum, vt ipſa non ſit ab vllo alio principio,ſed à ſe,talis eſt Deus. Cauſa ſecunda, ſeù creata eſt, quæ cùm ſit effectus Cauſæ primæ, eſt tamen principium aliorum effectuum, ſemper tamẽ cum dependentia à Deo,& à Cauſa prima.

Secundò diuiditur Cauſa efficiens in Cauſam Phyſicam,& Moralem, Cauſa Phyſica verè,realiter,& directè influit in effectum; vt Pater eſt vera Cauſa Phyſica reſpectu filij. Cauſa Moralis,quæ etiã imputatiua dicitur, non verè per ſe influit,ſed inducit alium ad operandum certum effectum,ità ſe habet is qui conſulit,ſuadet,docet vel præcipit,impetrat, aut meretur, vel demum alio ſimili modo ſe gerit. Ad hoc Genus Cauſæ moralis reducitur is, qui eſt alteri occaſio, vt operetur, aut exhibet aliquod ſignum, quo poſito alius operatur. Cauſa applicans eſt, vt cũ quis applicat ignẽ ligno, vt combuſtio fiat; Cauſa remouens prohibens,vt cum quis remouẽs tabulam, in qua erat ſuperpoſitus lapis,eſt cauſa deſcẽſus lapidis, qui aliàs prohibebatur, & impediebatur deſcendere à tabula; denique cauſa regulans, & dirigens, ſeù illuminans, vti ſe habet omnis Scientia practica, ſeù Ars, ad hoc Genus Cauſæ Moralis reducitur.

Tertiò: diuiditur Cauſa efficiens in Vniuocã,& AEquiuocã. Cauſa Vniuoca eſt,quæ eſt eiuſdẽ rationis cũ effectu, vt ignis cũ igne, quem producit, homo cum homine,quem generat; AEquiuoca dicitur,quæ eſt diuerſæ rationis vt cum Sol generat ignem,metalla, & alia.

Ex quibus colligitur, Cauſã vniuocã eſſe æqualis perfectionis eſſentialis cum effectu. Cauſam verò AEquiuocam non poſſe eſſe perfectionis minoris reſpectu ſui effectus, ſi enim effectus eſſet perfectior Cauſa,& ſuperãs cauſam in entitate,ergo etiam illam ſuperat in vi, & virtute agendi ſicuti enim operari ſequitur ad eſſe, ità virtus operandi ſequitur ad perfectionem eſſendi, atque adeò verè non eſſet effectus.

Quartò, & vltimò diuiditur Cauſa efficiens in Cauſam Principalem, & Inſtrumentalem.Cauſa Principalis eſt illa, quæ primario agit,& in virtute propria, vt vnum viuens gignens aliud ſibi ſimile,& ignis producens alium ignem. Cauſa Inſtrumentalis eſt, quæ ſubordinatur cauſæ principali, & agit in virtute eius, vt calor, qui agit in virtute ignis,& ſemen in virtute generantis.

Cæterum in Cauſa Inſtrumentali, vt ſit vere Cauſa Inſtrumentalis tres conditiones requiruntur. Prima eſt,vt Inſtrumentum ſit aliquo modo proportionatum ad producendum effectum, ad quem aſſumitur à Cauſa principali, nã ad ſecandum lignum nõ aſſumitur malleus,ſed ſecuris; ad ſcribendum aſſumitur calamus nõ gladius; imò & ad ſcindendum non ſatis eſt,aſſumere ſecurim quomodocunque, ſed debet aſſumi ſecuris acuta,& dura; non quicunque calamus aſſumitur ad ſcribendum, ſed calamus conuenienter aptatus,& diſpoſitus.

Secunda conditio eſt, vt Inſtrumentum ſit immediatum principium directè influens in effectum, ità vt ex illo immediatè egrediatur actio productiua effectus, per hoc enim contradiſtinguitur Cauſa Inſtrumentalis à conditionibus,quæ tantùm indirectè concurrunt.

Tertia conditio eſt,vt Inſtrumentum accipiat virtutem motiuam à Cauſa Principali; ſic Artifex imprimit ſerræ virtutem motiuam, vel ipſum motum localem; generans tribuit ſemini vim formatiuam, ſeù generatiuam; aliquando Inſtrumentum non accipit à Cauſa Principali virtutem,ſed ipſum Inſtrumẽtum eſt virtus Cauſæ Principalis, ſic calor eſt virtus ignis; Hinc eſt,vt Inſtrumen-

men-

Digitized by Google

mentum dicatur agere in virtute Cauſæ principalis, quia nimirum, vel Inſtrumẽtum accipit à Cauſa principali vim, & virtutem agendi, vel Inſtrumentum ipſum eſt virtus agendi Cauſæ principalis.

Cæterum Cauſa Inſtrumentalis eſt duplex; coniuncta, ſcilicet, & ſeparata: Cauſa Inſtrumentalis coniuncta non poteſt operari, niſi actu ſit coniuncta, & connexa cùm cauſa principali; ità ſe habent ſecuris ad ſcindendum, calamus ad ſcribendum. Inſtrumentum ſeparatum eſt, quod operatur, etiam ſi ſeparatum ſit, & longè diſtans à cauſa principali; ità ſe habet ſemen, quod licèt ſit ſeparatum à generante, adhùc effectum producit.

LECTIO XIV.

Cauſalitas Cauſæ efficientis.

OMnibus Cauſis hucuſq; explicatis aſſignauimus peculiares, proprias, & diſtinctas cauſalitates: debemus ergo etiam cauſæ Efficienti, quam in præſenti explicamus, propriam, & diſtinctam cauſalitatem aſſignare.

Nominales; qui omnes modos de medio tollunt, negant Cauſalitatem Cauſæ efficientis eſſe quid diſtinctum à Cauſa, & effectu, ſi enim admitterent hanc Cauſalitatem diſtinctam, cogerentur etiam admittere, eſſe aliquem modũ diſtinctum à cauſa efficiente, & effectu: Cùm Nominalibus ſentiant, neceſſe eſt, non ſolum hi, qui modum vnionis negant eſſe Cauſalitatem Materiæ, & Formæ, ſed etiam illi, qui negãt Relationem eſſe modum diſtinctum à fundamẽto, & termino, par enim videtur eſſe ratio de Relatione, de Vnione, & de Actione, quam mox oſtendam eſſe Cauſalitatem cauſæ efficientis; ſequuntur hanc Sententiam nonnulli ex Thomiſtis, *Herueus quodlib. 2. q. 1. & quodlib. 4. q. 8. Soncin. 5. Met. q. 4. Iauellus ibidem q. 4. Fonſeca q. 13. Sect. 3.*

Recentiores cõmuniter ponunt Cauſalitatem Cauſæ efficientis eſſe modum actionis contradiſtinctum à cauſa, & effectu, ità *D. Thom. in Commentarijs lib. 5. Met. Ariſt. cap. 15. Magnus Alb. 2. Phyſi. tract. 2. cap. 6. Suarez diſp. 18. Met. ſect. 10. nu. 5. Conimb. hic cap. 7. q. 7. Ruuius tract. 4 de Cauſa Efficiente q. 3. Auerſa q. 14. ſect. 4. Arriaga diſp. 9. ſect. 3. ſubſect. 1. Ouied. Contro. 12. pun. 1.*

Concluſio ſit: Cauſalitas cauſæ efficientis eſt modus accidentalis Actionis.

Probatur Concluſio primò: Auctoritate Philoſophi 5. *Met. cap.* 15. vbi aſſignat aliquas relationes fũdatas in actione; & paſſione; ſed clarè patet, has relationes eſſe fundatas in Cauſalitate Agentis ad paſſum, ſeù ſubiectum, ergo Cauſalitas Agentis, ſeù cauſæ efficientis eſt actio, ſeù efficientia.

Probatur ſecundò Concluſio Ratione quia: Cauſalitas eſt illa, qua poſita intelligitur cauſa efficiens actu cauſans, ſed poſita actione, & præciſo quocunq; alio, intelligitur cauſa efficiẽs actu cauſãs, ergo actio eſt cauſalitas; Maior probatur quia: cauſa efficiens, & Agens idẽ ſunt, ſed Agens, ſicuti à ſola actione denominatur, ità à ſola actione conſtituitur, & fit Agens, ſeù actu cauſans, ergo.

Probatur tertiò quia: Cauſalitas non poteſt eſſe ipſamet entitas cauſæ, quia ſæpè datur entitas cauſæ, quæ non ſit actu cauſans, ſępè datur Homo non actu generans; nec poteſt eſſe ipſemet effectus, ſeù eius dependentia, aut relatio ad cauſam, quia tàm effectus, quàm dependentia eiuſdem, & relatio ſunt quid poſterius ad cauſam actu cauſantem, & conſequenter ſunt quid poſterius ad cauſalitatem, ergo cauſalitas non poteſt conſiſtere in effectu, aut in eius dependentia, aut doniq; in ipſa relatione; imò Relatio, vt in Logicis diximus, in actione ipſa, & cauſalitate fundatur.

Reſpondebis: Cauſalitatem conſiſtere in cauſa, & effectu ſimul, ſeù in coexiſtẽtia, & ſimultate cauſæ, & effectus, ſtatim enim, ac intelliguntur cauſa, & effectus ſimul, intelligitur cauſa actu cauſans.

Sed contrà eſt: quia producto effectu, & exiſtente cauſa, hæc non intelligitur actu cauſans, nam producto, & generato Filio, & ſimùl exiſtente Patre, non intelligitur Pater actu generans Filium, ergo actu generare, actu cauſare, non cõſiſtit in coexiſtentia cauſæ, & effectus.

Obijcies primò: ipſa actio eſt effectus, ergo non eſt cauſalitas: Antecedens patet, quia Actio & ipſa fit ab Agente, vndè habet D. Gregorius in ſerm. de Spiritu Sancto, actionem magis agi, quàm agere; quod etiam approbat D. Damaſcenus lib. 3. Fidei Orthodoxæ.

Digitized by Google

Reſpondeo: actionem eſſe effectum, vt quo, non vt quod, ſeu actionem eſſe rationem formalem agendi, non propriè effectũ; ratio eſt, quia non per cauſalitatem, aut aliam actionem producitur, ſed ſeipſa fit ab Agente, ſicuti Vnio ſeipſa vnitur, & non per aliam vnionẽ; ex quibus patet reſponſio ad Auctoritates D. D. Gregorij, & Damaſceni.

Obijcies ſecundò: ſunt aliqui effectus, qui à ſuis cauſis dicuntur reſultare, & emanare, ſed hi non fiunt per actionem diſtinctam, ſed potiùs per illam reſultantiam, & emanationem, ergo vniuerſaliter loquendo actio non eſt cauſalitas.

Reſpondeo: ipſam reſultantiam, ſeù emanationem eſſe actionem, ſed tamen diuerſæ ſpeciei à reliquis actionibus; emanatio enim, ſeù reſultantia eſt earum formarum, quæ in ſubiecto extrinſeco non recipiuntur, & ſunt permanentes, ideò proprietates dicuntur emanare, quia non recipiuntur in extrinſeco ſubiecto, ſed in ea eſſentia, à qua producuntur; & ex alia parte ſunt permanentes; è contrà actus à proprijs potentijs non dicuntur emanare, ſeù reſultare, ſed elici, quia licèt in ijſdem potentijs, & nõ in extrinſeco ſubiecto recipiantur, tamen non ſunt permanentes, ſed ſtatim ac ſunt eliciti, tranſeunt, & euaneſcunt.

Obijcies tertiò: Deus verè cauſat, quando creat, ſed non cauſat per actionem, tanquam per cauſalitatem diſtinctam, ergo. Minor probatur, quia non poteſt aſſignari, in quo ſubiecto talis actio recipiatur, neque enim talis actio poteſt recipi in Deo; quia Deus eſt incapax cuiuſcunque accidentis de nouo; neque poteſt recipi in effectu, quia effectus eſt poſterior actione, deberet autem eſſe prior, ſi actionem, tanquam cauſa materialis, reciperet, quia omnis cauſa materialis eſt prior effectu ſuo.

Reſpondent aliqui: creationem recipi in effectu creato, qui ſecundum diuerſam rationem eſt prior, & poſterior actione; prior, vt eſt cauſa materialis actionis, poſterior, vt effectus agentis. Ità *Conimbric. hic cap. 7. q. 8. ar. 3.*

Reſpondent alij: Creationem recipi in effectu, non tanquam in ſubiecto inhæſionis, ſed tanquam in ſubiecto adhæſionis; Porrò ſubiectum inhæſionis verè cauſat formam ſibi inhærentem, & ideò debet eſſe prius illa, ſicuti omnis cauſa eſt prior effectu ſuo; ſubiectum adhæſionis non cauſat formam, quam recipit, ſed præcisè ab ea denominatur, ſicuti Materia denominatur ab Anima Rationali, quam tamen non cauſat; indè fit, vt forma à tali ſubiecto non pendeat, tanquam à priori, ſed tanquam à poſteriori, quatenùs videlicet non poteſt eſſe ſinè illo. Ità *Ariraga diſp. 9. ſect. 4. ſubſect. 4. num. 58.*

Eſſent examinãda plura alia de Actione, nimirum qua ratione diſtinguatur à Paſſione; an in Agente recipiatur, & his ſimilia; ſed ſufficiat in præſenti explicaſſe tantùm ea, quæ ſpectãt ad actionem, vt eſt præcisè cauſalitas Agentis.

LECTIO XV.

A quo determinetur Cauſa ad Effectum in indiuiduo producendum.

Pono primò: Cauſas ſecũdas, & creatas verè eſſe naturalium effectuum productiuas, & non omnes naturales effectus à ſolo Deo produci ad præſentiã cauſarum ſecundarum; patet enim ad ſenſum, ignem ab igne produci, Solem illuminare, & huiuſmodi; vndè benè monet *Ariſt. lib. 1. Top. cap. 9.* talem cauſalitatem negantes indigere, aut ſenſu, aut pæna; ità ſentiunt omnes Scholæ, omnes omnium claſſium Doctores, & Theologi fundati in Auctoritate SS. Patrum, & in varijs Sacræ Scripturæ locis, in quibus vis agendi, & producendi naturales effectus cauſis ſecundis manifeſtè attribuitur, *Geneſ. 1. Germinet Terra herbã virentem. Luca 31. Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt iam ex ſe fructum.*

Pono ſecundò: Cauſam primam, & Deum immediatè ſimùl cùm cauſis ſecundis concurrere ad productionem naturalium effectuum; dixi immediatè, quia non ſufficit concedere, Deum à principio indidiſſe virtutem actiuam cauſis ſecundis, quæ deindè per illam virtutem à Deo acceptam, agant, Deo amplius non concurrente, ſed præterea debemus admittere, Deum æquè immediatè concurrere ad productionem naturalium effectuum, ac concurrant cauſæ naturales, & creatæ. Ità omnes Philoſophi, ac Theologi ſentiunt, qui propterea, tanquam erroneam damnant oppoſitam Sententiam *Duran. in 2. d. 1. qu. 5.*

&

Digitized by Google

& diſt.37.q.1. & ratio reddi poteſt, quia; res naturales, ſicuti ſe habent ad eſſe, ità & ad operari, ſed res naturales in ſuo eſſe, & conſeruari immediatè dependent à Deo; ergo etiam in operari, & conſequenter non operantur, niſi immediatè ad illarum operationes ſimùl cũ illis cõcurrat Deus.

Pono tertiò: Cauſas ſecũdas eſſe ex ſua natura determinatas ad producendos hos potius, quàm illos ſpecie effectus, ignis enim de ſua natura eſt determinatus potiùs ad producendum calorem, quàm frigus. Quòd ſi Cauſa ſecunda ſit libera, de ſe determinatur ad producendum ſiuè hunc, ſiuè illum ſpecie effectum; Voluntas, verbi gratia, cũ ſit potentia omninò libera, ſeipſa determinatur ad producendum potius actum amoris, quàm actum odij. A quo autem determinetur Cauſa ſecunda ad producendum hunc potius numero effectum, quã alium, non vna eſt omnium Philoſophorum Opinio.

Et quidem Communis Sententia defendit, à cauſa ſecunda produci hunc potius numero effectum, quàm alium, quia ſic eſt determinata à Deo, quia ſic Deus vult.

Ità *Gregor. de Arimino in 1.d.17. & diſt. 25. quæſt.1. art.1. Auerſa tom.1. Philoſ. q.15 ſect.3. Conimb.2. Phyſ. cap.7. quæſt.15. art. 2. Fonſ.5. Met. cap.2. qu.9. ſect.10. Ruuius tract.4. quæſt.9. num.3. Hurt. diſp.10. ſect.4 Arriaga diſp.1. Met. ſect.3. ſubſect.9. Suarez in Met. diſp.5. ſect.3. num.34. Ouied. Contr.10. pun.2.*

Altera Sententia negat cauſam ſecũdum à Deo determinari ad producendum hunc potius numero effectum, quã alium, ſed potius cauſam ſecundam ex ſui natura eſſe determinatam ad producendum hic, & nunc in his circunſtantiis loci, temporis, & ſubiecti hũc potius numero effectum, quàm alium. Ità *Vaſq. tom.1. in 3. p. d.74. cap.5. num.49. Sotus in 4. d.43. q.1. ar.3.*

Opinioni communi nunquam potui acquieſcere, quia recurſus ille Anaxagoricus ad cauſam primam, & ad Deum ſemper mihi viſus eſt reprehenſibilis in Philoſophia, cuius proprium munus eſt, naturalium effectuũ naturales cauſas inuenire, & aſſignare.

Concluſio ſit: Cauſa ſecunda ex ipſa ſui natura eſt determinata ad producendum hunc potius numero effectum, quàm alium.

Probatur primò ex *Ariſt. 2. Phyſ. t.38.* vbi manifeſtè docet, particulares effectus in particulares cauſas eſſe refundendos; ſunt verba: *Præterea generum genera; & ſingulorum ſingula, vt Statuarius ſtatuæ, & hic huius.*

Probatur ſecundò: quia quælibet cauſa habet naturalem vim, & virtutem producendi plures, & plures numero effectus, ſed non habet virtutem producendi hos effectus in confuſo, & ſinè debito aliquo ordine, ergo eſt determinata ex ſui natura ad producendos hos effectus ſeriatim, & ordinatim, ità vt hunc priùs, illũ poſteriùs producat. Minor probatur, quia Natura, vt eſt ordinis ſtudioſa, & amantiſſima, nihil facit inordinatè; ſed omnia ordinatè diſponit, vt habet *Ariſt. 3. de Gen. Animalium cap.10. ſemper, quod ſecundum naturam eſt, ordinem habet.* Ergo quælibet cauſa ex ſui natura eſt determinata ad producendos plures effectus, quos poteſt producere, cũ debito ordine, & diſpoſitione, ità vt vnum priùs, & in his circunſtantijs, alium poſterius, & in alijs circunſtantijs producat.

Confirmatur quia: ordinatè volens, & amans, quamuis velle, & amare poſſit plura obiecta, amat, & vult illa ordinatè, ità vt priùs amet, & velit ſeipſum, deindè cætera; ſic Deus quia eſt ordinatè volens, & amans, priùs vult, & amat bonitatem ſuam, deindè vult, & amat creaturas; vt benè probat *Scotus in 2. d. 20. q.2. §. Dico,* ergo ſimiliter cauſa potens producere diuerſos effectus, debet poſſe illos producere ordinatè, & cum aliqua ſerie, & diſpoſitione, ità vt vnum prius, & in his circunſtantijs, alios poſterius, & in alijs circunſtantijs producat.

Probatur tertiò quia: Cauſa eſt determinata ex ſui natura ad producendum hunc potius effectum in ſpecie, quàm alium, ignis de ſua natura eſt determinatus potius ad producendum calorem, quàm frigus, ergo etiam ex ſui natura eſt determinatus ad producendum hunc potius calorem, quàm alium ex pluribus caloribus, quos virtute continet, & poteſt producere, maximè ſi ad hunc potius numero calorem, quàm alium concurrant hæ potius circunſtantiæ, quàm aliæ.

Confirmatur quia: circunſtantiæ loci, & temporis, diuerſificant ſpecie, & nu-

Digitized by Google

numero peccata, & conſtituunt diuerſas ſpecie,& numero malitias morales; qui enim ſumpta Euchariſtia, accedit ſtatim ad concubinam, cōmittit peccatum ſpecie diuerſum ab eo, quod committit,qui ad concubinam accedit non ſumpta Euchariſtia,vel poſt duos dies à ſumpta Euchariſtia; ſimiliter & verba inhoneſta in loco Sacro prolata, tactus impudici,& aſpectus in Eccleſia facti habent ſpecialem malitiam in Confeſſione aperiendam; ità *Card. de Lugo de Pœnitentia Diſputatio 16. ſect.* 10. & communis eſt Sententia de furto in loco Sacro commiſſo; ac de effuſſione ſeminis. Similiter vnitas, & diſtinctio numerica peccati externi, licèt aliquãdo ſumãtur ex ſola retractatione interna,aliquando tamen, ſtãte continuatione eiuſdem Voluntatis, ſumuntur ex vnitate,& diſtinctione temporis & loci, qui enim integro die continuaret in voluntate furandi;prima tamen, & vltima hora illius diei furtum committeret, duo numero peccata externa committeret,vt docet *Meral,t.1.diſput.2.Dub.3. nu.*30. ergo à pari etiam temporis circumſtantia ſuo modo concurrit,ad hoc, vt hic potius numero effectus phyſicus producatur,quam alius:imò vnitas numerica motus ab vnitate quoq; temporis dependet, vt infra videbimus.

Probatur quartò quia; non repugnat Cauſæ naturali,vt ſic,ſe determinare ad hunc potius numero effectum, quàm alium,vt patet in Cauſa libera,ergo neque repugnat cauſæ naturali neceſſariò operanti, cui magis videtur congruere, & conuenire eſſe determinatam ad operandum certum; effectum per hoc enim inter alia contradiſtinguitur à libera, quia hæc eſt indeterminata,& indifferẽs ſiuè ad hunc, ſiuè ad illum effectum ex ſui natura, non ſic cauſa neceſſaria, & mere naturaliter operans,ergo.

Obijcies primò: quando alicuius effectus naturalis non inuenitur cauſa naturalis, peculiaris, & propria, recurrendum eſt ad cauſam primam, & vniuerſalem, nempè ad Deũ, cuius eſt ſupplere vicem, & defectum cauſæ naturalis,ſed quòd producatur hic numero effectus potiùs,quàm alius,non poteſt aſſignari cauſa naturalis, peculiaris, & propria, ergo ſinè vlla reprehenſione poſſumus ad cauſam primam,& ad Deũ recurrere.

Reſpondeo negando minorem: nam cauſa naturalis eſt de ſe determinata ad producendum in his circunſtantijs hũc numero effectum, & non alium ex his, quos ordinatim,& ſeriatim continet,niſi velimus admittere naturã aliquid inordinatè facere,& moliri.

Replicabis:Cauſa de ſe eſt indifferens ad producendum ſiuè hunc, ſiue illum numero effectum, æqualiter enim omnes continet; ex alia parte quilibet effectus indifferenter eſt producibilis ſiue hoc tempore,ſiue illo, ſiue in hoc,ſiue in illo loco, ergo quòd producatur hic numero effectus,non in ipſam cauſam, & loci, temporiſque circunſtantias,ſed in Deum refundi debet.

Reſpondeo negando Antecedens; licèt enim cauſa indifferens ſit ad producẽdum quemlibet effectum ex illis pluribus,quos poteſt producere, non tamẽ indifferenter quemlibet illorum ſinè vllo ordine, & ſerie producit, ſed vnum prius, & in his circunſtantijs, alium poſterius, & in alijs circumſtantijs debet producere; & licèt circunſtantiæ ſint extrinſecæ effectui,tamen intrinſecè reſpiciuntur à cauſa determinata ad producendum hunc numero effectum in his circunſtantijs,& non alium.

Obijcies ſecundò: non repugnat Deo concedere hanc Virtutem determinandi cauſam ad producendum hũc potiùs numero effectum,quàm alium,ſed neque repugnat cauſæ,vt ſe ſinat, & permittat determinari,ergo.

Reſpondeo: hoc Argumento probari de abſoluta potentia, poſſe Cauſam ſecundam à Deo determinari ad producendum hunc potiùs numero effectum, quàm alium, ſed non probari de facto, ità rem ſe habere, quia id eſſet contrà naturalem ordinem; & naturalem exigentiam Naturæ, quæ indidit cauſis ſecundis vim naturalem producendi effectus plures,& plures cùm aliquo ordine, & diſpoſitione,ità vt aliquos,prius, aliquos poſterius producat.

Obijcies tertiò: Effectus,qui eſt productus hoc loco, & hoc tempore, æquè potuiſſet produci alio loco, & alio tempore,ergo quòd producatur hic numero effectus potiùs,quàm alius,non habetur ex circunſtantijs loci,& temporis.

Reſpondeo:effectum productum hoc tempore,& in hoc loco potuiſſe quidẽ produci alio tempore,& in alio loco,ſed

non

Digitized by Google

non ab eadem numero cauſa, quæ de ſe eſt determinata ad producendum hunc effectum, & non alium, hoc tempore, & loco, non alio; ſed tamen id admitto de abſoluta potentia, non naturaliter, & de facto, vt mox explicabo.

LECTIO XVI.

An Effectus productus ab vna Cauſa potuiſſet produci ab alia eiuſdem Virtutis.

Senſus eſt, an hic numero calor productus ab Igne A. potuiſſet produci ab Igne B., ſi Ignis B. fuiſſet eodem loco, & tempore eidem ſubiecto applicatus. Dixi, hic numero calor, quia idē calor in ſpecie abſque vlla Cōtrouerſia eſt producibilis à diuerſis ſpecie cauſis, putà, ab Igne, à Sole, & à motu; & ſicuti variæ, & diuerſæ ſpecie formæ poſſunt eandem ſpecie materiam informare, ità variç, & diuerſæ ſpecie cauſæ efficientes poſſunt eundem ſpecie effectum producere; ità ſupra Lect. II. oſtendi, calorem Cæleſtem à Sole productum, & calorem Igneum eſſe eiuſdem ſpeciei, atque adeò idem ſpecie Aurum produci virtute naturali, & virtute Artis Chymicæ; Loquendo igitur de eodem effectu indiuidualiter, & numericè,

Concluſio ſit: Effectus hic numero productus ab hac numero Cauſa, non potuiſſet produci à cauſa eiuſdē virtutis, etiam ſi eſſet applicata eodem loco, eodem tempore, & eidem ſubiecto.

Ità *D. Thomas quodlib.* 5. *ar.* 8. *Cap. in* 2 *d.* 20. *quæſt.* 1. *Sotus in* 4. *d.* 43. *quæſt.* 1. *art.* 3 *Iauel.* 2. *Phyſic. d.* 4. *quæſt.* 8. *Pererius* 8. *Phyſic. cap.* 15. *Conimb.* 2. *Phyſic. cap.* 7. *quæſt.* 15.

Contrà *Suarez diſp.* 26. *ſect.* 5. *Ruuium* 2. *Phyſ. tract.* 7. *q.* 2. *Auerſam q.* 16. *ſect.* 4. *Scotum in* 2. *diſt.* 20. *q.* 2.

Probatur Concluſio primò; ex *Ariſt.* 8. *Met. t.* 11. *ſi Materia diuerſa, & mouens; & ipſum, quod factum eſt*; ac ſi dixiſſet; ſi materialis cauſa, & effectiua eſt diuerſa numero, etiam effectus eſt numero diuerſus, ergo ſi diuerſa ſit cauſa efficiens, quamuis ſit applicata eidem materiæ, ſeù ſubiecto, & in ijſdem circunſtantijs loci, & temporis, effectus prodibit numero diuerſus.

Probatur ſecundò quia: Cauſa hæc numero, & indiuidualiter accepta continet determinatam ſeriem, & claſſem horum numero effectuum à ſe producibilium; ergo nullus horum effectuū poteſt produci ab alia cauſa. Probatur Antecedens, in quo eſt difficultas, quia cauſa hæc numero, & indiuidualiter accepta, ideò eſt hæc numero, & non alia, quia reſpicit determinatè hos numero effectus, & non alios, licèt enim cauſa in actu primo conſiderata, & in ratione entitatis, nullam dicat relationem, aut connexionem cùm effectu, vt dixi Lect. V. ſi tamen accipiatur cauſa, vt cauſa, & vt hæc numero, & non alia, reſpicit determinatè, & ſignanter hos numero effectus, & non alios, ergo quælibet cauſa numero continet determinatam ſeriem, & claſſem effectuum numero diuerſorum à ſe producibilium.

Probatur tertiò quia: ſi effectus productus ab hac cauſa numero potuiſſet ab alia produci, iam effectus ab illa prima Cauſa non penderet per ſe, ſed per accidens, & conſequēter quælibet cauſa eſſet cauſa per accidens, & non per ſe ſuorum effectuum, quod eſt abſurdum, ergo.

Confirmatur quia: hic numero effectus eſt productus ꝑ hāc numero actionem, ſed hæc numero actio non eſt, niſi ab hac numero cauſa, & non alia, vt *Auerſa hic quæſt.* 16. *ſect.* 4. *in reſp. ad* 3. *obiect.* vltrò concedit, ergo hic numero effectus non poteſt ab alia cauſa numero diuerſa produci.

Obijcies primò: effectus productus ab vna cauſa ſaltem de abſoluta potentia potuiſſet ab alia produci, ergo iam effectus, qui continetur in virtute naturali vnius Cauſæ, poteſt contineri in virtute naturali alterius Cauſæ, ſi Deus ità determinaſſet, & conſequenter hæc numero Cauſa non eſt ex ſui natura determinata ad hos numero effectus, quod enim ex ſui natura eſt tale, neque de abſoluta potentia poteſt aliter fieri.

Reſpondeo negando conſequentiam, licèt enim de abſoluta potentia Ignis B. aſſumatur ad producendum calorem, qui continetur in virtute naturali Ignis A. indè non ſequitur eum calorem contineri in virtute naturali Ignis B. rerum enim naturæ non immutantur, aut deſtruuntur etiam de abſoluta potentia; ſed ſolum ſequitur, illum calorem contineri in virtute ſupernaturali, ſeù obedien-

Digitized by Google

di entiali Ignis B. ſicuti enim Deus aſſumit aquam ad producendam Gratiam in Baptiſmo, & tamen non ſequitur eam Gratiam contineri in virtute naturali aquæ, ſed ſolum in virtute ſupernaturali & obedientiali, ità & de calore dicendũ eſt, non contineri in virtute naturali, ſed ſupernaturali, & obedientiali Ignis B. cum hac tamẽ diſparitate, quòd eſt quædam proportio inter Ignem B. & calorem, quæ non eſt inter Aquam, & Gratiam.

Obijcies ſecundò: effectus, qui producitur à Cauſa Vniuerſali, & particulari, poteſt à ſola cauſa vniuerſali produci, in quo caſu produceretur ab illa, tanquam à Cauſa particulari, ergo iam effectus, qui producitur ab vna Cauſa, potuiſſet ab altera produci; Antecedens probatur, quia calor, qui à Sole, & Igne producitur in aqua, potuiſſet à Sole tantum produci, & omnis effectus producibilis à cauſa prima; & ſecũda, poteſt produci à ſola Cauſa prima, ergo.

Reſpondeo: quòd idem numero calor, qui producitur à Sole, & Igne, non producitur à Sole tantum, diuerſus eſt enim calor numero, qui continetur in virtute Solis, & Ignis, ab eo, qui continetur in virtute Solis tantum, aut Ignis tantum. Eſto, quòd effectus qui producitur à Cauſa prima, & ſecũda, poſſit idem numero produci à Cauſa prima, quia virtus Cauſæ ſecundæ eminenter continetur in prima, quòd non verificatur de alijs cauſis vniuerſalibus, quia hæ non continent eminenter virtutes cauſarum particularium. Addo, quòd non omnis effectus, qui producitur à cauſa particulari, & vniuerſali, poteſt produci à ſola Cauſa Vniuerſali, nam Sol, & Homo generant Hominem, qui tamen à Sole tantum non poteſt generari.

Obijcies tertiò: Cauſa æquiuoca, verbi gratia, Ignis continet in virtute calorem, & calor, tanquam cauſa vniuoca continet in virtute alios, & alios calores numero diuerſos à ſe producibiles, ergo cauſa AEquiuoca, putà Ignis, poteſt producere omnes alios calores, quos in virtute ſua continet cauſa vniuoca, & conſequenter effectus productus à Cauſa vniuoca, potuiſſet produci à Cauſa æquiuoca.

Reſpondeo: Argumentum hoc benè concludere in caſu propoſito, & quando Cauſa AEquiuoca in virtute continet cauſam vniuocam, vt etiam ſuprà dicebamus de Cauſa prima reſpectu Cauſæ ſecũdæ: at quando Cauſa AEquiuoca in virtute non continet cauſam vniuocam, Argumentum non concludit, ſic Sol eſt cauſa æquiuoca reſpectu Hominis, qui tamen à Sole tantum non poteſt generari, & produci, quia Sol eminenter non continet virtutem generatiuam Hominis.

Alia argumenta minoris efficaciæ, & roboris opponunt nobis Aduerſarij, quæ tanquam inefficacia ad probandum intentum reijciunt *Auerſa loco cit Suarez diſput. 26. ſect. 5. Ruuius vbi ſupra*, quamuis hi Auctores contrariæ ſint Sententiæ.

LECTIO XVII.

An idem numero effectus poſſit eſſe ſimùl à duabus Cauſis totalibus eiuſdem Generis.

PRæmitto: Certum eſſe, eundem numero effectum non ſolum poſſe, ſed etiam debere procedere à pluribus cauſis diuerſi generis, putà à Materiali, Formali, Finali; & efficienti; ideò ſolùm eſt Quæſtio de duabus, vel pluribus cauſis eiuſdem generis, putà à duabus cauſis finalibus, vel materialibus, aut etiam efficientibus; & ſanè præſens difficultas præcipuè eſt de cauſis efficientibus.

Et quidem ſi efficientes cauſæ ſint partiales, & non totales, poſſunt duæ, imò & plures ad eundem numero effectum concurrere, vt patet in duobus, vel pluribus hominibus trahẽtibus nauim. Similiter, ſi cauſæ efficientes ſint ſubordinatæ, vel vna vniuerſalis, altera particularis, vna remota, altera proxima, certum eſt, quòd poſſint eũdem numero effectum producere, vt patet de cauſa prima, & ſecunda; de Sole, & Homine, à quibus generatur Homo.

Præmitto ſecundò: nomine cauſæ totalis, & adæquatæ venire cauſam; quæ ſe ſola habeat ſufficientem virtutem ad producendum totum effectum; ideòque altera cauſa non indigeat ad eundem effectum producendum; è contrà nomine cauſæ partialis, & inadæquatæ intelligitur illa, quæ ſe ſola nõ habet totam virtutem ad producendum effectum; primo modo ſe habẽt duo Ignes eiuſdẽ ſpeciei

in

Digitized by Google

in ordine ad eundem numero calorem; ſecundo modo ſe habent duo Homines nauim trahentes.

Præſens Quæſtio procedit tùm de facto,& naturaliter,tùm de poſſibili,& per abſolutam Dei potentiam.

Concluſio prima ſit: De facto,& naturaliter non poteſt idem numero effectus eſſe à duabus cauſis efficientibus ſimùl adæquatè concurrentibus.

Ità *Auerſa tom.1. Philoſ. qu.14. ſect.5. Arriaga diſp.8.ſect.10.* qui & aſſerunt eſſe Sententiam communem inter Recentiores.

Contrà *Nominales Ocham in 3.quæſt.1. & quodlib.4.quæſt.14. Adamum in 3. d.1. quæſt. 1. Gabriel. in 3. d.1. quæſt.1.art. 2. dub.3.& alios plures.*

Probatur Concluſio poſita communi argumento, quia vnus numero effectus ſufficienter per vnam numero Cauſã producitur, ergo altera eſt ſuperflua, & otioſa; Natura autem,ſicuti non deficit in neceſſarijs, ità abhorret à ſuperfluis, teſte Philoſopho 1. *de Gen. Animalium cap.4. t.20. Natura, rem quancunque facit,quia neceſſaria eſt.*

Dices. Poteſt quis ob duos fines totales, verbi gratia, propter ſanitatem, & propter recreationem,eligere deambulationem,ſicut ait *Ariſt.lib.2.de Partibus Animalium cap.16.num.50. Linguam Natura homini dedit idoneam ad duplicẽ actionem,nimirum ad percipiendos ſapores,& ad formandum ſermonem, ſic etiam labia, tàm ſermonis,quàm tutelæ dentium gratia adhibuit.*

Reſpondet *Arriaga loco ſup.cit.* reiectis aliorum reſponſionibus, in materia de ſuperfluitate non valere argumentum à rebus phyſicis ad intentionales, licèt enim repugnent duæ quantitates, duæ vbicationes,& duæ actiones, quia otioſæ,non tamen repugnãt duo actus amoris de eodem obiecto, aut etiam duę intellectiones; ratio eſt, quia quantitas requiritur,vt ſubiectum fiat extenſum, vbicatio,vt corpus ſit in loco, actio, vt effectus exiſtat, ſed ad hos effectus ſufficit vna quantitas,vna vbicatio, vnica actio,ideò altera eſſet ſuperflua: at verò actus vitales non eliciuntur præcisè propter obiectum,ſed propter perfectionem potentiæ, ideò licèt obiectum ſufficienter attingatur per vnum actum, adhùc tamen non ſuperfluè alter actus elicitur,inſeruit enim ad perficiendam eam potentiam, à qua elicitur; ſicut ergo idem obiectum poteſt amari diuerſis actibus, ità poteſt imperari ob diuerſos fines abſque nota otioſitatis.

Sed contrà hanc reſponſionem eſt quia: ideò idem obiectum poteſt amari diuerſis actibus, quia hi ordinantur ad perficiendam potentiam, ſed duo, aut plures fines non perficiunt potentiam, nec alium effectum præſtant, ergo omninò otioſè,& ſuperfluè idem obiectum ob duos,aut plures fines imperatur.

Reſpondeo igitur: eam electionem non reſpicere duos illos fines, tanquam fines adæquatos, ſed tanquam fines inadæquatos in actu ſecundo; eſto quilibet eorum ſit adæquatus in actu primo, & de ſe ſufficiens ad terminandam eam electionem,vndè quolibet eorum deficiẽte, adhùc eſſet electio deãbulationis.

Quòd ſi dicas cùm *Arriaga*, ibi interuenire duas electiones tendentes ad eãdem ambulationem ob duos illos fines,

Adhùc Reſpõdeo,eã ambulationẽ habere pro fine inadæquato,quẽlibet eorũ in actu ſecundo,quamuis in actu primo quilibet eorum ſit finis adæquatus illius ambulationis,eadem .n. militat ratio de actu interno electionis, & de actu externo deambulationis reſpectiuè ad illos duos fines.

Concluſio ſecunda. De abſoluta potentia idem numero effectus poteſt eſſe à duabus cauſis totalibus.

Ità *Caiet 1.part.quæſt.52.art.3.Fonſ.5. Met.cap.2.quæſt.15.Suarez diſp.26.ſect.4. Ruuius 2.Phyſic. tract. 7.quæſt.1. Murcia diſput.4.quæſt 7. Auerſa q.14.ſect.5. Arriaga loca ſupra cit.*

Contrà *Scotum in 2.d.10.quæſt.2. & in 3.d.1.quæſt.2.Vaſq 3.d.29.Capreol.in 2.d. 2.qu.1. & alios plures apud Auerſam vbi ſupra.*

Probatur Concluſio primò quia: non repugnat eundem numero effectum dependere ſimul à duplici cauſa totali,quę vtraque habeat naturalem virtutem producendi eundem numero effectum vel ſaltem vna earum habeat vim naturalem,altera vim, & virtutem obedientialem,ergo. Conſequentia tenet,quia id ſolum eſt denegandum abſolutæ potentiæ Dei,quod repugnat, aut aliquam contradictionis implicantiam inuoluit. Antecedens nulla efficaciori ratione probari poteſt, quàm ſolutione argumentorum in oppoſitum. Præterea quia

non

Digitized by Google

non repugnat eandem numero materiā informari duabus, aut pluribus formis, ſicuti & eandē formam informare duas, vel plures materias, ergo neque repugnat eundem numero effectum produci à duabus, vel etiam pluribus Cauſis.

Idem Antecedens probatur à ſimili, argumento deducto ex materia Theologica, quia duo, vel etiam plures Sacerdotes poſſunt, & de facto cōſecrāt eandem Hoſtiam; duo, vel etiam plures Sacerdotes conferunt idem Baptiſma, ſi ſimul verba formæ Sacramētalis pronuncient, ergo etiam, ſaltem de abſoluta potentia, duę cauſę totales poſſunt eundem numero effectum producere.

Confirmatur quia: de facto vna, & eadem numero Anima Rationalis, vtpotè indiuiſibilis, informat omnes, & sīgulas partes Materiæ, ergo iam eadem numero forma recipitur in pluribus numero ſubiectis, ergo à pari, ſaltem de abſoluta potentia, poteſt idem numero effectus produci à pluribus cauſis totalibus.

Replicabis: plures partes materiæ nō eſſe cauſas materiales reſpectu Animæ Rationalis, hæc enim non dependet à materia, tanquam à cauſa; at idem numero effectus habere debet dependentiam à pluribus, tanquam à cauſis.

Sed contrà eſt quia: Anima aliorum perfectorum Animalium in probabili Sententia ponitur indiuiſibilis, & conſequenter tota in tota materia, & tota in ſingulis eius partibus, tanquam in adæquatis ſubiectis, ergo iam eadem numero forma dependet à pluribus cauſis materialibus totalibus, & adæquatis, ſimili modo, quo defendo eundem numero effectum pendere à duabus, vel pluribus cauſis totalibus efficientibus.

Obiicies primò: ſi idem effectus produceretur à duobus Agentibus, ſequeretur ſimul dependere, & non dependere ab vtroque; dependeret ab vtroque, quia ab vtroq; produceretur, vt ſupponitur; non dependeret, quia id dependet ab alio, quod non poteſt eſſe ſine illo, ſed talis effectus poſſet eſſe ſinè hoc Agente, quia poteſt fieri ab alio, & poſſet eſſe ſinè alio, quia fieret ab hoc, ergo poſſet eſſe ſine vtroque, & ſic à neutro dependeret.

Confirmatur quia: ad minus ſequeretur, quòd quælibet ex his Cauſis eſſet per accidens, quia à qualibet illarum ità dependeret, vt poſſet nō dependere, & non fieri ab illa, ſed ab alia, ergo reſpectu cuiuslibet illarum eſſet effectus per accidens.

Reſpondeó: quòd licèt ille effectus poſſet eſſe ſinè qualibet illarum cauſarū, non tamen indè ſequitur, quòd non dependeat ab illa, nam & forma materialis poteſt eſſe ſaltem ſupernaturaliter ſinè Materia, vti etiam quantitas, & quodlibet aliud accidens, & tamen non licèt inferre, quòd à materia non dependeāt: Anima Rationalis etiam naturaliter poteſt eſſe ſinè materia, & tamen non valet inferre, quòd non dependeat aliquo modo ab illa, ſicut enim non omne, quod non poteſt eſſe ſinè alio, dependet ab illo, vt patet quia, in Diuinis Pater nō poteſt eſſe ſinè Filio, & tamē nō dependet à Filio, omnis enim dependentia importat imperfectionem, quæ non eſt in Patre reſpectu Filij in Diuinis; ità nō omne quod poteſt eſſe ſinè alio, per neceſſariam conſequentiam debet inferri, quòd ab illo non dependeat.

Ad Confirmationem dico: quamlibet illarum cauſarum poſſe dici cauſam per accidens, tùm quia non eſt pars intrinſeca illius effectus, ſicuti ſunt materia, & forma reſpectu compoſiti, cuius sūt pars intrinſeca, & ſimùl cauſa; tùm quia quęlibet illarum non concurrit ſola, ſed ſimùl cùm altera; ſed tamen non poſſe dici cauſā per accidēs, quaſi non influat eſſe, & det eſſe effectui, ſed potius ſe habeat, vt remouens prohibens; in hoc vltimo ſenſu non poteſt quælibet illarū cauſarum dici cauſa per accidens; ſicuti nec cauſa ſecunda poteſt dici cauſa per accidens reſpectu effectus, ad quem concurrit ſimùl cum Cauſa prima, ità vt etiam poſſit ſe ſola concurrere Cauſa prima ad illum effectum.

Obijcies ſecundò: Ideò naturaliter idem numero effectus non poteſt produci à duabus Cauſis, quia effectus ex ſua natura non indiget altera illarum, ſed Deus naturas rerum non poteſt immutare, ergo de abſoluta potentia fieri non poteſt, quòd effectus vtraque cauſa indigeat, & ità ab vtraque producatur.

Reſpondeo: quòd quando effectus ab vtraque Cauſa producitur, non indiget vtraque, nec per abſolutam Dei potentiam fit, vt effectus indigeat ea Cauſa, à qua producitur, qua anteà non indigebat; plura enim fiunt de abſoluta Dei

po-

Digitized by Google

potentia præter exigentiam, & indigentiam naturalem rerum, nam reſpectu Diuinæ Omnipotentiæ, non attenditur indigentia, vel exigentia naturalis rerum, ſed implicantia, aut repugnantia ad hoc, vt dicatur poſſe, vel non poſſe fieri de abſoluta potentia.

Obiicies tertiò: ſi duæ cauſæ totales producerent eundem numero effectum, concurrerent duplici actione ſolo numero diſtincta, quæ reciperetur in illo effectu producto, tanquam in ſubiecto, ſed duo accidentia ſolo numero diuerſa, maximè ſi præſtent eundem numero effectum, non poſſunt eſſe in eodem numero ſubiecto, accidens enim indiuiduatur à ſubiecto, ergo.

Confirmatur quia: cauſa adæquata ea eſt, quæ neque excedit effectum, nec ab illo exceditur, ſed ſtatim, ac effectus produceretur à duabus cauſis totalibus, & adæquatis, iam effectus excederetur ab illis cauſis; ergo.

Reſpondeo: non eſſe abſurdum de abſoluta potentia, duo accidentia ſolo numero diuerſa reperiri in eodem numero ſubiecto, etiam ſi præſtent eundem numero effectum, quia in hoc nulla eſt repugnantia, ſed ſolum ſuperfluitas, & otioſitas alterius eorum accidentium, quæ reſpectu abſolutæ Dei potentiæ non attenditur; Accidens autem indiuiduari per ſubiectum conceditur à Thomiſtis, non ab aliis Auctoribus.

Ad Confirmationem dico: Idem Argumentum poſſe vrgeri de corpore exiſtente in duobus locis adæquatis, quia à quolibet illorum excederetur; Reſpõdeo igitur, cauſam adæquatam hic non ſumi in eo ſenſu, quo dicitur obiectum adæquatum Scientiæ, quod ſcilicèt, non excedit Scientiam, nec ab illa exceditur, ſed dicitur cauſa adæquata, quia ſe ſola eſt ſufficiens ad producendum totum effectum.

LECTIO XVIII.

An ſit poſſibilis Reproductio *effectus.*

IN duplici ſenſu procedit præſens Difficultas; primò quidẽ naturali vi, & virtute Naturæ. Secundò per abſolutam Dei potentiã. Iterũ iſta Difficultas æquè procedit de effectu permanente, vt calor, ac de effectu ſucceſſiuo, vt hora, dies.

De Reproductione in primo ſenſu.

Concluſio eſt: Virtute naturali nõ poteſt vllus effectus corruptus reproduci.

Ità *communis Sententia* Contrà. *Aureo. apud Capreol. in* 4. *Scotum in* 4. *d.* 34. *q.* 2. & ſanè *Scotus* non defendit omnẽ prorſus effectum corruptum poſſe reproduci, ſed aliquem, imò *Scotus q.* 3. impugnat Sentẽtiam *Platonicorum* aſſerentiũ per circuitus temporum; ideſt, poſt triginta ſex millia annorum redire eadem, quę erant anteà; impugnat, inquã, ex Sacris Scripturis, vſurpans illud *Pſalm.* 11. *In circuitu impij ambulant*, ideſt, dicunt, reditiones circulares, & denique concludit, eam Sententiam eſſe contrà Fidem.

Sic explicata Concluſio probatur, nõ quidẽ demõſtratione aliqua Mathematica, ſed ratione probabili, quæ non proteruũ, ſed docile ingenuè philoſophãtis ingenium, facilè moueat, & perſuadeat: *etenim omninò, impoſſibile eſt, omnium habere demonſtrationem, & ignorantia eſt, neſcire, quorum oporteat quærere demonſtrationem, & quorum non*; *Ariſt.* 4. *Met. cap.* 4. *t.* 10.

Ratio igitur, quæ communiter adduci ſolet, eſt quia, Natura intendit meliorem, & potiorem, imò & optimum modum operandi, ſed optimus modus operandi eſt noua ſemper producere, non vetera reſarcire, ergo. Minor de ſe patet; Maior probatur ex Ariſtotele varijs ſuæ doctrinæ locis, præcipuè verò *de Gen. Animalium cap.* 4. *t.* 20. *Naturam rem quamcunque facit, aut quia neceſſaria eſt, aut quia meliùs ità eſt, & lib. de Animalium greſſu t.* 20. *Natura nihil fruſtrà machinatur, ſed ijs, quæ fieri poſſunt, ad id reſpicit, quòd potius ſit, & melius.*

Probatur ſecundò quia: Cauſa naturalis de ſui Natura eſt determinata ad producendum hunc potiùs numero effectum, quàm alium, in his potiùs circũſtantijs, loci, & temporis, quàm alijs, ſed eſt impoſſibile naturaliter, quòd redeant eædem circunſtantiæ, præcipuè verò, quòd redeat idem tempus, tempus enim non diſtinguitur à motu cæli circulari, qui idem redire non poteſt, vt vltrò admittit Scotus loco vbi ſuprà, arguens contrà Sententiam Platonicorũ, ergo. Maior patet ex dictis ſupra, & prætereà ex *Ariſt.* 5. *Phyſic. cap.* 3. *per totum*, vbi fusè probat, ad vnitatem motus requiri vnitatem temporis.

Probatur tertiò: Auctoritatẽ *Ariſt.* 2.

Digitized by Google

de Gen.quorum ſubſtantia perit, non reuertitur eadem numero,& 5. Phyſic. loquens de ſanitate, docet; *non redire eandem numero.* In Prædicam, *à priuatione ad habitũ non datur regreſſus.*

Obijcies primò; non poteſt aſſignari ratio, cur Natura nequeat aliquid idem numero reducere, ergo. Probatur Antecedens in Agente, cuius ſit continuata actio reſpectu effectus producti, ſi enim Sol in primo inſtanti A. ponatur producere radium, & aliquo tempore illum uſque ad vltimum inſtans C. verbi gratia, continuare; erit idem numero radius, tàm in primo, quàm in vltimo inſtanti, quia illa identitas numerica radij non dependet à ſeipſo, vt in primo inſtanti A, neç dependet ab intermedio tempore, ergo ſi hoc tempore intermedio ſupponatur eſſe corruptus ille radius, adhùç eſſet idem numero in vltimo inſtanti C.

Reſpondeo: quòd ſicuti illa interruptio facit, quòd non ſit idem numero motus, ſeù actio; ità etiam facit, quòd non ſit idem numero radius, vt enim infrà dicemus, & ex Ariſt. notauimus ſuprà, vnitas temporis requiritur ad vnitatem motus, & ad vnitatem effectus phyſici, non minùs, ac requiratur ad vnitatem effectus moralis.

Obiicies ſecundò: Auctoritatem Philoſophi 8. *Met. cap. 3. vbi Materia eſt eadem, Agens idem, effectus quoque idem erit*, ſed poteſt dari caſus, in quo ſit idem Agens, vt de ſe patet, & eadem Materia, licèt enim ad corruptionem effectus illius materia, vt plurimum diſpergatur, & diuidatur, tamen aliquando poteſt conſeruari eadem materia, vt ſi intrà vas vitreum conſeruetur Ignis, qui corrumpatur in aerem, poteſt ex illo aere ex reflexione radiorum Solis, vel aliter, generari Ignis, in quo caſu materia erit eadem, ergo.

Reſpondeo locum illum Ariſt ità cõmuniter citari ab Auctoribus, ſed nec verè, nec fideliter, nam 8. *illo libro Met. cap. 4. num. 3.* habet ità, *etenim ſi materia diuerſa, & mouens, & ipſum quod factum eſt*: eſto igitur, quòd ad diuerſitatem effectus ſufficiat diuerſitas Materiæ, & Agentis; non tamen valet, quòd è contrà ad Vnitatem ſufficiat vnitas materiæ, & Agentis; plura enim requiruntur ad vnitatem, quàm ad diuerſitatem, quia vnitas comparatur bono, diuerſitas malo; bonum autem eſt ex integra Cauſa, malum ex vnico defectu.

Obiicies tertiò: Materia retinet appetitum ad formam corruptam, ergo nè fruſtrà ſit talis appetitus, debet admitti, quòd ſit impoſſibilis reproductio formæ naturaliter.

Cõfirmatur quia: *Ariſt. in ſuis Problem.* refert, Muſcas quaſdam mortuas calore Solis reuiuiſcere, & Lib. de admirandis auditionibus refert, quoſdã fontes eſſe, quorum in alterum ſi immergatur Animal, moritur in alterum, reuiuiſcit, ergo iam naturaliter datur reproductio eiuſdem numero effectus.

Reſp. in materia non eſſe appetitum ad formas corruptas; vel etiam ſi admittamus in materia prima eſſe talem appetitum, & impoſſibilem eſſe naturaliter reproductionem, adhùc tamen talis appetitus non eſſet fruſtrà, quia eſſet explebilis per operationem agentis ſupernaturalis.

Ad primam partem Confirmationis de Muſcis dico: eas Muſcas non fore mortuas, ſed mortificatas; ad alteram partẽ ſimiliter dico, me fuiſſe teſtẽ oculatũ, & Puteolis propè Neapolĩ vidiſſe, canẽ immerſũ in alterũ eorũ Fontiũ nõ fuiſſe omninò mortuũ, ſed mortificatũ, ſeù morti proximũ, ſed indè extractum, ſalutem priſtinam recuperaſſe; alterum verò Canẽ in eundẽ fontem immerſum penitus interiiſſe, abſque vlla prorſus ſpe vitæ, & ſalutis recuperandæ.

De Reproductione in altero ſenſu, & per abſolutam Dei potentiam.

Concluſio mea eſt: Poteſt de abſoluta potentia effectus corruptus idem numero reproduci.

Ità eſt *communis Sententia Catholicorũ*

Contrà *Hæreticos negantes Articulum Fidei de Reſurrectione Mortuorum*;

Probatur Concluſio primò quia: Idẽ Homo mortuus in die Iudicii reſurget, & reproducetur, vt eſt de Fide, ſed eadẽ eſt ratio de Homine, & reliquis effectibus, ergo.

Probatur ſecundò quia: non implicat reproductio eiuſdem numero effectus, vt patebit ex ſolutione Argumentorum, ergo de abſoluta Dei potentia poſſibilis eſt reproductio eiuſdem numero effectus.

Dices primò: Ad præteritum non eſt potentia, ergo effectus corruptus iam, & præteritus non poteſt reproduci. Ante-

Digitized by Google

cedens fundatur in *Ariſt. 6. AEthicorum*, vbi approbat dictum Agatonis, rectè ait; hoc ſolo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta ſunt, ergo non poteſt præterita reducere, aliàs præterita non ſolum non eſſent præterita, ſed etiam eſſent præſentia.

Reſpondeo: Deum non poſſe facere, quòd præterita non ſint præterita, & quod facta non fuerint, ſed ſimùl cùm hoc ſtat, quòd poſſit facere præſentia.

Dices ſecùdò: ſi pars præterita Temporis reproduceretur, ſimùl eſſet cùm parte præſenti temporis, ergo iam eſſent ſimùl duæ partes Temporis, ſed hoc repugnat enti eſſentialiter ſucceſſiuo, cuius partes vna debet eſſe eſſentialiter poſt aliam, ergo.

Reſpondeo: quòd reproducta parte præterita, impediretur, nè flueret pars præſens, & ſic non datur caſus, quòd ſint ſimùl duæ partes temporis.

Alia Argumenta, quæ Articulum Reſurrectionis Mortuorum videntur impugnare ſoluta, ſunt à nobis ſupra Diſp. 1. Lect. 10.

LECTIO XIX.

An Cauſæ poſſint eſſe ſibi inuicem Cauſæ.

Cauſas eſſe ſibi inuicem Cauſas docet *Ariſtot. hic cap. 3. t. 30. quadam verò viciſſim ſibi ſunt Cauſæ, vt exercitatio boni habitus, et hic exercitationis, ſed non eodem modo, at ille vt finis, hæc vt principium motionis*, vbi nomine boni habitus intelligitur ſanitas, ſeù valetudo. Eandem doctrinam repetit 5. *Met. cap. 2. t. 2. accidit inuicem cauſas eſſe, vt laborare bonæ habitudinis, hæc verò laborandi, nõ tamen eodẽ modo, ſed hæc quidem vt finis, illud verò vt principium motus.*

Hæc Ariſtotelis Doctrina diuiſit Philoſophos in duas Claſſes.

Prima eſt eorum, qui traditam ab Ariſt. Doctrinam extendunt, & ampliãt ad Cauſas materialem, & formalẽ; volũt enim materiã eſſe cauſam formæ, & Formam eſſe Cauſam materiæ, ità *Thomiſtæ omnes*, qui cùm velint materiam accipere exiſtentiam à forma, quæ etiam in exiſtendo dependet à materia, conſequenter defendunt, materiam, & formã eſſe ſibi inuicem Cauſas quòad earum exiſtentias, non minus, ac ſunt ſibi inuicem cauſæ, finalis, & efficiens, ità *Ioannes de S. Thoma tom. 1. Philoſ. quæſt. 10. art. 4. Ruuius hic tract. 8. quæſt. 2. qui alios citant, & referunt.*

Altera Philoſophorum Claſſis; verba Ariſtotelis intelligit ad literam, & vult ſolùm Cauſas, efficientem, & finalem eſſe ſibi inuicem Cauſas, non quidem ſecundum eandem rationem, ſed ſecundum diuerſas, ità vt Cauſa efficiens cauſet finalem quò ad exiſtentiam, finalis verò cauſet efficientem non quò ad exiſtentiam, ſed quò ad Cauſalitatem, & operationem; ità *Auerſa tom. 1. Philoſ. q. 16. ſect. 7. Conimb. 2. Phyſic. cap. 7. quæſt. 11 art. 2. Arriaga diſp. 8. Phyſic. ſect. 2. Ouied. Contr. 8. pun. 9.*

Traditur autem ab his Auctoribus optima, & generalis regula ad indicandum, quæ Cauſæ, & quomodo poſſint eſſe ſibi inuicem Cauſæ; eſt autem; quando ſunt duæ Cauſæ diuerſi generis, quarum vtraque ad cauſandum non prærequirat realem exiſtentiam, tunc poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ; at verò quando vtraque Cauſa ad cauſandum prerequirit realem exiſtentiam, non poſſunt eſſe ſibi inuicem Cauſæ; hinc Materia, & forma non poſſunt eſſe ſibi inuicem Cauſæ, quamuis ſint diuerſi generis; dico, diuerſi generis, quia certum eſt, cauſas eiuſdem generis non eſſe inuicem cauſas, neq; enim materia ab alia materia, nec forma ab alia forma, aut deniq; efficiens ab alio efficiente viciſſim cauſatur. Si verò ad causãdum vtraq; cauſa exiſtentiam non prærequirit, optimè poſſunt Cauſæ eſſe ſibi inuicem Cauſæ; vt patet in Cauſis efficiente, & finali. licèt enim Cauſa efficiens ad cauſandum realem exiſtentiam prærequirat, non tamen Cauſa finalis.

Concluſio ſit: Cauſæ non poſſunt eſſe ſibi inuicem Cauſæ, ſi vtraque ad cauſandum prærequirat realem exiſtentiam.

Probatur à nonnullis, quia idem eſſet cauſa ſuimetipſius, quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ergo ſi A. produceret B, & B. produceret A. iam A. produceret A.

Sed iſta ratio non eſt efficax: quia ex ea ſolum ſequitur, quòd idem eſſet cauſa remota ſuimetipſius, at cauſa remota verè non eſt cauſa, vt præter *Hurt. ſupra cit.* notat *Ruuius hic tract. 7. quæſt. 1.* nam

Digitized by Google

etiam, Deus eſt cauſa Hominis, Homo eſt cauſa peccati, & tamẽ non ſequitur, quòd Deus ſit cauſa peccati.

Probatur efficaciter quia: *Ariſt. locis ſupra cit.* ità aſſeruit, cauſas eſſe ſibi inuicem cauſas, vt deindè eam doctrinam exemplificauerit in genere cauſarũ, quarum vtraque ad cauſandum non prærequirit realem exiſtentiam, ait enim, laborare eſt cauſa bonæ habitudinis; & hæc laborandi; comparantur autem hic Cauſæ efficiens, & finalis; finalis Cauſa non prærequirit realem exiſtentiam, ſed intentionalem, & obiectiuam, vt eſt planum, & certum.

Probatur ſecũdò quia: Inintelligibile eſt, cauſam realiter exiſtere in aliquo priori antè effectum, & tamen accepiſſe exiſtentiam ab effectu nondum exiſtente; nihil enim poteſt accipere exiſtentiã ab alio non exiſtente, nam vt benè ait *Ariſt. 4. Met. cap. 4. t. 16. ea, quæ non ſunt, quonam pacto, aut loquentur, aut ambulabunt?*

Similiter Cauſa, vt cauſet effectum, iã debet præſupponi in aliquo priori realiter exiſtens, ergo non poteſt deinde accipere illam exiſtentiam ab effectu, ergo inintelligibile eſt, Cauſam prærequirere in aliquo priori realem exiſtentiam ad effectum, & tamen illam accipere ab effectu, tùm quia effectus non ſupponitur exiſtens, tùm quia iam in cauſa ſupponitur ea exiſtentia, quæ aliàs ab effectu eſſet accipienda.

Reſpondebis primò: Cauſam ab effectu non accipere exiſtentiam, ſed accipere aliquid aliud, puta, vel Cauſalitatem; vel aliquam aliam qualitatem diſparatam, atque diuerſam; ità Pater producit, & generat Filium, à quo poteſt accipere ſanitatem, honores, aut diuitias; ità Cauſa efficiens accipit à cauſa finali, non realem exiſtentiam, ſed cauſalitatem, ſicuti enim cauſa efficiens cauſat finalem quòad exiſtentiam, ità finalis cauſa cauſat efficientem, non quò ad exiſtentiam, ſed quò ad cauſalitatem.

Sed contrà eſt, quia quãdo filius cauſat ſanitatem, honores, aut diuitias in Patre, non dicitur cauſare Patrẽ, & dare illi eam exiſtẽtiam, quæ in aliquo priori requiritur, & præſupponitur in Patre; ſicuti nec Cauſa finalis dicitur cauſare efficientem, ſi propriè loqui velimus, ſed potius cauſare eius cauſalitatem, quæ in cauſa efficiente iam præſupponitur realiter exiſtens; è contrà quia eius cauſalitas, & operatio non præſupponitur exiſtens, ideò talis exiſtentia habetur beneficio cauſæ finalis, non quidem elicitiuè, ſeù effectiuè, ſed motiuè, & obiectiuè concurrentis; effectiuè enim talis operatio, & cauſalitas eſt ab ipſo efficiente. Do igitur vniuerſaliter, poſſe effectum ſuæ cauſæ dare omnia ea, quæ non præſupponuntur in cauſa antè exiſtentiam effectus.

Replicabis: ipſa cauſalitas efficientis præſupponitur ad Cauſam finalem, hæc enim non producitur, niſi media cauſalitate, ergo cauſa finalis non poteſt dare exiſtentiam cauſalitati cauſæ efficientis, nec cauſam efficientem cauſare quò ad cauſalitatem.

Sed contrà eſt quia: talis cauſalitas cauſæ efficientis præſupponitur ad cauſam finalem, vt realiter exiſtentem, ſed non præſupponitur ad illam, vt obiectiuè, & intentionaliter exiſtentem, cauſa enim finalis, quia cauſat mouendo intentionaliter, & obiectiuè, non debet realiter præexiſtere, vt cauſet efficiẽtẽ quòad eius cauſalitatẽ, & operationẽ, ſicuti neq; debet realiter præexiſtere, vt cauſet media, quibus ipſa cauſa finalis producitur, & accipit realẽ exiſtentiã; ac proindè media, & finis etiã ſecundũ eandẽ rationem, & ſecundum exiſtentiam ſe inuicem cauſãt, dummodò illud altè retineamus, non prærequirere finem ad cauſandum realem exiſtentiam.

Reſpondebis ſecundò: Tàm Materia, quàm forma ad cauſandum requirunt realem exiſtentiam, & tamen ſunt ſibi inuicem cauſæ, quia Materia cauſat formam, recipiendo, & ſuſtentando; rurſus forma cauſat materiam informando, & perficiendo. Imò materia eſt cauſa formæ quò ad exiſtentiam, non enim poteſt exiſtere materia, niſi exiſtat forma; & rurſus forma eſt cauſa materiæ quò ad exiſtentiam, non quia forma det exiſtentiã materiæ, vt volunt *Thomiſtæ*, ſed quia ſaltem naturaliter non poteſt exiſtere materia ſine forma, vt admittit *communis Sententia*.

Sed contrà eſt, quia materia, vt vera cauſa ſubiectiua formæ, in aliquo priori Naturę exiſtit, & intelligitur exiſtere ãte formam, quam recipit, & ſuſtentat; at forma, non debet in aliquo priori Naturæ exiſtere, aut intelligi exiſtere antè materiam, quam actuat, & informat, ſed ſuffi-

Digitized by Google

ſufficit, ſi intelligatur in aliquo poſteriori aduenire materiæ, vt reuerà aduenit; neq; enim forma eſt cauſa materię, vt contendunt *Thomiſtæ*, ſed potius eſt cauſa compoſiti. Ad id, quod dicitur de exiſtentia; Fateor, materiam non poſſe exiſtere ſinè forma, nec formam ſinè materia, ſed tamen materia in exiſtendo non dependet à forma, tanquam à cauſa dãte exiſtentiam, ſed tãquam ab effectu, & à poſteriori; vt probauimus *Diſput.* 1. *Lect. VI.* è contrà forma dependet à materia tanquam à Cauſa, & à priori.

Reſpondebis tertiò: cùm *Ioanne de S. Thoma loco cit.* nulla cauſa debet in aliquo priori temporis eſſe exiſtens antè effectum ſuum, ſufficit enim ſi cauſa ſit ſimùl, & cõcomitanter cùm effectu ſuo; nam ſimul cùm iſta ſimultanea, & concomitanti exiſtentia reali, & temporis, eſt prioritas Naturæ in cauſa reſpectu effectus, iſta enim prioritas Naturæ, eſt prioritas independentiæ, quæ benè poteſt eſſe inter ea, quæ ſimùl exiſtunt, & concomitanter ſe habeant; materia ergo, & forma ſimùl exiſtunt, concomitanter ſe habent, ſed quia ſunt inuicem dependentes ſecundum diuerſam rationem, materia, ſcilicet, recipiendo, & forma actuando, ideò ſunt ſibi inuicem cauſæ.

Sed contrà quia, vt benè aduertit *Arriag. hic diſp.* 8 *ſect.* 6. *ſubſect.* 4. prioritas Naturæ non dicit ſolam independentiã, approximatio enim eſt independens à calefactione, & tamen non eſt prior Natura; requiritur ergo ad prioritatem Naturæ, præter indepẽdentiam, vt vnum ſit cauſa alterius, & poſſit intelligi in aliquo priori exiſtens antè effectum; nam ſicuti, ea ſunt ſimùl Natura, quæ habent ſubſiſtendi conſequentiam, ità ea ſunt priora Natura alijs, quæ non habent ſubſiſtendi conſequentiã, quia nimirum poſſunt, aut exiſtere, aut intelligi exiſtere ſinè alijs. Sed materia prima in Sententia *Thomiſtarum*, nec exiſtit, nec poteſt intelligi exiſtere ſinè forma, ergo non eſt prior Natura forma, neque habet eam prioritatem, quæ requiritur in cauſa ad cauſandum.

Reſpondebis quartò: duæ manus calidæ mutuò ſe calefaciunt, & calorem conſeruant: duæ manus frigidæ mutuò ſe calefaciunt; duo baculi mutuò ſe ſuſtentant, ergo iam datur mutua cauſalitas inter duas illa manus, & duos baculos.

Sed contrà eſt: quia in primo caſu, quando duæ manus calidæ mutuò ſe calefaciunt, id non accidit, quia producant calorem, ſed quia reſiſtunt contrario; & dato, quòd calorem producant, ità quælibet ex illis ſupponitur exiſtens, vt non accipiat exiſtentiam ab altera; in ſecundo caſu, calor ille producitur à motu, nõ à manibus; nec in vtraq; manu eſt vnus numero calor, ſed duplex numero, ſicuti ſunt duæ manus; denique in tertio caſu, duo baculi mutuò ſe ſuſtẽtant, reſiſtẽdo grauitati, quæ deorſum illos vergeret, & inclinaret.

LECTIO XX.

De Caſu, Fortuna, Fato, & Monſtris.

Caſus, Fortuna, & Fatum ad Cauſam Efficientem reducuntur, quia Caſus, & Fortuna ſunt Cauſa per accidens quamplurium effectuum naturalium, qui proptereà dicuntur effectus caſuales, & fortuiti, ſeù effectus per accidens; Monſtra quoque ſunt effectus per accidens, quia per accidens voliti, & intenti à Natura. Denique Fatum ob ſui immobilitatem, videtur omninò opponi Fortunæ, quæ tota fluxa eſt, & variabilis.

De Fortuna Antiqui, vt de quodam Diuino Numine ſentiebant, & loquebantur, vndè illud *Iuuen. Saty.* 10.

Sed te
Nos facimus Fortuna Deã Cæloq; locamus.

Illos redarguit *D. Auguſtinus lib.* 4. *de Ciuit. Dei cap* 18. *Lactantius lib.* 3. *cap.* 28. *&* 29. & demum hæc Sententia è Scholis Philoſophorum, & Theologorum omnium exploſa eſt.

Recipitur tamen communiter definitio Fortunæ, quam tradidit *Ariſt. hic c.* 5. q. ſit cauſa per accidens in ijs, quæ ob aliquem finem ex electione operantur. Sic fodiens terram, inuenit Theſaurum, viperam, aut carbones, ideòque dicitur cauſa per accidens, & fortuita reſpectu inuentionis Theſauri, Viperæ, aut Carbonum, foſſor enim non eo fine aggreſſus eſt fodere terram, vt Theſaurum inueniret, ſed alia erat eius intentio, alius finis, ideò inuentio Theſauri eſt effectus per accidens, & fortuitus reſpectu foſſoris, aut fodientis terram.

Cau-

Digitized by Google

Caſus differt à Fortuna per hoc, quòd Caſus reperitur in Agentibus, etiam inanimatis, & non intellectualibus; hinc lapſus lapidis ſuo pondere deuoluti eſt cauſa per accidens, & caſualis, inflicti vulneris Socrati prætereunti; vndè patet latiùs patere Caſum, quàm Fortunā; hæc enim in ſolis agentibus intellectualibus, ſeù ex electione reperitur; vt. n. benè hic habet *c.6.t.59. Ariſt. neq; inanimatum vllum, neque bellua, neque infans, quæ delectum non habent, quidpiam agūt eorum, quæ Fortuna eueniunt.*

Dices, Protarchus fortunatos dixit lapides, è quibus aræ extructæ eſſent, quòd honore afficerentur, cùm alij eiuſdem generis pedibus conculcarentur, ergo.

Reſpondeo illos lapides fortunatos dici non propriè, ſed ſimilitudine quadam, & analogia; propriè tamen non dicitur fortunatum, ſed caſu veniſſe equum, qui ſeruatus eſt, quia venit; fortunatum propriè dicimus Hominem, qui terram fodiens, inuenit Theſaurum, ſicuti infortunatum appellamus eum, qui fodiens terram, inuenit viperam, à qua vulnus accepit.

Verū quidem eſt, quòd reſpectu Dei, locum non habent Fortuna, & Caſus; quia, vt benè habet *D. Auguſtinus lib.3. de Trinit. cap.4. nihil in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam, immenſaq; Republica, eſt quod non de interiori, atque intelligibili aula Summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ergo* ſi nihil euenit præter intentionem Dei, aut iubētis, aut permittentis, nihil reſpectu Dei fortuitum eſt, aut caſuale.

Nomine Fati, Antiqui intelligebant neceſſariam, & ineuitabilem naturaliū effectuum conſequentiam, ex naturalibus, neceſſarijs, & inflexibilibus cauſis prouenientem, vndè illud,

Volentem ducunt, nolentem trahunt Fata Seneca in Trag.

Ideò ſicuti apud Antiquos Fortuna putabatur fluxa, & variabilis, ità è contrà Fatum inuariabile, & prorſus immutabile credebatur.

Qui benè, & Catholicè ſentiunt, nomine Fati intelligunt, ordinem inuariabilem cauſarum ſecundarum Diuinam Prouidentiam exequentium: ſeù nomine Fati Cauſas ſecundas intelligunt, prout ſubordinatas Diuinæ Prouidentiæ.

Dices: Fatum eſt cauſa per accidens, ergo non eſt ordo, ordo enim eſt relatio, relatio autem non eſt effectiua.

Confirmatur quia, *D. Auguſtinus in Ioannem tract.27. lib.5. de Ciuit. Dei cap.9. & alibi,* fatuos appellat eos, qui Fatum aliquid eſſe putant.

Reſpondeo; Fatum non eſſe ordinem, aut relationē, vt ſic in abſtracto ſumptam, ſed eſſe Cauſas Secundas ordinatas, aut etiam ſubordinatas Diuinæ Prouidentiæ.

Ad Confirmationem dico: D. Auguſtinum intelligendū eſſe de Fato, prout in Antiquorum Sententia Fati nomine intelligebatur cauſa neceſſaria tollēs libertatem humani arbitrij, in quo etiā ſenſu *D. Gregor, in Homil.10. Epiphaniæ* monet, nè quid Fatum eſſe, exiſtimemus.

Denique Monſtra, & ipſa ad cauſas per accidens, ſpectant, quia accidūt præter intentionem Naturæ.

Definitur ergo Monſtrum, quòd ſit naturalis effectus à recta, & ſolita ſecundum ſpeciem diſpoſitione degenerās. Dicitur, *naturalis effectus*, quia Artis opera Monſtra non efficiuntur; dicitur, *à recta diſpoſitione degenerans*, quia Monſtrum fit per errorem, & præter intentionem Naturæ, quæ ſemper perfecta intēdit, & ordinata, dicitur etiam, *ſolita*, quia quæ frequenter accidunt; non ſolent Monſtra appellari, quamuis vitioſa, & perfecta non ſint, ità Pygmæi, & Gigantes non ſolent inter Monſtra enumerari.

Poſtremò additur, *ſecundum ſpeciem*, quia quælibet rerum, & Animalium ſpecies exigit certam membrorum ſtructuram, & partium lineamenta, vnde quando ab hac diſpoſitione deficit effectus naturalis, aut in totum, aut ex parte, Monſtrum efficitur, & generatur. Exempla effectus naturalis, qui ex parte deficit à naturali ſibi debita mēbrorum ſtructura, adducit *Ariſt.4. de Gen. Animalium cap.3.* ſunt autem; Puer, qui capite arietino; ouis, quæ Bubalo; Vitulus, qui capite humano, nati ſunt; inter quos referri poſſunt Arimaſpi, ſeù Monoculi, qui vnum oculum in fronte gerunt; & qui ſine ceruicibus oculos habent in humeris, & qui caninis capitibus pro voce latratum edūt, vt refert *Plinius lib.7. natural. Hiſt. cap.4.*

Ex toto errant Animalia à ſibi debita naturali membrorum diſpoſitione, & ſtru-

ſtructura, cùm vnum Animal in alterius effigiem prorſus declinat; vt ſi Bos Agnũ pariat, vt Hieroſolymis eueniſſe, refert *Ioſephus de Bello Iudaico cap.* 12.

Dices, Natura nihil temerè, aut inordinatè agit, ergo non poteſt aliquid imperfectum, & inordinatum præter eius intentionem accidere.

Reſpondeo: Naturam nihil agere temerè, ideſt, præter ſui intentionẽ, & nihil inordinatum, quando non eſt impedita, & à primario ſuo fine non diſtrahitur; ſecus quando eſt impedita, tunc enim à primario ſuo fine diſtracta; producit Monſtrum à ſe ſecundariò, & per accidens intentum; ideòque *Ariſt.* 4. *de Gen. Animalium cap.* 4. Monſtra appellat, excurſum, & digreſſionem Naturæ; verbi gratia, Genitores Hominis, tantam futuro fœtui materiam ſubminiſtrare intendunt, quantam exigit congrua eius generatio; ex accidẽti fit, quòd vberior, & abundantior materia ſubminiſtretur, & ideò homo gignitur, vel Giganteæ magnitudinis, vel duo habens capita; è contrà ſi minor, quàm fœtus exigit, materia exhibeatur, vel Homo generatur exiguæ magnitudinis, vel cùm defectu alicuius membri, vt Monoculi, & Vnipedes; ſæpe ob ſeminum commixtionem ſemihomines, & ſemibeſtiæ naſcuntur, quod præſertim accidit in Aphrica, vbi ob inopiam aquarum, ad vnum amnem plura animalia conueniunt; ibi fit eorũ confuſio, & cõmixtio ſeminum, & plura Monſtra generantur.

DISPVTATIO TERTIA.

DE QVANTITATE; ET INFINITO.

TErtio Phyſicorum Libro Ariſtoteles aggreditur Corporis naturalis Paſſiones, et Proprietates explanare, & primò quidem agit de Motu, de quo interruptam habet tractationem, nam partim hic, partim Quinto Libro, quæ ad Motũ ſpectãt, explicat. Nos omnia, quæ de Motu tractat Philoſophus, tùm hic, tùm Quinto Libro, in vltimam, & Quintam Diſputationem, reducemus; hæc verò præſens Diſputatio erit de Quantitate, & Infinito.

Et quidem Quantitas diuiditur primò in Finitam, & Infinitam; illa eſt, quæ habet terminos, à quibus finitur, limitatur, & circunſcribitur; Infinita eſt, quæ nullos habet terminos, à quibus finiatur; Iterum Quantitas finita diuiditur in Continuam,

Digitized by Google

nuā, & Diſcretā. Continua eſt, cuius partes ſunt ad inuicē continuatæ, & vnitæ, vt lignum quadripalmare. Diſcreta, cuius partes ſunt diſcretæ, & diuiſæ, vt Numeri: Quātitas Continua dicitur magnitudo, ſicuti Diſcreta, dicitur multitudo. Subdiuiditur Quātitas Continua in Permanentē, et ſucceſſiuam; illa in re corporea ſolùm reperitur, hæc verò etiā in re Spirituali: Quātitas ſucceſſiua eſt vt Motus, et Tēpus. Deniq; Quantitas Permanens, vel eſt ſuperficies, vel linea, vel corpus: Cæterū ſuperficies, Linea, & Corpus ſolēt dici trina Dimenſio: ſuperficies enim eſt lōgitudo, & latitudo; linea eſt ſola lōgitudo; Corpus eſt longitudo, latitudo, & profunditas. Lōgitudo deſumitur ab extremis maximè diſtātibus, profunditas ab extremis minimè diſtantibus; deniq; latitudo deſumitur penès extrema medio modo diſtantia; quare longitudo eſt dimenſio omnium maxima, profunditas omniū minima; latitudo eſt Dimēſio maior profunditate, minor longitudine: Huic Quantitati, ſeù trinæ Dimenſioni opponitur Punctum, ideſt, indiuiſibile, quod caret omni illa trina Dimenſione. Diſputatio hæc erit de Quantitate Continua Permanente, & de Infinito.

LECTIO I.

Ratio formalis Quantitatis aſſignatur.

SVppono primò, Quantitatē eſſe Accidēs omninò realiter diſtinctū tū à Subſtātia, tùm à reliquis accidentibus; Hæc eſt cōmunis Doctrina contrà Nominales, & alios paucos, quos citat *Auerſato 1. Philo. q. 22. ſect. 1.*

Suadetur Doctrina cōmunis primò; auctoritate Philoſophi, qui tùm in Organo de Prædicamētis, cap. de Quātitate agit, tanquā de Prędicamento ab alijs realiter diſtincto, tùm etiam alijs ſuæ doctrinæ locis. 5. *Met. cap. 1. 3. Phyſic. 39. & 49. 2. de Gen. 62. 3. Met. 17. 7. Met. t. 8.*

Suadetur Secundò Argumento deducto ex materia Theologica; quia peracta Conſecratione, Fides docet, deſtrui ſubſtantiam panis, & vini; & tamen ad ſenſum patet, remanſiſſe eandem quantitatem, quæ erat anteà in Hoſtia; hæc enim apparet eodem modo magna, lata, & rotunda, ſicuti erat anteà; remanet ergo quantitas panis, deſtructa, & non remanente ſubſtantia panis, ergo realiter ſubſtantia panis, & eius Quantitas diſtinguuntur, realis enim ſeparatio ſignum eſt infallibile realis diſtinctionis. Neq; dicas; ibi remanere quātitatē aliorū Accidētiū: quia data hac Reſponſione, deberet Deus nouo miraculo cōſeruare ea accidentia ſinè Quantitate, quæ prout diſtincta realiter à Subſtantia, & ab alijs accidentibus ponitur eſſe ſubiectum immediatum, & proximum eorum Accidentium; imò tot eſſent multiplicanda miracula de nouo, quot accidentia de nouo producerentur in Hoſtia conſecrata, hæc enim nō poſſunt ab Agente naturali produci, ſed immediatè à Deo crearentur, eſſent enim ſinè ſubiecto, Sed Communis Theologorum Sententia, nō plura, quàm neceſſitas exigat, admittit miracula, ergo ta-

lis

Digitized by Google

lis Reſponſio non eſt ſuſtinenda.

Hæc dixi contrà *Nominales, & Hurtadum*, qui, vt benè notat *Petrus Durelle lib.1. Cathegoricothææ cap.5.* videtur, Sententias Nominalium iam ſepultas ab Inferis reſuſcitare. *Hurtado* ex parte adhæret *Arriaga diſput.5.Met.ſect.1.ſubſect.1.* putat enim quantitatem, ſaltem à Subſtantia, realiter non diſtingui; Mouetur, quia talis diſtinctio nullo efficaci argumento poteſt conuinci; ſed quot ſunt in Philoſophia aſſertiones communiter admiſſæ, quæ efficacibus argumentis, aut Demonſtrationibus non probantur? *etenim omnium omninò impoſſibilis eſt demonſtratio ex Ariſtotel.* ſæpius à me citato; ſufficiat ergo ad ponendam realem diſtinctionem Quantitatis à Subſtantia, & reliquis accidentibus, ratio à nobis ſuprà adducta, & explicata, vnà cùm communi Philoſophorum ſenſu.

Suppono ſecundò: Rationem formalem Quantitatis deſumendam eſſe ex aliquo eius effectu formali, forma enim accidentalis à ſuo effectu formali non diſtinguitur; Verùm quia eſſentia rei cōſiſtit in priori, & quantitas plures habet effectus formales; ex ijs ille erit ratio formalis, & eſſentia Quantitatis, qui probabitur eſſe reliquis effectibus formalibus prior; Porrò in Quantitate hi formales effectus numerantur; Diuiſibilitas, menſurabilitas, extreitas partium in ordine ad ſe, extreitas partium in ordine ad locum; denique impenetrabilitas.

Primò ergo nonnulli, ponunt rationem formalem Quantitatis conſiſtere in ratione menſuræ, non quidem actualis, hæc enim poteſt à quantitate ſeparari, imò, & de facto ſeparatur, non enim ſemper vlna menſurat pannum; ſed in ratione mēſuræ aptitudinalis, per quātitatem enim formaliter habetur, quòd ab vno ente aliud poſſit menſurari, & mēſurare; Vbi nomine mēſuræ intelligitur id, quo cognoſcitur aliud, quantum ſit, ſic vlna menſurat pannum, quia per vlnam cognoſcimus, quantum ſit pannum. Ità ſentit *Albert. hic tract.8. cap.1.* & videtur etiam ſentire *D.Thom.Opuſc. 52. circà finem.*

Secundò alij ponunt, rationem formalem Quantitatis in Diuiſibilitate, nā à quantitate formaliter habetur, quòd res ſit apta nata diuidi in partes. Ità *Capreolus in 2.d.3.quæſt.1.art.3.& diſpu.19. quæſt.vnic. Soncinas 5. Met. quæſt. 21. Iauellus quæſt.20. Zanardus ibidem, Flandria q.14.art.4. Aquarius q.11.*

Tertiò, alij ponunt rationem formalem quātitatis in extenſione externa, & locali, ſeù in extreitate partium in ordine ad locum, per quam fit, vt res aliqua materialis, & corporea tota ſit in toto loco, & partes eius in partibus loci, ad differentiam rei Spiritualis, & incorporeæ, quæ tota eſt in toto loco, & tota in ſingulis partibus loci, ità ſe habent Anima Rationalis, & Angelus. Ità *Auerſa tom.1.Philoſ.quæſt.22.ſect.2. Franciſcus le Rees Com.in Prædic.art.4.§.2.* ſed nomine extenſionis localis non intelligit *Auerſa* actualem extenſionem, hæc enim ſeparatur in Euchariſtia à Corpore Chriſti, quod tamen adhùc remanet quantum; ſed intelligit extenſionem localem aptitudinalem, quæ eſt à quantitate inſeparabilis.

Quartò alij: ponunt rationem formalem Quantitatis in Impenetrabilitate, nam à quantitate habet res corporea, & materialis, quòd nequeat eſſe in eodem loco cùm altera re materiali, & corporea, in quo conſiſtit ratio formalis, & conceptus impenetrabilitatis. Ità *Arriaga Diſp.5.Met.ſect.1. ſubſect.2. Ouied. Contr.7.Met.pun.2.& plures Moderni.*

Quintò alij: ponunt rationem formalem Quantitatis conſiſtere in extreitate partium in ordine ad ſe, vel, vt alij loquuntur, in extreitate partium in ordine ad totum; quæ quidem extreitas dicit, quòd vna pars ſit extrà aliam; indè fit, vt partes non ſint inuicem in confuſo complicatæ, & in vnum conglobatæ, ſeù omnes vni immediatè vnitæ, ſed potius, quòd ſint vnitæ cùm aliquo ordine, ità vt vna ſit immediatè vnita alteri, mediatè verò cæteris; ità in Homine, verbi gratia, à quantitate habetur, quòd Caput immediatè ſit vnitum collo, mediatè verò pectori, bracchijs, pedibus, & alijs.

Ità *D.Thomas 1.p.q.14.art.12. Ferrarienſ.ibidem cap.87.§.ad euidentiam. Nunno 3.p.qu.76.art.4. dub.vn. Arauxo lib.5. Met.quæſt.3.art.1. Ruuius in Log.cap.6.de Quant.qu.1. Didacus Ortiz in Log.tract.5 Conferentia 3.§.2. Vaſq. Fonſeca, Conimbricenſes, & alij, quos citant, & ſequuntur Cōplut.in Log.diſp.13.quæſt.2.* Cùm his ſit.

Concluſio mea: Ratio formalis, ſeu eſſentia Quantitatis conſiſtit in extrei-

tate partium in ordine ad ſe.

Probatur primò: ex *Ariſtot. in Prædic. cap. de Quantitat.* vbi diuidens Quantitatē in Cōtinuam, & Diſcretam. Continuam deindè ſubdiuidit, *itaut partim ſit ex habentibus poſitionem partibus, partim è non habentibus.* Sed quantitatem cōſtare ex partibus habentibus poſitionē, nihil eſt aliud, quàm conſtare ex partibus habētibus talē ordinē, & diſpoſitionē, per quam fiat, vt vna ſit immediatè vnita vni, mediatè verò cæteris modo explicato, ergo.

Probatur ſecūdò: quia eſſentia, & ratio formalis quantitatis in eo debet conſiſtere, quod eſt eius effectus formalis, & eſt reliquis effectibus formalibus prior, ſed extreitas partium in ordine ad ſe eſt effectus formalis quantitatis, vt de ſe patet, & eſt reliquis effectibus prior, ergo. Maior patet ex dictis ſupra. Minor probatur quia, ideò aliquid eſt diuiſibile, mēſurabile, impenetrabile cùm alio, & deniq; extenſum in ordine ad locum, quia eſt extenſum in ordine ad ſe, nam ſpiritualia, quia non ſunt extenſa in ordine ad ſe, nec habent partes extrà partes, ideò nec ſunt diuiſibilia, nec menſurabilia, nec impenetrabilia, nec extenſa in ordine ad locum, ergo extreitas partium eſt quantitatis effectus formalis, prior reliquis effectibus formalibus, nimirum, diuiſibilitate, menſurabilitate, impenetrabilitate, & extenſione in ordine ad locum; & conſequenter eſt eius formalis ratio, & eſſentia.

Reſpondebis: Res quælibet de ſe habet partes independenter à quantitate, nam in materia prima, verbi gratia, ſunt partes entitatiuæ, & ſubſtantiales, & nō per quantitatem, hæc enim eſt accidēs, & ideò non poteſt dare partes entitatiuas materiæ primæ, quę ſunt ſubſtantiales, ergo extreitas partium non eſt effectus formalis quantitatis. Maior patet quia, res quælibet materialis, & corporea independenter à quantitate differt à re ſpirituali, & incorporea, per hoc tātū, quòd illa habet partes, non ſic res Spiritualis, ergo in materia, & in qualibet re materiali, & corporea adſunt partes independenter à quantitate.

Sed contrà eſt quia: In primis poſſet negari Maior, licèt enim plures concedant, materiam primam, & quamlibet rem materialem habere partes de ſe independenter à quantitate, in horum enim Sententia diſtinguitur res materialis, & corporea à re Spirituali, quia illa exigit habere quantitatem, non ſic res ſpiritualis; ſed tamen data illa Maiori, adhùc dico; aliud eſſe, quòd in re materiali ſint partes, & aliud eſt, quòd in re materiali ſint partes ordinatæ, & ità diſpoſitæ, vt vna ſit immediatè vnita alteri, mediatè verò cæteris. Saltem talis ordo, & diſpoſitio eſt effectus formalis quantitatis; Vndè *Rubius licèt in Phyſicis lib. 1. quæſt. 2.* concedat materiæ primæ partes entitatiuas independenter à quantitate, adhùc tamen in Logicis in *Prædic. cap. 6.* de quātitate nobiſcum ſentit, eſſentiam quantitatis conſiſtere in extreitate partium in ordine ad ſe.

LECTIO II.

Soluuntur Argumenta in Oppoſitum.

AVctores Sententiarum, quas ſuprà in contrarium adduximus, varia aduerſus dicta opponunt Argumenta.

Obijciunt primò: *ex Ariſt. 5. Met. cap.* 13. definitur Quantum, eſſe diuiſibile in ea, quæ inſunt, quorum vtrumque, aut quod quid aptum eſt, eſſe, ergo iam in definitione quantitatis, tanquam eius eſſentiale prædicatum, eſt appoſita diuiſibilitas, quæ proindè eſt ratio formalis quantitatis.

Confirmatur quia: plures ſpecies quātitatis diſtinguūtur per diuiſibilitatem; ſed ſpecifica diſtinctio non habetur, niſi à ratione formali, ergo. Maior probatur quia: ſi ſit diuiſio ſecundum dimenſionem longitudinis, eſt linea; ſi ſit diuiſio ſecundum dimenſionem latitudinis, eſt ſuperficies; denique ſi ſit diuiſio ſecundum dimenſionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, eſt Corpus, ergo.

Reſpondeo: eam *Ariſtotelis* definitionem eſſe deſcriptionem, quia eſt tradita per Diuiſibilitatem, quæ eſt quantitatis proprietas; vel ibi Ariſt. ſumpſiſſe Diuiſibilitatem radicaliter, quo pacto idem eſt, ac extenſio partium in ordine ad ſe.

Ad Confirmationem ſimiliter dico; ſpecies quantitatis diſtingui per Diuiſibilitatem, tanquam per proprietatem, & paſſionem notiorem; vel etiam ſumi

Di-

Diuiſibilitatem radicaliter pro ipſa partium extenſione in ordine ad ſe, non verò ſumi Diuiſibilitatem formaliter, quo pacto eſt paſſio, & proprietas quantitatis.

Obijciunt ſecundò: *ex Ariſtot. 4. Phyſ.* definitur Tempus, quod eſt ſpecies quãtitatis, quòd ſit numerus, & menſura motus ſecundum prius, & poſterius, ergo ratio menſuræ eſt ratio formalis, & eſſentialis quantitatis.

Confirmatur quia: ſpecies quantitatis diſtinguuntur per rationes eſſentiales, & ſpecificas, ſed diſtinguuntur per rationem menſuræ, vt patet in loco, & ſuperficie; locus enim eſt menſura corporis contenti, ſuperficies verò eſt menſura corporis continentis, ergo.

Reſpondeo ad principale Argumentum; vel eam non eſſe Definitionem, ſed Deſcriptionem, vel ibi intelligi mẽſuram radicalem, vel nomine numeri nõ intelligi menſuram, ſed potius diſtinctionem, & diſcretionem partium; vt ibi explicat *Ruuius*.

Ad Confirmationem dico: per rationem menſuræ diſtingui ſuperficiem à loco accidentaliter, non eſſentialiter, & ſpecificè.

Obijciunt tertiò: nomine quanti intelligimus id, quod eſt localiter extenſum, ergo localis, & externa extenſio eſt quantitatis ratio formalis.

Confirmatur quia: tres ſunt ſpecies quantitatis, nimirum, longitudo, latitudo, & profunditas, ſed hę nihil aliud ſunt, quàm extenſio localis, ergo.

Reſpondeo: benè nomine quanti nos intelligere localem extẽſionem, quæ eſt notior, & magis ſenſata extenſione interna, & in ordine ad ſe, in qua tãquam in prima, & formali ratione fundatur alia extenſio localis, & externa.

Ad Confirmationem dico, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ità eſſe extenſiones locales, vt tamen ſupponant extenſionem in ordine ad ſe.

Obijciunt quartò: per impenetrabilitatem contradiſtinguitur quantiras à re Spirituali, non per extenſionem partiũ, ergo & per eam conſtituitur; cùm idem ſit principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum. Antecedens probatur, quia ſubſtantia Spiritualis, ſaltem de abſoluta potentia, poteſt conſtare partibus, ergo.

Reſpondeo: per impenetrabilitatem diſtingui quidem quantitatem ab omni eo, quod non eſt ipſa, ſed nõn diſtingui primò; eſt autem idem principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum, non quomodocunque, ſed primò diſtinctiuum; primò ergo quantitas ab omni alio, quod non eſt ipſa, & præcipuè à Subſtantia Spirituali diſtinguitur per habere partes, nego enim de abſoluta potẽtia poſſe dari Subſtantiam Spiritualem, quæ habeat partes; hinc eſt, vt Subſtantia Spiritualis ſit penetrabilis cùm alia Subſtantia, non ſic Subſtantia quanta, corporea, & materialis, quę quia habet partium extreitatem, & vna pars eſt extrà aliam, & extra locum alterius, ideò eſt cùm alia impenetrabilis, ideſt, non poteſt eſſe in eodem loco, in quo eſt alia.

Quòd ſi ad ponendã rationem formalem quantitatis in impenetrabilitate, faseſt, concedere de abſoluta potentia partium extreitatem Subſtantiæ Spiritualis, pariter poſſemus eidem Subſtantiæ Spirituali concedere de abſoluta potentia impenetrabilitatem, & negare extreitatem partium: non enim videtur eſſe maior ratio, cur Subſtantiæ Spirituali non repugnet extreitas partium, & repugnet impenetrabilitas, ergo vt ſaluetur communis conceptus, quem omnes hucuſquè habuerunt de Subſtantia Spirituali, debet illi vtrumque denegari etiam de abſoluta potentia, nempè extreitas partium, & impenetrabilitas.

Quòd ſi nomine impenetrabilitatis veniat impenetrabilitas radicalis; concedo impenetrabilitatem eſſe rationem formalem quantitatis, ſed ità impenetrabilitas idem erit, ac extreitas partiũ in ordine ad ſe.

Colligite ex his: Diuiſibilitatem, menſurabilitatem, extenſionem localem veluti in actu primo, & impenetrabilitatem eſſe Proprietates, & affectiones conſequentes ad quantitatem. Ipſam verò actualem Diuiſionem, actualem menſuram, extenſionem localem quodammodo in actu ſecundo, ſeù actualem impenetrationem eſſe Accidentia quantitatis; ſimili modo, quo Riſibilitas eſt Proprietas Hominis, actualis vero riſus eſt accidens eiuſdem.

LECTIO III.

An Partes in Quantitate ſint actu Diſtinctæ.

PRæmitto primò pro intelligentia, & ſolutione Difficultatis. Vniuerſaliſſimè loquendo duo eſſe diſtincta, nihil aliud eſſe, quàm vnum non eſſe aliud; conſequenter partes Quantitatis continuæ eſſe diſtinctas realiter, nihil aliud erit, quàm vnam realiter non eſſe aliam. Cæterùm vnum non eſſe aliud diuerſa ratione contingit in toto Etherogeneo, ac in toto homogeneo; Et quidem in toto Etherogeneo vna pars non eſt alia ex propria ſui entitate, quæ cùm ſit diuerſa ab entitate alterius partis, ideò quoque eſt actu realiter diſtincta ab altera; ità in compoſito Phyſico, verbi gratia, materia eſt actu diſtincta à forma, quia ex ſui propria entitate eſt diuerſa ab illa, ideòque dicitur Etherogenea reſpectu Formę, ideſt, diuerſæ rationis, & entitatis, ac ſit forma.

At in toto homogeneo, vbi omnes partes ſunt eiuſdē rationis, vna realiter diſtinguitur ab alia nō per propriā ſui entitatē, ſed per actualē ſeparationē, quæ actualis ſeparatio fit. & habetur p actualem Diuiſionem; v. g primus palmus ligni quadripalmaris, non diſtinguitur realiter à quarto palmo, niſi actu ſeparetur ab illo; nec poteſt ſeparari, niſi per actualem diuiſionem Ratio eſt, quia niſi accedat actualis ſeparatio, non poteſt verificari, quòd primus palmus non ſit quartus, ſeù quòd entitas primi palmi non ſit entitas quarti palmi, quia ſunt eiuſdem rationis, & entitatis, ideòque dicũtur homogenei, vbi verò aduenit actualis ſeparatio, ſtatim primus palmus terminatur in ſuo eſſe, & habet negationem alterius palmi, & ideò ſtatim verificatur, quòd vnus palmus non eſt alius.

Præmitto ſecundò: conſequēter Totum, aliud eſſe potentiale, ſeù poteſtatiuum, & aliud eſſe actuale. Totum actuale eſt illud, quòd habet partes actu realiter diſtinctas, & tale eſt totũ Etherogeneum, vti eſt quodlibet compoſitũ Phyſicum ex materia, & forma. Totum potentiale, ſeù poteſtatiuum eſt illud, quod non habet partes actu realiter diſtinctas, ſed potentia ſolùm, quatenus, ſcilicet, capax eſt diuiſionis, per quam vna pars actu ſeparatur ab alia, per conſequens terminatur in ſuo eſſe, & de ea poteſt verificari, quòd non ſit alia; tale eſt totum Homogeneum, vt lignum quadripalmare, feſtuca, palea, aqua maris, & huiuſmodi.

Quæritur modò: An quantitas continua habeat partes actu realiter diſtinctas, an verò ſolum potentia diſtinctas, atque diuerſas.

Concluſio eſt: In Continuo non ſunt partes actu realiter diſtinctæ, ſed ſolùm potentia.

Ità *Antiqui Expoſitores Ariſtot. Simpl. Auerr. D. Thomas in 1. Phyſ. circà text. 68. Durand. in 2. d. 1. quæſt. 3. Capreol. in 1 diſt. 24 quæſt. 1. art. 1. Greg. cont. 1. Concluſ. & ad 2. Scoti, ac diſt. 43. quæſt. 1. art. 2 ad primum. Le Reès Com in Phyſ. art. 3* § *1. & 2. His addo Scotum in 2. d 2. q. 9. §. ſed contrà*, verba ſunt, *ſicut eſſentiale eſt quanto poſſe diuidi in partes, ità eſt ei eſſentiale, quòd ſingulum eorum, in quæ diuiditur, poſſit eſſe hoc aliquid.*

Contrà, *Riccard. in 4. d. 10. art. 7. quæſt. 2. Gab. in 2. d. 1. quæſt. 3. not. 7. Mairon. in 4. d 12. quæſt. 8. Tolet. in 6. Phyſi. quaſt. 1. Conimb. cap. 2. quæſt. 1. art. 2. Maſium ſect. 2. quæſt. 6. Hurt. diſp. 15. Phyſic. ſect. 1. Arriagam, & Ouicdum, vbi agunt de Compoſitione Continui; Denique Auerſam tom. 1. Philoſ. quæſt. 22. ſect. 6. Ioannem de Sancto Thoma in 6. Phyſic. quæſt. 20. art. 1. Diffic 3.*

Probatur Concluſio primò: *ex Ariſt. 5. Met. 31. 7. Met. 49. In lib. de ſenſu, & ſenſili cap. 6. præcipuè vero 8. Phyſic. t. 69.* in Continuo ſunt infinita dimidia non actu, ſed potentia.

Probatur ſecundò ratione à priori quia: partes eſſe actu diſtinctas, formaliter nihil eſt aliud, quàm vnam non eſſe aliam, ſed partes Continui non ità ſe habent, vt de iis verum ſit dicere, vna non eſt alia, ergo. Minor probatur, quia ſi partium continui vna non eſt alia, vel id habet ex entitate ſua, & intrinſecè, & hoc non, quia eſt Homogenea, & eiuſdem rationis cùm alia parte, vel habet ex eo, quòd ſit terminata in ſuo eſſe, & extrinſecè, & hoc neque dici poteſt, quia eſt continuata cùm alia parte, ergo non poteſt verificari de partibus Continui, quòd vna non ſit alia.

Confirmatur quia: vt explicabimus

in

in Metaphyſicis, vnaquæque res indiuiduatur, ſeù ſit vna, & non alia per propriã ſui entitatem diuerſam, ſed in toto homogeneo, quale eſt continuum, non ſunt entitates diuerſæ, quia omnes partes ſunt eiuſdem rationis, ergo partes continui non indiuiduantur, ſeù vna non eſt alia per propriam entitatem, ergo aliundè petenda eſt earum indiuiduatio, à qua habeatur, quòd vna non ſit alia, ſed talis indiuiduatio non poteſt aliunde peti, niſi ex eo, quòd ſit terminata in ſuo eſſe; ergo quandiù partes continui non terminantur in ſuo eſſe per diuiſionem vnius ab alia, atq; adeò per actualem ſeparationem, non ſunt realiter actu diſtinctæ, ſed potiùs ſicuti poſſunt diuidi, & ſeparari, atque adeò vnaquæq; terminari in ſuo eſſe, ità poteſt diſtingui vnaquæque ab alia, de facto tamen nulla eſt actu diſtincta, & ſingulæ ſunt potentia diſtinguibiles, ſicuti ſingulæ ſunt potentia diuiſibiles, & ſeparabiles.

Probatur tertiò à poſteriori quia: ſi iſtę partes eſſent actu diſtinctæ realiter, actu daretur infinitum in multitudine, quod repugnare, infrà oſtendam, ergo. Antecedens probatur: quia in continuo ſunt partes infinitæ, Sed iſtæ ſunt omnes actu diſtinctæ, ergo omnes erunt infinitæ actu.

Obijcies primò: Partes continui actu nõ ſunt idẽ realiter inter ſe, ergo realiter actu diſtinguũtur: conſequentia eſt clara. Antecedens probatur quia: vna pars continui cauſat aliam, vt patet in ſtipula, cuius vna pars inflammat alteram ſibi continuam; ergo.

Confirmatur quia: de partibus continui verificantur prædicata cõtradictoria, ergo non ſunt idem, neque enim de eodem poſſunt prædicata contradictoria verificari; Probatur Antecedẽs, quia vna pars eſt calida, altera non calida, vna videtur, altera non videtur, & his ſimilia, ergo.

Reſpondeo in primis, negando conſequentiam, quia inter eſſe actu realiter idem, & actu realiter diſtingui, datur medium; nimirum diſtingui realiter potencialiter. Prętereà diſtinguo Antecedens, partes continui nõ ſunt actu idem ſimpliciter, & indiuiſibiliter, vti ſunt Angelus, vel Anima rationalis concedo, non ſunt realiter actu idem continuatiuè, & diuiſibiliter, nego.

Ad Probationem dico, quòd vna pars continui non cauſat alteram ſimpliciter, & quòad eſſe, ſed ſecundum quid, vt in exemplo adducto ſtipulæ, cuius vna pars inflammata non producit alteram partem quò ad eſſe, ſed quò ad inflammationem, quatenus non illam producit, ſed ignem in illa producit.

Ad Confirmationem dico: prædicata cõtradictoria poſſe verificari de eadem re nedum potentia realiter diuiſibili, ſed de eadem re indiuiſibili ſimpliciter, dummodo in ea ſit diſtinctio rationis, vt patet in gradibus Methaphyſicis, & attributis Diuinis in Sententia Thomiſtarum admittentium in his ſolam diſtinctionem rationis. Prætereà dico ad exempla adducta, eas partes per calorem, & viſionẽ iam eſſe factas diuerſas, & etherogeneas, ſaltem accidentaliter, ſeù, vt alij loquũtur, per deſignationem, aut aſſignationem extrinſecam, ideò mirum non eſt, ſi in ijs ſit aliqualis diſtinctio realis extrinſeca; dixi aliqualis diſtinctio realis extrinſeca, quia propria diſtinctio realis intrinſeca non ſit, niſi accedat actualis diuiſio, & ſeparatio, quà ſit, vt quælibet pars ſit terminata in ſuo eſſe intrinſeco, & ſit intrinſecè non alia.

Obijcies ſecundò: Partes continui poſſunt realiter ſeparari, & ſeparatę exiſtere, ergo realiter diſtinguuntur: quæ enim realiter ſeparantur, aut realiter ſeparari poſſunt, realiter diſtiguuntur, vel vt loquitur *Ariſt. 7. Top. t. 1. ſi alterum interimitur ipſorum, altero remanente, profectò non idem ſunt.*

Confirmatur quia: quęlibet pars continui ſeipſa eſt ens, ergo ſeipſa eſt vna, vnitas enim eſt paſſio entis, & conſequenter ſeipſa eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa à qualibet alia parte, vnum enim definitur per eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio.

Reſpondeo: axioma illud, quæ realiter poſſunt ſeparari, realiter diſtinguuntur, valere in etherogeneis, non in homogeneis; vel ſi in homogeneis illud quoque valere, aſſeramus, ex eo ſequi, partes continui diſtingui quidem realiter, ſed non actu, diſtinctio enim realis eſt duplex, actualis, & potentialis.

Ad Confirmationẽ Reſpondeo: quãlibet partem continui ſeipſa eſſe ens, nõ qualecunque, ſed homogeneum; ens autem

tem homogeneum non eſt actu vnum, & diuiſum à quocunque alio, niſi per extrinſecam diuiſionem.

Obijcies tertiò: Aqua marina tota eſt vnum continuatiuè, ſed impoſſibile, imò inintelligibile videtur, quòd pars aquæ marinæ Orientalis non ſit diſtincta à parte aquæ marinæ Occidentalis, vna enim ab altera maximè, & longiſſimè diſtat, ergo.

Confirmatur quia: duæ guttæ aquæ antè earum vnionem, realiter diſtinguuntur, ergo etiam poſtquam ſunt vnitæ, & factæ quid vnum continuatiuè; tenet conſequentia, quia illæ guttæ eædē entitatiuè manent poſt vnionem, quæ erant antè vnionem, nequè enim per vnionem ſubſtantialiter mutantur, ergo.

Reſpondeo: nō eſſe inintelligibile, eā Aquam marinam Orientalem, & Occidentalem non diſtingui, ſi verè intelligas eam aquam eſſe quid vnum continuatiuè, non verò eſſe quid vnum omninò ſimpliciter, & indiuiſibiliter. Præterea ſi aqua marina eſt Orientalis, & Occidentalis, iam per deſignationem, ſeù aſſignationem extrinſecam eſt aliquo modo diuerſa; quo pacto fit etiam diuerſa, ſi vno actu Intellectus intelligas vnam aquam, vel per actum Voluntatis vnam ames, & aliam non intelligas, aut non ames, tunc enim fit aliqua deſignatio extrinſeca, & accidentalis in illis partibus, ex qua deindè oritur extrinſeca, & accidentalis differentia, & diſtinctio in aqua illa marina.

Ad Confirmationem dico: in illis guttis totam variationem fieri ex eo, quòd anteà erant diuiſæ, & poſteà non ſunt amplius diuiſæ; porrò ex illa diuiſione, aut negatione diuiſionis oritur, vel earum diſtinctio realis actualis, vel negatio diſtinctionis realis actualis; non ergo illæ guttæ immutantur quò ad earum entitates, ſed quòad earum numerum, & diuiſionem.

Obijcies quartò: ſi illæ partes eſſent actu penetratæ, & in eodem loco, diſtinguerentur actu realiter potentialiter, ergo quia modo vna eſt extrà aliam, & vna eſt extrà locum alterius, diſtinguūtur maiori aliqua diſtinctione reali, ſed non niſi diſtinctione reali actuali, ergo.

Reſpondeo: diſtinctionem realem potentialem, aliam eſſe potentialem proximam, & hac diſtinguuntur partes de facto, quando iam vna eſt extra aliā, & extrà locum alterius; aliam verò eſſe diſtinctionem realem potentialem remotam, & hac diſtinguerentur partes, quando eſſent penetratæ, & in eodem loco poſitæ.

Dices: *ex Ariſt.1.Phyſic.t.57.* in Continuo ſunt multa; & alibi docet partes Continui copulari termino communi, ergo verè in Continuo adſunt partes actu diſtinctæ.

Reſpondeo: Ariſtotelem in Continuo agnoſcere partes, & multitudinem potentialem, non realem actualem; & hoc patet ex alia eius doctrina à nobis ſuprà adducta in prima probatione noſtræ Concluſionis.

LECTIO IV.

Sententia Zenonis de Compoſitione Continui Reijcitur.

Propoſitam Difficultatem de Compoſitione Continui eſſe omnium maximam, quæ in Philoſophia ſolent agitari, & ferè ab humano ingenio imperceptibilem, ingenuè fatentur Philoſophi ferè omnes, tàm Antiqui, quàm Recentiores, qui & reiecta Zenonis Sē-tentia, vnanimi conſenſu Ariſtotelicam probant, & ſequuntur.

Præmitto autem (antequam Sententiam Zenonis de compoſitione Continui adducam, & explicem); Continuū eſſe aliquod totum homogeneum, atque adeò omnes eius partes eſſe eiuſdem rationis, & conditionis; & ideò eius partes debent eſſe, aut omnes Diuiſibiles, vt voluit Ariſtoteles, aut omnes indiuiſibiles, vt voluit Zeno.

Præmitto ſecundò: Indiuiſibile eſſe id, quod non poteſt diuidi, ſeù quod non habet partes, in quas poſſit diuidi; eſt autem Indiuiſibile multiplex, nempe Indiuiſibile Metaphyſicum, quod, ſcilicet, in ſua ſubſtantia, & entitate nullas partes, aut diuiſionem admittit, talis eſt Deus, Angelus, Anima Rationalis; tale Indiuiſibile licèt actu formaliter tale ſit, æquiualenter tamen, & virtualiter diuiſibile eſt, quia occupat plures partes loci, ac ſi eſſet actu, & formaliter diuiſibile; ità Deus omnem locum implet, Angelus, & Anima Rationalis occupant ſpatium, ſeù locum diuiſibilem;

lem; ideò æquiualenter, & virtualiter hæc, & ſimilia, (ſi quæ ſunt) dicuntur diuiſibilia; Aliud eſt indiuiſibile Phyſicũ, nimirum illud, quod in ſe quidem, & in entitate ſua diuiſibile eſt, ſed eſt adeò exile, tenue & exiguum, vt vix ſẽſu, aut Intellectu percipi poſſit, nè dum aliquo materiali Inſtrumento diuidi, & ſeparari, ità ſe habent minutiſſimæ, & ferè inſenſibiles ariſtæ, vel paleæ partes. Denique aliud eſt indiuiſibile Mathematicũ, quod eſt in quantitate, quæ nullas habeat partes, & hoc iterum eſt duplex; aliud eſt indiuiſibile ſimpliciter, quod nullas prorſus habet partes, vt punctũ; & aliud eſt indiuiſibile ſecundum quid; quod, ſcilicet, ſecundum vnam dimenſionem non admittit diuiſionem, ſecundum aliam ſic, ità linea eſt indiuiſibilis ſecundum latitudinem, & profunditatẽ, ſed diuiſibilis ſecũdum longitudinem, ſuperficies verò eſt diuiſibilis ſecundũ longitudinem, & latitudinem, ſed indiuiſibilis ſecundum profunditatem.

Fuit ergo Sententia *Zenonis, Anaxagoræ, & Democriti*, totum Continuum, tanquam ex partibus conſtare ex indiuiſibilibus, ſeù punctis Mathematicis.

Concluſio eſt: Continuum non conſtat ex ſolis punctis, ſeù Indiuiſibilibus.

Ità *Ariſt. 6. Phyſic. cap. 1. & lib. de lineis inſecabilibus*; quem ſequũtur ferè omnes omnium Claſſiũ Doctores, Philoſophi, ac Theologi.

Contrà *Zenonem, Anaxagoram, Leucippum, Democritum, alioſq;* *Antiquos*, & Recentiores, *Sebaſtianum Baſſonum lib. de motu intentione 6. Ioachimum Doctorem Valentinianum lib. 6. Phyſic. diſpu. 1. ſect. 2. pun. 1. Valentinum de Herice in 1. p. tract. 4 diſput. 43. cap. 2. nu. 6. & alios plures ſuppreſſo nomine cit. à Toleto lib. 6. Phyſic. q. 1. & Valentiniano, vbi ſuprà, refert Ouied. Cont. 17. pun. 1. vbi etiam refert aliquos ex Antiquis Theologis, Mayronum in 2. d. 2. q. 5. Gerardum apud Tartaletum lib. 6. Phyſ. Ægid. 1. de Gen. quaſt. 8. Gregor. in 1. d. 3. q. 1. & in 2. d. 2. q. 2.*

Et ſanè Zenonis Sententiam quam plures hac tempeſtate defenderent, niſi eos Auctoritas Ariſtotelis à communi Sententia diſcedere prohiberet.

Concluſio probatur Argumentis, Phyſicis, Mathematicis, & Theologicis.

Argumenta Phyſica ſunt.

Primum: quia ſi Continuum conſtaret ex indiuiſibilibus, ſeù punctis, vel hæc eſſent continua, vel contigua, vel deinceps; non ſunt continua, neque cõtigua, quia continua ſunt, quorum extrema ſunt vnum, & contigua, quorum extrema ſunt ſimul, ſicuti illa ſunt deinceps, ſeù poſt, inter quorum extrema interiacet aliquod tertium diuerſæ rationis, ſed puncta carent extremis, quia carent partibus, ergo non poſſunt eſſe Continua, neque contigua, neque deinceps, ſeù poſt.

Secundum quia: ſi puncta conſtituerent quantitatem diuiſibilem, vnum punctum immediatè tangeret aliud, vel ergo tangeret aliud ſecundum partem, vel ſecundum ſe totum; non primum, quia non habet partes; ſi ſecundum, ergo ſe iam penetraret cùm alio puncto, & ſic omnia puncta ſuperuenientia inuicem ſe penetrarent, & conſequenter non facerent quantitatem extenſam, & habentem partes extrà partes, vndè eſt commune dictum, indiuiſibile additum indiuiſibili, non facit maius, ſeù extenſum.

Confirmatur quia: punctum non eſt extenſum, ergo additum alteri puncto non facit extẽſum, quia nemo dat, quod non habet; at quantitas continua eſſẽntialiter cõſtat ex partibus, quarum vna ſit extrà aliam, vel ad minus habet pro ſui proprietate inſeparabili extreitatem partium, ſeù extenſionem in ordine ad ſe, ergo non poteſt coaleſcere, & componi ex punctis, ſeù indiuiſibilibus.

Tertium, quod militat præcipuè de Quantitate continua ſucceſſiua; nempè Motu, & Tempore, eſt, quia: ſi Motus, & Tempus componerentur ex indiuiſibilibus, (quæ in Motu dicuntur propriò nomine, mutata eſſe, & in Tempore dicuntur, inſtantia) ſequeretur non moueri velociùs mobile velox, ac mobile tardum, verbi gratia, ſi inuicem compararentur Aquila, & Teſtudo.

Probatur quia: moueatur Aquila per ſpatium viginti punctorum, vel Aquila in primo inſtanti temporis pertranſit vnum pũctum, & Teſtudo etiam vnum punctum, & ſic non velociùs moueretur Aquila, ac moueatur Teſtudo, quia eodem tempore idem omninò ſpatium pertranſirent; tunc autem vnum mobile velociùs alio mouetur, quando idem ſpatium mobile velox breuiori tempore percurrit, ſed in caſu poſito Aquila, &

Te-

Digitized by Google

Teſtudo idem indiuiſibile punctum ſpatij eodem indiuiſibili puncto temporis pertranſirent, ergo æquè velociter, & non vnum velociùs alio; non velociùs Teſtudine Aquila moueretur; quod ſanè ridiculum eſt.

Nec poteſt dici, quòd Teſtudo, vtpotè mobile magis tardum, moueatur in eodem illo puncto temporis, ità vt percurrat medietatem puncti ſpatij; quia illud punctum ſpatij, quia punctum, eſt indiuiſibile in duas medietates, tãquam in partes.

Neque poteſt dici, quòd mobile velociùs in vno inſtanti pertranſit duo puncta ſpatij, mobile autem tardum in vno inſtanti petranſit vnum punctum ſpatij; nam vel mobile tardum mouetur quando mobile velocius pertranſit vnũ punctum ſpatij, vel non mouetur; ſi non mouetur, id eſt contrà ſuppoſita. Si mouetur, non poteſt dici, quòd in eo puncto Temporis percurrat vnum punctum ſpatij, quia iam æquè velociter moueretur; neque quòd percurrat medietatem illius puncti ſpatij, quia illud punctum non habet medietatem, quia caret partibus, cùm ſit indiuiſibile.

Neque dicas; mobile velox in vno puncto temporis ità percurrere duo pũcta ſpatij, vt in medietate puncti temporis percurrat vnum punctum ſpatij, & in altera medietate pũcti temporis percurrat alterum punctum ſpatij; at verò mobile tardum vno puncto temporis percurrit vnum punctum ſpatij; quia punctum temporis, & ipſum eſt indiuiſibile, & conſequenter caret medietatibus, quia caret partibus, ergo non poteſt dici, quòd mobile velox in medietate puncti temporis percurrat vnum punctum ſpatij, & in altera medietate puncti temporis percurrat alterum punctum ſpatii.

Quartum quia: ſi Quantitas componeretur ex indiuiſibilibus, & punctis, nõ poſſet explicari, quomodo fieret rarefactio, & condenſatio; nam ex doctrina communi, tunc contingit rarefactio, quandò eadem quantitas olei, verbi gratia, per calorem rarefacta occupat maius ſpatium, quàm occuparet per frigus condenſata, vt ad ſenſum patet; ſed ſi talis quantitas conſtaret ex punctis, non poſſet explicari, quomodo illa eadem quãtitas rarefacta occuparet maius ſpatium, quàm occupet condenſata; ergo: Minor probatur quia, ſi illa quantitas olei conſtaret viginti punctis, verbi gratia, non poſſet occupare, niſi viginti pũcta ſpatii, nõ plura aut pauciora, quia cũ indiuiſibilia ſint, carent omni extenſione, ergo non poſſunt ſe in maius ſpatium dilatare, aut in minus ſe ſe contrahere, cùm enim viginti puncta ſint, viginti ſunt illi debita puncta ſpatii, non plura, aut pauciora, ergo illa quantitas olei conſtans ex punctis, non poſſet explicari, quomodo rarefieret, & condenſaretur.

LECTIO V.

Sententia Zenonis Argumentis Mathematicis, & Theologicis Reÿcitur.

ARgumenta Mathematica ſunt.

Primum: *ab Euclide lib.* 10. demonſtratum eſt, quòd omnis linea recta poteſt diuidi in duas partes æquales, ſed ſi quantitas componeretur ex indiuiſibilibus, non poſſet linea diuidi in duas partes æquales, ſi enim linea conſtaret ex quinque punctis, vel diuideretur in duas partes, quarum vtraque eſſet duorum punctorũ cùm dimidio, & ità punctum eſſet diuiſibile, aut vtraque diuideretur in duas partes, quarum vna ſit triũ punctorum, altera verò duorum, & ſic nõ diuideretur, nec poſſet diuidi in duas partes æquales.

Secundum eſt: ſi Continuum conſtaret ex indiuiſibilibus, tot eſſent puncta circuli minoris, quot ſunt puncta circuli maioris, verbi gratia, tot eſſent puncta vnius anuli, quot ſunt puncta Cæli Stellati, quod eſt palmare, & manifeſtum abſurdũ. Sequela probatur quia: ſi anulus, & Cælum Stellatum concentricè ponantur, ità vt anulus intrà Cælum Stellatum collocetur, & à centro anuli ducantur lineæ ad omnia puncta Cæli Stellati, iſtæ lineæ deberent tranſire per puncta circuli minoris, ſeù anuli, ergo iam tot eſſent puncta circuli minoris quot maioris, tot eſſent puncta anuli, quot sũt Cęli Stellati; neq; enim dici poteſt, quòd duæ lineæ tranſirẽt per vnicũ punctum anuli, quia aliàs in pũcto incidentiæ, non eſſent rectę, ſed obliquæ, nam in puncto incidẽtiæ facerent angulum, ſed illæ lineæ, quæ in puncto incidentiæ fa-

Digitized by Google

faciant angulum non ſunt rectæ, ergo iam non eſſent rectæ illæ lineæ, quod nõ eſt minus abſurdum in Mathematicis, quàm quòd tot ſint puncta circuli minoris, quot maioris, tot ſint pũcta anuli, quot Cæli Stellati

Tertium Argumentum eſt quia: ſi continuum cõſtaret ex indiuiſibilibus, ſequeretur Diametrum eſſe æquale lateri Quadrati contrà *Euclidem lib. 10. Propoſitione vltima*; ſit enim Quadratũ Diametro diuiſum, & lineæ parallelæ ducãtur ab vno latere Quadrati ad aliud latus: vel iſtæ omnes lineæ tangunt omnia puncta Diametri, quod ſecant, vel non; ſi primum, ergo iam puncta diametri, & vtriuſque lateris ſunt æqualia, quod eſt abſurdum; ſi ſecundum, ergo iam duæ lineæ parallelæ ſe tangerent in eodem puncto, & ità non eſſent rectæ, quia in puncto incidentiæ obliquarentur: eſt autem æquè abſurdum lineas parallelas non eſſe rectas, ac puncta diametri, & vtriuſq; lateris eſſe æqualia, ſeu latera Quadrati eſſe æqualia cùm coſtis eiuſdem quadrati.

Quartum Argumentum eſt quia: ſi ſtatueretur triangulum habens duo latera ęqualia, & vnũ inęquale, cuius Baſis ſit quinque punctorum; deindè ſuper Baſim ducantur lineæ Parallelæ de latere ad latus, prima linea parallela erit quatuor punctorum, (ſemper enim partes, ſeu lineæ talis trianguli verſus ſũmum coarctãtur, donec in punctum deſinant) ſecunda linea erit trium punctorum, quarta duorum, quinta vnius, ſexta vel erit nullius puncti, vel dimidij, ſed vtrumque eſt abſurdum, ergo.

Argumenta Theologica ſunt.

Primum: *In Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15.* damnata eſt inter alias, hæc Propoſitio VVicleffi; *linea Mathematica componitur ex duobus, aut quatuor punctis immediatis, aut ſolum ex punctis ſimpliciter finitis*; ait enim Conciliũ; *prima pars eſt error in Philoſophia*, ſed hæc propoſitio eſt expreſſa Sententia Zenonis, ergo à Cõcilio damnata eſt Zenonis Sententia; & licet cùm *Valentia tom. 3. diſp. 3. q. 1. pun. 7. §. 1.* concedamus à Concilio, & Pontifice, non poſſe in re purè philoſophica aliquid definiri, tanquam de Fide, aut cùm *Bellarmino lib. 2. de Concilij authoritate cap. 19.* non fuiſſe tale Concilium legitimè congregatum, vel etiam non approbatum à Pontifice *Martino V.* quoad iſtam partem; licèt, in quam, hæc concedamus, tamen non ſequitur, votum illius Concilij, ad quod conuenere tot viri omnium doctiſſimi, & Sapientiſſimi, non ſufficere ad Zenonis Sententiam reprobandam

Secundum Argumentum fundatur in Auctoritate *D. Auguſtini tom. 1. de Quantitate Animæ cap. 11. & 13. vbi hæc habet, loquens de puncto, ab ipſo incipit linea, ipſo terminatur, deindè vndecumque linea ſecari poteſt, per ipſum ſecatur*, vbi D. Auguſtinus non videtur diſtinguere inter punctum, & partem diuiſibilem, ergo D Auguſtinus indiuiſibilia nõ agnouit, nec putauit ex illis quantum componi. Quæ omnia Argumenta Phyſica, Mathematica, & Theologica æquè probant, ſiuè puncta ponantur eſſe finita, ſiuè infinita.

LECTIO VI.

Duæ aliæ Sententiæ Reÿciuntur.

SVnt aliæ duæ Sententiæ Zenonis Opinioni cognatæ, & affines. Prima Sententia, quàm Doctores Hyſpani, vel explicarunt, vel illuſtrarũt primi, ponit Continuum conſtare ex punctis indiuiſibilibus in ſe, occupantibus tamen ſpatium diuiſibile, quæ ideò fortaſſe turgida vocãt, & inflata, vt diſtinguãt à Zenoniſticis punctis, quæ facilè quis preſſa poſſet appellare, & ſicca, vtpotè quia carent omni extenſione etiam virtuali; non enim repugnat aliquod eſſe indiuiſibile in ſe, & formaliter, eſſe virtualiter extẽſum, & diuiſibile in ordine ad ſpatium, ſeu locũ, vt patet in Angelo, qui licèt formaliter ſit indiuiſibilis in ſe, eſt extenſus in ordine ad ſpatiũ, & occupat ſpatiũ diuiſibile: qua data doctrina iam poterit admitti, punctum occupare ſpatium diuiſibile, & ità ſaluatur ex non quanto, ex non extenſo, fieri quantum, & extenſum, quia punctum, licèt formaliter ſit non quantum, & nõ extenſum, virtualiter tamen extenſum eſt, & quantum; ità etiam ſaluatur, quomodo vnum indiuiſibile additum alteri faciat maius, quia indiuiſibile occupat ſpatium diuiſibile, & ſic facit maius.

Sẽtẽtia hęc eſt ſatis celebris, & famoſa, ſed ſicuti ſinè vllo certo Auctore vagatur in Scholis, ità & ab omnibus ſe-

Digitized by Google

rè Scholaſticis reijcitur,& impugnatur.

Primò quidem ; quia ſi vera eſſet hęc Doctrina, punctum Mathematicum eſſet æqualis perfectionis,ac eſt Angelus, tale enim punctum eſſet formaliter indiuiſibile, virtualiter diuiſibile, & extenſum, occuparet ſpatium diuiſibile, vti Angelus,cui hoc attribuitur ob magnam ſubſtantię Angelicæ perfectionē; ſed hoc eſt abſurdum,& inconueniens; quomodo enim punctum, minima pars quantitatis,quæ omni Subſtantia, & ferè omni accidente imperfectius eſt, poteſt eſſe æqualis perfectionis cùm Angelo ? ergo.

Secundò quia: data hac Sententia, dicendum eſſet conſequenter, rarefactionem, & condenſationem conſiſtere in indiuiſibilium maiori, vel minori extenſione locali virtualiter, ergo æquè poſſet Angelus rarefieri, ac ſubſtantia quælibet materialis, quod eſſe abſurdum, & inauditum æquè planū eſt,ac certum ; ſequela verò probatur quia: Angelus modo habet maiorem, modo minorem extenſionem localem virtualiter diuiſibilem, ergo æquè poſſet Angelus rarefieri, & condenſari, ac rarefiat, & condenſetur ſubſtantia materialis.

Altera Sententia ſatis communis,defendit, Continuum conſtare partim ex diuiſibilibus, partim ex indiuiſibilibus continuatiuis, & terminatiuis; licèt enim partes Continui diuiſibiles ſint, vniuntur tamen, & continuantur per aliquod pūctum indiuiſibile, ſicuti materia, & forma, vniuntur medio modo vnionis ſubſtantialis ad faciendū Compoſitum ſubſtantiale; rurſus quia partes Continui, tandem finiuntur, & terminantur, neque enim Cōtinuum eſt infinitum, debet admitti aliud punctum, quo finiatur,& terminetur Continuum.

Ità diſcurrunt ex Thomiſtis *Capreolus in 2.d.2.quæſt.1. Deza quæſt.2. art.4. Caietan.3.par.ar.2.& cap.de Quantitate. Soto ibidem quæſt.2.Soncinas lib.10.quæſt.20. Ruuius tract. de Comp. Continui, Alenſis lib.3.ſuæ Met.cap.5.Complutenſes in Phyſic. quæſt. 24. §.2. vbi referunt Antiquos Ariſt.Expoſitores Themiſtium, Simpliciū, Philoponum,nec non Modernos Plazam, & Maſium, Ioannem de Sancto Thoma q.20. Phyſic.art.1.Diff.Tertia.*

Ex Recentioribus *hanc Sententiam ſequuntur Suarez 2.tom.Met.diſp.40.ſect.5. num.28.Conimb.lib.6.cap.2.quæſt.1. art.2. Scaliger exercit.65. Contrà Cardanum, Fōſecam 5. Met.cap.13.qu.6.ſect. 4.& lib.7. cap.1.q.1.ſect.4.*

Citari ſolet pro hac Sententia *Scotus in 2.diſt.1. q.3. & diſt.2.q.9.* Vidi,& legi attentè textum *Scoti diſt.1.q.3.* vbi agit, An aliqua Creatura potuerit eſſe coæterna Deo,ſed de indiuiſibilibus nè verbū quidē facit.*diſt.2.q.9.* tractat de indiuiſibilibus, ſed negat Continuum ex illis componi adducens rationes,& argumēta ex Mathematica, quæ etiam nos ſupra adduximus;imò §.*Hoc etiam*,apertè negat,aliquod quantum eſſe indiuiſibile,en verba;*non eſt intelligibile,quòd aliquod quantum ſit indiuiſibile.*

Reijcitur hæc Sententia,& impugnatur; Primò Ratione, quam modò retuli ex *Scoto in 2.d.2.q.9.* ſi datur tale indiuiſibile ſiuè continuatiuum, ſiuè terminatiuum, vtique eſt aliquid quantitatis continuæ, & ſpectat ad illius compoſitionem, atque adeò eſt homogeneum cùm illa,quantitas enim continua totū eſt homogeneum in omnium Sentētia, ergo jam hoc continuatiuum, ſeù terminatiuum punctum,& indiuiſibile, eſt aliquid quantitatis continuæ, aliàs ad illam, vt quid etherogeneum nullo modo pertineret; ſed implicat dicere aliquid quātitatis,& eſſe indiuiſibile; quia diuiſibilitas,vel eſt eſſentia,vel ad ſummum in omnium Sententia,eſt proprietas quantitatis, ergo non poteſt dari indiuiſibile continuatiuum, & terminatiuum, quod ſit aliquid ipſius Quantitatis Continuæ.

Secundò impugnatur hæc Sententia, quia talia puncta continuatiua, & terminatiua omninò ſuperfluè, & abſque vlla neceſſitate excogitata ſunt, cùm enim partes Continui homogeneę ſint, ſeipſis,& non per ſuperadditam entitatem vniuntur; dummodo nullum adſit impedimentum, & remota cenſeatur earum diuiſio,& ſeparatio.Similiter ſufficientiſſimè intelligitur Continuum finiri, & terminari per ſimplicem negationem vlterioris extenſionis, ergo huiuſmodi indiuiſibilia,& puncta, merum ſunt figmentum.

Tertiò tādem reijcitur, & impugnatur hæc Sententia Argumento petito ex Materia Theologica,quia: ſi darentur hæc indiuiſibilia realia poſitiua in Continuo, non poſſet ſaluari præſentia

Cor-

Digitized by Google

Corporis Chriſti Domini in illis, ergo.

Sequela probatur quia: vel Corpus Chriſti eſſet in illis indiuiſibilibus, vel non; non poteſt dici ſecũdum, quia aliàs in Hoſtia conſecrata eſſet aſſignabile aliquid reale, in quo non eſſet tale Corpus, quod eſſe abſurdum, certum eſt. ſi primum; frangatur Hoſtia conſecrata, & diuidatur in duas partes, in qualibet harum partium erit nouum punctum terminatiuum; tùm ſic, vel in iſtis nouis punctis erit Corpus Chriſti, vel non. Nõ ſecundum ob rationem modò dictam, ergo primum, ergo iam Corpus Chriſti de nouo eſt præſens in aliquo reali abſque noua Conſecratione; quod eſſe abſurdum, omnes Theologi admittunt; ſimiliter ſi Vino conſecrato admiſceatur vinum aliud non conſecratum, iam reſultabit nouum punctum continuatiuũ; de hoc facio idem quæſitum; vel Sanguis Chriſti eſt in illo puncto nouo continuatiuo, vel non; non ſecundum, quia aliàs poſſet aſſignari in Vino conſecrato aliquid reale poſitiuum, in quo non eſſet Sanguis Chriſti Domini; ſi primũ; ergo iam Sanguis Chriſti eſt in aliquo reali de nouo abſque noua Conſecratione.

Probabilius eſſe puto, Continuum ex ſolis indiuiſibilibus conſtare ſiuè finitis, ſiuè infinitis, quàm illud componere ex partibus diuiſibilibus, & pũctis indiuiſibilibus continuatiuis, & terminatiuis; Ratio eſt, quia Continuum eſt totum homogeneum, ergo omnes eius partes debent eſſe eiuſdem rationis, ergo vel debent eſſe omnes diuiſibiles, vel omnes indiuiſibiles.

LECTIO VII.

Argumenta in Contrarium ſoluuntur.

AVctores Sententiarum, quas hucuſque retulimus, & impugnauimus, ſtrenuè cauſam ſuam agunt, & plura nobis, eaque magnæ efficaciæ opponunt Argumenta.

Et quidem *Zenoniſtæ* hæc nobis,

Obijciunt primò: Numerus fit ex pluribus vnitatibus, quæ ſunt indiuiſæ, ſeù indiuiſibiles in ſe, ergo etiam continuũ poteſt conſtare, & componi ex indiuiſibilibus.

Confirmatur quia: vnus homo non eſt binarius, alter homo non eſt binarius, ſed ex vno, & altero homine fit binarius, ergo ſicuti ex non binario fit binarius, ità ex duobus indiuiſibilibus, ſeù duobus non quantis, ex duobus non extenſis, poteſt fieri quantum, & extenſum. Similiter forma non eſt compoſita, materia non eſt compoſita, & tamen ex materia, & forma fit Compoſitum, ergo etiam ex non quantis poteſt fieri quantum.

Reſpondeo: negando conſequentiam quia: numerus eſt quãtitas diſcreta, ideò benè poteſt, imò neceſſariò debet conſtare ex partibus, quæ non ſint extenſæ, & continuatæ, ſed potiùs inextenſæ, & diſcõtinuatæ, atq; adeò indiuiſę, ſeù indiuiſibiles, & diſcretæ; at quantitas continua eſt eſſentialiter extenſa, ideò debet conſtare ex extenſis, & diuiſibilibus, nec poteſt conſtare ex inextenſis, & indiuiſibilibus.

Ad Confirmationẽ ſimiliter reſpondeo, ex non binario fieri binarium; quia vt fiat binarius non requiritur aliqua vnio duorum, ſeù aliqua extenſio vnius cùm altero, ſed ſufficit accipere vnum, & alterum, at verò, vt Continuum fiat, debent aſſumi partes inuicem vnitæ, & extenſæ, ſicuti ipſum Continuum eſt quid vnum, & extenſum, ſi ergo ponantur puncta, & partes inextenſæ, non fiet totum extenſum. Ad exemplum de Materia, & Forma dico; benè ex materia, & forma fieri compoſitum, quia licèt quęlibet ex his ſeorſim ſumpta ab altera nõ ſit compoſita, tamen non concurrunt ad faciendum Compoſitũ, niſi vniantur adinuicẽ, & componãtur, ideòq; ex illis nõ cõpoſitis, vt nõ cõpoſitis, nõ fit cõpoſitũ, ꝙ tamẽ fit ex illis, vt cõpoſitis, & vnitis. Ità Cõtinuũ ex punctis, vt pũctis inextẽſis, vt inextẽſis, nõ coaleſcit, niſi illa pũcta, & illa inextẽſa fiant extenſa, quod quia impoſſibile eſt, impoſſibile eſt quoque, quòd ex illis fiat Continuum.

Obijciunt ſecundò: Mathematici definiunt lineam eſſe fluxum puncti, ſuperficiem fluxum lineę, ſed ſi imaginemur punctum fluere, tale punctum non deſignabit, niſi puncta, ergo iam tota linea conſtat ex ſolis punctis, ſeù indiuiſibilibus.

Confirmatur quia: quantitas continua ſucceſſiua conſtat ex ſolis punctis, ergo etiam quantitas continua permanens.

Obijciunt primò: *Ex Ariſt. in Prædicamentis cap. de Quantitate*, Continuum eſt illud, cuius partes copulantur termino communi, ſed nomine termini communis, non aliud poteſt venire, quàm punctum continuatiuum, quod eſt commune vni, & alteri parti Continui, ergo.

Reſpondeo: nomine termini communis venire partem diuiſibilem, quæ interiacet, & media eſt inter vnam, & alteram partem Continui, hæc enim eſt communis vtrique, quia vtramque nectit, & vnit; quod non poteſt præſtare pars vltima, quæ quia vlteriùs non extenditur, & alterum non vnit, non eſt alteri communis.

Obijciunt ſecundò: Argumentum, quod ab ipſis cenſetur Achilles, & reuerà valdè famoſum eſt, & efficax:

Creet Deus Sphæram perfectã, & ponat ſuper perfectè planum; tùm ſic, hæc Sphæra neceſſariò debet tangere planũ in puncto, vt probat *Euclides lib. 3. prop. 16.* & notauit *Ariſt. 1. de Anima cap. 1. t. 13.* ergo iam datur pũctum aliquod, ſaltem continuatiuum.

Probatur Antecedẽs quia: talis Sphæra non poteſt tangere planum in parte diuiſibili, nulla enim pars illius Sphæræ eſt, quæ non ſit ſphærica, & curua; pars autem Sphærica, & curua non poteſt commenſurari parti planæ, ergo Sphæra illa cadens ſuper planum, tangit in puncto. Similiter, ſi fiat columna perfectè rotunda, quæ vno verbo, dicitur Cylindrus, tangit planum in ſola linea, & in ſola longitudine, ergo datur linea, & ſola longitudo.

Reſpondeo: varias ab Ariſtotelicis afferri ſolutiones ad hoc Argumentum.

Aliqui enim, vt *Areſius 1. de Gen. d. 2. quæſt. 23. ſect. 7.* negant, poſſe fieri, & dari Corpus adeò perfectè rotũdum, & ſphæricum, vt nulla eius pars ſit plana. Alij negant, poſſe dari planum adeò perfectum, vt in eo non ſit aliqua curuitas.

Alij recipiunt Corpus perfectè ſphæricum, & planum perfectum, ſed volunt planum perfectum tangi ab illo Globo, ſeù Corpore perfectè ſphærico, & rotundo in parte diuiſibili, indeterminata tamen, & ſemper minori, & minori in infinitum; quam partem indeterminatam, & ità minorem Ariſtoteles appellauit punctum, vel eſſe locutum more, & conſuetudine Geometrarum, quando conceſſit planum tangi in puncto ab illo Globo. Ità *Hurtad. diſp. 15. Phyſic. ſect. 2.* quamuis enim indiuiſibilia *Hurtadus* cõcedat, negat tamen hoc Argumento ea efficaciter probari.

Alij volunt, planum tangi in puncto, quod deſignatur per contactum illius Sphæræ, licèt enim in illo plano non ſit punctum formaliter, eſt tamen eminenter, & virtualiter, vndè poſita deſignatione ſtatim punctum illud formaliter, & actu emergit. Ità *Conimb. 6. Phyſi. cap. 2. quæſt. 1. in fine*, licèt hi admittant realẽ ſuperficiem, lineam tamen, & puncta non admittunt realiter, ſed per deſignationem.

Alij, negant planum poſſe tangi ab illo Globo, obſtat enim incommenſuratio Globi ad planum, qua obſtante incommenſuratione, non poteſt fieri contactus. ità *Auerſa quæſt. 22. ſect. 5.* Verum quidem eſt, quòd ſi talis Globus eſſet æneus, & planum eſſet vitreum, ſinè dubio tale planum frãgeretur ab illo Globo, ſi magno impetu ſuper planum deſcendere ſupponatur, ſed talis fractio acciderer non ex contactu Globi, ſed ex contactu, & impetu Corporis intermedij, quod maximè addenſatum, magno impetu in planum illud impingeret, ac proindè frangeret, & diſſolueret.

Simile quid reſpondet *Franciſcus le Reès Com. in Phyſi. diſp. 3. art. vlt. §. 4.* vult enim, tangi planum illud à Globo contactu immediationis, non adæquationis, & commenſurationis, quia verè talis commenſuratio, & adæquatio non poteſt dari inter illud planum, & Globum, qui tamen tangit planum contactu immediationis; quia Globus, & planum, ità immota manerent, vt inter illa nullum aliud Corpus interiaceret, & hoc in eius Sentẽtia eſt tangi contactu immediationis.

Reſpondet iterum *Auerſa vbi ſuprà*; talem Globum penetrari in aliqua ſaltem ſui parte cùm plano, id enim non præiudicat, nec figuræ planæ, nec figuræ Globoſæ; ideòque, talis Globus immediatè quidem tangeret planum, ſed non ſaluaretur in eo omnis extreitas partium, quia eſſet aliqualis penetratio Globi cùm plano.

Ex his Reſponſionibus, ſicuti nulla eſt, quæ ſua careat probabilitate, ità quælibet ſuas habet impugnationes; cæteris probabilior mihi videtur ea, quæ

quæ vltimo loco adducta eſt.

Obijciunt tertiò: Hæc eſt differentia inter Corpus diaphanum, & opacum, quòd lux peruadit totum Corpus diaphanum, at non peruadit totum corpus opacum, ſed ſolùm in eius vltima, ſeù extima ſuperficie recipitur, ergo ſaltem datur ſuperficies habens negationem profunditatis.

Confirmatur quia: negatis indiuiſibilibus, tollitur actio vniformis difformis, niſi enim lux non recipiatur in parte indiuiſibili ſubiecti illuminati, ſed potiùs in eius parte diuiſibili; iam poſſet reperiri æquale lumen in duabus partibus, in quas illa pars diuiſibilis iam illuminata diuideretur, ergo tolleretur actio vniformis difformis, per quam in partibus ſubiecti ſemper diffunditur eadem qualitas inæqualiter, ſeù ſemper minor, & minor.

Reſpondeo: lucem peruadere non ſolùm ſuperficiem, ſed etiam profunditatem corporis opaci, ſed non totam eius profunditatem; at corporis diaphani totam peruadit, & penetrat profunditatem.

Ad Confirmationem dico: quòd illa pars illuminata, ſicut diuideretur in duas partes, quarū vna eſſet minor, altera maior, ità minus lumē eſſet in minori parte, maius lumen in parte maiori, non ergo æqualiter diffunderetur illud lumen, vt falsò ſupponit Argumentum.

LECTIO VIII.

Sententia Ariſtotelis Declaratur.

Reiectis omninò punctis à Quantitate Continua, refutato Zenone, eiuſque, vel in totum, vel in partem fautoribus, declaranda nobis ſupereſt Ariſtotelis Sententia.

Hęc docet, Continuum quodcunque etiam atomum, & minimum, conſtare infinitis partibus in infinitum ſinè fine diuiſibilibus etiam per ęternitatem. Ità *Ariſtot. 6. Phyſic. cap. 2. t. 16. Dico Continuum id, quod in ſemper diuidua eſt diuiduū 8. Phyſic. cap 8. tit. 68. infinitas Tempus habet diuiſiones*: & paucis interiectis: *In Cōtinuo ſunt infinita dimidia, non actu, ſed poteſtate, 5. Met. cap. 13. t. 18.* definit, *Quantum eſſe diuiſibile in ea, quæ inſunt, quorum vtrumque, aut ſingulum vnum quid, aut quod quid, aptum eſt, eſſe.*

Ariſtotelem ſequitur Vulgus omne Philoſophorum, exceptis ijs paucis à me ſupra pro Zenone relatis, quos etiā puto, nec ingenuè philoſophari, nec ſtudio veritatis, ſed ad ingenij oſtentationem pro Zenone ſtetiſſe.

Pro huius Sententię explicatione.

Pono primò: In Continuo ab Ariſtotelicis partes aſſignari duplicis generis, nempè æquales, & inæquales, verbi gratia, in ligno quadripalmari, ſunt partes æquales, nēpè quatuor palmi, vel etiam octo ſemipalmi; & ſunt partes inæquales; ideſt, duo ſemipalmi, in quos quilibet palmus eſt diuiſibilis, palmus enim comparatus cū quolibet ſemipalmo, in quem eſt diuiſibilis, eſt inæqualis, eſt enim ſemipalmus minor palmo, vt patet; eſto palmus reſpectu alterius palmi ſit ęqualis; vndè patet, quòd eadem pars reſpectu diuerſorum eſt æqualis, & inæqualis modo explicato.

Iterum partes alię sūt cōmunicantes; aliæ non communicantes; communicantes ſunt, quarū vna communicat cū alia, quia continet aliam, vt palmus, qui ſub ſe continet duos ſemipalmos; non communicantes ſunt, quarum vna ſub ſe aliam non continet, vt palmus comparatus cùm palmo; & ex his etiam patet, quòd eadem pars reſpectu diuerſorum poteſt eſſe communicans, & non communicans, vt ex dictis planum eſt.

Nonnulli, partes inæquales appellant communicantes ſicuti æquales appellant non communicantes, quia reuerà æquales non ità ſe habent, vt vna æqualis, vt æqualis, contineat aliam ſub ſe minorem, & ideò æquales non ſunt cōmunicantes; è contrà inæquales ſunt cōmunicantes, quia pars dicitur inæqualis, quatenùs ſub ſe continet alias minores, & minores ſe; ità palmus, vt ſub ſe continet duos ſemipalmos, & eſt pars inæqualis, & eſt communicans.

Similiter alij, partes æquales, & non communicantes appellant aliquotas, ſicuti è contrà partes inæquales, & communicantes appellant aliquantas; pars æqualis, & non communicans dicitur aliquota, quia aliquoties repetita totum præcisè adæquat, ità ternarius eſt pars aliquota numeri duodenarij, quia ternarius quater acceptus, duodenarium perfectè adæquat, & menſurat; pars aliquāta, & proportionalis eſt, quæ aliquoties

Digitized by Google

ties repetita non adæquat omnem numerum, in quo continetur, ità numerus ternarius continetur quidem in octonario, ſed eſt eius pars aliquanta, non aliquota, quia ſi replicetur bis, exceditur ab octonario, ſi ter replicetur, excedit octonarium; vndè patet, quòd reſpectu diuerſi numeri eadem pars eſt aliquota, & aliquanta; ità in exemplo adducto, ternarius eſt pars aliquota reſpectu duodenarij, & reſpectu octonarij eſt pars aliquanta.

Deniq; partes æquales, & communicantes dicuntur determinatæ; ſicuti è contrà inæquales dicuntur indeterminatæ, & proportionales; partes æquales dicuntur determinatæ, quia nota eſt, determinata, & patens earum magnitudo; partes inæquales dicuntur indeterminatæ, quia non eſt nota, & patens earum magnitudo, nulla enim earum eſt aſſignabilis, quarum non poſſit aſſignari alia minor, & minor vſq; in infinitum; hæ etiam dicuntur proportionales, quia, ſicuti lignum bipalmare, verbi gratia, diuiditur in duas partes æquales, putà in duos palmos, ità proportione ſeruata quilibet ex his palmis diuiditur in duos ſemipalmos, & proportionaliter quilibet ſemipalmus diuiditur in duas medietates, & qualibet medietas in alias duas medietates, & ſic proportione ſeruata vſque in infinitum abimus in diuiſione cuiuslibet minimi Continui, paleæ, verbi gratia, vel ariſtæ

Pono ſecundò: in Continuo partes æquales eſſe finitas, & numero determinatas; in ligno enim bipalmari, clarum eſt, duos tantum eſſe palmos, ſed partes inæquales, & proportionales eſſe infinitas, non enim poteſt lignum bipalmare in tot partes diuidi, quin in plures, & plures in infinitum diuidi poſſit; ideòq; partes proportionales, inæquales, ſeù cõmunicantes nõ categorematicè, & actu, ſed ſincategorematicè, & in potentia dicuntur eſſe infinitæ; ratio eſt, quia hæ partes proportionales non ſunt actu omnes diuiſæ, ſed potentia diuiſibiles; & ità ſunt potentia diuiſibiles, vt ſemper ſint vlterius diuiſibiles vſque in infinitum, ità vt nunquam poſſit aſſignari vltima, & poſſit diuidi vltima. Ideò autem partes actu infinitæ dicuntur infinitè Categorematicè, quia ſunt infinitæ ſimpliciter, ducta ſimilitudine, & analogia à termino Categorematico, qui ſimpliciter ſignificat, ſeù perfectam habet ſignificationem, è contrà partes infinitæ in potentia, dicuntur infinitæ incategorematicè, ducta analogia à termino Sincategorematico, qui non ſignificat ſimpliciter, ſed ſecundum quid, habet enim imperfectam quandam ſignificationem, vt ex dictis in Logicis patet.

Concluſio mea eſt: Continuum conſtat ex partibus diuiſibilibus finitè in infinitum, ità vt non poſſint in quolibet Continuo, quamuis minimo, vt modica palea, vel ariſta, aſſignari tot partes, quin plures, minores ſemper, & minores ſint aſſignabiles per totam æternitatem

Probatur primò ex Ariſtotele locis ſupracitatis.

Probatur ſecundò: quia Continuum eſt aliquod homogeneum, ergo omnes eius partes debent eſſe homogeneæ, & eiuſdem rationis, ergo vel omnes debēt eſſe diuiſibiles, vel omnes indiuiſibiles, ſed non poſſunt eſſe omnes indiuiſibiles, vt contrà Zenonem probauimus; nec poſſunt eſſe omnes diuiſibiles, ſolùm virtualiter, quia etiam puncta inflata, & turgida refutauimus; neque poſſunt eſſe partim diuiſibiles, partim indiuiſibiles, quia etiam puncta Continuatiua, & Terminatiua reiecimus; ergo debent eſſe omnes diuiſibiles.

Probatur tertiò ſolutione Argumentorũ: quorũ licèt aliqui Auctores fugam ſe potiùs videre fateantur, quàm ſolutionem, obtegere ſe potiùs Ariſtotelicos partium Continui infinita multitudine, non difficultates plenè diſſoluere, tamen indè licet maiorem in Ariſtotelica, quàm in Zenoniſtica Sententia probabilitatem agnoſcere, quòd Zenoniſtæ nè punctis quidem, vtpotè inextenſis queunt ſe obtegere, fuga etiam illis, nedum ſolutio interdicitur Argumentorũ, quorum proindè iaculis patent, quouſque confodiantur omnino, aut è Scholis eijciantur.

LECTIO IX.

Argumenta contrà Ariſtotelem ſoluuntur.

OBijciunt primò: ſi Continuum eſſet diuiſibile in infinitum, iam daretur actu infinitum, conſequens eſt ab-

Digitized by Google

abſurdum, ergò. Sequela Maioris probatur quia:Continuum eſſet diuiſibile in partes infinitas, nè dum proportionales, ſed etiam æquales, ſed partes æquales ſunt actu, ergò daretur infinitum actu, & ſimpliciter. Maior probatur quia: Continuum bipalmare, verbi gratia eſſet diuiſibile in duos palmos, quorum quilibet eſſet diuiſibilis in duos ſemipalmos æquales inter ſe, & quilibet ſemipalmus eſſet diuiſibilis in duas medietates, quæ etiam eſſent æquales inter ſe, & ſic in infinitum, ergo iam Continuum diuideretur in partes æquales infinitas, ergo iam daretur infinitum actu, & ſanè Argumentum propoſitum vim habet, & efficaciam in partibus æqualibus, nam ſi procedat de partibus inæqualibus, & proportionalibus, facilè ſoluitur, admittendo partes proportionales eſſe infinitas in potentia, & ſincategorematicè, quòd non eſt abſurdum.

Reſpondeo: Continuum bipalmare benè poſſe diuidi in plures, & plures partes æquales in infinitum, ſed tamen hæ partes æquales nunquam erunt infinitæ, quia licèt æquales ſint inter ſe, non ſunt tamen æquales, ſi comparentur cũ his, à quibus diuiduntur. & cùm his, in quas poſſunt vlterius diuidi; verbi gratia, duo ſemipalmi ſunt æquales inter ſe, ſed quilibet eorum non eſt æqualis cùm palmo, à quo eſt diuiſus, nec eſt æqualis cùm qualibet medietate, in quam poteſt diuidi quilibet ſemipalmus; licèt ergo partes æquales poſſint in infinitum augeri, & multiplicari, illæ tamen nunquam erunt infinitæ, quia prout æquales, non ſunt infinitæ. Prætereà dico, quòd etiam ſi illæ partes eſſent omni modo æquales, & cùm his, à quibus diuiduntur, & cùm his, in quas poſſunt vlteriùs diuidi, nunquam tamen erunt infinitæ, quia nunquam fient infinitæ diuiſiones, nunquam eſt aſſignabilis vltima diuiſio, & ſic ſemper poſſunt diuidi partes æquales, & inæquales in infinitum, ſed nunquam erunt infinitæ.

Obijciūt ſecundò: Deus videt omnes diuiſiones poſſibiles circà hanc Chartam, ità vt nulla ſit, quàm Deus non cognoſcat, aliàs Deus non cognoſceret omnia poſſibilia, ſed potiùs aliquod poſſibile illi cognoſcendum reſtaret, ergo iam Deus cognoſcet hanc Chartam redactam eſſe ad indiuiſibilia; tenet cōſequentia, quia ſi non videret Chartam redactā ad indiuiſibilia, videret adhùc reſtare alias diuiſiones, & ſic non vidiſſet omnes.

Confirmatur quia: poſſibili poſito in actu, nullum ſequitur abſurdum, ergo, ſaltem Deus, poſſet omnes diuiſiones poſſibiles, quas cognoſcit in Continuo actu exercere, quod ſaltem non debēt negare, qui probabiliter defendunt, poſſe dari infinitum in multitudine, ergo iā poſſet in Continuo deueniri ad indiuiſibilia.

Reſpondeo: Deū videre omnes diuiſiones poſſibiles, & ſimùl videre has diuiſiones non poſſe ſimùl coexiſtere, quia eſt eſſentiale his diuiſionibus, vt aliquæ exiſtant, & aliquæ ſint in potētia; Negatur tamen conſequentia, nēpè Deū cognoſcere Chartam illā eſſe redactam ad indiuiſibilia, quia cognitio Dei, non eſt diuiſio, eſto Deus cognoſceret illas diuiſiones poſſibiles, non tamen actu exerceret illas diuiſiones, quia non diuideret, & ita non cognoſceret Chartam illam redactam ad indiuiſibilia.

Quando dicitur, ſi non videret chartam redactam ad indiuiſibilia, videret aliàs diuiſiones reſtare, negatur vltima hæc conſequentia, quia ſupponitur iam omnes diuiſiones poſſibiles vidiſſe, & conſequenter eſſe exhauſtum cōtinuū, & illius nihil aliud remanere, neq; diuiſibile, neq; indiuiſibile.

Reſpondēt alij, vt *Franciſcus Le Rees diſput. 3. art. 2. §. vltimo.* Deum cognoſcere omnes diuiſiones poſſibiles diſtributiuè, quia ita ſunt poſſibiles, non collectiuè, quia collectiuè non ſunt poſſibiles, collectiuè nullibi ſunt, diſtributiuè cognoſcit, quia nulla eſt poſſibilis diuiſio, quam Deus non cognoſcat.

Ad Confirmationem Reſpondeo: cōtinuum non poſſe totum diuidi, neque omnes diuiſiones poſſibiles ſubire, non quia repugnat infinitum in multitudine, nam illud non repugnare, probabilis eſt Sententia; ſed quia illæ diuiſiones non poſſunt ſimùl coexiſtere, quia eſſentialiter habent, quòd partim ſint actu, partim potentia, & conſequenter, quod aliquæ exiſtant, & aliquæ non exiſtant.

Ad Axioma, poſſibili poſito in actu nullum ſequitur abſurdum, dico, verificari, quando aliunde non oritur repugnan-

tia, in caſu noſtro ex ipſa natura Continui oritur repugnantia, cur omnes diuiſiones poſſibiles non poſſint ad actum reduci, ſicuti ex ipſa natura potentiæ intellectiuæ, aut etiam viſiuæ oritur repugnantia, cur nequeant omnes intellectiones poſſibiles, omnes viſiones poſſibiles ad actum reduci, quia nimirum eſſentiale eſt potentiæ Intellectiuæ, non tot intellectiones elicere, quin plures, & plures poſſit elicere, & eſſentiale eſt potentiæ viſiuæ, non tot viſiones elicere, quin plures, & plures poſſit elicere.

Obijciunt tertiò: Quantitas Continua ſucceſſiua, putà Tempus, non poteſt conſtare ex partibus ſemper diuiſibilibus, *ergo neque* Continuum permanēs. Antecedens, in quo eſt difficultas; probatur, quia Temporis non exiſtit, niſi nunc, & inſtans; tùm ſic, ſi hoc inſtans, eſt indiuiſibile, iam habetur intentum. Si pars diuiſibilis, iam iſta eſt diuiſibilis in alias duas partes, ſed illa pars diuiſibilis tota ſimul exiſtit, ergo iam duæ partes Temporis ſimul exiſtunt. Idem argumētum applicari poteſt etiam motui, niſi dicamus motum conſtare ex mutatis eſſe, ſeù ex indiuiſibilibus, iam duæ partes motus ſimùl exiſterent, & conſequenter Tempus, & motus non eſſent entia eſſentialiter ſucceſſiua, cuius partes non poſſunt ſimul exiſtere.

Reſpondeo cum *Suarez diſp.* 50. *nu.* 9. nomine inſtantis venire partem diuiſibilem Temporis, ſed tamen eam partem inadæquatè exiſtere more ſucceſſiuorū; & quia ea pars tota inadæquatè exiſtit, nihil illius partis eſt, quod adæquatè exiſtat, ſed quidquid eſt illius partis, inadæquatè exiſtit; & ſic patet, non exiſtere ſimùl duas partes temporis, aut duas partes motus.

Obijciunt quartò. Prima componentia ſunt incompoſita, & ſimplicia, ſeù indiuiſibilia, quia ex alijs non debent componi, vt patet in materia, & forma, quæ ex alijs non componuntur, ergo etiam in Cōtinuo diuiſibili, partes eius debent eſſe indiuiſibiles. Confirmatur quia: ſi in quolibet Cōtinuo eſſent partes infinitæ in potentia, ergo iam omnes magnitudines eſſent æquales, quia omnes infinitæ, ſed hoc eſt abſurdum, & cōtrà ſenſum, ergo.

Reſpondeo: eam propoſitionem vniuerſalem; prima componentia ſunt incompoſita, non eſſe vniuerſaliter veram, nam etiam materia, & forma ſunt compoſita metaphyſicè ex eſſentia, & exiſtētia; ſūt cōpoſita Logicè ex genere, & differētia; atq; ità propoſitio illa vniuerſalis non verificatur in Continuo, cuius partes debent eſſe diuiſibiles, quia ipſum eſt totum aliquod homogeneum, vndè ad ſummum verificatur illa propoſitio vniuerſalis in etherogeneis.

Ad Confirmationem Reſpondeo; negando ſequelam, quia æqualitas, & inæqualitas non deſumūtur ex numero partium proportionalium, quæ ſunt infinitæ in omni magnitudine, ſed ex numero partium æqualium; maior ergo eſt tabula quadripalmaris, quàm ſit tabula tripalmaris, quia plus ſunt quatuor palmi, quàm duo.

LECTIO X.

Eſſentia Infiniti Definitione, & Diuiſione inueſtigatur.

PRæcipua Quantitatis ſpecies eſt, quòd ſit finita, vel Infinita; hucùſque de quantitate finita. De Infinita erit deinceps ſermo.

Communis conceptus, quem omnes habent de Infinito, eſt; Infinitum non habere finem, ſeù terminum; Quantitatem ergo eſſe Infinitam, eſt Quantitatem carere fine, ſeù termino, quo finiatur, terminetur, & circumſcribatur.

Definiebatur Infinitum ab Antiquis, eſſe id, cuius nihil eſt extrà; Hanc definitionem, tanquam definito non adæquatam, impugnant cum Ariſtotele cōmuniter Philoſophi omnes; quia talis definitio, excedit Definitum, nam etiam Toti, & Compoſito æquè competit, quia etiam extrà totum nihil eſt accipere, vt planum eſt.

Definitur ergo ab Ariſtotele hic *c.6.t.* 63. *Infinitum eſt, cuius ſemper aliquid extrà ratione quantitatis accipi poteſt*. Et *c.* 4.*t.*33. Infinitum definierat eſſe id, quod *impoſſibile eſt, pertranſire*.

Dices. Infinitum & ipſum eſt aliquod Totum, ſi genericè conſideretur, ergo nihil eius eſt extrà accipere, ſed quà Infinitum, & ſpecificè conſideratum, ſemper eſt eius aliquid accipere, ergo in vna, eademque Infiniti entitate conueniunt duæ rationes contradictoriæ, ideſt, nihil Infiniti eſſe extrà accipere, ſecundum quod

Digitized by Google

quod totum eſt,ſeù ſecundum rationem genericam ; & eſſe ſemper aliquid eius accipere, ſecundum quod infinitum eſt, ſeù ſecundum rationem ſui ſpecificam.

Reſpondeo . Definiri Infinitum eſſe id , cuius extrà ſemper eſt aliquid accipere, nō quia extrà ſe,& foràs Infinitum remaneat aliquid accipiendum,ſic enim benè procederet argumentum, ſed Infinitum definiri eſſe id , cuius extrà ſemper eſt aliquid accipere, quatenùs ex ipſo infinito remanent ſemper partes extrahibiles, & acceptibiles;quare infinitū cum ſeipſo,vt totum eſt , conuenit in hoc,quod ſicuti extrà,& foràs totum nihil eſt ipſius totius aſſignare ,ità extrà, & foràs infinitum nihil infiniti eſt aſſignare .

Ex his definitionibus clarè colligitur; naturam Infiniti eam eſſe , vt ex infinito ſemper reſtet aliquid, & aliquid accipere , ità vt nunquam poſsimus ad finem, & terminum peruenire , & vlteriùs non progredi .

Diuiditur primò Infinitū, ità vt aliud ſit infinitum ſecundum eſſentiā, & aliud ſecundum Quantitatem,tam Continuā, & ſecundum magnitudinem ; quàm Diſcretam,& ſecundum multitudinem rerum,ſiuè corporearum,ſiuè ſpiritualiū .

Diuiditur ſecundò Infinitum ità vt aliud ſit Categorematicum , ſeù Infinitum actu, & aliud ſit ſincategorematicum,& infinitum in potentia. Infinitum Categorematicum ſecundùm communem conceptum conſtat ex entitatibus omnibus actu exiſtentibus, quæ Infinitū actu exiſtens ſecundum ſe totum conſtituunt . Infinitum verò Sincategorematicum dicit entitates exiſtentes permixtas entitatibus poſſibilibus , quare dicit aliquas entitates exiſtentes , aliàs verò poſſibiles; & ideò infinitum Categorematicum dicitur eſſe totum actu;Infinitum verò Sincategorematicum dicitur eſſe partim actu, partim potentia .

Dices:Infinitum Categorematicum non eſt totum actu, neq; conſtat ex partibus,quæ omnes ſint actu,ergo aſſignata diuiſio non eſt tradita per membra inuicem non coincidentia contrà regulas bonæ diuiſionis .

Antecedens probatur; ex infinito Categorematico ſemper reſtat aliquid , & aliquid accipere,ſemper ergo in illo sūt partes acceptibiles plures , & plures in infinitum,ergo non omnes ſunt actu,ſed aliquæ ſunt actu , aliquæ ſunt in potentia,illæ nimirum, quæ ſunt acceptibiles.

Reſpondeo . partes eſſe, acceptibiles plures , & plures in Infinito Categorematico reſpectu noſtri,non enim omnes partes ſimùl actu accipimus , aut poſſumus accipere,quia Infinitum exhaurire, aut conſumere,non poſſumus,aliàs non eſſet Infinitum;quare aliquæ partes Infiniti Categorematici ſunt in potentia reſpectu noſtri , non quia non ſint, aut non exiſtant actu in ſeipſis, contrà quòd accidit in Infinito Sincategorematico, cuius partes in ſeipſis non omnes ſunt actu, ſed aliquæ ſunt actu,aliquæ ſunt in potentia .

Reſpondent alij,vt *Ouiedus hic Contr. 14. pun. 5. nu. 4.* Infinitum Categorematicum differre ab infinito ſincategorematico etiam ex multitudine partium, quia Categorematicum etſi dicat infinita indiuidua exiſtentia,non tamen dicit exiſtentia omnia exiſtibilia , ſemper enim extrà tale Infinitum remanēt alia, & alia accipienda ; at Infinitum ſincategorematicum dicit totam collectionem poſſibilium , extrà quam neque ſingularis vnitas reſtat accipienda .

Sed contrà eſt, quia ſi extrà Infinitum ſincategorematicum neque ſingularis vnitas reſtat accipere,ergo illi non competit Definitio infiniti tradita ab Ariſtotele,quia per illam dicitur,quòd Infiniti ſemper reſtat aliquid accipere, & extrà Infinitum ſemper aliquid ſit .

Maneat ergo Infinitum Categorematicum,& Sincategorematicum diſtingui non ex multitudine partium, ſed ex diuerſo ſtatu,quam habent partes vtriuſq; infiniti , quia nimirū partes infiniti Categorematici omnes ſunt actu , partes vero infiniti ſincategorematici,non omnes ſunt actu,ſed aliquæ ſunt actu,aliquę ſunt potentia . Imò partes infiniti Categorematici, ità omnes ſunt actu, vt poſſint omnes eſſe ſimul actu,atq; adeò non ſolum omnes habent exiſtentiam , ſed omnes habent ſimultaneam exiſtentiā, at verò partes Infiniti ſincategorematici neque omnes actu exiſtunt , neq; poſſunt omnes habere ſimultaneam exiſtentiam , & concomitantem actualitatem .

LE-

Digitized by Google

LECTIO XI.

An Infinitum Repugnet.

REpugnare Infinitum ſecundũ eſſentiam certum eſt in Ente creato, de facto enim ſolus Deus eſt Infinitus in eſſentia, an de poſſibili repugnet Creatura Infinita in eſſentia, infrà videbimus.

Certum eſt etiam de facto neque dari magnitudinem, neq; dari multitudinẽ ſiuè rerũ ſpiritualiũ, ſiuè graduũ qualitatis actu infinitã; illi tamẽ, qui in Cõtinuo admittunt partes actu diſtinctas, eaſque infinitas, velint nolint, Infinitum actu admittere, coguntur.

An de abſoluta potentia admitti debeat Infinitum actu tàm in magnitudine, quàm in multitudine ſiuè graduum qualitatis, ſiuè rerum, tàm corporearũ, quàm ſpiritualium,

Controuerſia valdè implexa eſt, nedũ apud Antiquos, ſed etiam apud Recẽtiores, ità vt illam *Oniedus* hic æquè difficilem pronunciet, ac ſit Controuerſia de Compoſitione Continui.

Tàm hi, qui negant, quàm qui admittunt Infinitum, grauibus premuntur difficultatibus; ideoque benè monuit Philoſophus hic *c.4.t.* 33. impoſſibilia multa ſequi, ſiuè ponatur, ſiuè non ponatur Infinitum. en verba. *Habet autem dubitationem ipſa contemplatio Infiniti; nam ſi ponatur eſſe, impoſſibilia multa ſequuntur, & etiam ſi non eſſe, ponatur.*

Malo infinitum negare, quàm illud ponere; Moueor, quia Sententia negans infinitum, maiorem habet probabilitatem extrinſecam, deſumptam ex auctoritate eorum, qui eam defendunt, pro illá ſtant *D. Thomas, & Scotus* duo ſumma Philoſophorum, & Theologorum Capita; Hos ſequuntur plerię; Nobiles Recentiores;

Ponũt infinitũ *Nominales*, & pauci alij Recentiores; Horũ præcipuũ, imò vnicũ Argumentũ eſt, & commune, & negatiuũ; deducitur ex negatione implicantiarum, quarum tamen aliquæ tanti ſunt momenti, vt cogant Aduerſarios, etiam inuitos multa concedere, quæ vel lumini naturali, vel communi conceptui, & ſenſui ingenuè philoſophantium, omninò repugnant.

Concluſio ſit. Repugnat Infinitum in multitudine tàm graduum qualitatis, quàm aliarum rerum ſiuè corporearum, & materialium, ſiuè incorporearum, & ſpiritualium.

Ità. *D. Thomas quodlib.9. art.1. & 1.p. q.7. art.3. & 4. Scotus in 2. d.1. q.3. D. Bonau. in 1. d.43. q.3. Riccard. ibidem q.5. & 6. Durandus q. 2 Caiet. 1. p. q.7. ar. 3. & 4. Ioan. de S. Thoma hic. q. 18. per totam. Complutenſes hic diſp. 18. per totam.*

Ex Recentioribus ſequuntur *Auerſa tom. 1. Philoſ. q. 24. ſect. 5. Albertinus in Prædic. Quantitatis d.4. q.4. & 5. Fonſeca 2. Met. c.2. q.1. ſect. 3. Suarez diſp. 30. ſect. 17 nu. 16. Rauius hic tract. 2. q.3. Franciſcus Le Reès hic diſp. 4. per totam, alijquè* innumeri, quos cit. Auerſa vbi ſuprà. Contrà *Nominales. Ochamum quodlib. 2. q.5. & in 1. diſt. 44 q.1. Maior eadẽ diſt. 43. q.3. Greg. diſt. 43. q 4. Baſſ. et Mayr. ead. diſt.*

Recentiores *Vaſquez 1. par. diſt. 26. Hurt. d.13 Phyſ. Faſol. 1. p. q.7. ar. 4. Arriagam, & Ouiedum hic*, qui tamen infinitum in magnitudine negat. *Arriaga* verò ſect. 3. Argumentum difficillimum contrà Infinitum, inſolutum relinquit.

Argumẽta omnia, quibus Infinitũ impugnatur, adducere, eſſet in argumẽtis fateri eã multitudinẽ infinitã, quã rebus in alijs cõſtãter negamus. Eligã efficaciora, quãuis, qa cõmunia, plerię; paruipẽdãt.

Primò ſic argumentor. Creet Deus infinita malogranata; in quolibet malogranato ſunt infinita grana; vel ergo tot eſſent malogranata, quot ſunt grana, vel maior eſſet numerus granorum, quàm malogranatorum. Si tot ſunt grana, quot malogranata, ergo iam pars eſſet æqualis toti, & non eſſet pars quæcumq; maior ſuo toto, quod eſt contrà illud principium lumine naturæ, & vel cæcis ipſis notiſſimũ, Omne totum eſt maius ſua parte. Si maior eſſet pars granorũ, quàm malogranatorũ, ergo vnum infinitum excederetur ab alio; ergo ex his duobus infinitis vnum eſſet minus, aliud maius, & conſequenter vnus excederetur ab alio; & conſequenter terminaretur, in quo enim vnũ exceditur ab alio, iam finitur, & terminatur, quia iam in eo eſt aſſignare vltimum, quo poſito vlterius non extenditur, quod formaliſſimè nihil eſt aliud, quàm terminari; vel ſi hoc non eſt terminari, id eſt, vlterius non extendi, aſſignent mihi Aduerſarij, quid quæſo ſit terminari, ſi non eſt vlterius non extendi!

Idem Argumentum poteſt urgeri, ſi Deus crearet infinitos homines, quia eſ-

ſet maior pars oculorum, quàm hominum, maior pars capillorum, quam oculorum. Similiter, ſi Deus crearet infinitos montes, & in quolibet monte eſſet vna formica, deindè deſtructis mōtibus, cōſeruaret formicas; certè formicæ minus ſpatium occuparent, quàm occupabant montes, ergo iam ſpatium occupatum à formicis, eſſet minus ſpatio occupato à montibus, & minus eſſet infinitum formicarū, ac eſſet montiū. Eandem vim habet aliud argumentum; quia ſi Deus ex infinitis hominibus anihilaret decem, adhùc numerus hominum eſſet infinitus per Aduerſarios; & ratio eſt, quia per ablationē finiti non deſtruitur infinitum, ſicuti neq; per additionem Finiti; numerus enim ille infinitus conſtaret ex partibus finitis, & infinitis, & ſi adderētur decē, ſimiliter eſſet infinitus; reuerà autē talis numerus hominū non eſſet infinitus, quia creſceret, & decreſceret, atque adeò agnoſceret terminum aliquem ſuæ multitudinis, vltrà quem non extenderetur, ergo,

Reſpondent aliqui, in Infinito nō habere locum huiuſmodi terminos, æquale, & inæquale, maius, & minus, augeri, & minui.

Sed contrà eſt quia: ſi hi termini locum non habent in Infinito, verè in Infinito, totum non eſt maius ſua parte, neque eſt minus, neque æquale; ſi creſcere, & minui non poteſt habere locum in infinito, verè infinitum non conſtat ex partibus infinitis, & ità ex infinito, non poſſent deſumi plures, & plures partes finitè in infinitum, quod nihil eſt aliud, quàm negare infinitum. Benè monet *Le Rees hic*: Vocibus interdicunt defenſores infiniti, nè vocibus refellantur, & arguātur manifeſtæ contradictionis.

Secundò ſic argumentor. Detur columna, vel linea incipiens ex hoc puncto verſus Oriētem, & alia linea incipiat ex eodem puncto verſus Meridiem, iſtæ lineæ, quò magis protraherentur, eò magis elongarentur, & diſtarēt inter ſe, ergò iam eſſet inter eas lineas diſtantia infinita, ſed talis diſtantia eſſet clauſa inter duas illas lineas, tanquam inter duos terminos, atque adeò illa diſtantia eſſet finita, ſed ex alia parte eſſet infinita, quia illæ duæ lineæ infinitè diſtarent; ergo eſſet diſtantia infinita, & non eſſet infinita, quod apertè implicat.

Reſpondent Recentiores aliqui; duas illas lineas eſſe quidem terminos illius diſtantiæ infinitæ, ſed eſſe terminos infinitos, & inpertranſibiles, & ideò non officere infinitæ illi diſtantiæ, non enim repugnat Infinitum claudi duobus terminis infinitis, & inpertranſibilibus, eſto illi repugnet claudi terminis finitis, & pertranſibilibus.

Sed contrà eſt primò quia, videntur hi duo termini, ſeù voces, *terminus inpertranſibilis*; importare manifeſtam implicātiam, nā terminus, quā terminus formaliter, dicit negationē vlterioris extenſionis, vndè tunc quis dicitur perueniſſe ad terminum viæ, cum vlterius nō progreditur, cum vlterius non procedit; ſed ſi iſte terminus eſt inpertranſibilis, & infinitus, iam poſſumus in eo vlteriùs, & vlterius progredi, vlterius, & vlterius procedere, nūquā tamen perueniendo ad finē, infinitū enim eſt illud, ex quo ſēper reſtat aliquid, & aliquid accipere, ſeù in quo ſemper poſſumus vlterius, & vlterius progredi, nunquam perueniendo ad finem, ergo *τὸ terminus* videtur eſſe incompoſſibilis cùm *τὸ inpertranſibilis*, ſeù infinitus.

Contrà ſecundò quia: quando quæritur ab Aduerſarijs, cùr illa diſtantia ſit infinita, cùm claudatur terminis, Reſpōdent, quia clauditur terminis infinitis, & inpertranſibilibus; Iterum quæro, quare hi termini ſunt infiniti, & vndè habent infinitatem, quā termini ſunt, vt termini formaliter? Non poſſunt aliud reſpondere, niſi eos terminos eſſe infinitos, quā terminos formaliter, quia claudūt infinitū, ſeù infinitā diſtātiā; ſi enim clauderēt diſtātiā finitā, ad quid ponere terminos infinitos; vnūquodq; enim finitum ſufficienter clauditur terminis finitis, ergo ideò illi termini ſunt infiniti, quia claudunt infinitum; eſt ergo manifeſta petitio principij, illa diſtātia eſt infinita, quia clauditur terminis infinitis, & hi termini ſūt infiniti, quia claudunt diſtantiam infinitam.

Reſpondebis. illos terminos non eſſe infinitos, quia claudunt diſtantiam infinitam, ſed eſſe infinitos de ſe, quia iam ſupponuntur illæ lineæ infinitæ.

Sed contrà eſt quia. eſto illæ lineæ ſint infinitæ, quia ità ſupponuntur, ſed cùm in quolibet infinito aliæ ſint partes infinitæ, aliæ finitæ, vt concedunt Aduerſarij, vndè eſt, quod illæ lineæ ſint termini, & claudant illam diſtantiam potiùs ſecun-

cundum ſui partes infinitas, quàm ſecundum finitas; quod idem eſt, ac quærere, quare illæ lineæ in ratione termini formaliter ſint infinitæ? Non poſſunt aliud reſpondere, niſi quia debent claudere infinitam diſtantiam, ergo iam firmum ſtat; diſtantiam eſſe infinitam, quia clauditur terminis infinitis, & terminos eſſe infinitos in ratione termini formaliter, quia claudunt diſtantiam infinitã; aliàs poſſent illæ lineæ infinitæ terminare illam diſtantiam infinitam ſecundum ſui partes finitas, & ſic infinitum clauderetur terminis finitis.

Cõtrà tertiò principaliter, quia hi termini inpertrãſibiles videtur de induſtria excogitati ad fugã harũ difficultatũ, ceteroqui .n. in alia materia ſiuè Philoſophica, ſiuè Theologica nũquã redit memoria, aut vllus vnquã ſermo de huiuſmodi terminis inpertranſibilibus; de terminis ſæpè eſt ſermo in Philoſophia, & Theologia, iiſque vtimur ad varias difficultates ſoluendas, & explicandas, ſed termini inpertranſibiles tunc ſolum, & in eo caſu nobis obijciuntur, cum difficultates contrà Infinitum adducimus.

Contrà quartò quia, ideò *per Ariſt. 8. Phyſ. & 12. Met.* negatur Proceſſus in infinitum in cauſis eſſentialiter ſubordinatis, quia aliàs non concluderetur exiſtentia primæ Cauſæ, nunquam enim poſſemus deuenire ad primã Cauſã dato eo proceſſu, ſed ſi Infinitum claudi poſſet terminis, tale argumentum non eſſet efficax, quia adhùc negato eo proceſſu in infinitum, non poſſemus deuenire in cognitionem primę Cauſæ, ratio eſt, quia negato eo proceſſu, inter primam, & vltimam cauſam adhùc poſſent intercipi aliæ, & aliæ infinitæ, ità vt ſi quis vellet, ab vltima ad primam retrocedere, nunquam poſſet primam aſſequi numerando, ergo non benè negatur ille proceſſus in infinitũ, vt indè veniamus in cognitionem primæ Cauſæ, atq; ità per locum intrinſecum non eſt efficax argumentum Ariſtotelis, probantis ex negatione proceſſus in infinitum exiſtentiam primæ Cauſæ, quandò verum ſit, infinitum poſſe claudi terminis, & conſequenter poſſe inter primam, & vltimã Cauſam intercipi alias infinitas.

Contrà quintò quia, ſi poſſet Infinitũ claudi terminis, ſequeretur, quòd quælibet magnitudo, etiam ſi eſſet palmaris, aut pedalis, eſſet actu infinita. Conſequens eſt abſurdum, ergo. Probatur ſequela Maioris hac hypotheſi; ſuppono dari triangulum, cuius duæ lineæ ſint actu infinitæ, tertia verò finita, puta linea pedalis, quæ ſit baſis trianguli.

Probo, quòd iſta linea pedalis ſit actu infinita; nam illa linea eſt actu infinita, quæ conſtat infinitis partibus ęqualibus, & non communicantibus, ſed iſta linea pedalis eſt huiuſmodi, ergo. Minor probatur quia; deſignet Deus in vna linea infinita ſingulos pedes, qui ſunt numero infiniti, ducatque à ſingulis pedibus lineas parallelas alteri lineæ infinitæ, quæ lineæ pertingant ad lineam pedalem, iã erunt infinitæ lineæ parallelæ, vt patet, & à ſe pari diſtabunt interuallo, ergo deſignabunt in linea pedali infinitas partes æquales, & non communicantes, ergo iam linea pedalis erit actu infinita, ergo quælibet magnitudo ſimili modo eſſet actu infinita, ſi poſſet infinitum claudi terminis.

Denique addo. Infinitum poſſe claudi terminis, eſſe manifeſtè contrà *Ariſt.* qui *1. Cæli c. 7. t. 60.* docet, & probat Infinitũ non poſſe aliquid pati ab infinito; neque fieri poſſet, vt Infinitum ab infinito aliquid patiatur, ergo Infinitum non poteſt claudi terminis infinitis, aliàs infinitum ab infinito aliquid pateretur.

Hæc eadem argumenta vrgeri poſſunt, ſi eſſet poſſibilis multitudo infinita rerum ſpiritualium, putà Animarum Rationalium, aut Angelorum, nam in tali caſu, plures eſſent actus intellectionis, aut volitionis, quàm eſſent Angeli, ergo iam vnum infinitum eſſet maius alio, vnum excederetur, atque adeò terminaretur ab alio.

Similiter & contrà magnitudinem actu infinitam eadem vrgeri poſſunt Argumenta, nam ſi daretur Corpus aliquod infinitè magnum, quod propterea infinitum ſpatium, & locum repleret; ſi Deus à tali Corpore aliquas partes præſcinderet, & anihilaret, certè tale Corpus adhùc remaneret infinitum, quia per ablationem finiti, infinitum non deſtruitur, quęro, an occuparetur idem ſpatium, vel nõ; non poteſt dici primum, quia non occuparentur illæ partes ſpatij, quæ prius occupabantur à partibus illius corporis, quas ſupponimus anihilatas, ſi ſecundum, ergo iam maius infinitum eſt ſpatium,

tium, quàm illud corpus; quòd proptereà exceditur, & terminatur à ſpatio.

Quòd ſi dicas, eſſe poſſibilia corpora ſe penetrata, & intra localiter poſita, iam de his redibunt argumẽta, quæ ſuprà adduximus contrà infinitum multitudinis rerum ſpiritualium.

LECTIO XII.

Soluuntur Argumenta in Oppoſitum.

DEfenſores Infiniti varia excogitarunt Argumenta; quibus Infinitum actu eſſe poſſibile, ſuaderent. Quare.

Obijciunt primò. Pietatis motiuum; nulla eſt omittenda occaſio exaggerandæ, atque magnificandæ diuinæ Omnipotentiæ, vbi ſatis apertè in oppoſitum non relucet implicantia; ergò licèt argumenta facta contrà Infinitum ægrè, & cũ difficultate ſoluantur, adhùc ſuſtinenda eſt alicuius Infiniti poſſibilitas, præſertim quia, quòd argumenta contrà Infinitum facta difficilè ſoluantur oritur, non quia in ſe inſolubilia ſint, ſed ex paruitate noſtri Intellectus; qui ſinè dubio ſuper exceditur à Diuina Omnipotentia, à qua plura poſſunt fieri, quàm poſſint à noſtro Intellectu capi, aut intelligi; alioquin Diuina Omnipotentia non eſſet Infinita; ſi à noſtro finito Intellectu exhauriretur, & quodammodò comprehenderetur, intelligendo planè, & plenè ea omnia, quæ ſunt per diuinam Omnipotentiam poſſibilia.

Reſpondeo; exceptis Myſterijs Fidei, quæ à nobis, quàm difficillimè intelliguntur, quia verè in ijs ſuper exceditur Intellectus noſter à Diuina Omnipotentia, reliqua omnia entia, ſiuè naturalia, ſiuè ſupernaturalia, non ſunt admittenda poſſe à Deo fieri, niſi plenè, & planè intelligantur, non implicare, & eſſe poſſibilia; neque enim exaggeratur, aut magnificatur Diuina Omnipotentia, dum admittitur, ab illa poſſe aliquid fieri, quod in ſe non ſit poſſibile; ſicuti non benè exaggeraretur eius Diuina intelligentia; ſi admitteretur Deus, intelligere inintelligibilia; nec magnificaretur bonitas eius diuinæ Voluntatis, ſi admitteretur Deus, velle ea, quæ volibilia; & appetibilia non ſunt, vti ſunt peccata.

Obijciunt ſecundò. Dei Omnipotentia non eſt minus infinita, quàm ſit eius cognitio; ſed cognitio Diuina attingit omnes creaturas poſſibiles, ergò poteſt Deus omnes creaturas poſſibiles producere, ſed hæ ſunt infinitæ, ergò poſſibile eſt infinitum in multitudine.

Reſpondeo. Deum cognoſcere omnes creaturas poſſibiles eo modo, quo ſunt poſſibiles; neque enim Diuina cognitio poteſt attingere obiecta aliter, ac ſunt in ſe, quia ergò Creaturæ omnes poſſibiles, ſunt poſſibiles non quidẽ actu ſimul omnes, ſed ſucceſſiuè, ideò Deus illas hoc modo cognoſcit; & cõſequenter hoc eodem modo poteſt illas producere, non quidem actu ſimul omnes, ſed ſucceſſiuè; quando dicitur; hæ creaturæ poſſibiles ſunt infinitæ; diſtinguo, ſunt infinitæ actu, & categorematicè, nego. ſunt infinitæ potentia, & ſincategorematicè; ideſt, finitæ in infinitum, concedo. Simili enim modo philoſophandum eſt de huiuſmodi Creaturis poſſibilibus, ac de partibus Continui, quæ ſunt finitæ in infinitum; vnde ſicuti Deus non cognoſcit, nec poteſt cognoſcere tot partes in Continuo, quin plures, & plures poſſit cognoſcere, finitè in infinitum, ità non cognoſcit, nec poteſt producere finitè in infinitum tot creaturas poſſibiles, quin plures, & plures cognoſcat, & poſſit producere.

Dices, hæ creaturæ poſſibiles, prout cognitæ ab intellectu Diuino, ſunt actu in Diuino Intellectu; ex alia parte non ſunt ſucceſſiuè, ergo ſunt actu omnes ſimùl in Intellectu Diuino, ergo eodem modo poſſunt produci.

Reſpondeo: creaturas poſſibiles eſſe actu in Diuino Intellectu actualitate ſe tenente ex parte ipſius Intellectus, ſeu Diuinæ cognitionis; quæ tota eſt actualis, & non potentialis; non tamen eſſe actu actualitate ſe tenente ex parte rerum; hæ enim partim ſunt actu, partim potentia. Similiter dico, has creaturas poſſibiles non eſſe ſucceſſiuè in Intellectu Diuino, quaſi ſucceſſio ſe teneat ex parte Diuinæ cognitionis, hæc enim eſt tota ſimul, & ſimultanea, non ſucceſſiua, ſed eſſe ſucceſſiuè, ſucceſſione ſe tenente ex parte Creaturarum poſſibilium, quæ non ſunt poſſibiles ſimul omnes, & collectiuè, ſed ſucceſſiuè, & diſtributiuè.

Replicabis, iſtæ creaturæ non habent adinuicem incompoſſibilitatem aliquam

quam, ergo omnes ſimul ſunt poſsibiles,

Reſpondeo: creaturas poſsibiles habere inuicem incompoſsibilitatem, non quòad eſſe ſimul diſtributiuè, quælibet enim poteſt eſſe ſimul cùm altera; ſed habere incõpoſsibilitatẽ quòad eſſe ſimul collectiuè ob rationes ſuprà adductas.

Obijcies tertiò. Omnipotentia Diuina ad extrà eſt Infinita, ergo debet habere pro ſui termino adæquato infinitũ; ſed eſt infinita actu, ergo habet pro ſui termino aliquod Infinitum actu,

Reſpondeo. Diuinam Omnipotentiã eſſe infinitam, colligi tùm ex eo, quòd poteſt producere plures, & plures effectus finitè in infinitum ſemper perfectiores, & perfectiores, tùm ex modo operandi, quia producit ex nihilo, & independenter ab omni Cauſa; non tamen colligi ex hoc, quòd poſsit effectum actu Infinitum producere, is enim poſsibilis non eſt; imò ſi à Diuina Omnipotentia effectus actu infinitus produceretur, exhauriretur omninò, & finiretur, ſaltem, quòad poſſe de nouo producere; dixi, ſaltem quòad poſſe de nouo producere vt præcludam aditum res ponſioni eorum; qui exhauriendam Diuinam Omnipotentiam ab effectu infinito ideò negant, quia poſſet Deus infinitum illud anihilare, & iterum producere; Inſto ego; ſaltem Diuina Omnipotentia producto infinito effectu, non poſſet de nouo Infinitum aliquod producere, & conſequenter exhauriretur quòad nouas productiones,

Obijcies quartò. Deus poteſt facere quicquid poteſt facere, faciat ergo quicquid poteſt, hoc non erit finitum, ergo Infinitum, ergo Deus poteſt producere Infinitum.

Reſpondeo. diſtinguendo maiorem. Deus poteſt facere quidquid poteſt, ideſt, omne diſtributiuè, quod poteſt facere, concedo maiorem; omne collectiuè acceptum, quod poteſt facere, nego maiorem; Quando additur; quidquid poteſt facere, non erit finitum; diſtinguo, non erit finitum ſimpliciter, eſto, nam nec etiam eſt Infinitum ſimpliciter, non erit finitum ſecundum quid, ideſt, finitum in infinitum, nego.

Obijcies quintò, poſſibilitas non prius conuenit vni, quàm alteri ex poſſibilibus, ergo poſſibiles creaturæ ſunt omnes ſimul poſſibiles: Antecedens probatur, quia non eſt aſſignabilis, cui creaturæ prius conueniat poſſibilitas, ergo.

Reſpondeo diſtinguendo conſequẽs, ergo ſunt omnes ſimul poſsibiles, ſimultate potentiæ concedo; ſunt omnes ſimùl poſsibiles, ſimultate actus, ſeù exiſtentiæ nego; & ſenſus eſt, ꝙ in Deo eſt ſimultanea potentia ad omnes producendas, ſed ipſæ non poſſunt ſimul exiſtere, & actu ſimul eſſe ob incompoſsibilitatem, quam habent omnes ſimul.

LECTIO XIII.

Infinitum in Eſſentia Creata.

Ens creatum poſſe eſſe infinitum in Duratione, ſeu ens creatum poſſe eſſe ab æterno, & poſſe habere æternam, & infinitam durationem, probabilis eſt vtrinque Sententia; qua de re infrà determinabimus, in quam Sententiam velim propendere. At ens creatum eſſe infinitum in eſſentia, communiter omnes ſupponunt repugnare, & manifeſtam inuoluere implicantiam. Videamus, an ità ſit,

In primis. Nonnulli volunt implicare ens creatum eſſe infinitum in eſſentia, quia aliàs eſſet infinitum in omni genere, & idem eſſet ſimul ſubſtantia, accidens, Deus, & Creatura. Ità *Le Reès diſp.4. art. vlt. §.1. Compluten. Diſp.18. q.2. §.2.*

Sed contrà eſt quia, tale ens creatum poneretur infinitum in vno tantum genere, non in omni genere; verbi gratia, ſi daretur Angelus infinitus, eſſet infinitus in ſpecie, & natura Angelica tãtum, non in alia ſpecie, aut natura. Imò ex hoc deduceretur differentia notabilis inter Angelum infinitum, & Deum, quia Deus eſt infinitus in omni genere, at Angelus eſſet infinitus in ſui tantum natura, & ſpecie Angelica,

Præterea in Sententia *Scotiſtarum* quidditatiuè, & formaliter diſtinguentium Relationes Diuinas à Diuina Eſſentia, conceditur; Relationes eſſe infinitas ſecundum quid, & in genere Relationũ, & negatur, illas eſſe infinitas ſimpliciter, & in omni genere. ità ex eorũ principijs deducit *Suarez diſp.38. Met ſect.2, num.12.* ergo benè aliquid poteſt eſſe infinitum in aliquo genere, abſq; eo, quòd ſit infinitum in omni genere,

Secun-

Digitized by Google

Secundò Alij dicunt,implicare Creaturam eſſe infinitam in eſſentia , quia aliàs haberet eſſe irreceptum,eſſet à ſe, & independens à Deo, ideò enim Deus eſt infinitus,quia eſt à ſe,& ab omni alio independens ; ſeù quia habet eſſe irreceptum. Ità *Compluten hic diſp.* 18. *q*.2. §.2.vbi plures alios pro ſe citant.

Sed contrà eſt quia . Probabilis eſt Multorum Sententia,Creaturā poſſe eſſe infinitam in Duratione , atque adeò poſſe eſſe coæternam Deo, & cùm hoc adhùc ſaluatur dependentia Creaturæ à Deo , ergo ſi Angelus eſſet infinitus in eſſentia,adhùc dependeret à Deo.

Præterea;*Arriaga diſp.6. Phyſ.ſect.*1.*n*.4.concedit,Filium in Diuinis dependere à Patre ; conſtat autem Filium eſſe infinitum æquali infinitate,ac eſt Pater, ergo infinitas non tollit dependentiam; imò à fortiori. infinitas æqualis infinitati Dei, quæ eſt infinitas in omni genere, non tollit dependentiam infiniti in omni genere à Deo, ergo infinitas minor,& in aliquo genere,non tollit dependentiā Angeli infiniti à Deo .

Tertiò alij. ea, quæ in Deo ſunt abſoluta, non poſſunt communicari Creaturis,quia abſoluta ſpectant ad Diuinam Eſſentiam , vndè ſi abſolutum aliquod prædicatum Dei communicaretur Creaturis, Creaturæ communicaretur Eſſentia Diuina,quare ratio ſolum relatiua, ſeù Perſonalitas Verbi poteſt,& de facto fuit communicata Creaturis;at infinitas eſt prædicatum abſolutum,ergo non poteſt communicari Creaturis . ità *Beccanus tract.*1.*de Deo q.*3 *num*.1.

Sed contrà, quia Perſonalitas Verbi fuit cōmunicata Creaturis de facto, ergo de abſoluta potentia poteſt communicari infinitas non enim video eſſe aſsignabilem rationem de prædicato Diuino relatiuo,quæ non militet de prædicato Diuino abſoluto ; nam etiā prædicata relatiua ſunt realiter identificata cùm Diuina Eſſentia;& tamen ex communicatione prædicati relatiui Creaturæ,non ſequitur,eam Creaturam eſſe Deum.

Præterea;ipſa actualis Diuina Intellectio eſt ens abſolutum in Deo , imò eſt eius ratio vltima differentialis , metaphyſicè loquēdo,& tamen probabilis eſt Sententia,actualem intellectionem poſſe eſſe eſſentiam Angeli;ità Nonnulli,quos citant *Capreolus in* 2. *d.* 3. *q.*2. *& in* 1.*d.* 35.*q*.1.*Gregorius in* 2.*d.*7.*q*.2.

Imò Vbiquitas , & Immenſitas de abſoluta potentia poteſt Angelis communicari;ſi enim de facto Angelus quo perfectior eſt , eò maius ſpatium occcupat, vndè poteſt creari Angelus adeò perfectus , qui totum mundum occupet, ſeù qui coexiſtat ſpatio occupato nunc à toto mundo, Quare non poteſt creari Angelus,qui occupet infinitum ſpatium,illique coexiſtat ? Ità *Beccanus tract.* 1. *de Deo q.*3.*nu.*2.*Ioannes Durelle in ſua Categoricothea lib.* 1.*c.*10.*Petrus à Sācto Ioſeph in Idæa Theol.ſpecul.lib.*1.*c.* 5. ergo poteſt etiam Angelo communicari infinitas in aliquo genere .

Quartò alij, Aſſerūnt,implicare Creaturam in eſſentia infinitam , quia omnis Creatura importat potentialitatem, defectibilitatem, & contingentiam;porrò potentialitas , defectibilitas , & contingentia imperfectio quędam eſt , quæ non poteſt competere Creaturæ infinitæ in eſſentia , & perfectione , infinitas enim perfectionis , omnem imperfectionem excludit .

Sed contrà. quia Creatura, quæ ponitur poſſibilis ab ęterno,potentialitatem, defectibilitatem , & contingentiam excludit, & tamen eſt verè Creatura, ergo iſta Creatura, quæ ponitur infinitè perfecta , adhùc poſſet excludere has enumeratas imperfectiones abſque eo,quòd deperderet conceptum,& formalitatem Creaturæ. vel etiam dato , has imperfectiones nō poſſe excludi à Creatura,adhùc non tolleretur infinitas talis Creaturæ , per hoc enim contràdiſtingueretur infinitas creata ab infinitate increata,& Diuina, quia infinitas Diuina omnem prorſus imperfectionem excludit , at infinitas creata , quia non excludit dependentiam à Deo , neq; excludit defectibilitatem, potentialitatem, & contingentiam , quæ neceſſariò conſequuntur ad talem dependentiam .

Præterea;potentialitas, contingentia, & defectibilitas videntur termini ſynonimi , & reuera non ſunt; diſtinguamus ergo Potentialitatem à contingentia, & defectibilitate , (nam hos duos vltimos puto coincidere) , nimirum contingentiam , & defectibilitatem. Potentialitas igitur,vel ſumitur logicè,ideſt,pro ratione generica,& contrahibili , vel ſumitur phyſicè,ideſt, pro negatione,& carentia actus;ſi primo modo ſumatur potentialitas, non videtur obſtare infinitati,quia

Deus

Digitized by Google

Deus eſt infinitus, & tamen multi probabiliter putant, Deo competere rationem genericam, & contrahibilem, vndè illum ponunt in Prædicaméto, & ſupremo genere ſubſtantiæ. Ità *Vaſq.1.p.d 22. & 25.Gregorius,& Gab in 1.d.8.q.4.Holcot.q.6. Bacconius d. 9.q.1. Reès in prædicam. Ariſt.§. 11.* ſi ſecundo modo ſumatur, iam ſuprà oſtendi, non implicare Angelum, cuius eſſentia ſit actualis intellectio, quo caſu talis Angelus careret potentialitate phyſica, imò probabilis eſt Sentétia, poſſibilem eſſe qualitatem actu infinitam, ſi ergo intellectio ipſa eſſet actu infinita, careret potentialitate, & tamen adhùc eſſet ens creatum, ergo benè poſſunt inuicem combinari iſta duo, eſſe creatum, & excludere potentialitatem.

Quòad contingentiam, & defectibilitatem; neque hæ videntur eſſe de ratione Creaturæ, nam in probabili Sententia, quã docet *Arriaga in tract. de Angelis diſp.2.ſect.1.* poteſt dari duratio creata indiuiſibilis, quæ ſe extendat ad temtpus diuiſibile, verbi gratia, ad duos, vel tres dies, vel etiam in æternum, intrà quod tempus creatura durans tali duratione non eſſet defectibilis, & contingés; Imò de facto nónulli ponũt in Chriſto Domino Viſionem beatam, quæ habeat pro Obiecto omnia futura, & ſuam propriam durationem in æternum, hæc autem non poteſt deficere, & corrumpi, neque de abſoluta potentia, quia illi eſſentialiter repugnat falſitas, atque adeò cũ dicat eſſentialiter, ſe in æternum duraturam, & ſit eſſentialiter vera, repugnat illam ſemel exiſtere, & non durare in æternum, ergo non implicat aliquam Creaturam non eſſe defectibilem, ſeù eſſe indefectibilem, & indeſtruibilem; Ratio eſt quia, talis indefectibilitas, & indeſtruibilitas competeret iſti Creaturæ ex ſuppoſitione, quòd ità illam Deus voluerit creare, atque adeò eſſet indefectibilitas, & indeſtruibilitas, quæ non obſtaret abſoluto dominio, quod habet Deus ſuprà talem Creaturam, quia in eius libera poteſtate, & libertate erat, producere, & nó producere talẽ Creaturam, dare, & non dare illi talem durationẽ; in quo ſenſu adhùc talis Creatura poteſt dici contingens;

Si ergo Creatura eſſet infinita in perfectione, & in eſſentia, adhùc eſſet Creatura, licèt non haberet indefectibilitatẽ, & careret contingentia; vel etiam poſſet dici, quòd haberet cõtingentiam modo explicato, quatenùs à Deo poterat, & nõ poterat liberè produci: Hinc *Petrus à Sancto Ioſeph in Idæa ſuæ Theologiæ ſpeculatiuæ lib.1.cap.5.* admittit Creaturam poſſe eſſe ſecundùm quid infinitam.

Quintò alij, fatentur, ſe in Creatura infinita in eſſentia clarè non agnoſcere implicantiam vllam, & tamen non audent diſcedere à communi Sétentia, negante huiuſmodi Creaturam in eſſentia infinitam, eſſe poſsibilem de abſoluta Dei potentia;

Sed contrà quia, hi Auctores, vel inuiti incidunt in illud ipſum, quod cauere intédunt, nam eſt communis Sententia, ea non eſſe deneganda Diuinæ Omnipotentiæ, quæ manifeſtam implicantiam non inuoluunt, ergo ab iſta communi Sententia diſcedunt, dum nolunt diſcedere ab alia, negãte poſsibilitatem Creaturæ infinitæ, & ex alia parte fatentur in Creatura infinita in eſſentia non eſſe claram aliquam, & manifeſtam repugnantiam, imò magis communis eſt Sententia, quæ admittit Diuinę Omnipotétiæ, concedenda eſſe ea omnia, quæ manifeſtè non implicant, quàm alia, quæ negat Creaturam in eſſentia, & perfectione infinitam.

Sextò alij, concedunt, poſſe à Deo fieri creaturam omnium perfectiſsimam, nec non omnium imperfectiſsimam, & negant poſsibilem eſſe Creaturam in eſſentia infinitam. ita *Arriaga hic, diſput. 13. ſect.3.*

Sed contrà eſt quia, iſta Creatura omnium perfectiſſima excedit in perfectione infinitas Creaturas, ergo ipſa eſſet infinita in perfectione; nam ſi Creatura, quæ in perfectione infinitas excedit, non eſt infinita; quę Creatura poterit excogitari infinita? vel quis poterit efformari conceptus entis infiniti? ſanè ens finitũ non poteſt excedere infinita; ſi ergo Creatura omnium perfectiſſima, excedit infinitas alias in perfectione, erit vtique perfectionis infinitæ, non enim poteſt eſſe perfectionis finitæ.

Prætereà; data iſta Creatura omnium perfectiſsima, nó poſſet Deus aliã perfectiorem, & perfectiorem in infinitum creare, ergo iam iſta Creatura omnium perfectiſſima eſſet infinitæ perfectionis, ſolùm enim Infinitum in perfectione non poteſt ab alio excedi in perfectio-

Ee ne,

ne, finitum enim benè poteſt ab alio excedi; ideòque illi Auctores, qui negant poſſe à Deo perfectiorem, & perfectiorē Creaturam in infinitum produci, mouētur eo fundamento, quia aliàs Deus poſſet infinitam in perfectione Creaturam producere. Ità *Henricus quodlib.* 8, *Durand in* 1. *d* 44. *q*. 2. ergo non poſſe aliam Creaturam perfectiorem produci, eſt, iam Deum produxiſſe infinitam.

Dices, Datur Materia prima Creaturarum omnium imperfectiſsima, quæ tamen non eſt infinita in imperfectione, ergo etiam ſi daretur Creatura omniū perfectiſſima, non proindè eſſet infinita in perfectione.

Reſpondeo. Materiam primam eſſe imperfectiſsimam cōparatiuè ad Creaturas, quæ de facto ſunt, non abſolutè, & ſimpliciter; Materia. n. prima ideò imperfectiſsima eſt, quia eſt propè nihil, eſſe autem propè nihil, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed ſuſcipit magis, & minus, poteſt enim aliquid magis, & minus ad nihil accedere; licèt ergo de facto nulla alia Creatura magis accedat ad nihil; De poſsibili non dubito, eſſe alias creaturas, quæ poſſunt magis, & magis ad nihil accedere.

Imò materia de facto à *Scoto* ponitur, habere propriam exiſtentiam, à *Thomiſtis* ponitur, carere propria exiſtentia, ab alijs adhùc carere propria eſſentia, vt ſuprà *diſp.* 1. *lect* 5. retulimus; ergo iam de facto habetur materia magis, vel minus imperfecta, magis, & minus accedens ad nihil.

DISPVTATIO QVARTA

DE LOCO, VACVO, ET TEMPORE.

AD alias Corporis Phyſici Paſſiones, & Proprietates explicandas gradum facimus cū Ariſtotele hic Quarto Phyſicorū Libro. Sunt autem Locus, & Tempus, nullum enim aſſignabile eſt Corpus naturale, quod aliqua Temporis differentia, & aliquo Loco non circumſcribatur; Quia verò, Loco Vacuum opponitur, vt magis perſpecta habeantur ea, quæ de Loco diſputantur, etiam de Vacuo pauca quædam dicemus; ſiquidem Contrariorum eadem eſt ratio diſciplinæ ex Ariſt. in Problematis ſect. 30 q. 7. & alibi paſſim.

LECTIO I.

Faciliora quædam de Loco expediuntur.

EXiſtentia Loci conuincitur ex latione, ſeu motu, qui propterea dicitur localis, quia habet pro ſui termino Locū; hinc habet Philoſophus hic t. 48. *Vnumquodque impellente natura moueri ad ſuum locum, & ea duce in ſuo loco quieſcere.*

Primaria ſui Diuiſione Locus ità partitur, vt alius ſit imaginarius, (qui communiter dicitur ſpatium imaginariū,) & alius ſit realis. Locus Imaginarius, ſeu ſpatium Imaginarium, eſt illa Cauitas, quam modò vnum Corpus occupat, & replet, quæq; vacua eſſet, ſi ab hoc Corpore, vel ab alio non repleretur, & occuparetur; hinc extrà vltimum Cęlum dicuntur eſſe ſpatia Imaginaria in aliquorum Sententia, quia ibi magna cauitas, & capacitas eſt, quam plura corpora poſſent replere, & occupare, licèt de facto nullum ſit corpus, quod ea occupet. Sed an reuerà detur tale ſpatium Imaginarium, infrà examinabimus. Locus realis eſt vltima, ſeu extrema pars Corporis continentis, & ambientis aliud

Cor-

Digitized by Google

Corpus; hinc aer, qui nos ambit, vndiq; continet, & circumſcribit, dicitur, & eſt locus nobis extrinſecus, & realis. E contrà vltimum Cælum, quia à nullo alio Corpore circumambitur, & circumſcribitur, non dicitur eſſe in loco, vel dicitur ad ſummum eſſe in loco ſecundum partem inferiorem, & concauam!

Item locus realis ſubdiuiditur in locũ naturalem, & Artificialem; Locus naturalis eſt is, ad quem Corpora ui naturali feruntur, ſic ignis dicitur tẽdere ſurſum, & ad locum ſuperiorem, lapis dicitur tendere deorſum, & ad locum inferiorẽ; Piſces dicuntur eſſe in mari, tanquam in loco naturali, & aues in aere. Locus *artificialis* dicitur corpus illud, quod ea induſtria, & arte factum eſt, vt contineat alia Corpora, ſic vas eſt locus artificialis aquæ, & dolium eſt locus artificialis vini.

Denique locus alius eſt extrinſecus, alius intrinſecus. Locus extrinſecus, qui ſinè dubio realis eſt, definitur *ab Ariſt. hic t.41. finis continẽtis immobilis primus*: ideſt, extrema pars corporis aliud continentis, & circumambientis; extrema iſta pars dicitur extrema reſpectu corporis continentis, & dicitur prima reſpectu corporis contenti; Dicitur ẽt immobilis, quia locus eſt terminus motus localis, atque adeò debet ſiſtere motum localem, & facere, quòd vlterius non progrediatur, id autem non poſſet fieri, ſi ipſe terminus, & locus moueretur, quia hac ratione potiùs protraheret, & continuaret motum localem.

Quomodo autem locus non dicatur localiter moueri, ſed immobilis, cùm ex alia parte ad ſenſum pateat, corpus omne localiter moueri, & conſequenter moueri etiam extremas illius partes, quæ habent rationem loci reſpectu alterius corporis; variè explicatur ab Auctoribus; Id, quod mihi videtur probabilius poſſe dici, & conformiùs ad mentem Ariſtotelis, eſt; Locum eſſe immobilem, quia non mouetur localiter ad motum locati, verbi gratia, ideò Coriſcus eſt in Platea, tanquam in loco, quia licèt Coriſcus moueatur, Platea tamen non mouetur; ideòque benè concludit hic Philoſophus. *Coriſcum tam ambiri Foro, quã Veſtibus, & tamen Coriſcum non dici eſſe in Veſtibus, ſed in Foro; Forum enim non mouetur localiter ad motum Coriſci, ſicuti mouentur veſtes*: & per hoc cõtradiſtinguitur locus à Vaſe, quia Vas mouetur ad motum corporis intrà ſe contenti, mouetur Doliũ, ſi moueatur vinum, non ſic locus.

Dices. Turris flante Vento innumerabilibus vicibus mutat extrema Corporis circumãbientis illam, nẽpè extrema aeris à vento commoti, & agitati, & tamen Turris non dicitur mutare locum, ergo locus non eſt extremum Corporis.

Reſpondeo. Turrim illam mutare locum phyſicè; eſto non mutet locum moraliter, quia ad mutationẽ vnius partis aeris ſuccedit alia pars, quæ cùm ſit homogenea cũ parte priori, moraliter, & juxtà prudentum Hominum exiſtimationem, videtur Turris illa, locum non mutare.

Locus intrinſecus eſt Vbi, ſeù Vbicatio, & præſentia, quæ, an detur, & quotuplex ſit, mox dicemus.

Solent aſsignari ſex differentiæ Loci, nẽpè, ſurſum, deorſum, antè, retrò, dextrorſum, ſiniſtrorſum; quæ loci differentiæ ſunt extrinſecæ denominationes deſũptæ ex diuerſis partibus Animalis ex *Ariſt. 2. Cœli t. 9.* Nam illa pars Animalis dicitur ſurſum, ſeù ſuperior, per quam animal ſumit alimentum, deorſum verò, ſeù inferior eſt illa pars ad quam vltimò pertingit alimentum, vt pedes. illa pars dextera eſt, à qua incipit motus, huicque opponitur ſiniſtra. Anterior pars eſt ea, in qua maximè vigent ſenſus; poſtica, ſeù poſterior eſt pars oppoſita.

LECTIO II.

An Vbi ſit quid diſtinctum à Locato.

COmmuniter Vbi, ſeù localis prẹſentia, dicitur locus intrinſecus; hæc locutio mihi videtur minùs apta, & minus propria, quia in rigore, & in proprietate ſermonis, Vbi nõ eſt locus, ſed eſt ratio formalis conſtitutiua Corporis in loco; non reprehendo communem illum loquendi modum. *Pauca ſunt enim, quæ propriè loquimur, plura non propriè, ſed agnoſcitur, quid velimus. D. Auguſtinus lib. 11. Confeſ. c. 20.*

Vt Vbi eſſe aliquid diſtinctum defendam, pugna iterum, iterum certamen mihi ineundum eſt cùm *Nominalibus*,

Digitized by Google

ſeù *Complexiſtis*, nec non cùm *Connotantibus*, ſeù *Connotatoribus*.

Nominales in primis, & Complexiſtę, vt funditus euertant modos, quos adeò auersãtur, vel ſuo more ad phraſes, & nomina confugiunt, quando illis explicãdũ eſt Vbi, vel Complexum ex corpore locato, & loco, ſeù coexiſtẽtiam loci, & locati obtrudunt; Connotãntes, verò, ſeù Connotatores, loco Vbi, connotatum ſubſtituunt; volunt enim, Vbi eſſe corpus locatum, connotando locum, ſeù Corpus, prout locum extrinſecum dicit, & connotat.

Nolo in horum Auctorũ nominatione, & citatione immorari, quia illos tũ in *Logicis Diſp.* 3. *de Prædicam. Lect.* 7. *&* *Lect.* 8. *tũ in Phyſicis Diſp.* 1 *Lect.* 12 dum Relationem, & Vnionẽ eſſe modos diſtinctos propugnarem, enumeraui.

Communis Sententia defendit, Vbi eſſe quid diſtinctum à Corpore locato, & loco extrinſeco. Ità in primis Thomiſtæ, *Runius hic tract. de natura loci q.* 5. *nu.* 56. *Complutenſes hic Diſp.* 19. *q.* 1. *§.* 1. *&* 2. *Ioannes de Sancto Thoma hic q.* 14. *art.* 1. *Ioannes de Caſtelui in Log. diſp.* 8. *dub.* 6, & fauet *S. Thomas* 5. *met. lect.* 15. *par.* 1, *opuſc.* 48. *tract. de vbi*. Fauet etiam huic ſententiæ *Scotus*, *qui in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. Vbi appellat relationem extrinſecus aduenientem; *Scotum ſequuntur plures alij ex eius Schola*.

Ex Recentioribus, *Suarez diſp* 51 *met. ſect.* 1. *Vaſq.* 1 *p. diſp.* 29. *Perer. lib.* 13. *c.* 9. *q.* 10. *ad* 4. *Conimb.* 3. *phyſ. c.* 3. *q.* 2. *art.* 2. *Durelle lib.* 1. *Categoricotheę c.* 10. *Hurt. diſp.* 14. *Phyſ. ſect.* 4. *Auerſa t.* 1. *Philoſ. q.* 28 *ſect.* 1. *Le Reès diſp.* 5. *de loco ar.* 4. *Oniedus hic contr.* 15. *punct.* 4 *Arriaga diſp.* 14. *ſect.* 2.

Non video; quomodo hi *Recentiores* cohærenter philoſophentur; nam in Logicis apertè negarunt, Relationem eſſe modum diſtinctum ab abſolutis, & aliqui eorum, Relationem ſaluabant per connotata, vt *Suarez*, *&* *Le Reès*, alij per coexiſtentiam duorum abſolutorum, vt *Hurtadus*, *Auerſa*, *Ouiedus*, *&* *Arriaga*; hic verò modũ Vbicationis acriter defendãt.

Ego ſanè ſemper eius fui voti; aut omnes modos eſſe ponendos, aut omnes negandos, quia de ijs omnibus eadẽ militat ratio: cùr enim *Reès*, *&* *Suarez* per connotata ſaluant relationem, & per connotata non ſaluant Vnionem, & Vbi? Cùr alij Auctores per coexiſtentiam, & complexionem extremorum ſaluant Relationem, & non ſaluant per ſimilem coexiſtentiam, & complexionem Vnionem inter materiam, & formam, vt Vbi intrinſecum? Eadẽ Argumenta, ſi non omnia; ſaltem aliqua, quæ probant Vnionem, & Vbi eſſe modos diſtinctos, probãt etiam, Relationem eſſe modum diſtinctum, ergo ſi cohærenter velint loqui, vel omnes modos debent negare, vel omnes concedere.

Concluſio ſit, Vbi eſt quid diſtinctum realiter à loco, & corpore locato.

Dixi, eſt quid diſtinctum realiter, quia eſſe modum, & non rem, infrà oſtendam.

Probatur Concluſio primò Argumento communi etiam alijs modis quia; non poteſt dari tranſitus ſubiecti de contradictorio in contradictorium ſinè aliqua intrinſeca mutatione eiuſdem ſubiecti, aliàs de vno, eodemque ſubiecto prorſus inuariato verificarentur duo contradictoria, quo nihil abſurdius, ſed corpus locatum de non præſenti huic loco extrinſeco, fit præſens, ergo per aliquam ſui mutationem, ſeù acquiſitionem alicuius entitatis de nouo, quæ nulla alia poteſt aſſignari, niſi iſta localis præſentia, ſeù Vbi, cuius ratio formalis eſt, conſtituere corpus præſens potius huic loco, quam alteri, potius præſens Romæ, quàm Genuæ.

Reſpondebis. Petrum, verbi gratia, eſſe potius præſẽtẽ Romæ, quàm Genuæ, nihil eſſe aliud, quàm Complexum ex Petro, & Roma.

Sed cõtrà eſt; quia poſſunt eſſe Petrus, & Roma abſque eo, quòd Petrus dicatur eſſe, & verè ſit præſens Romæ, ergo Petrũ eſſe præſentem Romæ, eſt quid diuerſum à Petro, & Roma, ſeù à coexiſtentia ſimultanea Petri, & Romæ.

Reſpondebis ſecundò, Petrum eſſe Romæ, eſſe Petrum, prout connotantem Romam, & non alium locum.

Sed cõtrà eſt quia; vndè habet Petrus, modo connotare Romam, quam anteà non connotabat? Sanè ſi nil habet de nouo, non connotat modo Romam, quia nec anteà connotabat; ſi habet aliquid de nouo, hoc ipſum eſt præſentia localis, & Vbi, quod probare intendimus.

Reſpondebis tertiò. Petrum eſſe præſentem Romæ, eſſe Petrum habere negationem corporis interiecti inter Petrum, & Romam, ſicuti eſſe lucem, eſt formaliſſimè, non eſſe tenebras.

Sed contrà eſt quia; ſi Petrum eſſe Romæ, diceret formaliſſimè negationem corporis interiecti, iam daretur negatione-

negationis; ergo, probatur ſequela, quia; expellat Paulus à Roma Petrum, talis expulsio eſt negatio, Paulum enim expellere Petrum à loco, eſt negare exiſtētiam Petri in illo loco, ſed talis exiſtētia eſt negatio, quia Petrū, eſſe Romæ, & eſſe in loco, eſt negatio corporis interiecti per Aduerſ. ergo iā datur negatio negationis.

Reſpondebis quartò, Petrum eſſe Romæ, nihil aliud eſſe, quàm Immenſitatem Dei, prout virtualiter diſtinctam, & vt reſpondentem Petro, & Romæ, licèt enim Diuina Immenſitas vna ſit, & indiuiſibilis, multiplex tamen eſt, & virtualiter diuiſibilis, & ſic conſiderata, correſpondet diuerſis locis, & corporibus locatis, & ſicuti diuerſa ſunt locata, & diuerſa ſunt loca, ità diuerſæ ſūt illæ virtualitates Immēſitatis Diuinæ correſpōdentis ſingulis locis, & ſingulis locatis; & ſic Petrū eſſe Romæ, eſt virtualitatē Diuinæ Immēſitatiseſſe in Petro, & correſpondere Romæ.

Sed contrà eſt quia, ſi Petrum eſſe Romæ, eſt virtualitas Diuinæ Immenſitatis correſpondens, & terminans ad Petrum, & ad Romam; ſimiliter Parietem eſſe album, vel nigrum, erit virtualitas Diuinæ entitatis correſpondens Parieti, & albedini, vel nigredini; atque ità non modò tolleretur præſentia iſta localis, ſed etiam omne aliud accidens: & vniuerſa Philoſophia deſtrueretur.

Præterea; per quid fit, vt virtualitas Diuinæ Immenſitatis correſpondeat Petro, & Romæ, quibus anteà non correſpondebat? hoc ipſum, per quod iſta virtualitas Diuinæ Immenſitatis correſpondet Petro, & huic loco, eſt formaliſſimè præſentia localis, & Vbi intrinſecum, quod quærimus, & probare intendimus.

Probatur ſecundò Concluſio Argumēto ſpeciali; quia motus localis eſt vera actio productiua, ergo debet aſſignari formalis terminus productus vi talis actionis, nulla enim poteſt dari actio ſine ſuo termino formali, qui formaliter vi talis actionis producatur; Sed talis terminus non eſt Locus extrinſecus, qui iam eſſe præſupponitur, non eſt corpus locatum, quod etiam præſupponitur eſſe, & exiſtere, ergo erit ipſa preſentia localis, ſeù Vbi intrinſecum.

Reſpondebis. Lationem, ſeu motum localem eſſe actionem adductiuam, non productiuam, atque adeò adducere, & deferre corpus ad locum, non verò producere præſentiam iſtam localem, & intrinſecum Vbi.

Sed contrà eſt quia. hac ratione poſſet etiam dici, quòd generatio nō ſit productio formæ ſubſtantialis, ſed adductio eius ad materiam, atque ità formæ ſubſtantiales materiales non producerentur ab agente naturali, ſed crearentur immediatè à Deo, Similitèr & Augmentatio non eſſet productio Quantitatis, nec Alteratio eſſet productio Qualitatis, ſed adductio, at hoc eſt contrà omnes Philoſophos, ergo ſi motus localis eſt verus motus phyſicus, ſicuti reliqui, imò quia eſt motus per antonomaſiā, & maximè propriè phyſicus, non debet eſſe adductio, ſed productio noui termini, qui formaliter vi eius producatur, qui terminus nullus eſt alius, quàm Vbi.

Probatur tertiò Argumēto adhùc ſpeciali, & proprio ipſius Vbi quia. Vbi intrinſecum vel ipſis omnibus ſenſibus patet, videtur, auditur, tangitur, olfit, guſtatur, ergo verè datur, omnes enim ſenſus falli nequeunt, eſto aliquis falli poſſit ob defectum debitæ alicuius circumſtantiæ. Antecedens probatur quia, audio currum prętereuntem parte dextera, non ſiniſtra; tango rem in hoc loco, & non in alio; canes venatici odorant prędam eſſe hic, & non alibi; eodem modo per guſtum cognoſcimus ſapórem eſſe in hac parte pomi, & nō in alia; ſed id magis declaratur in ſenſu viſus; Pono lapidem pendentem in medio aere, me non vidente, transferatur lapis in aliū ſitum eiuſdem aeris, cū ſic; video lapidē nō eſſe ibi, vbi erat prius, ergo aliquid video in lapide, quod non videbam prius, ſed hoc non eſt quantitas, non qualitas, neque aliud ex Prædicamētis, (ſuppono enim omnia accidentia remanere eadem) neque eſt motus, quia ſuppono, me non vidiſſe motum; ergo eſt Vbi permanens, qui eſt terminus intrinſecus motus, ergo iam Vbi per Viſum clarè innoteſcit, & patet.

Reſpondebis in tali caſu videri diuerſam poſitionem in ordine ad videntem, qui cùm anteà videret lapidem directa facie, nunc videt deflexum in dexteram, vel ſiniſtram partem.

Sed contrà eſt quia; diuerſa iſta poſitio nihil aliud eſt, quàm Vbi; eſt enim diuerſa iſta poſitio localis, & cùm relatione ad locum; dextrum enim, & ſiniſtrū ſunt differentiæ locales, vt Lect. 1. diximus.

Quòd ſi hoc Vbi appellare velis, Poſitionem, & non Vbi; non curo, quomodo loqua-

Digitized by Google

loquaris,dummodo rectè ſentias, *liberis vocibus loquuntur Philoſophi, nec offenſionē religioſarū aurium in rebus ad intelligendum difficillimis, pertimeſcunt ex D. Auguſtino lib.10.de Ciuit.Dei c.23.*

Reſpondebis ſecundò, videri diuerſam Quantitatem.

Sed contrà eſt,quia ſuppono,omnia accidentia remanere immutata prorſus, & inuariata. Præterea, ponamus tria corpora eiuſdem planè rationis alio, atque alio modo, itàut mutēt inter ſe ordinem; ſed remaneant quòad omnia in eodem loco:in dato caſu,diuerſitas iſta,quæ videretur,non poſſet refundi in diuerſam quātitatem interceptam,quia inter illa tria corpora nulla quātitas interciperetur, ergo firmum ſtat, videri diuerſum Vbi.

Dices.Vbi non eſt color, vel lumen,ergo non videtur:non eſt odor, ergo non olfit.

Reſpondeo. Vbi eſſe ſenſibile commune, quod à pluribus ſenſibus percipitur; reducitur autem ad motum,& quietem, eſto non ſentiatur, niſi ſit iunctum ſenſibili proprio, ſeù niſi ſit in aliquo corpore luminoſo.

Denique quartò, & vltimò probatur, dari hoc Vbi Auctoritate *Ariſt. 1. Cœli t. 100. Patet ergo neque locum extrà Cœlum eſſe,neque Vacuū,neque Tempus: quo circà neque apta ſunt ea,quæ illic ſunt,eſſe in loco, neque Tempus ſeneſcere ipſa facit.* ſi ergo extrà Cœlum non eſt Locus,& tamen aliqua ſunt illic,certè,*τὸ,illic*, Vbi intrinſecum denotat, nam vt benè aduertit *Suarez in Metaphyſ.diſp.51.ſect.2.nu.7.*aduerbia localia,*hic,illic*,& ſimilia,licèt vt plurimum ex loco extrinſeco deſumātur,aliquando tamen deſumuntur præcisè ex Vbi intrinſeco,quando, ſcilicet, non connotant reſpectum ad aliud corpus circumſtans, quo caſu non tàm aduerbia localia, quàm aduerbia præſentialitatis, vel abſentiæ dici,debent.

LECTIO III.

Aduerſus Vbi argumenta diſſoluuntur.

EX pluribus, quæ aduerſus Vbi excogitarunt Argumenta *Nominales*, *Complexiſta*, & *Connotantes*, efficaciora adducam,& ſoluam.

Obijciunt primò. effectus determinatus debet eſſe à cauſa determinata, ſed non poteſt aſſignari cauſa determinata huius Vbi,ergo,Minor probatur,quia in hoc inſtanti A. producitur hoc Vbi, quo Corpus locatum fit formaliter præſens huic loco extrinſeco,ſed tale Vbi non poteſt produci à Corpore locato, quia eſt indifferens ad coexiſtendum potiùs huic ſpatio,& loco extrinſeco, quàm alteri,ſed neque poteſt produci à potētia loco motiua,quia hæc ſimiliter eſt indifferens ad producendum,ſiuè hoc,ſiuè illud Vbi; neque poteſt produci à loco extrinſeco, qui æquè eſt indifferens ad locandum, ſiuè hoc,ſiuè illud corpus, ergo huius Vbi nō poteſt aſſignari cauſa determinata.

Reſpondeo. hoc argumentum vim habere in eorum Sententia,qui putant,Cauſas non eſſe ex ſui natura determinatas ad producendum hūc potius numero effectum,quàm alium,ſed potiùs eſſe indifferentes, et indeterminatas ad quemlibet producendum ex pluribus, quos poſſunt producere, donec accipiant determinatinationem à Cauſa prima;quare Auctores huius Sententiæ tenentur reſpondere facto Argumento, Corpus locatum, ſeù potentiam loco motiuam determinari à Deo ad producendum potiùs hoc Vbi quàm aliud.

Cohærenter ad mea principia dico;potentiam loco motiuam de ſui natura eſſe determinatam in hoc inſtanti A.& relatiuè ad hunc locum extrinſecum, ad producendum hanc potiùs vbicationem, quàm aliam, ſicuti enim Ignis, verbi gratia, eſt de ſua natura determinatus ad producendum hic, & nunc, hunc potiùs numero calorem, quam alium;ità & potentia loco motiua eſt de ſui natura determinata ad producendum potius hoc Vbi,quàm aliud in hoc inſtanti, & relatiuè ad hunc locum extrinſecum.

Obijciunt ſecundò: Priùs Corpus eſt in Loco,quàm habeat Vbi,ergo corpus non conſtituitur formaliter in loco per Vbi; conſequentia eſt plana. Antecedens verò probatur quia, Vbi producitur à Corpore, ergo iam Corpus debet eſſe approximatum,nam ex dictis *Diſp. 2.Lect.6.* Approximatio eſt conditio neceſſariò requiſita ad operandum,ſed corpus eſſe approximatum nihil eſt aliud, quàm eſſe approximatum loco, ergò iam corpus præſupponitur in loco.

Reſpondeo.Corpus non debere eſſe approximatum locò,vt producat Vbi, neq; enim

Digitized by Google

enim Vbi recipitur in Loco, tanquam in ſubiecto. imò potiùs, quia Vbi recipitur in Corpore ipſo, à quo producitur, ſolùm ſequitur ipſum corpus debere eſſe ſibimet ipſi approximatum, & propinquum, vt reuerà eſt, nihil enim eſt à ſe ipſo diſtans, nihil eſt ſibimet ipſi non appropinquatū, & propinquum.

Quando autem ponitur approximatio, tanquam conditio neceſſariò requiſita ad operandum, talis approximatio debet eſſe inter Agens, & ſubiectum, ſeù paſſum, non inter agens, & effectum, aut aliquid aliud.

Dices, non poteſt vlla actio procedere à Corpore non locato, quidquid enim operatur, debet eſſe in loco, ergo iam in aliquo priori præſupponitur corpus locatum, antequam producat per ſui actionē, Vbi, ergo nō eſt neceſſe, vt producat Vbi, ad hoc, vt locetur, et conſtituatur formaliter in loco.

Reſpondeo. Corpus productiuum Vbi præſupponi conſtitutum in loco per Vbi productum ab eo, qui primò produxit tale corpus; Deindè quando tale corpus ſe mouet, & acquirit alium locum extrinſecum, producit aliud Vbi, quo ſe conſtituit præſens loco, quem acquiſiuit. Requiritur ergo Vbi in Corpore iam locato, non vt ſe locet in loco, in quo iam præſupponitur exiſtere, ſed vt ſe locet in alio loco, cui fit de nouo præſens, quando ſe mouet localiter.

Replicabis. Agens, quod primò producit Corpus locatum, ſimul Corpus produxit, & locauit, ergo per ipſam productionem conſtituit corpus in loco, & non per Vbi; Deinde illa Cauſa, quæ Corpus iā locatum conſeruat, conſeruando conſtituit formaliter in loco, ità vt ipſa actio conſeruatiua ſit ratio formalis conſtituēdi Corpus in loco, ergo non requiritur Vbi. Confirmatur quia, non repugnat ponere actionē productiuā, vel etiā cōſeruatiuam, quæ ſit eſſentialiter affixa alicui loco, ergo per talem actionem poteſt optimè intelligi cōſtitutum formaliter Corpus in loco.

Sed cōtrà eſt quia: Corpus, quòad primò produci, & conſeruari, eſt independēs à loco, vndè non deſunt Philoſophi, qui probabiliter defendunt, poſſe eſſe Corpus nullibi: ſit ergo Corpus aliquod nullibi, iā conſeruabitur tale corpus independenter à loco, ergo per conſeruationem non conſtituitur corpus formaliter in loco; & ſi poteſt cōſeruari nullibi, poteſt etiam nullibi primò produci; ergo prima productio non eſt conſtitutiua corporis in loco.

Præterea prima productio, & conſeruatio non habent pro ſui termino locum, adæquatè enim terminantur à re producta, ergò merè gratis finguntur, quòd ſint affixæ alicui loco, aut quod rem productam eſſentialiter, ſeù formaliter conſtituant in loco.

Obijcies Tertiò: non datur modus peculiaris eſſendi ſub quantitate, & qualitate, ergo non debet dari peculiaris modus eſſendi in loco, & conſequenter non debet dari hoc Vbi.

Confirmatur, quia Corpus conſtituitur in loco formaliter per quantitatem, cuius proprietas, vel ratio formalis eſt, extreitas localis partium, ergo non cōſtituitur corpus in loco per Vbi.

Reſpondeo negando Antecedens, quia datur peculiaris vnio, & receptio quantitatis, & qualitatis in ſubiecto, quod per quantitatem, & qualitatem afficitur. Ad Confirmationem dico, per quantitatem formaliter Corpus conſtitui in aliquo loco indeterminatè ſiuè hoc, ſiuè illo, ſed per Vbi formaliter conſtitui determinatè in hoc potius loco, quàm in alio.

Obijcies quartò: ex *Ariſt. 8. Phyſ. t. 59. minimè motuū, id quod mouetur, dū fertur à ſubſtātia diſcedit, ſecundùm enim ſolam nihil mutatur ab eſſe, vt cùm quid, alteratur, quale, & cùm augetur, & diminuitur, quantum*; ergo per motum localem intrinſecè non mutatur ſubiectum recipiendo hoc Vbi.

Reſpondeo. Per motum localem non ità intrinſecè mutari ſubiectū, ſicuti mutatur per Alterationem, & per Augmentationem, quia per Alterationem acquiritur qualitas, per Augmentationem acquiritur quantitas, quæ vtraque eſt res, non modus; per lationem verò, & motum localem acquiritur Vbi, quod non eſt res, ſed rei modus. Præterea per Alterationē, & per Augmentationem corpus totaliter mutatur, quia proximè diſponitur ad mutationem ſubſtantialem, ad quam, vel non diſponitur, vel validè remotè diſponitur per motum localem.

LECTIO IV.

Aliæ Quæſtiones de Vbi Reſoluuntur.

PRima Quæſtio eſſe ſolet. An Vbi ſit Res, vel Modus; Hãc Quæſtionẽ nullũ mouiſſe, aſſerit *Arriaga*, vt eius ſe prodat Auctorem, & Inuẽtorem; ſed meo quidem iudicio non eſt ità, *Suarez enim in Met. diſp.* 51. *ſect.* 1. refert, Sententiã nõ diſtinguentem Vbi à loco extrinſeco, & locus extrinſecus eſt res, & non modus: Prætereà *Scotus* putauit Vbi, eſſe Relationem extrinſecus aduenien em, at relatio extrinſecus aduenieus diſtinguitur à modo Relationis prædicamentalis per *Scotum*, eſt ergo Vbi, res, & non modus in Sententia *Scoti*. Antiqui, nomine Vbi, intelligebant ſpatium, ſeù interuallum, ità refert *Suarez loco cit n.* 9. & per ſpatium intelligebant aliqui corpus indiuiſibile, alij quantitatem, alij quandam vacuitatem capacem Corporis, ſed neque Corpus, neque quantitas eſt modus, at eſt potius res. Vacuitas verò, ſi res non eſt, neque modus eſt; fuerunt ergo plures antè *Arriagam*, qui Vbi non modum, ſed rem eſſe exiſtimarunt: & conſequenter Quæſtio illa antè illũ ab alijs eſt mota, & reſoluta: Sententia Cõmunis ſupponit potiùs, quàm probat, Vbi eſſe modũ, nõ rem; eſſe accidens modale, non reale.

Arriaga hic diſp. 14. *ſect.* 2. *ſubſect.* 7. defendit. Vbi non eſſe modum, ſed rem; nõ eſſe accidens modale, ſed reale.

Concluſio mea eſt. Vbi non eſt Res, ſed Modus.

Probatur quia. Vbi eſſe modum, eſt communis Sententia; vt vel ipſe *Arriaga* vltrò concedit, ſed à communi Sẽtentia non eſt recedẽdum, niſi ſolidum aliquod argumẽtum ad id nos cogat, quod in præſenti non eſt aſſignare, vt ex ſolutione facili eorum, quæ obijciuntur, mox patebit, ergo.

Probatur ſecundò, quia, modus ex *Arriaga diſp.* 1. *Met ſect.* 1. eſt entitas illa, quę ità per ſuam eſſentiam actuat ſubiectũ, vt ab illo nec diuinitus ſeparari queat, ſed ità ſe habet Vbi, neque enim eſt aſſignare Vbi ſinè ſui ſubiecto, ſicuti nec poſsũt eſſe vnio, nec actio, nec relatio prædicamentalis ſinè ſuis ſubiectis, quæ propterea eſſe entitates modales, communiter aſſeruntur; ergo verè Vbi eſt Modus, & non res.

Dices primò; non eſt maior ratio, cur albedo, nigredo, actus videndi, & amandi ſint accidentia realia, & non Vbi; ergo etiam Vbi eſt accidens reale.

Reſpondeo primò: retorquendo Argumentum, non eſt ratio, cur albedo, nigredo, actus videndi, & amandi, ſint entia realia, & non ſint entia realia vnio, & actio, ſed vnio, & actio in communi Sẽtentia, quam etiam defendit *Arriaga*, nõ ſunt accidentia realia, ergo neque modus Vbi eſt accidens reale.

Reſpondeo ſecundò directè ad Argumentum; albedinem, nigredinem, actus videndi, & amandi eſſe entitates ſeparabiles ſaltem diuinitùs à ſuis ſubiectis, nõ ſic Vbi; Verum quidem eſt, quòd quia actus videndi, & amandi ſunt actus vitales, ſi ponerentur in extrinſeco ſubiecto, putà in lapide, verbi gratia, lapis non diceretur videre, nec amare, quia videre, & amare ſupponunt vitale principium, quale non eſt lapis.

Dices ſecundò. poteſt eſſe Vbi ſinè ſubiecto, cuius eſt Vbi, imò & ſine vllo ſubiecto diuinitùs, & per abſolutã Dei potentiam; ergo eſt res, & non modus. Antecedens probatur, quia, actus amoris, & Viſio poſſunt diuinitùs, & per abſolutam Dei potentiam eſſe ſine proprio ſubiecto, ſinè Petro, verbi gratia, à quo ſunt eliciti, ergo etiam Vbi poteſt diuinitus ſeparari à corpore locato, ſeù ſubiecto.

Reſpondeo: negando antecedẽs, nam ſi valet paritas ab actu viſionis ad Vbi, valeret etiam ab actu Viſionis, ad vnionem, & actionem, imò & ad omnem alium modum, & ſic omnes modi deberent negari; Dicendum eſt ergo, quòd quia Vbi eſt eſſentialiter affixum ſuo ſubiecto, non poteſt ab illo nec diuinitùs ſeparari, ſeù vt alij loquuntur, modum quẽcunque nec diuinitus poſſe à ſubiecto ſeparari, quia eius eſſentia eſt actualis inhærentia in ſubiecto. Hinc pro ſolutione aliorum argumentorum, ſi quæ fortè obijcientur, inſiſtendum ſemper eſt, ijs etiam euinci, vnionem, actionem non eſſe modos; nec vllum alium poſſe modum aſſignari, & defendi.

Quæſtio ſecunda ſolet eſſe; an in vnare plura, & tot ſint admittẽda Vbi, quot ſunt entitates; nam verbi gratia, in compoſito phyſico adſunt ſubſtantia, & accidentia. Subſtantia alia eſt materia, alia eſt

Digitized by Google

eſt forma; rurſus accidentia ſunt plura, & plura in quolibet compoſito; quæritur, an tot ſunt Vbi, quot ſunt huiuſmodi entitates in Compoſito.

Prima Sentẽtia defendit, tot eſſe Vbi in qualibet re, quot ſunt entitates eiuſdem rei. ità *Suarez diſput.* 51. *Met. ſect.* 5. *Hurtadus diſp.* 14. *Phyſ. ſect.* 4. *le Reès diſp.* 5. *Phyſ. ar.* 4. *§. vlt. Ouied. Contr.* 15. *punct.* 5. *vbi n.* 6. pro hac ſentẽtia citat *Arriagã. Cabr. hic diſp.* 2. *dub.* 3. *Val.* 3. *p. d.* 6. *q.* 4. *p.* 1.

Altera Sententia defendit in vna re ſufficere vnicam præſentiam, qua ſubſtantia, Quantitas, & reliqua omnia accidentia, ſeu modi eiuſdem rei vbicentur. ità *Vaſq. tom.* 1. *in* 3 *p. diſp.* 199. *nu.* 29. *Albertinus de Prædicam. Quantit. diſput. vn. q.* 6. *Rubius de loco tract.* 6. *q.* 5. *Ioannes de Sancto Thoma hic q.* 16 *art.* 2.

Auerſa tom. Phil. q. 28. *ſect.* 4. admittit tot præſentias, quot ſunt entitates; vel vnam admittit præſentiam, variabilem tamen ad variationem cuiuslibet illarum.

Concluſio ſit. Quælibet entitas eſt de ſe capax diſtinctæ præſentiæ, ſed de facto, & attenta natura rei, vna datur præſentia in qualibet re; variabilis tamen ad variationem cuiuslibet entitatis.

Prima pars Concluſionis patet, quia quælibet res eſt de ſe entitas diuerſa, & ponibilis à Deo in diuerſo loco extrinſeco, ergo quælibet eſt capax diuerſę præsẽtię, per quam in diuerſo loco conſtituatur.

Secunda pars probatur quia verè non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate ſed vnica ſufficit præſentia pro omnibus entitatibus vnius, eiuſdemque rei; ergo. Minor probatur, quia ſufficit vna quantitas ad quantificandas omnes entitates vnius, eiuſdemque rei, vna ſufficit vnio ad vniendas ambas partes, ergo ſufficit vnum Vbi ad vbicandas omnes entitates vnius, eiuſdemque rei.

Deniq; tertia pars etiam facilè probatur quia Præſentia, & vbicatio eſt eſſentialiter ſuus effectus formalis, ergo ſi hic effectus varietur, variabitur vbicatio, ſed ablata, vel de nouo poſita qualibet entitate, variatur effectus formalis vbicationis, quia talis vbicatio, vel deſinit vbicare eam entitatem, quam anteà vbicabat, vel incipit de nouo vbicare eam entitatem, quam anteà non vbicabat, ergo iam variatur eius effectus formalis.

Do quantitatem non variari, quamuis, vel deſinat, vel de nouo incipiat entitatem aliquam quantificare, quia Quantitas eſt accidens reale, & ideò non habent ſuum eſſe ità reſtrictum, & limitatum, vt ſtatim varietur, quando deſinit, vel incipit de nouo aliquam entitatem quantificare, ſicuti nec variatur Anima Rationalis, quando aliquas partes deſinit, vel incipit de nouo informare; at vbicatio eſt modus, & entitas minima, ideò nõ poteſt admittere variationem in ſuo effectu formali, abſq; eo ꝙ ipſa varietur, & mutetur; cũ quo tamen ſtat, quòd res vbicata non dicatur mutare locum, quia non mutat locum extrinſecum, quãuis mutet præſentiam.

Dices primò. per quantitatem Anima Rationalis non extenditur, ergo per Vbi corporis locati non vbicatur.

Reſpõdeo. Animam Rationalem per quantitatem non extendi, quia eſt incapax extenſionis, & non eſt incapax vbicationis; quamuis vbicatio corporea ſit & materialis, ſicuti neq; eſt incapax vnionis cæteròqui materialis, & corporeæ.

Dices ſecundò. quando video albedinem in hoc loco, verbi gratia, non video nudam entitatẽ albedinis, ſed etiam eius præſentiam, ſed non video præſentiam quantitatis, quia cum quantitas viſibilis non ſit, nec eius præſentia eſt viſibilis, ergo video præſentiam propriam albedinis, ergo iam ſunt diſtinctæ præſentiæ.

Reſpondeo. videri præſentiam albedinis, quæ communis eſt non ſolum albedini, & quantitati; ſed etiam alijs accidentibus, præſentia enim iſta non eſt propria quãtitatis, ſicuti nec eſt propria albedinis, ſed eſt communis omnibus entitatibus, quæ in vna, eademq; re reperiuntur.

Dices tertiò. ſi Deus ſepararet quantitatem à ſubſtantia, remaneret ſubſtantia cùm ſua præſentia, ergo diſtincta præſentia eſt in quantitate, & in ſubſtantia.

Reſpondeo. facta tali ſeparatione de nouo produci diſtinctam præſentiam, vel in quantitate, vel in ſubſtantia, in tantum enim de facto, vnius, eiuſdemque rei vna eſt præſentia, quia omnes eius entitates ſupponuntur eſſe vnitæ in eodem ſuppoſito; diſſoluta igitur hac vnione, quælibet entitas, ſicuti eſt capax propriæ, & diſtinctæ præſentiæ, ità & de facto habebit propriam, & diſtinctã præſentiam.

F f Quæ-

Digitized by Google

Quæſtio tertia ſolet eſſe. An Vbi pendeat à loco externo, ſeù Corpore circumſcribente.

Reſpondeo ex dictis iam in quarto Argumento, quo probauimus, dari Vbi diſtinctum à corpore locato,& loco non dependere hoc Vbi à loco externo; nam *Ariſtoteles hic t* 1.docet,quicquid eſt,eſſe alicubi, ergo iam ſupremum Cœlum eſt alicubi,ſed non eſt in loco, ergo iam vbi non pendet à loco. Cõfirmatur quia.detineat Angelus lapidem in medio aeris, & tunc Deus anihilet aerem vndequaquè,lapis non amittet ſuum Vbi, ergo. Minor probatur, quia non eſt maior ratio,cur dicatur lapis amittere Vbi, & nõ amittere reliquas formas accidentales, tùm quia ſequeretur,illum lapidem exiſtere nullibi, quod eſſe impoſſibile,mox oſtendam.

Denique quia,in Vacuo poteſt fieri motus,ſed terminus talis motus eſt Vbi, ergo iam datur Vbi ſinè loco externo.

Verum quidem eſt, quòd Vbi habet pro ſui effectu ſecundario, conſtituere corpus pręſens alicui loco externo,& ſuperficiario;qui effectus ſecundarius,ſicuti eſt relatiuus, itá eſt ſeparabilis ab effectu primario abſoluto eiuſdem Vbi, qui eſt,conſtituere formaliter rem vbicatam præſentem hic formaliter.

Dices:Vbi ex genere ſuo eſt nexus, & vnio, ſed vnio eſt duorũ vnio, nexus eſt duorum nexus, ergo vbi eſt nexus duorum, ergo vnit rem locatam, & vbicatam,non niſi loco externo,ergo.

Reſpondeo.Vbi vnire,& facere rem vbicatam præſentem alteri, non quidem loco externo,aut ſuperficiei vltimæ, ſed vel loco externo, vel rei ſpirituali; vel Deo; ſi enim aliqua Creatuta ſepararetur ab omni loco extrinſeco,adhuc talis creatura eſſet alicubi, & præſens eſſet Deo.

Quæſtio Quarta ſolet eſſe. An poſſit aliqua creatura exiſtere, & eſſe nullibi ſaltem de abſoluta Dei potentia.

Reſpondetur negatiuè.Ratio eſt quia. Implicat intelligere, rẽ eſſe, & eſſe nunquam, ergo etiam implicat intelligere, rem eſſe,& eſſe nullibi.Cõfirmatur,quia ſicuti eo ipſo, quòd res exiſtit, coexiſtit alicui parti virtuali diuinæ Aeternitatis,ſic eo ipſo, quòd res exiſtit,coexiſtit alicui parti virtuali diuinæ Immenſitatis, ſicuti enim Aeternitas continet virtualiter omnia tempora,itá Immenſitas continet virtualiter omnia loca, & omnes vbicationes.

Dices. Vbi diſtinguitur modaliter à ſuo ſubiecto,ergo poteſt ſubiectum Vbi exiſtere ſine Vbi.

Reſpondeo. diſtinguendo conſequens poteſt exiſtere ſinè vbi, hoc vel illo determinatè concedo conſequentiam. poteſt exiſtere ſinè omni Vbi: nego conſequentiã; nã & materia prima põt eſſe ſinè forma hac, vel illa, non tũ ſinè omni forma, ſaltem naturaliter in Sententia communi, & etiam ſupernaturaliter in Sententia Thomiſtarum; actio non poteſt eſſe ſine omni termino, licet poſſit eſſe ſine hoc,vel illo termino.

Quæſtio Quinta ſolet eſſe; Quotuplex ſit Vbi?

Reſpondeo primò diuidi Vbi; itá vt aliud ſit Vbi permanens, & aliud ſit Vbi fluens. Vbi fluens, ſeù Vbi ſucceſſiuum eſt Vbi, & præſentia rei ſucceſſiuæ, vt motus.Vbi permanens eſt, Vbi, & præſentia rei permanentis,& ſtãtis; Per Vbi fluens res coexiſtit loco maiori ſe; per Vbi permanens res coexiſtit loco ſibi æquali,vt fuſius infrà explicabimus *diſp.* 5.*Lect*.4.

Secũdò diuidi Vbi, itàut aliud ſit Vbi definitiuũ,& aliud ſit Vbi circũſcriptiuũ. Vbi definitiuũ,eſt id, vi cuius res carens extenſione locali eſt in loco inextensè, quatenus tota eſt in toto loco, & tota in qualibet parte loci;itá Angelus totus eſt in tota hac Aula, & totus in qualibet parte aulæ; Anima Rationalis tota eſt in toto corpore, & tota in qualibet parte Corporis;Corpus Chriſti Domini Sacramentatum, totum eſt in tota Hoſtia, & totum in qualibet parte Hoſtiæ. Vbi verò circumſcriptiuum eſt id, ratione cuius corpus eſt in loco extensè, & per partes,quatenùs totũ eſt in toto loco, & pars eius in parte loci. Denique datur Vbi Immenſum,quod eſt proprium Dei omnia loca actualia, & poſſibilia adimplentis,iuxtá illud Scripturæ; *Cœlum,& terram ego impleo, Hierem.c.*23.

LECTIO V.

Penetratio Corporum.

DVplex Quæſtio hic eſt examinanda. Prima eſt, an naturaliter dari poſſit penetratio Corporum. Secunda eſt,

Digitized by Google

eſt, an ſupernaturaliter, & de abſoluta potentia dari poſſit Corporum penetratio.

Quòad primam Quæſtionem.

Concluſio eſt. De facto non datur, nec poteſt naturaliter dari penetratio Corporum. Ità *Communis Sententia* manifeſtis experientijs comprobata.

Contrà paucos quoſdam. *Alex. in opuſc. de Mixtione, Fernelium lib. 2. ſua Phyſiologiæ c. vlt. Petrum Ioan. Prouenzalem Quodlib. 3. q. 7.*

Probatur Concluſio primò. Auctoritate *Ariſt. hic t. 8. non eſt poſſibilis penetratio dimenſionum.*

Probatur ſecundò experientia, qua patet, vnũ Corpus non poſſe occupatum locum ab altero, quamuis molli, & fluido, occupare, niſi alterum recedat, ſic quamuis malleus in incudem validiſsimè impingat, nõ illam penetrat, ſed ſtatim reſilit, ignis ex puluere pyrio excitatus, & intrà tormenta bellica incluſus, niſi aliundè habeat exitum, tormenta bellica diſrumpit, nõ penetrat; quamuis magnus ſit eius impetus, magna vis, & actiuitas, quia nimirum natura, penetrationem non patitur.

Probatur tertiò ratione à priori quia. Quãtitatis eſſentia, vel ſaltem proprietas eſt impenetrabilitas, ergo nequit vnum Corpus cum alio naturaliter penetrari.

Hæc ratio mihi non videtur efficax; nam eſto impenetrabilitas ſit ratio formalis quãtitatis, at impenetratio actualis eſt eius accidens, atque adeò benè poteſt à corpore quanto tolli, & abeſſe impenetratio; quãdo ergo duo corpora ſe penetrarent, adhùc eſſent impenetrabilia, ſeù exigerent, ſe non penetrare; ſicuti quando homo non ridet, adhùc tamen riſibilis eſt. Imò ſicuti riſus etiam naturaliter poteſt, nõ eſſe in Homine, ità impenetratio poteſt etiam naturaliter non eſſe in Corpore.

Reſpondebis, quòd impenetratio in Quantitate non ità ſe habet, vt riſus in Homine, non enim omne accidens eſt naturaliter ſeparabile à ſubiecto, albedo .n. à niue, nigredo à Coruo ſeparabilis non eſt, & tamen albedo reſpectu niuis, nigredo reſpectu Corui, eſt accidens, impenetratio ergo tale accidens eſt, vt naturaliter à Quanto nequeat ſeparari: idque probatur pluribns experiẽtijs mox adductis.

Benè; ſed iam tota ratio, cur naturaliter detur impenetratio, eſt experientia, ergo nulla alia ratio eſt afferenda, præſertim cùm valdè ſolemne, & ſingulare, ſit *Ariſtotelis axioma 8. Phyſ. c. 3 t. 26. eorum quærere rationem, quæ melius habemus, quàm ſi rationis indigeremus, hominis eſt profectò, malè, id, quod eſt melius, & id, quod eſt deterius, id quod eſt credibile, & id, quod non eſt credibile, principium denique, & non principium, diſcernentis.* & ſanè experientia certior, & firmior eſt quacunque ratione.

Sed neque experientiæ ipſæ videntur Concluſionem probare efficaciter, quia adducuntur plures aliæ experientiæ in contrarium; Sunt autem: Vas plenum cinere, tantumdem aquæ recipit, ac ſi fuiſſet vacuum. ſimiliter Vas ad ſummũ vſque aqua plenum, adhùc plures nummos aureos recipit abſquè eo, quòd effundatur aqua, quæ ſanè contingere nõ poſſunt ſinè penetratione. Denique alimentum recipitur, & diffunditur per omnes partes Viuentis, quæ cùm ſupponantur repletæ alijs corporibus, non poteſt non dari penetratio. In ferro ignito exiſtit ignis penetratus ſimùl cùm ferro; & pannus aqua imbuitur non ſinè penetratione; ergo.

Reſpondebis ad has, & ſimiles experientias: vel ad aduentum alterius Corporis, Corpus præexiſtens condenſari, & minorem locum occupare, relinquendo alias partes loci occupandas à Corpore de nouo adueniente, vel Corpus de nouo adueniens ſe ſe per poros, & meatus præexiſtentis Corporis inſinuare.

Sed contrà eſt quia; hac reſponſione poſſet vti *Durandus*, qui, vt infrà videbimus, negat, poſſibilem eſſe penetrationẽ etiam ſupernaturaliter, ad diſſoluenda argumenta, quibus probatur, contingiſſe aliquando penetrationem. ſupernaturaliter; ea autem sũt, Chriſtum Dominum exiſſe ex vtero Virginis illibata eius Virginitate, exiſſe è clauſo ſepulchro; intraſſe ad diſcipulos ianuis clauſis, & Cœlos penetraſſe; poſſet dici à *Durãdo*, quòd cùm Corpora poroſa ſint, & pluribus meatibus repleta, Corpus Chriſti exiſſe ex vtero Virginis, & è ſepulchro per poros, & meatus; ſimiliter eodem modo cœlos penetraſſe, & clauſis ianuis ad Diſcipulos intraſſe; ſanè hæc reſponſio, ſi afferretur à *Durando*, difficilè poſſet impugnari, aut ad minus poſſet, difficilius

Digitized by Google

lius impugnari, quàm aliæ ab ipſo adductæ, vt mox patebit ex earum minori probabilitate. Quare ex his colligo, non multùm eſſe fidendum, nec rationi allatæ, nec experientijs, quibus ſolum probatur, non poſſe dari penetrationem inter quædam corpora magis dura, & imperuia, vt ſunt Incus, & ænea tormenta, & de his ſimilibus dimenſionibus, ſeu etiam Corporibus intelligenda ſunt ſupracitata *Ariſtotelis* verba.

Standum eſt ergo pro Concluſione poſita, quia eſt communis Scholaſticorũ Doctorum, & nobilium Philoſophorum Sententia.

Quòad Secundam Quæſtionem.

Concluſio, ſupernaturaliter poſſibilis eſt Corporum penetratio.

Ità eſt *Communis Sententia* Philoſophorum, & Theologorum omnium, vno excepto *Durando in 4 d.44, q 6*, qui vtrũque problematicè defendit; *Durando* adhæret *Palud. eadem diſt. q.3 ar.3*.

Probatur Concluſio primò. quia in hoc nulla apparet repugnantia, aut implicantia contradictionis, ergo abſolutæ, & ſupernaturali Dei potentiæ nõ eſt denegandum; imo non ſolum duo, ſed & plura, & omnia corpora per Diuinam Omnipotentiam ad vnum locum cogi poſſunt, licèt enim id magnum quid nobis eſſe, videatur, non tamen eſt impoſſibile Omnipotenti, *qui valet facere ſupra, quam petimus, & intelligimus. D. Auguſtinus* 10. *Confeſ. c.30. in fine*.

Probatur tertiò: quia de facto habemus fuiſſe factam ſupernaturaliter penetrationem; nam Chriſtus Dominus clauſo exijt vtero Virginis; clauſo reſurrexit ſepulchro. Ad Diſcipulos intrauit ianuis clauſis, denique Cœlum aſcendens, Cœlos penetrauit, non diſrupit.

Reſpondet *Durand.* Chriſtum intraſſe ad diſcipulos per feneſtras apertas, vel per ianuas ipſas velociſſimè apertas, & iterum clauſas, diſcipulis nõ aduertẽtibus, vel per rimulam in ianuis repertam, aut denique per caminum. Item in egreſſione ex vtero Virginis partes fuiſſe dilatatas, ſed non reſeratas; & in Clauſo ſepulchro fuiſſe foramen, per q̃ glorioſum Chriſti Corpus facilè potuit tranſire, quia quà glorioſum, agile erat, & valdè ſubtile. Has reſponſiones non impugno, quia patet de ſe earum abſurditas.

Melius, & probabilus reſpondere potuiſſet *Durandus*, vt ſe ab omnibus hiſce argumẽtis breuiter expediret; Chriſtum Dominum per poros, & meatus vteri Virginalis, & ſepulchri exiſſe, ingreſſum ad diſcipulos, & penetraſſe Cęlos ſe ſe per poros, & meatus inſinuando: aut etiam ſecundò *Durandus* potuiſſet reſpondere; Corpus Chriſti in hiſce caſibus, caruiſſe præſentia circumſcriptiua, & miraculosè habuiſſe præſentiam definitiuam, cui nõ repugnat, ſe penetrare cum alia præſentia definitiua, vt patet in duobus Angelis occupantibus eũdem locum, & in partibus Corporis Chriſti Domini Sacramentati; imò nec pręſentię definitiuæ repugnat ſe penetrare cum alia præſentia circumſcriptiua, vt patet in Angelo occupante idem ſpatium, quòd occupat corpus, & in Corpore Chriſti Domini Sacramẽtato, q̃ occupat locũ occupatũ à quantitate panis.

Sed licèt prima reſponſio probabilior, & magis philoſophica videatur, quam illa *Durandi*; omninò tamen reijcienda eſt; quia ex vna parte non repugnat penetratio Corporum, & ex alia parte, quia melius, & cum maiori proprietate ſaluantur Scripturæ teſtimonia, & verba, quibus aſſeritur, Chriſtum Dominum clauſo vtero Virginis, & clauſo Sepulchro exijſſe, Cœlos penetraſſe, & ad diſcipulos ianuis clauſis intraſſe, ità dicendum eſt; addito præſertim, quòd talis eſt ſenſus communis Theologorum, Sãctorum Patrum, & Sacrorum Expoſitorum; & nè plurimas recenſendo Sãctorum Patrum Sententias, longiùs, protrahar; ſufficiat vna pro cunctis Sententia, *D. Auguſtini cit. à Le Rees hic diſp. 5. §. vltim. ar. 5. ſi potuit Chriſtus carnem ſuam de Sepulchro producere, cur non potuit ianuis clauſis ad diſcipulos intrare? dum audis miraculum, ſerua fidem, non inquirat animus rationem*.

Secunda verò Reſponſio, quæ adduci potuiſſet pro *Durando*, quanti valeat, & quantæ ſit probabilitatis, mox videbimus.

LECTIO VI.

Explicatur Modus, quo fit Penetratio ſupernaturaliter.

POſito, duo corpora poſſe ſe penetrare, & eſſe in eodem loco de abſoluta

ta

ra Dei potentia, inſurgit alia, & tertia difficultas, ſeù Quæſtio in explicando modo, quo Deus ponit duo Corpora in eodem loco, ſeù quid Deus auferat à corporibus, vel illis det, quando conſtituit in eodem loco.

Primus modus explicandi eſt eorum, quos ſuppreſſo nomine referunt *Scotus in 4.diſt.49.q.16.& D.Thomas 3.p.q.83 ar.2.* qui volunt; duo corpora eſſe in vno loco ſupernaturaliter, quatenùs auferret Deus ab illis corpulentiam, & groſſitatem, dando illis dotem ſubtilitatis, quam in futuro ſeculo habebunt corpora glorioſa.

Sed contrà hunc modum explicandi eſt quia data dote Subtilitatis corporibus glorioſis, adhùc non poſſunt ſe penetrare, niſi diuina virtute, vt omnes Theologi cùm *Scoto, & D.Thoma* locis citatis ſentiunt, ergo ſola dote Subtilitatis collata, non poſſunt duo corpora ſe penetrare in eodem loco, niſi nouum miraculum accedat, de quo quærimus, in quo conſiſtat, & quid det Deus, aut auferat à corporibus, quæ ponit in eodem loco.

Præterea impenetrabilitas, impenetratio oritur ex ipſa quantitate, ergo ſiuè Deus auferat corpulentiam, & concedat dotem ſubtilitatis, ſiuè nõ auferat, adhùc remanet explicandum, quid faciat Deus circà quantitates duorum corporum, quę ponit in eodem loco.

Secundus modus explicandi eſt *Palud. loco cit. & Gotfredr. apud Scotum in 4. d. 49.q.16.§.alius eſt Intellectus.* Volũt enim, duo corpora eſſe in eodẽ loco, quia Deus facit, quòd vnum corpus repleat locum, aliud non repleat locum.

Sed contrà eſt quia; vel aliud corpus non replet locum, quia ab illo Deus aufert quantitatem, & hoc non poteſt dici, quia qui ponunt, de abſoluta potentia duo corpora eſſe in eodem loco, loquuntur, ſuppoſito remanere in ijs eandem quantitatem; vel aliud corpus non replet locum, quia eſt in loco definitiuè, & non circumſcriptiuè: & ſi in hoc ſenſu loquantur, non benè ſaluant, aliud Corpus non replere locum, nam Deus implet omnia loca, licèt in ijs non ſit circumſcriptiuè; Corpus Chriſti Sacramentatum replet locum, in quo eſt definitiuè, & non circumſcriptiuè, Angelus replet locum, in quo eſt, licèt ſit definitiuè, & non circumſcriptiuè.

Tertius modus eſt, *Scoti* loco vbi ſuprà, quem ſequitur *Argentinas in 4. d.49. q.1. ar.4.* Hi volunt, duo corpora quanta non ſe formaliter excludere, vt ſe formaliter excludunt calor, & frigus, ſed ſe excludere effectiuè, quatenus habent virtutem producendi effectus repugnantes, qui ſunt replere, & occupare eundem locum; Quãdo ergo Deus ponit duo, vel plura corpora in eodem loco, impedit, nè illa quanta producant effectus ſuos, atque adeò facit, nè aliquod corpus repleat ſuũ locum; Deus enim benè poteſt impedire, nè cauſa effectiua producat effectum ſuum.

Sed contrà eſt primò, quia *Scotus in 4. diſt.1.q.5.§.ad primum,* dixerat, vnũ quantum expellere aliud formaliter ab eodem loco, ergo inconſequenter loquitur, dùm q.36 dicit, expellere effectiuè.

Contrà ſecundò quia, ſi vnum corpus non replet locum, ergo ablato altero corpore, locus ille eſſet vacuus; quod ipſe *Scotus* negat *eadem q.16. §.alij dicunt;* vbi habet, *fatuum eſt dicere, locum, vbi eſt corpus glorioſum, eſſe vacuum,* ergo fatuũ eſt dicere, vacuũ eſſe locum, in quo eſt aliquod Corpus etiamſi glorioſum ſit, nam eadem militat ratio de vtroque.

Denique contrà *Scotum*, militant ea omnia, quæ dicta ſunt contrà *Gotfredum* ſuprà.

Quartus modus eſt *Thomiſtarum*, qui ſequẽtes *D.Thomam* loco cit. docẽt; quòd quia in tantum duo Corpora nõ poſſunt, coexiſtere ſimul, in quantum tolleretur eorum diſtinctio, quæ diſtinctio pendet à Deo, tanquam à Cauſa prima, & ab intrinſecis principijs eſſentialibus rei; ideò cùm ex doctrina communi certum ſit, poſſe Deum, ſe ſolo præſtare effectum ſuũ ſinè concurſu cauſæ ſecũdæ, poſſunt duo corpora poni diuinitus in eodem loco, & adhùc ſeruare diſtinctionem inter ſe; quãdo ergo Deus ponit duo Corpora in eodem loco, nihil aliud facit, niſi conſeruare diſtinctionem eorum Corporum in eodem loco.

Sed contrà eſt, quia ex poſitione duorũ Corporum in eodem loco, non tollitur eorum diſtinctio, ſicuti non tolleretur eorum diſtinctio, etiam ſi eidem ſpatio temporis correſponderent; eſto tolleretur eorum diſtantia; neque enim res indiuiduãtur per extrinſecas circumſtantias loci, & temporis, ſed per intrinſecas ſui entitates, vt in metaphyſicis probabimus, ergo. Imò intrinſecæ entitates huiuſmodi non poſſunt à Deo ſuppleri, quia Deus, licèt poſſit ſupplere effectus Secundarum Cauſarũ

Digitized by Google

efficientium, non tamen poteſt ſupplere effectus cauſarum formalium, neque enim ipſe Deus poteſt eſſe ratio formalis intrinſeca alicuius Compoſiti, ſiuè phyſici, ſiuè metaphyſici, vt de ſe patet.

Quintus modus ſatis communis, plauſibilior, & probabilior, quem, alijs modis refutatis, ſequuntur *Auerſa q. 27. de Loco ſect. 5. Conimb. hic c. 5. q. 5. art. 2.* Defendit, duo Corpora non poſſe eſse in eodẽ loco, quia Quantitas præter effectus poſitiuos, & primarios, quos habet, & nos ſuprà enumerauimus, habet etiam hunc effectũ negatiuum, & ſecundarium, qui eſt excluſio alterius Corporis ab eodem loco; hunc effectum negatiuum ſuſpendit, & impedit Deus, quandò duo Corpora ponit in eodem loco.

Sed contrà eſt. quia Deus non omnem effectum negatiuum poteſt ſuſpendere, & tollere, lux enim habet pro ſui effectu ſecũdario, & negatiuo expellere tenebras, at expulſio tenebrarum, nec diuinitus impediri, aut ſuſpendi poteſt, neque enim poſſunt eſſe ſimul lux, & tenebræ. Similiter effectus ſecundarius negatiuus vitæ, eſt expulſio formæ cadauericæ, at hic effectus, quamuis negatiuus, & ſecundarius à Deo non poteſt impediri; neque enim ſimul eſſe poſſunt vita, & forma cadauerica, anima, & cadauer, ergo à pari non poſſunt eſſe ſimul quãtitates duæ, vel plures, ità vt Deus ſuſpendat negationem alterius quantitatis ab eodem loco.

Dices in formis contrariè oppoſitis, videlicèt ſummo calore, & ſummo frigore, admittit communis Sententia, effectum negatiuum, & ſecundarium eſſe à Deo ſuſpenſum, & manere in eodem ſubiectò ſummum calorem, & ſummum frigus de abſoluta potentia, ergo à pari duo corpora poſſe eſſe in eodem loco, ſuſpendente Deo effectum negatiuum expulſionis alterius corporis ab eodem loco.

Sed contrà eſt quia. Calor, & frigus ſunt in eodem ſubiecto communi, reſpectu cuius exercetur ille effectus negatiuus formalis expulſionis, at duo quanta non ſunt in eodem loco, tanquam in ſubiecto, ſed ſolum habent duas præſentias, quibus reſpiciunt vnum locum, vndè ſi vna præſentia habet pro ſui effectu formali negatiuo, & ſecundario, quòd ſit negatio alterius præſentiæ, talis negatio non poteſt tolli, aut ſuſpendi à Deo, ſicuti non poteſt tolli à luce negatio tenebrarum, & negatio formæ cadauericæ à forma vitali, ſeu ab anima, & vita; imò eadem difficultas poſſet vrgeri in qualitatibus contrarijs in ſummo, calore, & frigore, & communis ea Sententia vi horum argumentorum in dubium reuocari.

Dices. quòd quando Deus ponit alterum Corpus in eodem loco, in quo aliud ſupponitur, tribuit illi vbi ſimile, ac eſt illud, quod in alio Corpore eſſe ſupponitur; & ideò illa duo Corpora non ſe excludunt ab eodem loco, quia habent vbi ſimilia.

Contrà eſt quia. quid eſt duo illa vbi eſſe ſimilia? eſto ſint ſimilia, imò eſto ſint eadem in ſpecie, quia ſunt vnius, eiuſdemquè ſpeciei, ſed non ſunt eadem numero, ergo vnum vbi numericè conſideratum habet pro ſui effectu formali ſecũdario negationem alterius vbi, ergo reſpectu eiuſdem loci, non poſſunt eſſe duæ vbicationes. Quòd ſi vnum Vbi non habet negationem alterius, quare de facto, & naturaliter duo vbi non reſpiciunt eũdem locum, quare duo Corpora non poſſunt eſſe in eodem loco?

Dices. Duo quanta poſſe eſſe in eodem loco, quia hoc dato, nulla ſequitur contradictio, ſicuti nec ſequitur contradictio, poſito calore, & frigore in eodem ſubiecto; at benè ſequitur contradictio, poſitis luce, & tenebris, forma vitali, & forma cadauerica.

Sed contrà eſt quia; ideò poſitis luce & tenebris, forma cadauerica, & forma vitali, ſequitur contradictio, quia Deus non poteſt impedire effectum ſecundarium, & negatiuum, quem habet lux reſpectu tenebrarum, forma vitalis reſpectu formæ cadauericæ, & vniuerſaliter, quem habet omnis forma reſpectu ſuæ propriæ priuationis, ſed ſuſpenſo ſemel, aut à Deo ſemel impedito illo effectu ſecundario, & negatiuo, nulla iam amplius erit contradictio, aut oppoſitio inter lucem, & tenebras, inter vitam, & cadauer, inter formã, & propriam eius priuationem, ergo.

Sextus modus explicandi eſt *Franciſci Le Reès Diſp. 5. §. vltim. art. 5.* Vbi docet, quòd dum Corpus exiſtit in loco, in tantum naturæ viribus obſiſtit alterius corporis penetrationi, in quantum poſita ſua locali extenſione exigit à Deo, nè cõcurrat ad introductionem alterius corporis in ſuum locum, quandiù eum retinet; quando ergo duo corpora ponuntur in eodem loco, impeditur illa exigentia non quidem in actu primo, ſed in actu ſecun-

do

Digitized by Google

do; nam illa duo corpora ſemper exigunt Deum non concurrere ad Introductionem alicuius tertij corporis in illum locum, eò quia ſemper retinent ſuam extenſionem, ex qua oritur illa exigentia naturalis vtriuſque, nè tertium aliud corpus cùm ipſis penetratiuè ponatur, quòuſque Deus aliter diſponat, & miraculosè impediat effectum talis exigentiæ, ſeù quòuſque Deus impediat, nè talis exigentia exeat in actum ſecundum; quo eodem modo explicat miraculum, quod facit Deus conſeruando duas qualitates contrarias in ſummo in eodem ſubiecto, & ità putat *Le Reès* demonſtraſſe ſolutionem huius Quæſtionis non eſſe prorſus inexcogitabilem, vt quidem ſibi perſuadent.

Sed contrà hunc modum explicandi adhùc eſt quia, lux in actu primò exigit, nè Deus ponat, & introducat tenebras in illud ſubiectum, in quo eſt lux, & tamen non poteſt Deus impedire in actu ſecundo effectum talis exigentiæ, & facere, quod lux, & tenebræ ſint ſimul, & in eodē ſubiecto, ergo neque poteſt impedire exigentiam in actu ſecundo, ſeù effectum exigentiæ naturalis, quam habet vnum Corpus, nè cùm alio penetretur, & ſit in eodem loco.

Concluſio mea eſt. Quando duo Corpora ſupernaturaliter, & diuinitùs in eodem loco ponuntur, Deus aufert ab illis vbicationes circumſcriptiuas, & dat illis vbicationes definitiuas;

Probatur Concluſio quia. Vnum ex præcipuis, & magis efficax argumentum ad probandam poſſibilitatem penetrationis; imò ad probandum, eam de facto contigiſſe, deſumitur ex eo, quia partes Corporis Chriſti Sacramentati diuinitus, & miraculosè ſunt penetratæ, nam in ordine ad penetrationem, ità ſe habent duo corpora in ordine ad vnum, & eundē locū, ſicuti duæ partes Corporis in ordine ad vnā, & eādē partē loci, ſed partes Corporis Chriſti intùs ſūt penetratę, inquātū carent extēſione, & vbicatione circūſcriptiua, & habent extenſionem, & vbicationē definitiuam, ergo miraculum penetrationis duorum Corporum in vno loco, vel duorum partium eiuſdem corporis in vna parte loci conſiſtit in eo, quòd Deus aufert vbicationem circumſcriptiuam, & tribuit vbicationem definitiuam corporibus; quæ vult eſſe penetrata.

Probatur ſecundò quia; certum eſt, Angelos plures poſſe eſſe in vno, eodemque loco, nam & in ſcripturis habemus ex corpore vnius obſeſſi exijſſe legionem dæmoniorū, & è corpore Diuæ Mariæ Magdalenæ fuiſſe à Chriſto Domino eiecta ſeptem Dæmonia, ſed in tantum plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco, in quātū carent vbicatione circumſcriptiua, & habent definitiuam; ſicuti è contrà ideò de facto, & naturaliter duo quanta non poſſunt eſſe in vno loco, quia habent vbicationem circumſcriptiuam, & carent definitiua, ergo id, quod aufert Deus à corporibus, quæ facit eſſe penetrata, eſt vbicatio circumſcriptiua, & id, quod confert, eſt vbicatio definitiua.

Probatur tertiò quia; ideò Deus vnum Corpus ponit in duobus locis, quia dat illi nouam, & diſtinctam præſentiam, ergo Deus ideò ponit duo Corpora in eodem loco, quia dat illis nouam, & diſtinctam præſentiam; nimirum dat illis præſentiam definitiuam ablata circumſcriptiua.

Dices primò. non poteſt idem locus duo corpora ſibi æqualia ſuſcipere, niſi capacitas eius fiat maior, ergo Deus debet extendere, & ampliare capacitatem loci.

Reſpondeo; Antecedens eſſe verum de corporibus circumſcriptiuè extenſis, & vbicatis; non de corporibus definitiuè vbicatis, & extenſis, nam corpora definitiuè vbicata ſe habent ad inſtar rerum ſpiritualium, & Angelorum, qui plures, & plures de facto ſunt in vno, eodemque loco.

Dices ſecundò. ſi duo corpora eſſent in vno loco definitiuè, locus ille à neutro repleretur, atq; adeò locus ille eſſet vacuus, vndè & poſſet ſuſcipere aliud corpus, cōſequens videtur abſurdum, ergo.

Reſpondeo, eum locum ab vtroque repleri definitiuè; ſicuti repleretur à duobus Angelis, cùm hac ſola diſparitate, quòd Angeli non obſiſterent, nè ſubintraret corpus, & illa duo corpora obſiſterent, niſi Deus aliter miraculosè diſponeret, quia illa Corpora adhùc eſſent apta nata ad exiſtendum circumſcriptiuè in illo loco, non ſic Angeli; ideò locus ille non deberet dici vacuus abſolutè, & ſimpliciter; eſto poſſit dici vacuus ſecundum quid, & cum addito, ideſt, vacuus corpore circumſcriptiuè vbicato, quo etiam modo dicitur vacuus ille locus qui à duobus, vel pluribus Angelis occuparetur.

Quæres an corpora penetrata poſſent ſe mouere?

Reſpondeo negatiuè cum *Auerſa vbi ſu-*

ſuprà, & Vaſq. t. 3. in 3. p. d. 189. c. 4. & 5. quia ſi ſe mouerēt, deberēt acquirere nouũ aliquem locũ occupatũ ab alio Corpore, ſed non poſſunt locum illum acquirere, quia corpus præexiſtens in illo loco illis reſiſteret, & impediret, nè ſubintrarent, ergo quoùſque Deus non auferret ab illo tertio corpore vbicationem circumſcriptiuam, à qua oritur illa reſiſtentia, corpora penetrata non poſſunt ſe mouere, neq; ſimul, neq; alterũ eorum. Prætereà; ſi corpora penetrata ſe ſe mouerent, deberent acquirere præſentiam circumſcriptiuam illis naturaliter debitam, ergo, & deperdere definitiuam, ſed hanc deperdere non poſſent, quia ſuppono eam immediatè pendere à Deo in conſeruari, ſicuti & dependet in primò produci ergo,

LECTIO VII.

Replicatio Corporis in duobus, aut pluribus Locis.

VNum, & Idem Corpus poſſe eſſe, ſeù replicari de abſoluta potentia in duobus, aut etiam pluribus locis, in vno circumſcriptiuè, in alio, vel alijs definitiuè, aut etiam in vtroque, aut in pluribus definitiuè, ſeù modo Sacramentali, certum eſt, & vltrò admittitur à *Thomiſtis*, contrà quos agendũ nobis eſt in præsẽti, vt defendamus vnum, & idẽ Corpus poſſe replicari de abſoluta potentia, & eſſe in duobus, aut etiam pluribus locis circumſcriptiuè. Quare.

Concluſio ſit. Vnum, & idem Corpus, vnum, & idem indiuiduum, Petrus, verbi gratia, poteſt ſupernaturaliter ſimul eſſe, & replicari in duobus, aut etiam in pluribus locis; itàut in vtroque, aut etiam in pluribus exiſtat circumſcriptiuè, & modo ſibi connaturali.

Itá *Bellarminus lib. 3. de Sacram. Euch. cap. 3. Ricc. quodlib. 1. Scotus in 4. d. 10. q. 3. Plaza hic. Murcia hic q. 7 Ruuius, Arriaga, Ouiedo, Conimbricenſes, alijque Recentiores communiter: præcipuè verò Suarez tom. 3 in 3. p. diſp. 48. ſect. 4.* vbi ſentit hanc Opinionem eſſe valdè conſonam principijs Fidei.

Contrà *Thomiſtas*, quos fusè relatos habes apud *Cõplutenſes hic d. 19. q. 8. §. 2.*

Ex Recentioribus *cit. Vaſq. tom. 3. in 3. p. d. 189. c. 4. & Lorça in manuſcriptis de Euchariſtia cit. à Cabrero hic diſt. 1. dub. 5. & à Ioan. de S. Thoma quæſt. 16. art. 5.*

Dixi, circumſcriptiuè, & modo ſibi cõnaturali, quia modus exiſtendi definitiuè, aut etiam modus exiſtendi Sacramentalis non eſt connaturalis corpori, ſed ſupernaturalis, & indebitus, is enim proprius eſt, & connaturalis rei ſpirituali.

Probatur Concluſio primò: quia id, quod non implicat, aut contradictionis implicantiam non inuoluit, Diuinæ Omnipotentiæ eſt concedendum, ſed ſic Corpus replicari, non implicat, vt ex ſolutione argumentorum patebit, ergo.

Probatur ſecundò. Idem numero effectus poteſt ſupernaturaliter dependere à duplici cauſa totali in Sententia *Thomiſtarum*, ergo & idem corpus poteſt eſſe in duobus locis; imò & de facto Anima Rationalis in omnium Sententia tota eſt in Capite, & tota eſt in pede Hominis, atque adeò de facto in duobus locis reperitur, ergo ſaltem de abſoluta potentia poteſt idem Corpus in duobus, aut etiam pluribus locis reperiri.

Probatur tertiò. In Sententia Catholica, & Thomiſtarum, vt eſt de Fide: idem numero Chriſti Corpus eſt in Cœlo, & in pluribus hoſtijs conſecratis etiam valdè diſtantibus, ergo ſi idem Corpus modo ſibi ſupernaturali, & indebito; ideſt modo definitiuo, & Sacramentali, poteſt eſſe, & de facto in pluribus locis reperitur, poteſt etiam de abſoluta potentia idem Corpus in pluribus locis reperiri modo ſibi naturali, & naturaliter debito, ideſt, modo circumſcriptiuo.

Probatur quartò pluribus apparitionibus: omnium potiſſima, & efficaciſſima ad probandum intentum eſt, apparitio Chriſti Domini facta D. Paulo, vt habetur *Actorum 26.* quæ apparitio fuit vera, & realis, & non imaginaria, vt de alijs apparitionibus ſẽtiũt ſatis probabiliter Thomiſtæ, ſed apparitio iſta Chriſti Domini fuit omninò vera, & realis, vt docet *D. Thomas 3. p. q. 56 ar. 6* quia aliàs D. Paulus nõ fuiſſet teſtis reſurrectionis Chriſti Domini, at eodem tempore Chriſtus Dominus fuit in Cęlo, quia, vt habetur ex Scriptura, Chriſtus Dominus ſemper erit in Cœlo vſque ad tempus reſurrectionis vniuerſalis *Actorũ 3 quem oportet Cœlum ſuſcipere vſque ad tempus reſurrectionis omnium*, & ex *D. Auguſtino, vt refertur cap. Prima Hæreſis de Conſer. diſtin. 2. Donec finiatur ſæculum, ſurſum eſt Dominus*; ergo.

Obij-

Obijcies primò ex *Ioan. de Sancto Thoma hic q. 16. ar. 2.* Si idem Corpus eſſet in duobus locis, eius quantitas nõ eſſet vna, ſed duplex, quia diſcontinuaretur, nam inter Corpus, vt exiſtens Neapoli, & Corpus idem, vt exiſtens Romæ, plura alia loca interciperentur, ergo non eſſet vna Quantitas, ergo nec vnum Corpus, & ex alia parte ſupponitur eſſe vnum Corpus, ergo eſſet vnum, & non eſſet vnum, quod eſt manifeſta contradictio.

Reſpondeo, & vniuerſaliter noto, omnia argumenta, quæ à *Thomiſtis* obijciuntur Contrà Corpus bilocatum, aut in pluribus locis replicatum, poſſe contrà ipſos retorqueri, & inſtari contrà Corpus Chriſti Sacramentaliter vbicatum in pluribus *hoſtijs*, aut contrà Angelum in pluribus locis definitiuè replicatum.

Reſpondeo ſecundò directè; tale Corpus fore omninò idem entitatiuè, eſto localiter ſit quodammodo duplex, quia duobus locis replicatum; & ſanè talis corporis quantitas non diſcontinuaretur, neque diuideretur, ſed in duplici loco poneretur, ideò neque eſſet duplex quantitas, ſicuti neque eſt duplex Corpus.

Obijcies ſecundò; ſi vnum Corpus poſſet poni in pluribus locis, poſſet etiam poni in omnibus, atque adeò poſſet vbiq; eſſe, & immenſum; ſed hoc eſt abſurdũ, vt bene notauit *D. Auguſtinus epiſt. 3.* vbi habet, ***nullum corpus poſſe eſſe vbique***; ergo. Imò eſt manifeſta hereſis Vbiquiſtarum, aſſerentium, Humanitatem Chriſti ab Incarnatione ſemper fuiſſe vbique, ità *Ioannes Brentius*, & alij, vt refert ***Surius in ſua hiſtoria***, ergo.

Reſpondeo in primis, à pluribus, ijſque grauiſſimis Theologis ſatis probabiliter defendi, poſſe Vbiquitatem, & Immenſitatem de abſoluta potentia alicui Creaturæ communicari, ſi ſcilicet illi plures, & plures, imò & infinitæ communicarentur Vbicationes, vt oſtendi ***Diſp. 13. Lect. 3.*** Sicut enim in aliorum Sententia poteſt communicari Creaturis æternitas, & infinitas ſecundum quid, ità poteſt communicari & immenſitas. De facto tamen Immenſitatem fuiſſe communicatam, aut Humanitati Chriſti Domini, aut alij creaturæ, manifeſta eſt hæreſis.

Obijcies tertiò, ***Matthei vltimo***, Dixit Angelus ad mulieres, loquutus de Chriſto Dño; ***non eſt, hic ſurrexit enim***, qui modus loquendi cauſalis, in tantum eſt verus, in quantum ſupponit Chriſtum non poſſe eſſe ſimul in ſepulchro, & extrà Sepulchrum.

Prætereà *D. Auguſtinus* arguens contrà Manichæos aſſerentes, Chriſtum eſſe in Sole, aut eſſe ipſum Solem, ait, ***Secundũ præſentiam corporalem ſimul, & in Sole, & in Luna, & in Cruce eſſe, non poteſt***, ergo.

Reſpondeo, Angeli locutionem eſſe veram, quia procedit, & fundata eſt in modo naturali, & ordinario exiſtendi vnum corpus in vno tantum loco, & ſimiliter loqui, *D. Auguſtinum loc. citato*: Manichei enim de facto dicebant, Chriſtum Dominum eſſe in Sole, vel eſſe Solem.

Obijcies quartò. Vnum corpus de facto, & naturaliter eſt in vno loco ſibi adæquato; ergo non poteſt eſſe in duobus, aut pluribus ſibi adæquatis; aliàs quilibet illorum locorum eſſet adæquatus, & non eſſet adæquatus, eſſet adæquatus ex ſuppoſitione; non eſſet adæquatus, quia excederetur ab alijs, vel alijs locis, is enim eſt locus adæquatus, qui nec excedit, nec exceditur à locato, ſicuti illud obiectum eſt adæquatum ſcientiæ, quod non excedit, neque exceditur à Scientia.

Reſpondeo. Idem argumentum poſſe vrgeri de Anima Rationali, quæ tota eſt in omnibus partibus Corporis, tanquam in locis adæquatis, & in effectu dependente à duabus cauſis adæquatis, & totalibus.

Dico igitur, in præſenti locum dici adæquatum non in eo rigore, quo Obiectum dicitur adæquatum Scientiæ, ſed dici adæquatum, quia de ſe abſque alterius ope, aut concurſu, eſt capax continere totum corpus.

Obijcies quintò. Si idem Corpus eſſet in duobus locis, mutaretur localiter, quod enim ponitur in alio loco, mutatur localiter, ſeu mutatur ſecundum locum, ergo deſerit priorem locum; mutari enim ſecundum locum, eſt tranſire de vno loco ad alium.

Reſpondeo in primis, mutationem ſecundum locum eſſe duplicem, nimirum poſitiuam, & negatiuam, poſitiua eſt mutatio de loco ad locum, altera merè negatiua eſt mutatio de non loco ad locum; in illa quidem deſeritur prior locus, in iſta acquiritur nouus locus, etiamſi nullus alius deſeratur.

Prætereà: quãdo corpus in alio loco diuinitùs replicatur, Deus producit nouum Vbi, per quod illud corpus alibi replicatur;

Digitized by Google

tur; verbi gratia, Petrus exiſtens hic Neapoli, debet diuinitùs conſtitui, ſeù replicari Romæ, producit Deus in Petro, vbi Romanum, per quod Petrus cõſtituitur formaliter præſens Romæ, non deſerendo tamen Neapolim, cui eſt præſens per aliud vbi Neapolitanum.

Obijcies ſextò ex *Vaſquez*, ſi corpus eſſet in duobus locis replicatum, poſſet virtute naturali ſe mouere; verbi gratia, lapis tabulæ ſuperpoſitus ablata tabula ad centrum naturaliter deſcendens, & Agens liberum poſſet ſe quocunq; vellet moueri, ergo iam naturaliter poſſet Corpus ſemel replicatum, iterum, & iterum replicari, hoc videtur abſurdum, ergo.

Reſpondeo. Idem argumentum poſſe inſtari de Angelo replicato, & de Corpore Chriſti Domini Sacramentato, de quo certũ eſt moueri ſe ſe ad motũ ſpecierũ.

Reſpondeo directè huic argumento, Corpus replicatum non poſſe virtute naturali moueri, ſed nouo miraculo, & nouo Diuinæ virtutis influxu indigere, vt ſe poſſet moueri; ratio eſt, quia corpus replicatum non poteſt moueri, niſi deperdẽdo præſentiam illi ſupernaturaliter conceſſam, et hanc dependere non poteſt, quia hæc immediatè à ſolo Deo dependet, ergo tale corpus non poſſet ſe mouere, niſi de nouo Deus velit, illum moueri, & velit ab illo deperdi præſentiam diuinitus, & ſupernaturaliter conceſſam: ad id, quod dicitur de corpore Chriſti, quod certum eſt, moueri; dico, illud moueri motu Specierũ, & per accidens; per ſe aũt, & proprio motu progreſſiuo nõ põt moueri, vt docet *Auerſa hic q.27. ſect. 6.*

Reſpondent alij, vt *Franciſcus Le Rees diſput.5 ar.7.§.2.* tale corpus replicatum moueri, & acquirere nouas præſentias cõnaturaliter, nec eſſe abſurdum, corpus ſemel diuinitus replicatum, poſſe ſe de nouo replicare, & acquirere de nouo plures, & plures præſentias, licèt hæc ſecunda, & aliæ, & aliæ replicationes non eſſent omninò naturales, ſeù connaturales, quia penderent ab illa prima replicatione ſupernaturali.

Sed contrà eſt; quia, talis motus, & talis acquiſitio plurium præſentiarum de nouo eſſet omninò ſupernaturalis, aut ſi mauis, eſſet omninò præternaturalis, ratio eſt, quia motus naturalis fit, quando corpus deperdit vnam præſentiam, & aliã acquirit, ſed in tali caſu non deperderetur vlla præſentia, imò aliæ, & aliæ acquirerẽtur de nouo, retentis prioribus ſupernaturaliter conceſſis, ergo verè talis motus non eſſet naturalis, ſed vel erit dicendus ſupernaturalis, vel præternaturalis.

Dices, videtur omninò abſurdum, quòd ingens lapis ſuſpenſus maneret in aere abſque eo, quòd ad Centrum vergeret, ſi lapis ſupponatur eſſe replicatus, & auferretur tabula, cui eſt ſuprapoſitus; ergo dicendum eſt, omninò illum lapidem deſcendere naturali virtute; aliàs ſuppone te, qui negas lapidẽ deſcẽſurũ, illi lapidi prægrandi, & magno, & tuo experimẽto proba doctrinam, quam adducis.

Reſpondeo. lapidem illum deſcenſurum quidem, ſed non virtute naturali; nolo experimento me ſupponere, quia, an Deus faciat ſtatim deſcendere illum lapidem ſua diuina virtute, vel non, mihi ignotum eſt, & incertum: Hæc ſunt argumẽta, de quibus loquens *D. Auguſtinus 22. de Ciuit. Dei cap. 11. ait, ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas.*

LECTIO VIII.

Quæ Accidentia Corpori Bilocato naturaliter deberent Competere.

VNa, ex præcipuis difficultatibus, quibus conantur Aduerſarij Concluſionem noſtrã de Corporis replicatione euertere, deſumitur ex diuerſitate, & contrarietate multiplicium Accidẽtium, quę Corpori bilocato, ſeù Replicato competerent.

In hac re, vt clarè, & diſtinctè procedamus, Accidentia omnia, de quibus difficultas eſſe poteſt, ſic diuido, Nam alia ſunt accidentia localia, ſeù ad locum relatiua, & alia ſunt accidentia abſoluta, & nullum dicentia reſpectum ad locum.

Accidentia localia ſunt, quę competunt corpori, non ratione Corporis, ſed ratione loci, vt eſſe ſuprà, & infrà, propè, & longè; hic moueri, alibi quieſcere; hic eſſe dexterum, alibi eſſe ſiniſtrum. Accidentia abſoluta loco ſunt, eſſe album, eſſe muſicum.

Iterum accidentia localia, alia ſunt eſſentialiter affixa loco, vt ſunt ea, quæ mox enumeraui, eſſe propè, eſſe longè, eſſe ſuprà, eſſe infrà; & alia ſunt per accidens, & merè extrinſecè dependentia à loco, quia nimirum dependent ab obiectis, vel cauſis extrinſecis neceſſariò exiſtentibus in aliquo loco, vt hic lætari, & ridere ratione

Obie-

Digitized by Google

Obiecti excitantis riſum, alibi plangere ratione Obiecti cauſantis mœrorem, triſtitiã, & lachrymas; hic percuti, & vulnerari ab inimicis hic exiſtentibus, alibi non vulnerari, nec percuti, quia alibi non ſunt inimici, & hoſtes, qui percutiant, & vulnerent.

Iterum accidentia abſoluta à loco, alia ſunt contradictoria, vel contraria, & alia ſunt diſparata. Contraria ſunt, vt amare, odio habere, aſſentiri, & diſſentiri, eſſe in peccato mortali, & eſſe in gratia, viuere, & mori, videre, & eſſe cæcum. Contradictoria ſunt, vt videre, & non videre: amare, & non amare, aſſentiri, & non aſſentiri; hæc ſunt contradictoria formalia, quia in his adeſt formaliter negatio, & affirmatio: contraria enim ſunt contradictoria virtualia, & facilè reduci poſſunt ad contradictoria formalia, ſi explicitè, & formaliter particula negatiua, non, apponatur. Accidentia diſparata ſunt, vt album, muſicum, coloratum.

Iterũ hæc accidentia diſparata, vel ſpectãt ad naturale cõplementũ corporis, vti ſunt naturales rei proprietates, vel ſunt pura, & mera accidentia omninò extrinſeca, vt Scientia, color, albedo.

De his omnibus accidentibus ſunt duæ difficultates.

Prima eſt, quænam accidentia debeant competere corpori replicato.

Secunda eſt, quænam poſſint, tàm naturaliter, quàm ſupernaturaliter Corpori replicato competere, & conuenire.

Prima difficultas, hac præſenti Lectione examinatur.

Concluſio ſit. Accidentia ſpectantia ad naturale complementum corporis, debẽt naturaliter replicari ad Corporis replicationem; Similiter et Accidentia, quæ non ſpectant ad naturale complementum, dũmodo tamen ſint vnita cum corpore replicato.

Ità *Vaſquez 3 p d.189.cap.4 Ruuius 4. Phyſ quæſt 7. Nugno q.76.art.2. Auerſa q. 27 ſect.7.§.dico Quartò. Arriaga Diſp.16. ſect.10.*

Probatur quia: ea, quæ ſpectant ad naturale corporis complementum, ſunt cùm illo naturaliter vnita, & connexa, ergo durante hac vnione, omnia illa accidentia debent naturaliter ad replicationem corporis replicari. Conſequentia tenet quia, naturaliter vbicunque eſt vnio, ibi debent eſſe extrema vnita, vnio enim eſt eſſentialiter extremorum vnio. Similiter vbicunque eſt vnum extremum, debent quoque eſſe ea omnia, quæ ſunt cùm illo vnita; ſi enim A. eſt vnitum cum B. vbicunquè eſt A. ibi quoquè debet eſſe B.

Hinc Corpus Chriſti Domini, quando in Sacramento replicatur, replicantur omnia, quæ ſunt cùm illo vnita; Sanguis, Anima, Diuinitas, quæ propterea dicuntur eſſe in eo corpore ob naturalem concomitantiam, vt loquitur *Concilium Tridentinum ſeſſ.13.c.3.* Confirmatur ex *Ariſt.2. Top.t 24. motis nobis, mouētur omnia, quæ ſunt in nobis*, ac ſi dixiſſet, replicatis nobis, replicantur naturaliter omnia, quæ ſunt in nobis.

Dixi naturaliter, quia, ſicut ſupernaturaliter, & diuinitus Corpus replicatur, ità poſſet ab illo tolli vnio, quam naturaliter habet ad plura accidentia, cùm quibus eſt vnitum. Hinc ſi Petrus, verbi gratia, exiſtens Neapoli replicaretur Romæ, vtrobique haberet non ſolum naturales proprietates, vt ſunt eſſe riſibile, admiratiuum, & huiuſmodi, ſed etiam vtrobique eſſet Logicus, Philoſophus, Iuriſperitus: vtrobiq; intelligeret, & amaret, vtrobique eſſet muſicus, & candidus.

Dices primò. Corpus Chriſti replicatum in Sacramento non retinet extenſionem localem, & tamen hæc eſt naturaliter debita corpori, ergo non omne accidens naturaliter debitum, replicatur.

Reſpondeo primò. Extenſionem illam localem non eſſe Accidens à loco abſolutum; de quo eſt Concluſio; Dico ſecundò talem extenſionem ſupernaturaliter impediri per collationem præſentiæ definitiuæ.

Dices ſecundò: Humanitas eſt vnita Verbo, & tamen non vbicunque eſt Verbum, ibi eſt Humanitas, vt patet ex damnata hæreſi Ioannis Brentij, & aliorum Vbiquiſtarum; ponentium Humanitatem Chriſti fuiſſe vbique ab inſtanti Incarnationis, ſicuti ipſum Verbum eſt vbique.

Reſpondeo; non omnia, quæ ſunt vnita, vbi eſt vnum, ibi debere eſſe aliud connaturaliter, ſed id verificari tantùm, quando duo ſunt vnita adæquatè; ità vt vnum non magis latè pateat, quàm aliud; non verò quando duo ſunt vnita inadæquatè, ità vt vnum magis latè pateat, quàm aliud, quãdo enim duo sũt vnita adęquatè, ità ut vnum non magis latè pateat, quàm aliud, tunc vbi eſt vnum naturaliter, eſt aliud; vbi eſt Petrus, ibi eſt, eſſe muſicum naturaliter; vbi eſt Corpus Chriſti, ibi eſt & San-

Digitized by Google

Sanguis. Si verò duo ſint vnita inadæquatè, & vnum magis latè pateat, quā aliud, vti ſunt gemma, & anulus; oculus, & Anima; Sol, & Cœlum, tunc non vbicunque eſt vnum, eſt & aliud; ſed in tali caſu, vbi eſt minus, ibi eſt maius, & non è contrà; & ità, vbi eſt gemma, ibi eſt anulus, vbi eſt oculus, ibi eſt Anima, vbi eſt Sol, eſt Cœlum, ſed non è contrà, neque enim vbicunque eſt anulus, eſt gemma, vbicunque eſt Anima, eſt oculus, vbicunque eſt Cœlum, eſt Sol.

In caſu Argumenti, Humanitas, & Verbum ſunt vnita inadæquatè, & magis latè patet Verbum, quàm Humanitas, ideò vbicunque eſt Humanitas, ibi eſt Verbum, ſed non vbicunque eſt Verbum, ibi debet eſſe & Humanitas.

Concluſio: quæ naturaliter vni Corpori repugnant in vno loco, non replicantur ad replicationem loci, neque poſſunt illi competere vtrobique. Ità *Franciſcus Le Reès diſp 5 ar.7.§ 3. Arriaga diſp.14.ſect. 9 Ouied.Contr.15 punct.10.§.2.*

Probatur quia. Dualitas, vel etiam pluralitas loci non auget naturalem capacitatem, & virtutem corporis replicati, ergo ea, quæ illi non replicato repugnant, repugnant etiam ſi millies, vel in mille locis replicetur; hinc eſt, vt Baiulus, qui in vno loco poſitus non poteſt centū pondera portare, ſi poneretur eſſe in pluribus locis, neq; poſſet centū illa pondera portare.

Similiter; quia. Petro repugnat in vno loco circà idem obiectum ſcire, & errare, ideò etiam repugnat Petro bilocato, vel pluries replicato, ſcire, & errare; amare, & odio habere, aſſentiri, & diſſentiri.

Dices primò. dualitas temporis auget virtutem Cauſæ, & corporis exiſtentis in duplici Differētia Tēporis, ergo & dualitas loci eūdem effectū pręſtabit. Cōſequētia tenet à paritate rationis; Antecedens probatur, quia Petrus qui hodie pedes nō poteſt conficere triginta milliaria, poteſt ea conficere hodiè, & cras.

Reſpondeo. diſparitatem eſſe, quia dualitas temporis non diſtrahit vim, & virtutem Corporis, nam eadem tota virtus Petri eſt hodiè, & cras; at dualitas loci, diſtrahit, & quodammodo diuidit virtutem cauſæ; virtus autem ad plures effectus diſtracta, & quodāmodo diuiſa, minor eſt ad ſingulos præſtandos, minor eſt virtus Baiuli ad portanda ſimul duo onera, eo quia ſimul applicatur ad illa duo portanda, quàm ſi ad vnum portandum applicaretur hodiè, & ad aliud portandū applicaretur cras. Et vniuerſaliter pluris eſt dualitas, vel pluralitas temporis, quàm dualitas, vel pluralitas loci, nam diuerſo tempore Petrus, verbi gratia, poteſt viuere, & mori, exiſtere, & non exiſtere, peccare mortaliter, & de peccatis cōteri, & tamen nō poteſt Petrus diuerſis in locis exiſtere, & non exiſtere, viuere, & mori, peccare, & de peccato cōteri, aliàs ſimùl poſſet in diuerſis locis damnari, & ſaluari, eſſe in Paradiſo, & in Inferno, quo nihil abſurdius.

Dices ſecundo. Diuerſitas loci tollit cōtradictionem, vt diximus in Summulis *Lect* 8, ergo ea, quæ vni Corpori repugnant, ſi replicetur in diſtinctis locis, non repugnabunt.

Reſpondeo. diuerſitatem loci tollere repugnantiam, quæ eſt in Corpore ratione loci, ſed non tollere repugnantiam, & contradictionem, quæ competit corpori, ratione Corporis, & nō ratione loci, ſicut eſſe propè, & non propè, eſt repugnantia reſpectu corporis exiſtentis in vno loco Sed non eſt repugnantia reſpectu corporis replicati in duobus locis, quia propè, & non propè, ſunt accidentia localia, & non pugnant ratione duorum locorum, at viuere, & non viuere, repugnant ratione corporis, ideò quātūuis bilocetur Corpus; aut in pluribus locis replicetur, ſēper repugnantiam habet ad hoc, vt dicatur viuere, & non viuere, mori, & non mori, ſaluari, & damnari.

LECTIO IX.

Accidentia, quæ poſſunt competere, Corpori replicato.

Ex dictis ſuperiori Lectione certò deducitur, omnia Accidentia, quæ debent replicari ad replicationem Corporis, poſſe quoque replicari, plus enim eſt debere replicari, quam poſſe replicari. Modo de alijs Accidentibus, quæ non debent replicari, videndum eſt, an poſſint replicari.

Cōcluſio prima ſit. Accidentia localia, quæ ſunt vel eſſentialiter affixa loco, vel aliquo modo à loco dependent, etiam de abſoluta potentia non poſſunt replicari replicato Corpore.

Ità *Auerſa loco cit. Reès Diſp.4.ar.8.§. 1. & eſt Communis.*

Probatur primò, Concluſio; quia hæc ac-

Digitized by Google

accidentia, ſi ſunt affixa eſſentialiter vni certo loco, ſunt intransferibilia ad alium locum, non enim rerum eſſentiæ etiam de abſoluta Dei potentia poſſũt mutari, ergo accidentia localia, & eſſentialiter affixa vni certo loco, non poſſunt replicari.

Probatur ſecundò quia: non debet priuatus Doctor à communi Sententia, & Opinione recedere, ductus ſolum ex eo, quia implicantiam ipſe non inuenit in ijs, quæ ad Diuinam ſpectant Omnipotentiã; nam licèt ipſe in eo, quod aſſerit, implicãtiam non agnoſcat, indè non valet inferre, ergo implicantia non eſt, quia fortaſſe eſt, & ipſum latet, nam, vt benè habet *Ariſt. 8. Top. 3. nihil prohibet alicui videri, quæ non ſunt, magis, quàm vera*: Quando verò plures Doctores in eo conueniunt, vt implicãtiã in aliqua Cõcluſione nõ agnoſcit, tũc poſſumus tutò eã Cõcluſionẽ ſuſtinere, difficilius eſt enim plures errare, quam vnum: in hanc rem accipe prudens monitum *Ariſt. 1. Top. c. 8. non eſt ponendũ id, quod eſt contrarium multorum opinionibus.* & 8. *Top. 2. Inopinabilem poſitionem cauendum eſt, ſuſtinere.*

Probatur tertiò: Concluſio quia: ſi Vbi Neapolitanum transferretur Romæ, ibi non poſſet exercere ſuum effectum formalem, à quo quia realiter non diſtinguitur, iam transferretur, & non transferretur; probatur ſequela quia, Vbi Neapolitanũ Romæ non poſſet ſubiectum à ſe vbicatum Neapoli, vbicare Romæ, quia Romæ non eſſet Neapolis, imò Neapolis longè diſtaret à Roma, vti de facto diſtat, non ergo Vbi Neapolitanum poſſet conſtituere Petrum, verbi gratia, præſentem Neapoli, ſi tale Vbi eſſet Romæ, & Romæ non eſſet Neapolis.

Reſpondebis. Vbi eſſe eſſentialiter affixum vni loco, non tollit, quominus poſſit ad alium locum transferri, & eſſe alibi accidentaliter, non enim repugnat eſſentialiter tale fieri accidẽtaliter oppoſitum, ſic albedo eſſentialiter alba, poteſt fieri accidentaliter nigra, & calor eſſentialiter calidus, poteſt fieri accidentaliter frigidus; calidum enim, & frigidum opponuntur contrariè, non contradictoriè; contrarietas poteſt ſupernaturaliter à Deo tolli, eſto nequeat tolli contradictio.

Sed contrà eſt; primò, quia quod eſt eſſentialiter tale, nec accidentaliter poteſt fieri oppoſitum: fortaſſe homo, qui eſt eſſentialiter rationalis, poteſt ſupernaturaliter fieri irrationalis accidentaliter? Angelus, qui eſt eſſentialiter ſpiritualis, poterit ſupernaturaliter eſſe materialis accidentaliter? quis hoc dicat, aut ſibi perſuadeat? Fateor, poſſe ſupernaturaliter tolli contrarietatem, & oppoſitionem formarum, quam habent formæ in ordine ad ſubiectum, à quo mutuò ſe excludunt, vnde poſſunt eſſe ſupernaturaliter in eodem ſubiecto calor, & frigus in ſummo, at contrarietas, & oppoſitio, quam habẽt formæ in ſe ipſis, & ratione ſui, Deus non poteſt tollere, quia non poteſt confundere eſſentias rerum, & immutare, quo modo confunderet, & immutaret, ſi albedo eſſet nigra, & calor frigidus: & certè dato ſemel, quod albedo poſſit eſſe nigra, & calor frigidus, omnia entia præter formaliter, & explicitè contradictoria, eſſent vnum ens, aut eſſe poſſent vnum ens.

Cõtrà Secũdò quia: ſi albedo poteſt eſſe accidentaliter nigra, & nigredo accidentaliter alba, ergo etiam veritas poterit eſſe accidentaliter falſa, & falſitas accidẽtaliter vera, quo nihil abſurdius: Et ſanè qui ità diſcurrunt, non minus peccant in Philoſophiam, quàm peccauerint olim Antiqui, qui cum aſſererent omnia eſſe vera, etiam ea, quæ opinamur, & apparent; infert *Ariſtoteles*, ergo omnia erunt ſimul vera, & falſa; Aduerſarij, vel ipſam falſitatem concedunt poſſe eſſe veram, ergo magis peccant in Philoſophiam, quàm Antiqui, quos ideò benè ità redarguit, *Ariſtoteles 4. Met c. 5. Qui enim maximè poſſibile verum vident, hi tales opiniones habent, & talẽ de veritate Sententiam ferunt, quomodo ſocordia illis non ſit, qui philoſophari conantur? nam quærere veritatem, non eſſet, niſi volucres perſequi.*

Quòd verò etiam Accidentia dependentia à loco accidentaliter, & extrinſecè non poſſint replicari; patet, quia Petrus, verbi gratia, exiſtens Neapoli; videt mare Neapolitanum, tale mare non eſt Romæ, ergo ſi Petrus replicetur Romæ, nõ poteſt videre mare Neapolitanum, niſi fortaſſe Deus nouo miraculo replicet mare Neapolitanum Romæ.

Dices primò, Subſiſtentia etiam eſt modus eſſentialiter affixus vni naturæ, & tamen per abſolutam Dei potentiam, poteſt terminare alienã naturam, ita tamen vt quãdo terminaret alienam naturam, non dereſeret terminare primam illam naturam, cui dicitur eſſe eſſentialiter affixa, ergo à pari, quamuis Vbi ſit modus eſsẽtialiter affixus vni certo loco,

ad-

adhùc poteſt transferri ad alium locum, non tamen deſerens priorem locum.

Reſpondeo. Antecedens eſſe verum de Subſiſtentia Diuina, quæ non eſt aliquis modus limitatus & finitus, ſed eſt entitas perfectiſſimè infinita, ideò poteſt, & naturam creatam terminare; ſed non verificari de Subſiſtentia creata, quæ ſicuti finita eſt, ità vnam naturam terminat, nec poteſt etiam ſupernaturaliter aliam terminare.

Præterea dato, id non implicare, adhùc lata eſt diſparitas, quia de facto habemus Subſiſtentiam Diuinam terminare alienam naturam, at nõ habemus de facto, ſiuè naturaliter, ſiuè ſupernaturaliter vnam vbicationem reſpicere diuerſum ſpatiũ ab eo, ad quod eſt eſſentialiter ordinatum, & ideò non habemus vllũ motiuum aſſerendi vbicationem extendi ad ſpatium, quod eſſentialiter non reſpicit, quod tamen motiuum habemus de ſubſiſtentia Diuina.

Dices ſecundò: Vnio partium integralium quantitatis vnitur Materiæ primæ per ſuperadditam Vnionem ſubſtantialem; Vnio ipſa ſubſtantialis connectens materiam, et formam, fit per actionem, ergo iam vnum Vbi poteſt vbicari per aliud Vbi.

Reſpõdeo in primis. Vnionem partium integralium eſſe diuerſi generis ab Vnione ſubſtantiali, ſicuti & ipſa Vnio ſubſtantialis eſt diuerſi generis, & Prædicamenti ab actione, per quam fit, & producitur, non ſic eſt vnum Vbi reſpectu alterius; id autem, quod eſt vltimò determinatiuum in aliquo genere non poteſt determinari per aliud in eodem genere, aliàs non eſſet vltimum in illo genere, vt in *Log. Diſp.3 Lect.10.* explicauimus.

Præterea, nos habemus quantitatem, & eius partium Vnionẽ integralẽ ſeparatã à Materia in Euchariſtiæ Sacramento; habemus etiam Vnionem in probabili Sententia ſeparatam à productione, & actione, ſatis enim probabiliter defenditur, Vnionem poſſe creari, at Vbi ſeparatum à ſpatio, cui eſt eſſentialiter affixum, adhuc non inuenimus, ideò lata eſt diſparitas inter Vbi, & Vnionem.

Dices tertiò. Actus Vitalis eſt eſſentialiter affixus principio vitali, & tamen de abſoluta potentia poteſt reperiri in ſubiecto non vitali, nam Intellectio poteſt poni in lapide, ergo Vbi quamuis eſſentialiter affixum vni loco, adhùc poteſt ad alium locum transferri.

Reſpondeo. Intellectionem poni in lapide mortuo modo, neque enim per talem Intellectionem lapis cognoſceret, aut intelligeret, vt planum eſt; at Vbi replicatum per aliud Vbi non poneretur mortuo modo, quia adhuc deberet præſtare ſuum effectum formalem, & Vbi Neapolitanum tranſlatum Romæ, deberet etiam prout exiſtens Romæ, conſtituere Petrum Neapoli, quod eſt impoſſibile. Probatur quia; ad hoc vt Vbi Neapolitanum conſtitueret Petrum Neapoli, dum exiſtit Romæ, deberet tale Vbi Neapolitanum, Neapolim transferre Romam, quomodo enim Vbi Neapolitanum exiſtens Romæ poteſt conſtituere Petrum Neapoli, ſi Romę non exiſtat Neapolis? ſed impoſſibile eſt, quod Vbi Neapolitanum trãsferat, & adducat ſecum Neapolim, ergo.

Reſpondebis primò. Vbi Neapolitanum exiſtens Romæ non conſtituere Petrum Neapoli, dum tale Vbi eſt Romæ.

Sed contrà eſt quia. non poteſt tale Vbi eſſe ſine ſuo effectu formali, à quo nõ diſtinguitur, at Vbi Neapolitanum habet pro ſuo effectu formali conſtituere Petrũ Neapoli, ergo vbicunque ſit tale Vbi, debet ſecum ferre, & præſtare ſui effectum formalem, quem quia ſecum ferre non poteſt, ideò benè arguitur tale Vbi eſſe intransferibile.

Reſpondebis iterum. Tale Vbi conſtituere Petrum Neapoli, etiam ſi ſecum nõ transferat, & adducat Neapolim.

Sed contrà eſt quia. Tale Vbi cõſtituere Petrum Neapoli, eſt facere Petrum præſentem Neapoli, at ſi Neapolis ſupponatur eſſe per multa miliaria diſtãs à Roma, non poteſt Vbi exiſtens Romæ facere præſentem Petrum Neapoli, quia ergò Petrus eſſet præſens Neapoli ex ſuppoſitione: non eſſet præſens, quia vt exiſtens Romæ, longè diſtaret, ſicuti longè diſtat Roma à Neapoli, ideò intransferibile eſt hoc Vbi etiam de abſoluta Dei potentia, inuolueret enim implicantiam, vt probatum eſt.

LECTIO X.

An ſit Poſſibile Vacuum.

NOmine Vacui venit Locus vacuus corpore locato; quia verò de facto omnia Corpora naturalia ſunt arctè coniun-

Digitized by Google

iuncta adinuicem, & connexa; ideò pro certo ſupponitur de facto non dari vacuum, niſi fortè nomine Vacui cum Vulgo intelligas carentiam Corporis craſſi, & ſolidi, qua ratione aer, qui nos ambit, quia non vbique corporibus craſſis, & ſolidis repletur, Vacuus dicitur.

Vacuum ergo philoſophicè acceptum omninò abhorret Natura, adeò vt ſæpè cogantur Corpora naturalia contrà propriam inclinationem operari, vt Vacuum tanquam commune malum effugiant, aſcendunt enim grauia, deſcendunt leuia.

Plures aſſignantur Rationes, ob quas Natura Vacuum abhorret.

Quarum prima deſumitur ex inclinatione naturali, qua partes Vniuerſi ſtudēt ſui Totius conſeruationi, quæ non aliter meliùs obtinetur, quàm arctiſſima partium coniunctione, ſicuti ſeparatione, & diuiſione earumdem facilè labefactatur, & tollitur, cuilibet ergo corpori naturali innatus eſt amor vnionis, & fuga diuiſionis.

Secūda ratio deſumitur ex eo, qā inferiora hæc, & ſublunaria à cæleſtibus, & ſupernis motibus, ſeù lationibus regūtur, & gubernantur, ideò debent ima ſummis eſſe connexa ad hoc, vt per corpora intermedia tranſire poſſint, & communicari cæleſtes virtutes, & influentiæ, vndè habet *Ariſt. 1. Metheor. 2. neceſsè eſt, mundum hunc inferiorem contiguum eſſe ſupernis lationibus, vt indè eius virtus regatur, & gubernetur*.

Probatur autem multis experiētijs, Naturam nihil intentatum relinquere, vt Vacuum vitet, & effugiat;

Prima ſit. Dùm cucurbitulæ corpori admouentur, caro intumeſcit, quia nimirum igne extinguitur aer incluſus, vndè ſi caro non intumeſceret, & occuparet locū ab aere relictum, iam daretur vacuum.

Secunda eſt. ſi terra effodiatur, in excauatam, & effoſſam terram ſtatim vel aer, vel aqua, aut etiam ſi proximus ſit ignis, deſcendit, nè vacuum detur.

Tertia eſt. lagena calefacta, & poſteà diligenter obturata, frangitur in parte debiliori, dum aeri frigido exponitur. hinc eſt etiam, quòd tormenta bellica diſrumpantur, ſi accenſo intus puluere, anguſtius ſit foramen, vel aliquo modo impeditum, ità vt non poſſit ſtatim aer ſubingredi, tunc, nè vacuum detur, tormenta ipſa bellica franguntur.

Quarta experientia. Lucerna turrita ità ſe habet, vt ſemper ad eius inferius foramen oleum deſcēdat, nè detur vacuum, aèr enim ambiens ab igne conſumitur, vndè niſi oleum deſcendat, in foramine eius vacuum daretur.

Plures aliæ, & ferè innumeræ adduci poſſent experientiæ, ſed hæ ſufficiunt ad noſtrum Intentum.

Fateor, quòd ſemel dato ſupernaturaliter Vacuo, vt dari poſſe, nullus ambigit, etiam naturaliter deindè poteſt aliud ſequi Vacuum, ità vt à Natura nequeat impediri.

Probatur quia. Natura non poteſt, nec debet prouidere in illis caſibus, quos neſcit, ſed natura neſcit poſſibile Vacuum de abſoluta Dei potentia, ergo non debet dare vires ad euitandum Vacuum, quod ſequitur admiſſo alio Vacuo ſupernaturaliter.

Dedit autem de facto Natura ad euitādum Vacuum adhæreſcentiam corporum, quæ adhæreſcētia nulla naturali Virtute, aut vi tolli poteſt: ipſa autem adhæreſcentia eſt ipſamet Quantitas reſiſtens quantum poteſt, nè locus aliquis deſeratur ab vno Corpore, in quem aliud corpus non ſubingrediatur.

Dices, Saltem Angelus poteſt Vacuum in aliquam paruam Mundi partem inducere?

Reſpondetur cōmuniter negatiuè, quia Virtus Angeli non ſuperat virtutem totius naturæ, & virtutem omnium cauſarum naturalium, quorū prima eſt Deus, qui ſicuti eſt Auctor, ità promotor eſt, & conſeruator Naturæ. Præterea ex *D. Paulo ad Heb. 2.* habemus, *Angelis Deus non ſubiecit Orbem terræ*.

Quæres primò. Si daretur Vacuum fieret nè in eo motus in inſtanti.

Reſpondeo negatiuè, quia Cauſa adæquata ſucceſſionis motus, qui de facto eſt, & fit ſucceſſiuè, eſt grauitas Mobilis, diſtantia terminorum, & plenum ſuperandum; at in Vacuo deeſt plenum, ergo deeſt peculiaris ratio integrans cauſam adæquatam, malum enim eſt ex vnico defectu.

Neq; dicas Plenum, ſeù Medium ſuperandum non ſpectare ad integrandam cauſam adæquatam ſucceſſionis, ſed merè per accidens ſe habere, poteſt enim dari motus ſucceſſionis per virtutem motiuam, quæ medio, ſeù pleno reſiſtiua non ſit, vt patet in Angelo, qui ſucceſſiuè moueatur per medium, & plenum, quamuis

Digitized by Google

uis eius virtus motiua non ſit reſiſtiua pleno, & medio, à quo proindè reſiſtentiam non patitur, & tamen ſucceſſiuè mouetur.

Contrà eſt quia. Corpus naturale eſſentialiter exigit habere virtutem reſiſtitiuam pleno, & medio, ad hoc vt fieret ſucceſſiuè eius motus, aliàs natura prouidiſſet non ſolum in caſibus naturalibus, ſed etiam miraculoſis, & ſupernaturalibus prouidendo modum, quo eius motus eſſet ſucceſſiuus ablato pleno, & medio ſupernaturaliter,

Quæres ſecundò. Poſſet nè in Vacuo fieri motus Progreſſiuus.

Reſpondeo negatiuè, quia motus progreſsiuus requirit grauitationem, quę in Vacuo nō eſt: Probatur quia; ad motum progreſſiuum requiruntur duo motus, primus fit, adducendo per condenſationem, & deducendo per rarefactionem muſculos, quibus adductis pes attollitur, quibus deductis; deprimitur.

Secundus motus fit impellendo pedē eleuatum in locum vlteriorem, nam ſi ſolum attollimus, & deprimimus pedes eodem in loco, nihil vię conficimus, non progredimur; ſed ſiſtimus eodem in loco, vt patet in ea Saltatione, quæ ob id, Canaria dicitur; hic autem impulſus in locum vlteriorem fit per grauitatem ipſius pedis, grauitatem Capitis, grauitatem humerorum, aliorumque membrorum, correſpondentem, ſeu æquantem, & librantem pondus Corporis, vt in ſe ſtet; vndè quando currimus, vel locum arduum aſcendimus, vel quando minorē laborem volumus ſentire, caput demittimus, quia talis grauitatio capitis meliùs impellit pedem in partem vlteriorem, vndè dato, quòd pes non adhæreſcat pauimento, poſſet quidem fieri eleuatio, & depreſsio pedum, ſed quia non fieret impulſus in vlteriorem locum defectu grauitatis, non poſſet fieri motus progreſsiuus.

LECTIO XI.

An detur Spatium Imaginarium.

QVàm certum eſt dari ſpatium reale, & Locum extrinſecum, tàm incertum eſt, & omninò Controuerſum, an detur ſpatium imaginarium: Et quidem ſi nomine ſpatij imaginarij, veniat ſpatium à nobis imaginatum, atque confictum ad modum, & ſimilitudinem ſpatij, & loci realis, non eſt dubium, dari tale ſpatium, quia in libera poteſtate cuiuſq; Philoſophi eſt, tale ſpatium confingere, & imaginari. At ſi nomine ſpatij veniat aliquid reale, de hoc eſt difficultas, & Controuerſia,

Concluſio. Spatium imaginarium verè non datur.

Ità *Vaſq. 1 p diſp. 29. cap. 3. Suarez in Met. Diſp. 51. ſect. 1. nu. 9. Franciſcus Le Rees Diſp. 5. Art. vlt. §. 1. Pererius lib. 11. c. 5. Arriaga, & Ouiedus hic, vbi citat Mòtæum, Faſolum, Hurtadum, & ſubdit, hanc Sententiam iam eſſe communem.*

Contrà *Albertinum t. 2. diſp. vnica de Prædic. Vbi q. 2. Auerſam q. 27. ſect. 2. Petrum à Sancto Ioſeph in ſua Idea Theol. Specul. lib. 1. cap. 5. Reſolut. 3. & alios paucos,*

Probatur Concluſio quia. tale ſpatiū, vel eſt negatiuum quid, vel poſitiuum, certè non eſt quid poſitiuum, quia non eſt Materia, neque forma, neque Corpus aliquod, aliàs non deberet dici ſpatium imaginarium, ſed omninò reale, quia poſitiuum, ſi negatiuum quid, vel eſt pura negatio, vel priuatio; non priuatio, quia priuatio eſt in ſubiecto reali apto nato ad habendam formam, cuius eſt priuatio, ſed tale ſubiectum non eſt aſſignare, ergo ſpatium imaginarium non eſt priuatio,

Sed neque eſt pura negatio, quia negatio, vel obijcitur intellectui, vel in aliquo poſitiuo fundatur, tanquam in ſubiecto; ſi ſpatium imaginarium conſiſteret in negatione, prout obiectiuè in intellectu, iam tale ſpatium eſſet fictum, & chymericum; ſed neque poteſt dici, quod ſit in aliquo ſubiecto fundatum, quia tale ſubiectum non eſt aſsignabile, ergo verè tale ſpatium non datur,

Reſpondebis tale ſpatium, eſſe capacitatem quandam, ſeu non repugnantiam ad poſſe repleri corporibus, quæ non implicant, & quæ poſſet Deus creare; ſicuti creaturas eſſe poſsibiles, eſt eas habere non repugnantiam ad exiſtendum.

Sed contrà eſt quia; poſſe repleri, eſt proprietas ſpatij veri, & realis, hoc enim eſt, quod eſt replebile, nihil enim, replebile non eſt; Inſto adhùc, iſta capacitas eſt alicuius ſubiecti capacitas, aſsignent

Ad-

Aduerſarij, quodnam ſit tale ſubiectum;

Ad inſtantiam adductam de non repugnantia Creaturarum, dico, per eam nõ repugnantiam explicari poſſibilitatẽ creaturarum: an benè, examinabimus in Metaphyſicis. Sed dato per eam non repugnantiam, benè explicari rerũ poſſibilitates; indè ſequitur, tale ſpatium imaginarium fore poſſibile, non actuale; ergo iam actu tale ſpatium non datur. an ſit poſſibile, non examino in præſenti.

Denique addo, quòd licèt non repugnantia quoàd nomẽ videatur eſſe quid negatiuum, re ipſa tamen eſt quid poſitiuum, nam repugnantia eſt negatio, ſi ergo non repugnantia formaliter eſſet negatio, iam daretur negatio negationis, ergo non repugnantia eſt ens poſitiuum; quid ergo erit, Materia, an forma ſubſtantialis, vel accidentalis, an aliquod cõpoſitum? præter hæc enim nihil aliud eſt inuenire in rerum natura.

Dices primò. Deſtructis corporibus interiectis inter Cœlum, & terram, remaneret aliquod ſpatium inter illa corpora, non poſitiuum, ergo negatiuum.

Probatur Antecedens, quia ea, quæ diſtant, certè per aliquod interiectum ſpatium diſtant.

Reſpondeo, diſtantiam inter duo corpora formaliter haberi per reales vbicationes, materialiter haberi per interiectum corpus medium, & tertium, quod propterea aliquando interiacet, aliquando non; deſtructis ergo corporibus medijs, & interiacentibus, Cœlum, & terra diſtarent per proprias ſui vbicationes, diſtare enim, ſicuti eſſe propinquum formaliter, habetur per vbicationem.

Replicabis: ab iiſdem vbicationibus habetur diſtantia, & approximatio, quare ergo deſtructis corporibus interiacẽtibus, Cœlum, & Terra potius dicuntur diſtare, quàm eſſe propinqua? ſeù quare illæ vbicationes cauſant potius diſtantiam, quàm approximationem?

Reſpõdeo; rationẽ eſſe, quia vbicationes illæ dicunt relationem ad corpora intermedia, & interiacentia, quæ ſupponuntur eſſe deſtructa, nam ea corpora, inter quæ vel ſunt, vel poſſunt eſſe corpora intermedia, & interiacentia, dicuntur diſtare; Ea verò, inter quæ aliud corpus non intermediat, nec poteſt intermediare, dicuntur præſentia, & propinqua, quare interiacentia corporum ſe habet merè materialiter, & tanquam conditio, ſine qua non reſultat effectus formalis diſtantiæ.

Dices ſecundò. communis conceptus non poteſt eſſe falſus, ſed omnes concipiunt immenſa ſpatia, & vacuitates extrà Cœlum, ergo. Confirmatur quia, vbi nunc eſt mundus, antea non erat, ſed poterat eſſe, ergo iam datur capacitas ad conſtituendum hunc mundum, ſed talis capacitas eſt ſpatium imaginarium, quia nomine ſpatij imagnarij intelligitur capacitas ad continendum Corpus, ergo.

Reſpondeo negando Antecedens, neque enim conceptus communis, quia communis debet eſſe neceſſariò verus, nam, vt benè aduertit. *Ariſt. 4. Met. c. 5. t. 21. verum non pluralitate, neque paucitate iudicari cenſere debent; Dulce ægrotis videtur amarum, quòd ſi omnes ægrotarẽt, aut infirmi eſsẽt, duo autem, uel tres ſani, aut mentis commotes eſſent, fortè dulce deberet neceſſariò eſſe, aut dici amarum, quia ſic pluribus, & ferè omnibus videretur?*

Dico Præterea. eum eſſe communem conceptum vulgarium hominum, non Philoſophorum: aut denique communẽ eſſe conceptum de ſpatijs poſſibilibus, quia reuera poſſibilia ſunt plura corpora extrà Cœlum, quæ ſunt capacia ad continenda, & terminanda alia corpora, ſeù ſunt locus poſſibilis aliorum corporum.

Ad Confirmationem dico. Mundum eſſe modo actu extenſum, & quantum, quo pacto anteà non erat, non quia modo repleat aliquam vacuitatẽ, ſeù inanitatem, quæ fuerit capax Mundi, nam mundus non eſt in loco, vltima enim mundi pars eſt vltimum Cœlum, quod ſecundum extimam ſui ſuperficiem, & partem ſuperiorem non eſt in loco.

Dices tertiò. Deus communiter à Theologis dicitur eſſe in ſpatijs imaginarijs, ergò reuerà hæc ſpatia ſunt aliquid reale.

Reſpondeo: non ab omnibus Theologis eam propoſitionem admitti, quia plures id apertè negant, vt videre eſt apud *Ouiedum hic Controuer 15. Punct. 3.*

Præterea dico; Deum eſſe in ſpatijs imaginarijs, quia poteſt eſſe præſens pluribus, & pluribus corporibus à ſe producibilibus, & hoc abſque ſui vlla intrinſeca mutatione, quia nihil intrinſecum ac-

Digitized by Google

quirit de nouo, quando fit de nouo præſens alicui Creaturæ, cui ſemper per ſuã immenſitatem coexiſtit, quantum eſt ex parte immenſitatis, ex defectu creaturæ eſt,quòd illi aliquando nõ coexiſtat,quia nimirum ipſa creatura non exiſtit,& ſecundum quod de nouo exiſtit creatura, incipit de nouo illi coexiſtere Deus per ſui immenſitatem.

LECTIO XII.

Temporis Natura Definitione, & Diuiſione veſtigatur.

SIcuti rerum naturalium aliæ ſunt permanentes, & aliæ ſunt ſucceſſiuæ,ità Tempus duplex eſt; Tempus rerum permanentium, quod ſolet dici Tempus intrinſecum, & magis propriè, atquè communius,Duratio; & aliud eſt Tempus rerum ſucceſſiuarũ, putà, Motus; & hoc Tempus ſolet dici Tempus extrinſecum,non quia ſit ipſi motui extrinſecum,ſed quia ità eſt intrinſecum vni motui, vt ſit extrinſecum alteri motui, ità Tempus,quo durat motus Cęli, eſt extrinſecum non reſpectu motus Cęleſtis,ſed reſpectu motus rotæ, quam in hiſce ſublunaribus mouet figulus.

Hinc ſubdiuiditur Tempus extrinſecum,ità ut aliud ſit Vniuerſale,& Commune,aliud particulare, & proprium. Tempus Vniuerſale, & commune eſt motus Cęli, præſertim verò motus primi Mobilis, quia Duratio huius motus, eſt menſura, & regula omnium motuũ tùm cęleſtium,tùm ſublunarium. Tempus verò proprium, & particulare eſt duratio cuiuſquè Motus ſublunaris; ſæpè autem per vnum motum ſublunarem menſuramus, & regulamus alium motum,ſic per motum horologij menſuramus,& regulamus, exempli gratia, deambulationem,vel lectionem.

Et quia omnis menſura debet eſſe fixa,certa, & ſtabilis, ideo motus primi Mobilis quia eſt maximè certus,firmus, vniformis,& regularis,eſt omnium aliorum motuum regula, & menſura; inter motus verò ſublunares, ille motus, qui eſt alio certior, & ſtabilior,eſt menſura alterius,& regula.

Tempus ergo extrinſecum definitur ab *Ariſt.4.Phyſ.cap.11.t.* 101. *Tempus eſt numerus motus ſecundùm prius,poſteriuſuè*. Dicitur primo *numerus*, in hac definitione. Vbi nomine numeri Ariſtoteles intelligit menſuram; Tempus enim eſt menſura motus, quia per ipſum Tempus cognoſcimus, quantus ſit,vel fuerit motus. aptè autem nomine numeri venit menſura, quia, vt docuit *Ariſt.* 10. *met.cap.* 2. & experientia ipſa probatur; omnis menſura conſiſtit in vnitate, aut numero,nam per vnam quantitatem ſemel, aut pluries alteri applicatam, cognoſcimus quanta ſit altera quantitas; Eſt autem Tempus menſura ſiuè actiua, ſiuè paſſiua; nam quando per motum Cęli menſuramus motus ſublunares,duratio motus Cęli eſt menſura actiua;duratio motuum ſublunarium eſt menſura paſſiua.

Dicitur ſecundò, *Motus*, quia Tempus primò, & per ſe menſurat motum, per accidens verò, & ſecundariò menſurat etiam quietem motui oppoſitam; vndè ſolemus dicere, rem tanto vel tanto tempore quieuiſſe; Ideòque tempore etiam menſuratur res alia quæcumquè permanẽs,imò & quidquid ad modum, & ſimilitudinem Motus fluit,& labitur.

Dicitur tertiò in ea Definitione;*ſecũdum priùs, poſteriùsuè*, vt denotetur ſucceſſio, quæ eſt eſſentialis Tempori, eius enim partes aliquæ ſunt priores, aliquæ poſteriores,ità vt non poſſint aſſignari duæ, nè dum plures, quæ ſimul exiſtant,& vna non ſit poſt aliam.

Obijcies primò. ex *D. Auguſtino lib.* 11 *confeſſ cap.*23.*ſi ceſſarent Cęli lumina, & moueretur rota figuli, non eſſet tempus, quo metiremur eos gyros, & diceremus,aut æqualibus morulis agi,aut ſi alias tardiùs,alias velociùs moueretur.alios magis diuturnos eſſe, alios minùs? aut cùm hoc diceremus, non & nos in tempore loqueremur, aut non eſſent in verbis noſtris aliæ longæ ſyllabæ, aliæ breues,niſi quia illæ longiori tempore ſonuiſſent,iſtæ breuiore?* ergo per D.Auguſtinum motus Cęli non eſt tempus, Confirmatur ex eodẽ in fine eiuſdem Capitis. *Nemo ergo mihi dicat cæleſtium corporum motum eſſe Tẽpora, quia & cuiuſdam voto. cùm ſol ſtetiſſet, vt Victor Ioſue prælium perageret, ſol ſtabat,ſed tempus ibat*;vndè & concludit.*Video igitur Tempus quandam eſſe diſtenſionem.*

Reſpondeo, D. Auguſtinum ſolum velle motum Cęli non eſſe Tempus particulare; non verò negaſſe,eſſe Tempus vni-

Digitized by Google

vniuerſale. Præterea ibi Auguſtinus loquitur de motu Solis, & Syderum, non de motu primi Mobilis: nos motum primi Mobilis dicimus eſſe Tempus Vniuerſale, non motus Syderum, aliorumque Cœlorum: nam hos motus, licèt admittamus, poſſe dici Tempus Vniuerſale reſpectu motuum ſublunarium, abſolutè tamen ſolus motus primi Mobilis eſt Tempus Vniuerſale, quia eſt menſura & motuum Cœleſtium, & motuum ſublunarium.

Verum eſt etiam, quòd vltimo concludit *D. Auguſtinus*, Tempus eſſe diſtenſionem quandam, quia reuerà eſt quantitas ſucceſſiua, & ſucceſſiua quædam extenſio.

Obijcies ſecundò ex eodem *Auguſtino* 11. *Confeſ. c.* 26. tempore metimur tempus, & tempore breuiore metimur longius, ſicuti ſpatio cubiti ſpatium tranſtri; ergo Tempus non eſt numerus, ſeù menſura motus.

Reſpondeo, non eſſe abſurdum, p vnū Tempus menſurari aliud, nempè per tempus notius menſurari id, quod eſt ignotius, ſicuti motus mēſuratur motu; & per motum, ſeù Tempus horologij menſuramus motum, & tempus ambulationis, & rurſus motum horologij per alium motum magis regulatum, & notiorem, vel alterius horologij, vel alterius motus, vlterius menſuramus, & metimur.

Obijcies tertiò. Temporis nihil exiſtit à parte rei, ergo eſt merum ens rationis; nam eius præterita pars non eſt, ſed fuit; futura, erit, ſed nondū eſt, præſēs verò ità eſt, vt propriè eſſe non dicatur, quia eſt in fluxu, ſeù in tranſitu. Confirmatur quia: Tempus eſt menſura, ſed mēſura dependet ab Anima, & ab intellectu, quia menſura eſt id, quo quantum cognoſcimus, vnde ex *Ariſt.* habemus notabilem textū hic, *ideſt*, 131. *Impoſſibile eſt Tempus eſſe, ſi non ſit in Anima*, & ex *D. Auguſtino lib. cit. Cōfeſſ. c.* 27. *In te Anima meus tempora metior, noli mihi obſtrepere, quid eſt, noli tibi obſtrepere turpis affectionum tuarum*.

Reſpondeo. Tempus dependere ab Anima, & Intellectu, in quantum eſt actualis menſura; nam non poſſumus menſura quantum cognoſcere, niſi Anima, & intellectus cognoſcant; at ſecūdum rationem ſucceſſionis eſt ſimpliciter Ens reale. Vndè *Suarez diſp.* 50. *Met. ſect.* 8. benè notat. Tempus materialiter eſſe extrà Animam, ſed formaliter compleri per Animam.

Duratio permanens ſubdiuiditur, ità vt alia dicatur ſimpliciter Duratio, alia dicatur Æuum; alia deniquè Æternitas.

Duratio ſimpliciter eſt rerum permanentium, & ſucceſſiuarum, vt eſt omne corpus naturale corruptibile; AEuum eſt proprium rerum ab intrinſeco incorruptibilium, & quæ licèt habuerint principium, non tamen habituræ ſunt finem, ità Angelus, & Anima Rationalis, quæ propterea dicuntur AEuiterna.

Denique AEternitas eſt propria ſolius Dei, quia eſt duratio rei non habentis, neque Principium, neque finem; ideòque definitur à *Boetio* 5. *de Conſolatione Philoſ. Proſa* 6. definitione illa communiter recepta à reliquis Philoſophis, interminabilis vitæ tota ſimùl, & perfecta poſſeſſio.

In qua definitione dicitur primò *interminabilis vita*, quia Deus eſt Viuens vita Intellectuali, & caret omni termino; principio, ſcilicet, & fine. Dicitur ſecundò *tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; quia AEternitas non admittit prius, & poſterius, Sed eſt tota ſimul, & perfectè ſtans, vndè *D. Auguſtinus lib.* 11. *Confeſ. c.* 11. loquēs de corde humano cōſiderāte æternitatem Dei, ſic habet. *Quis tenebit illud, & figet illud, vt paululum rapiat ſplendorem ſemper ſtantis æternitatis, & comparet eam cum temporibus nunquam ſtantibus, & videat eſſe incomparabilem?* Et cap. 13. *Anni tui nec eunt, nec veniunt, iſti enim noſtri, & eunt, & veniunt, vt omnes veniant. Anni tui omnes ſimul ſtant, quoniam ſtant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia non tranſeunt.*

LECTIO XIII.

An Duratio diſtinguatur à Re Durante.

Redit pugna cùm *Nominalibus, Complexiſtis, & Connotantibus*, aſſerentibus, Rem durare, & coexiſtere tempori reali extrinſeco, nihil aliud eſſe, quàm complexum ex re, & differentia temporis tunc incidentis, aut rem durare eſſe rem ipſam, prout connotantem tempus extrinſecum. Nonnulli ex Recentioribus, vt *Auerſa* 1. *tom. Philoſ. q.* 29 *ſect.* 3. & *Ouiedo Contr.* 16. *Punct.* 1. §. 2. negant Durationem, eſſe diſtinctam à re durante, quamuis conceſſiſſent vbicationem diſtinctam

Digitized by Google

à re vbicata contrà *Nominales, Complexiſtas, & Connotantes.* Eadem mihi ſemper eſt Sententia, idem ſemper Votum, aut omnes modos eſſe negandos, aut omnes admittendos, quia de omnibus modis, ſeù pro omnibus modis, eadem militat ratio.

Concluſio. Duratio eſt modus diſtinctus à re, quæ durat, & à tempore, quo durat.

Ità *D. Thomas 1. p. q. 10 art 2. D. Bonauentura in 2. d. 2. ar 1. q. 3. Henricus quodlib. 2 q 2. quæſt. var. q. 3. huius Conimb. 4. Phyſ. c 14. q. 2 art. 2.* vbi pro ſe referunt *Ricch in 2 d 2. ar 1 q 3. Mayron. & Argẽtinã Pereriũ lib. 12 c. 5. Prop 2. Rubium tract. de Tempore q. 4. Fráciſcum Le Rees diſp. 7. art 2 Compluten. diſp. 21. q. 3. §. vbi referunt Iauellum q 10. huius libri, Soncin. 12. Met. q. 58. Iulianus de Caſtelui in Log. diſp. 8 dub. 7. Vaſq. p 1 q. 3 art. 4. dub. 1 Salas tom. 1. in 2. tract. 7. diſp 1. ſect. 12. Fonſeca lib. 5 met. c. 13 q. 10. ſect. 2. Arriaga diſp. 15. ſect. 1. ſubſect. 1. vbi habent,* hanc Sententiam tanquam probabiliorem oppoſita defendi à Recentioribus grauiſsimis.

Contrà *Scotum in 2 diſt. 2. q. 2. Baſſolis q. 1. eiuſdem d. Gabrielis ibidem, Gregorij, & Ochami q. 10. Maſium in præſenti c. 12. ſect. 4. Suarez t. 2. Met diſp 50 ſect. 1. nu 5. Ouiedo diſp. 16. P. 1. §. 2. Auerſam Quæſt. cit. & alios.*

Probatur primò Argumento communi pro omnibus modis, quia: Non poteſt intelligi tranſitus Subiecti de vno contradictorio ad aliud, abſque intrinſeca mutatione eiuſdem ſubiecti, alias de eodem prorſus immutato verificarentur prędicata cõtradictoria, quod eſt impoſſibile, ſed Res de non durante in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ intelligitur fieri durans in alijs inſtantibus ſequentibus, ergo debet in tali re fieri aliqua intrinſeca mutatio per receptionẽ modi durationis. Confirmatur ex *Ariſt. 8. Phyſ. t. 1. t. 9. ſi duplum non erat, & nunc duplum euaſit, ſi non vtrumque, alterum ſaltem mutatum eſſe, neceſſe eſt.*

Reſpondebis, rem durare, eſſe rei exiſtentiã, & tempus extrinſecum connotatum à tali exiſtentia, vel complexum ex rei exiſtentia, & tempore extrinſeco.

Sed contrà eſt; quia in primo inſtanti res ità exiſtit, vt connotet illud primum inſtans, adeo vt in illo primo inſtanti ſit complexum ex rei exiſtentia, & tempore extrinſeco, & tamen in illo primo inſtanti res non dicitur durare, ergo durare, eſt quid diuerſum à rei exiſtentia, & tempore extrinſeco.

Replicabis, etiam in primo illo temporis inſtanti res durat, & in phraſi philoſophica debet dici durare, quia coexiſtit illi primo inſtanti; eſto, phraſi vulgari res in primo inſtanti non dicatur, durare.

Sed contrà primò quia: is eſt communis modus loquendi in ſcholis, vſurpatus etiam à viris doctiſſimis, vt videre eſt apud *Complutenſes diſp 21. § 1. nu. 26.* imò & communis conceptus, quem omnes habemus de duratione eſt, quòd durare, ſit perſeuerare, & continuare in eſſe; at in vno inſtanti res non dicitur perſeuerare, aut continuare in eſſe, ſed pro illo vno inſtanti, nec dicitur perſeuerare, neque non perſeuerare, ſed præciſiuè ſe res habet, ergo perſeuerare in eſſe, eſt quid diſtinctum ab exiſtentia, & eſſe rei.

Contrà ſecundò quia: eſto in primo inſtanti realis exiſtentiæ res dicatur durare; ſanè in aliquo priori intelligitur res exiſtens, antequam intelligatur durare, ergo quando intelligitur durare, aliquid aliud intelligitur ex parte obiecti, quod non intelligitur, dum concipitur res exiſtens, ſed hoc aliquid aliud ſe tenens ex parte obiecti, & rei durantis, nihil eſt aliud, quàm modus durationis, ergo.

Probatur ſecundò Concluſio, impugnando principale fundamentum oppoſitæ Sententiæ, quia; Ideò Duratio non eſt modus diſtinctus à re exiſtente, & tempore extrinſeco, quia impoſſibile eſt rem exiſtere, & non coexiſtere tempori incidenter exiſtenti, verbi gratia, impoſſibile eſt Petrum exiſtere, & incidenter exiſtere, ſeù fluere horam vigeſimam primã, quin Petrus coexiſtat huic tempori incidenter exiſtenti, & horæ vigeſimæ primæ incidenter fluenti, ſed Petrum durare, nihil eſt aliud, quàm Petrũ coexiſtere huic tẽpori incidenter fluenti, ergo durare, nihil eſt aliud, quàm complexum, ſeù coexiſtentia rei, & temporis incidentis, precisò quocunque alio modo durationis ſuperadditæ; ſed hæc ratio, eſſe inefficax, & hoc fundamẽtũ ex eo eſſe ruinoſum, cõuincũtur, quia facta ſuppoſitione, quòd Petrus exiſtat, & quòd exiſtat incidenter hora vigeſima

prima

prima, non poſſunt inuicem non coexiſtere, quia temporis non exiſtit niſi nũc, & inſtans, ideſt, temporis non exiſtit, niſi vnica pars, ideòque ſi eodem modo ſupponamus, vnum tantum exiſtere locum extrinſecum, non poſſet Petrus exiſtere in rerum natura, quin huic loco extrinſeco coexiſteret; & tamen data ſuppoſitione, quòd vnus tantum locus extrinſecus exiſteret, adhùc daretur Vbi, & modus ſuperadditus, quo Petrus conſtitueretur formaliter præſens tali loco, ergo à pari, eſto, Petro exiſtente, & exiſtente tempore reali, non poſſit non eſſe coexiſtentia, & complexio Petri, & temporis, non proindè Petrus formalitèr duraret per talem coexiſtentiam ſinè modo durationis intrinſeco.

Præterea, ſaltem Deus poſſet videre, & intelligere exiſtentiam Petri, & exiſtentiam horæ vigeſimæ primæ, quin intelligeret iſtam coexiſtentiam, & complexionem Petri, & horæ vigeſimæ primæ, ergo iſta coexiſtentia non conſiſtit ſolum in exiſtentia Petri, & horæ vigeſimæ primæ, ſed in aliquo alio, quod vlteriùs deberet intelligere Deus, vt intelligeret iſtam coexiſtentiam, quod aliquid aliud non poteſt eſſe, niſi iſte durationis modus ſuperadditus.

Denique ſi doctrina hæc transferatur ad tempus præteritum, & futurum, clarè patebit; poſſe eſſe rem, & tempus reale abſque iſta coexiſtentia; nam Adamus extitit, & dies externa etiam extitit, & tamen Adamus, & dies externa non coextiterunt. Similiter Antichriſtus exiſtet, & dies craſtina exiſtet, & tamen Antichriſtus, & dies craſtina non coexiſtent, ergo poteſt res exiſtere, & tempus reale exiſtere, abſque eo, quòd ſimul coexiſtant, ergo ſimul coexiſtere, eſt aliquid aliud præter vtriuſque exiſtentiam, & conſequenter erit modus Durationis.

Reſpondebis. extitiſſe Adamum, & diem externam, ſed non extitiſſe ſimul; ſimiliter exiturum Antichriſtum, & diem craſtinam, ſed non ſimul.

Optimè. ſed quæro, quid dicat, *τὸ ſimul*; certè non dicit ſolùm exiſtentias temporis, & rei, ſed aliquid aliud, quod ego dico, eſſe modum durationis ſuperadditum.

Probatur tertiò Concluſio quia: ſi nullũ tempus exiſteret, ſi ceſſarent Cæli lumina, & motus, ſi omne aliud tempus particulare deſtrueretur, Angelus adhùc duraret; ſed non duraret per iſtam coexiſtentiam ad tempus, quod nullum eſſe ſuppono, ergo duraret per modum intrinſecum durationis; neque dicas, Angelum tunc durare per coexiſtẽtiam ad tempus reale poſſibile, quia ſuppono, Tempus etiam omne implicare.

Reſpondebis; Angelum tunc durare per coexiſtentiam ad tempus conditionatum, ideſt, quia coexiſteret huic veritati conditionatæ, ſi tempus eſſet poſſibile, hæc pars temporis modo flueret; Sed contrà eſt quia: iſta veritas conditionata actu realiter à parte rei, nihil eſt; quia obiectum conditionatum nihil eſt, niſi depurata, & adimpleta conditione, ergo quandiù adimpleta non eſt, & depurata conditio, perinde ſe habet obiectum conditionatum, ac ſi eſſet Chymæra, ergo Angelus in tali caſu non poteſt dici, durare per coexiſtentiam ad Tempus conditionatum, ſeu ad veritatem illam conditionatam.

Probatur quartò quia: Tempus realiter diſtinguitur à motu, ſeu duratio ſucceſſiua realiter diſtinguitur à re ſucceſſiua, ergo etiam duratio permanens realiter diſtinguitur à re permanente. conſequentia tenet ab æquitate rationis.

Antecedens probatur ex *Ariſt. hic c. 11* vbi ex profeſſo probat Tempus diſtingui à motu, nam *t. 101.* apertè habet; *non ergo Tempus eſt motus, ſed vt motus ipſe numerum habet*; ſubdit deindè duas rationes; primam *t. 102.* quia Tempus eſt menſura motus, ergo diſtinguitur à motu; *ſunt autem id, quo numeramus, & id, quod numeratur, non eadem, ſed diuerſa.* Alterã rationem adducit *c. 12. t. 109.* quia Tempus dicitur longum, & breue, paucum, & multum, non autem velox, aut tardum, certum eſt autem de motu dici, quòd ſit velox, & tardus, verba formalia ſunt. *Perſpicuum etiam eſt, & cur velox quidem, ac tardum non dicitur; multum autem, & paucum, & longum, ac breue dicitur.*

Confirmatur ex D. Auguſtino *lib. 11. confeſſ. c. 23.* vbi cùm multis probaſſet, Tempus non eſſe motum, ità concludit. *Nemo ergo mihi dicat cœleſtium Corporum motus eſſe Tempora, quia & cuiuſdam voto cùm Sol ſtetiſſet, vt victor Ioſuè prælium ageret, Sol ſtabat, ſed Tempus ibat. Per ſuum quippe ſpatium temporis, quod ei ſufficeret, illa pugna geſta, atque finita eſt. Video igitur Tempus quandam eſſe diſtenſionem.*

Con-

Digitized by Google

Confirmatur ſecundò ex *D. Thoma* apertè 1.*p.q.*10.*ar.* 2. in Deo duratio eius propria, non diſtinguitur ab illo,ſecus verò in Creaturis.

Probatur ſecundo idem Antecedens quia. Tempus eſt de genere Quantitatis diſcretæ,& ſucceſſiuæ,motus verò eſt de genere actionis;imò Tempus eſt eſſentialiter ſucceſſiuum, adeò ut impoſſibile ſit aſſignare,quòd duæ,nè dum plures parte Tẽporis ſimul exiſtãt;& nõ implicat,neq; impoſſibile eſt,duas partes motus ſimùl exiſtere,nàm idem numero motus, qui fit ſucceſſiuè,& per partes naturaliter,& de facto,poteſt fieri ſimul, & in inſtanti de abſoluta Dei potentia.

Dices.Tempus nihil eſt aliud,quã ordinatio partium motus, ſunt enim in motu partes,ſed ſinè Tempore non ſunt ordinatæ;per Tempus formaliter ordinantur,ità vt vna ſit prior,altera ſit poſterior.

Optimè; ſed in ſubſtantia ſunt partes entitatiuæ, in probabili plurium Philoſophorum Sententia,ſed non ſunt ordinatæ, ordinantur per quantitatem,& extenduntur,itàut vna fiat immediatè præſens vni, mediatè verò cæteris; ideòque quantitas permanens ponitur res diſtincta à ſubſtãtia;ſic ergo, eſto ſint partes in motu, ſed ſunt inordinatæ,ordinantur per tempus, ergo iam tempus eſt diſtinctio, ſeù ordinatio partium motus ſecundum prius, & poſterius, ergo eſt res diſtincta à motu.

Licèt autem Tempus reuerà ſit entitas diſtincta à motu, tamen eſt eiuſdem motus proprietas naturalis, quia conſequitur naturaliter ad motum, nec vnquam reperitur Tempus ſinè motu, vt benè notat *Ariſt.locis cit.*præſertim verò *t.99.In motu quoquè ſimilitudine rationis prius eſſe, poſteriuſuè,neceſſe eſt;at vero prius,atque poſterius in tempore etiam eſt, ex eo ſanè quia ſemper alterum ipſorum, alterum ſequitur.* Et *t.* 98. *Quæ cum ità ſunt, patet Tempus nec motum eſſe,nec eſſe etiam abſque motu,* & clariſſi nè 8.*Phyſ.cap.*1.*t.*12. *Tempus affectus quidam eſt motus.*

LECTIO XIV.

Soluuntur Argumenta in Oppoſitum.

Contrà Doctrinam ſuperiori Lectione traditam,& explicatam.

Obijciunt Aduerſarij primò. Nulla eſt neceſſitas multiplicandi entia,& ſuperaddendi huiuſmodi entitatem Durationis, ergo. Antecedens probatur,quia Deus durat in diuerſis temporibus ſinè Duratione diſtincta; ſimiliter,fit de non volente volens abſque ſui mutatione, ergo etiam res creata poteſt fieri de non durante, durans,abſquè eo, quòd intrinſecè mutetur per receptionem modi Durationis ſuperadditæ.

Reſpondeo à diſparatis non tenere cõſequentiam,& illationem, neque enim ex eo,quòd actus intellectionis, & actionis non diſtinguuntur à ſubſtantia Dei, valet inferre, quòd neque diſtinguantur in Creatura.

Præterea directè ad argumentum Reſpondeo:diſparitatem eſſe quia, Deus non eſt indifferens ad durandum hodiè, vel cras,ſed ex ſui natura eſt eſſentialiter determinatus ad durandum per omne Tempus, ſeù ad coexiſtendum omni tempori, non ſic Creatura, ideò Creatura indiget modo Durationis ſuperaddito. Ad Confirmationem dico,non eſſe hic transferendam difficultatem illam prorſus inintelligibilem; alioquin eodem argumento poſſet probari,neque dari Vbi, nec Vnionem,nec alium quemcunque modum.

Obijciunt ſecundò. Res aliquo modo durat antè ipſam durationem, ergo res non diſtinguitur ab ipſa Duratione.

Antecedens probatur,tùm quia, res in illo priori verè exiſtit extrà ſuas Cauſas, ergo durat, ſed non habet modum durationis,ergo.Confirmatur,quia, res in illo priori eſt ſubiectum Durationis, ergo caret duratione, quam deindè in alio inſtanti recipit, ergo res durat antè durationem.

Reſpondeo. Rem in illo priori naturæ propriè non durare, quia in illo priori naturæ res intelligitur eſſe ſinè duratione; eſto, quòd in illo priori res intelligatur eſſe extrà ſuas Cauſas, id tamen non ſufficit ad hoc,vt dicatur durare,quia ad hoc vlterius requiritur,vt ſit in hoc, vel in illo inſtanti determinatè,quod non habet in illo priori, ſicuti ob eãdem rationem, licèt in priori naturæ antè vbicationem exiſtat,non tamen eſt vbicata, quia eſſe vbicatum, dicit eſſe in hoc, vel in illo loco,quod in eo priori non habet.

Ex his patet Reſponſio ad Confirmationem;rem enim eſſe ſubiectum durationis importat prioritatem naturæ, ſeù prio-

Digitized by Google

prioritatem cauſalitatis, quæ prioritas non dicit rem eſſe in hoc inſtanti; id enim per durationem formaliter habetur, ſicuti rem eſſe in loco, habetur formaliter per vbi, quod etiam rem vbicatam ſupponit in prioritate naturæ, ſeù cauſalitatis.

Obijciunt tertiò; quando res eſt ſucceſſiua, poteſt ſe ipſa tollere indifferentiam ad coexiſtendum diuerſis partibus ab alia re permanente, quin in illa re permanente ſit aliqua mutatio, vt patet in arbore iuxtà aquas plantata, quæ eadem immota manens, iam his, iam illis aquis reſpõdet, ergo ſimiliter ſi ponantur res, & tempus extrinſecum, iam tollitur indifferntia rei ad exiſtendum, & durandum, ſiuè in hoc, ſiuè in illo tempore.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia: Magna in hoc argumento committitur Aequiuocatio, & Aduerſarij ſupponunt, quod deberent probare, ſcilicet, quòd ſit res, & inſtans, in quo dicatur durare, res enim non habet inſtans, niſi per durationem, ſicuti neque habet locum, niſi per vbi; quare eodem argumento poſſet probari, non dari vbi; nam ſuppoſito vno tantum loco extrinſeco, ſicuti vnum ſupponitur inſtans, ſtatim intelligitur ablata indifferentia rei vbicatæ in ordine ad locum; ideò, vt Argumentum propoſitum vim habeat, & efficaciter probet, facienda eſt præciſio ab omni tempore, qua præciſione facta, ſinè dubio intelligitur exiſtentia rei indifferẽtis ad exiſtendum ſiuè hoc, ſiuè illo temporis inſtanti; quæ indifferentia tollitur per Durationem.

Ad inſtantiam de Arbore, diſparitas eſt clara, quia arbor illa per diuerſas vbicationes correſpondet diuerſis partibus aquæ, non ergo manet illa arbor inuariata, licèt maneat eodem modo ſituata.

Obijcies quartò. optimè poteſt tolli ea indifferentia rei ad exiſtendum potius in hoc inſtanti, quàm in alio per actionẽ ſui productiuam, aut conſeruatiuam, ideò enim res in hoc inſtanti determinato exiſtit, quia in hoc inſtanti eſt producta, vel conſeruatur à cauſa ſecunda, ſeù à prima; ergo ſuperfluè additur modus durationis. Quod Argumentum præſertim vrget in noſtra Sententia, qui volumus effectum eſſe hunc, quia eſt productus ab hac cauſa in his potius circumſtantijs loci, & temporis, quàm alijs, ergo quilibet effectus; & res quælibet reſpicit determinatè hunc locum, & hoc tempus.

Reſpõdeo: per actionem productiuam, & conſeruatiuam tolli indifferentiam, quam habet res ad exiſtendum ſiuè in loco, ſiuè in tempore, tolli, inquam, effectiuè, non formaliter, quia adhùc deberet admitti modus durationis, per quem formaliter ea indifferentia tollatur; ſtatim ergo, ac res producitur, aut conſeruatur, emanat ab illa modus durationis, per quem formaliter conſtituitur in loco, & tempore determinato.

Obijcies quintò: in vna, eademque re ſunt plures entitates, vel ergo tot debent poni modi durationis, quot ſunt entitates, vel vnicus ſufficit modus durationis, neutrum dici poteſt, ergo. nõ primum, quia vna ſufficit quãtitas ad quantificandas omnes entitates vnius, eiuſdemque rei, ergo vnica ſufficere videtur duratio; ex alia parte non videtur ſufficere vna duratio, quia vnus modus non poteſt diuerſas entitates modificare; ergo ad hoc, vt plures entitates durent, plures debent poni durationes.

Reſpondeo. non ſufficere vnam durationem; diſparitas inter Quantitatem, & durationem eſt, quia Quantitas recipitur in materia, quæ vna eſt ſemper in vna re; at duratio recipitur in exiſtentia rei, vndè ſicuti in vna re ſunt plures eſſentiæ, ità quoque ſunt plures exiſtentiæ, & conſequenter plures durationes.

Obijcies ſextò. ſi daretur Duratio diſtincta à re Permanente, putà ab Angelo, vel talis duratio eſſet ſucceſſiua, vel permanens, & tota ſimul. non ſecundum, quia ſequeretur, Angelum habentem talem durationem, ità neceſſariò exiſtere per tantum, & tantum tempus, vt nequeat tali tempore à Deo deſtrui, & anihilari, ſi enim Duratio Angelica eſſentialiter faceret coexiſtere Angelum per horam, per totam illam horam Angelus non poſſet deſtrui, quia à Deo rei eſſentia non poteſt tolli, hoc autem videtur abſurdum, & maximum infert præiudicium perfecto dominio, quod habet Deus ſuper omnem Creaturam, quia perfectum dominium conſiſtit in eo, quòd poſſit ad libitum Deus diſponere de creatura, quòad illius productionem, & anihilationem, ergo.

Ex alia parte non poteſt dici, quòd talis duratio ſit ſucceſſiua, & variabilis, ſicuti enim res ſucceſſiua non poteſt durare per Durationem permanentem, ità res permanens non poteſt durare per durationem ſucceſſiuam; imò ſequeretur, vt volebant aliqui ex Antiquis, omnia eſſe

in

in continuo motu,& fluxu, æquè enim res ſucceſsiuæ, ac permanentes continuò fluerent,& variarentur; denique exiſtentia rei non variatur, aliàs variaretur etiã rei productio, & conſeruatio, ergo nec variatur duratio, quæ in exiſtentia recipitur.

Fateor tamẽ data hac duratione ſucceſsiua, & fluente, optimè ſaluari perfectum Dominium Dei ſuprà talem creaturã, quia poſſet Deus ad libitum illam deſtruere,& ânihilare.

Reſpondeo, quòd licet cùm *D Bonau. in 2.d.2 ar.1. q.* 3. plures doctiſſimi Philoſophi defendant, Durationem Angeli, verbi gratia, eſſe variabilem, & ſucceſſiuam iuxtà varietatem,& ſucceſſionem temporis, cui Angelus coexiſtit per talẽ Durationem; adhùc tamen ſuſtineo, Durationem Angeli eſſe permanentem; quòd ſanè non derogat perfecto dominio Dei, quia intantum talis Angelus, vel alia creatura non poſſet ad libitum deſtrui à Deo, inquantum ipſe Deus ex mera ſui liberalitate voluit tali Creaturę dare potiùs hanc Durationem, quàm aliam; vndè talis Creatura neceſſariò per tantum,& tantum tempus exiſteret, neceſſitate conſequenti, & quæ dependet ex libera, atque ſpontanea voluntate Dei.

LECTIO XV.

Quomodo res incipiant, & deſinant.

PRo complemento huius Diſputationis explicandum remanet, quomodo Res incipiant,& deſinant. Cæterũ, rẽ incipere, eſt rẽ tranſire de nõ eſſe, ad eſſe, ſicuti è contrà deſinere, eſt tranſire de eſſe ad non eſſe; aſſignandus, & explicandus remanet modus quo res incipiant,& deſinant. Et quia Res aliæ ſunt Permanentes, aliæ ſunt ſucceſſiuæ, diuerſus erit modus incipiendi, & deſinendi in rebus Permanentibus, ac in ſucceſſiuis.

Auctores ergo, qui admittunt indiuiſibilia in Cõtinuo,& indiuiſibilia, ſeù inſtantia in Tempore, aſſignant duos modos incipiendi, & deſinendi tàm in rebus permanentibus, quàm in ſucceſſiuis.

Docent ergo primò. Res permanentes incipere intrinſecè, & deſinere extrinſecè; incipere intrinſecè eſt incipere per primum ſui eſſe, itàut valeat dici; nunc primò res eſt, ſeù in hoc inſtanti primo res eſt, immediatè anteà, ſeù in inſtanti immediato res non erat. Similiter res permanentes deſinere extrinſecè, ideſt, deſinere per vltimum ſui non eſſe, itàut valeat dici; nunc vltimò res non eſt, immediatè anteà erat, ſeù in hoc vltimo inſtanti res non eſt, at in inſtanti immediato erat.

Docent ſecundò, res Succeſſiuas incipere, & deſinere extrinſecè, incipere extrinſecè, ideſt, incipere per vltimum ſui non eſſe, itàut valeat dici, nunc vltimo res non eſt, immediatè poſt erit, ſeù in hoc vltimo inſtanti res non eſt, in inſtanti, ſeù tempore immediatè ſequenti erit. deſinere verò extrinſecè, ideſt, deſinere per primum ſui non eſſe, itàut valeat dici, nunc primò res non eſt, immediatè anteà erat, ſeù in hoc primo inſtanti res non eſt, in inſtanti immediatè antecedenti, erat.

Ità diſcurrunt *Greg in 2.d 17.q.2 art.2. Ruuius 6. Phyſ tract. de Incep. & Deſit. rerum Maſius c 10 ſect.2 q 10. Ferrarien.* 3. *contr gent. cap* 65. §. *vtrum autem. Sotus 6. Phyſ. q.3. Toletus q.4. Conimb. lib 8. c.* 8. *q.2. art.* 5. *& 6. Pererius lib.* 14. *c.9 Complutenſes diſp 27.q.1. per totum, & alij* tũ Antiqui, tùm Recentiores apud ipſos.

At verò illi Auctores, qui omninò indiuiſibilia impugnant,& reijciunt, diuerſo modo philoſophantur, & diſcurrunt. Volunt; omnia incipere intrinſecè,& deſinere extrinſecè; incipere intrinſecè, quia primò ſunt, deſinunt extrinſecè, quia primò non ſunt; eſt tamen aliqua differentia inter entia permanentia, & ſucceſſiua, quia entia permanẽtia, vt forma ſubſtantialis, verbi gratia, aut etiam res ſpiritualis, vt Anima Rationalis, incipit tota ſimul, itàut verum ſit, dicere; nũc primò tota res eſt; entia verò ſucceſſiua, vt motus, incipiunt ſucceſſiuè,& per partes, itàut in prima parte temporis, quo motus incipit, exiſtat tantum vna pars motus.

Ità diſcurrunt *Franciſcus Le Reès hic diſp 7. art. vlt. Auerſa 1. tom. Philoſ. q.* 30. *ſect.1. & 2. Arriaga diſp.*16. *ſect.* 12. & alij plures apud ipſos.

Concluſio ſit. Res ſiuè permanentes, ſiuè ſucceſſiuæ incipiunt intrinſecè per primum ſui eſſe, & deſinunt extrinſecè per vltimum ſui eſſe, itàut res permanẽs tota ſimul incipiat, & deſinat, res verò ſucceſſiua incipiat, & deſinat per partes.

Pro-

Digitized by Google

Probatur Concluſio primò, quia; ità clariùs,& explicatur, & intelligitur, quid ſit rem incipere,& deſinere, quàm in oppoſita Sententia, cuius Auctores rem alioquin facillimam obſcuriſſimis terminis implicant,& confundunt.

Probatur ſecundò quia: ſi res ſucceſſiua,putà motus,verbi gratia,inciperet extrinſecè, nimirum in eo inſtanti, in quo verum eſt dicere,nunc nondum eſt motus, ſed immediatè poſt erit,ſequeretur, quòd motus inciperet eſſe, & non inciperet eſſe, quod eſt abſurdum,& inuoluens contradictionem;ſequela probatur, quia motus inciperet eſſe ex ſuppoſitione; probo, quòd non inciperet eſſe, quia reuerà in illo inſtanti, dicitur de motu, nunc primò non eſt,ſeù nondum eſt,ergo iam non incipit eſſe, quod enim incipit eſſe,aliquo modo eſt,& non poteſt dici,quòd non ſit, quia particula, non, vtpotè malignantis naturæ,& vniuerſaliter diſtribuens,tolleret omne eſſe, atque adeò etiam primum eſſe à motu, quo dicitur incipere intrinſecè per primum ſui non eſſe.

Similiter] ſi motus deſinit extrinſecè deſinit, itàut ſit verum dicere, nunc vltimò eſt; quod etiam contradictionem inuoluit,nam ſi res, & motus deſinit, nullo modo eſt,deſinere enim,eſt non eſſe,ergo ſi motus deſinit,iam non eſt; Sed per te ità deſinit,vt quando deſinit,dicatur etiã eſſe,ergo eſt,& non eſt, quod eſt omnino impoſſibile,& manifeſtam inuoluens contradictionem.

Dices.Motus non habet primum ſui eſſe,nec vltimum ſui non eſſe, quia in Sententia negante indiuiſibilia, motus conſtat ex partibus infinitis, quarum non poteſt aſſignari prima,& vltima,prima, quæ ſit,& vltima,quæ non ſit.

Reſpondeo:in motu non poſſe aſſignari primum,& vltimum, quod ſit indiuiſibile; benè tamen poſſe aſſignari primam, & vltimam partem,quæ ſit diuiſibilis in alias,& alias; ſicuti & in ligno quadripalmari, quod etiam conſtat ex partibus infinitis,poteſt aſſignari primus palmus, & vltimus,ſeù quartus palmus.

DISPVTATIO QVINTA.

DE MOTV.

Complectimur hac Quinta Diſputatione omnia, quæ de Motu tractat Philoſophus Tertio, Quinto,Septimo,& Octauo Phyſicorum Libro. Nolo morari in probanda exiſtentia motus, ſenſibus cæteroquin obuij, & euidentiſſimi; ea enim,quæ ſenſibus patent, in Quæſtionem vocanda non ſunt; ſicuti nec ea,de quibus,qui dubitant,aut controuertunt, digni ſunt pœna.ità monet Ariſtoteles 1. *Top.cap.*9. *Non oportet omne problema, & omnem Poſitionem conſiderare, ſed quam dubitabit aliquis ratione indigentium, & non pœna, vel ſenſu;nam dubitantes, vtrum oporteat Deos colere, vel*

Digitized by Google

parentes honorare, pœna indigent; Qui verò vtrum nix alba, an non, ſenſu. Hinc prudenter Diogenes, Zenoni exiſtentiam motus localis impugnanti, non aliter, quàm ambulando reſpondit Quare cùm Ariſt. 8. Phyſ. c. 3. t. 22. concludo. Vniuerſa cenſere, quieſcere, & huius quærere rationem ipſum poſthabendo ſenſum, imbecillitas eſt profectò mentis, ac hebetudo. Imò negare motum, docet Ariſt. 8. Phyſ. c. 3 t. 22. non ſolum eſt aduerſus Philoſophum naturalem, ſed aduerſus etiam omnes Scientias, vt ſimpliciter dicam, opinioneſq; omnes, proptereà quòd omnes motu vtuntur.

LECTIO I.

Motus Definitur, & Diuiditur.

ARiſtoteles 3. *Phyſ. t. 6.* ſic definit motum, *motus eſt actus entis in potentia, prout in potentia.* Definitionem hanc Philoſophi omnes Recentiores, & Antiqui recipiunt, & mirantur, adeò vt *Simplicius* dixerit hanc inter alias ab Ariſtotele excogitatas definitiones, accuratam eſſe, & mirando ſpiritu prolatam. Sed hanc motus definitionem *mirabitur, qui voluerit, inquit, le Reès Diſp. vlt. art. 2. ego nec mirari poſſum, nec probare, ſi quidem quantum perplexa ſit, nemo non videt; Adde Interpetrum in eius expoſitione diſſidium.*

Conſentio cùm *Le Reès*, quia verè talis Definitio mihi ſemper viſa eſt obſcura, itàut varijs Interpretum, & Recentiorum expoſitionibus, & declarationibus vix ad clarum, & dilucidum ſenſum trahi potuerit, vt videre eſt apud *Auerſam hic q. 16. ſect. 9.*

Placet, alteram Motus Definitionem, quam ibidem Philoſophus adducit, recipere: Motus eſt actus Mobilis, quatenus Mobilis, ideſt, Motus eſt Actio quædam, ſeù quædam tendentia, qua Mobile tendit ad aliquem terminum acquirendum; atq; ità nomine actus venit tendentia quædam ad terminum, ſeù quædam acquiſitio termini, ſeù quædam veluti Via ad Terminum. nomine Mobilis venit Subiectum Motus, & id, in quo Motus recipitur; ſicuti è contrà nomine Mouentis venit Cauſa efficiens motum. Sæpè idem ſubiectum, quod recipit motũ, cauſat quoque, & efficit motum, nam Petrus, verbi gratia, qui localiter motu progreſſiuo mouetur, & cauſat eum motum progreſſiuũ, & in ſe quoque tanquam in ſubiecto recipit talem motum, ideoque eſt Mouens, ſeù Motor, & Mobile.

Verũ quia, Motus ſpecificatur à Termino, ab eoq; accipit diſtinctioné, & diuerſitatem, ideò quatuor aſſignantur Species Motus, ſicuti quatuor ſunt diuerſi termini acquiſibiles per motum: Nam vel per motum acquiritur forma ſubſtantialis, & ſic eſt Generatio, ſeù Mutatio ſubſtantialis, cui opponitur Corruptio, quæ eſt deperditio formæ ſubſtantialis. Vel acquiritur Quantitas, & ſic eſt Augmentatio, quæ nihil eſt aliud, quàm acquiſitio Quantitatis. Vel acquiritur Qualitas, & ſic eſt Alteratio, quæ eſt acquiſitio Qualitatis, vel denique acquiritur Locus, & ſic eſt Latio, ſeù motus localis, qui eſt omnium euidentiſſimus, reliquis prior, & certiſſimus Naturæ Index.

Iterum motus localis vel eſt Circularis, quo mouentur Cœli, & Aſtra; vel eſt rectus; Hic iterum ſubdiuiditur, itàut alius ſit rectus ſurſum, & hoc motu mouentur Corpora leuia, vt ignis, & Aer. Alter eſt motus rectus deorſum, & hoc motu mouentur Corpora grauia, vt Terra, & Aqua.

Ceterùm, licèt nomine motus veniat etiam Mutatio, tamen propriè, & in rigore, aliud eſt Motus, & aliud eſt Mutatio: Motus enim eſt ſucceſſiuus, mutatio eſt inſtantanea, non quia ipſa fiat tota ſimul, & non ſucceſſiuè; nam, vt dixi, *Diſput. 1. Lect. 8.* Mutatio includit ad minus duo inſtantia, primum, in quo vltimò ſit Priuatio,

Digitized by Google

natio,& alterum in quo ſit Forma; quare dicitur eſſe *Inſtantanea*, ratione termini ideſt,ratione formæ ſubſtantialis,quæ tota ſimùl,& indiuiſibiliter acquiritur.Reliqui motus fiunt ſucceſſiuè, quia eorum termini,putà,Quantitas,Qualitas, & Locus acquiruntur ſucceſſiuè,& per partes.

An verò Succeſſio ſit eſſentialis Motui, an accidentalis; conſequenter ad ea, quæ ſuperiori Lect.dicta ſunt,Tempus,nimirũ, eſſe quid realiter diſtinctum à motu,concludo, & dico;ſucceſſionem eſſe prædicatum accidentale motus, non eſſentiale.

Probatur quia: eadem eſt illuminatio ſpecie,ſiuè fiat ſucceſſiuè, & per partes,ſiuè fiat tota ſimul,& in inſtanti,quia idem lumen producitur, ſiuè totum ſimul, ſiuè per partes poſt partes producatur, ergo ſucceſſio eſt prædicatum accidentale Motus,non eſſentiale.

Rurſus ratione principij, à quo fit, & elicitur Motus; alius eſt motus naturalis; qui fit ab intrinſeco, & natiuo principio, vt motus deorſum Terræ,& Aquæ; alius eſt Præternaturalis,qui fit à principio extrinſeco; non tamen reluctante, aut contranitente paſſo,ſed potiùs inclinante, vt cùm lapis deorsũ proijcitur;alius eſt Violentus, qui fit à principio extrinſeco, ſed tamen reſiſtente, & contranitente paſſo, ſeù Subiecto talis Motus,vt cùm lapis ſurſum proijcitur.

Denique motus alius eſt directus,alius eſt Reflexus: Motus directus fit, quando recta linea procedit mobile,& in obſtaculum non impingit; Reflexus motus eſt, quando Mobile impingit in aliquod obſtaculum,& reſilit, ſeù retrocedit, vt cum pila impingit in parietem, & ab illo retrocedit,& reſilit.

LECTIO II.

Vnitas Specifica Motus.

QVia Motus eſt Ens incompletum, non aliam habet Vnitatem ſpecificam, niſi incompletam; Quæritur,à quonam eam accipiat, & vndè poſſimus cognoſcere, cuius ſpeciei ſit motus,quem elicit Mouens,ſeù Motor.

Sunt autem quatuor illa,ex quibus ſpecies Motus deſumi poteſt; nimirum, Terminus à quo; Mobile, ſeù ſubiectum motus;Mouens, Motor, ſeù Principium motûs;Denique Terminus,ad quem;Prima Sententia defendit; Vnitatem ſpecificam motus deſumi à Termino, à quo, & à Termino,ad quem.ità *Albertus Saxon.5. Phyſ.q.6.Aſtudillo ibidem,Burlæus q.2.& plures Moderni, quos ſuppreſſo nomine citat Ruuius hic c.4.q.1.*

Sed contrà eſt quia; duplex aſſignatur Terminus, à quo,nempè Terminus negatiuus,ſeù priuatiuus,& eſt carentia formę per motum producendæ, alter terminus poſitiuus; nimirum forma poſitiua,à qua mobile tranſit per ſui motum ad aliam formam poſitiuam: Terminus negatiuus, ſeù priuatiuus eſt terminus per ſe,formalis,& eſſentialis motus, at Terminus poſitiuus per accidens ad Motum requiritur. Exempli gratia. dealbatio, per quam paries de nigro fit albus, habet duplicem Terminum à quo, nempè poſitiuum, qui eſt nigredo,à qua tranſit ad albedinem, fit enim paries de nigro albus; eadem dealbatio habet alterum Terminum negatiuum, ſeù priuatiuum, & eſt carentia albedinis,tranſit enim paries de non albo ad eſſe album.

Hoc poſito ſic argumentor; Terminus poſitiuus non poteſt dare vnitatem ſpecificam motui,quia per accidens eſt ad motum,& æquè fieret motus, ſiuè terminus poſitiuus detur,ſiuè nõ detur in motu:terminus priuatiuus ſemper eſt idem in quocunque Motu, ergo neque terminus à quo priuatiuus poteſt dare ſpeciem Motui.

Reſpondebis. dealbationem eſſe tranſitum non à carentia quomodocunque, ſed à carentia albedinis, quare licèt carentia,vt ſic, eadem ſit reſpectu cuiuſcunque Motus,tamen talis carentia diuerſa ſpecie eſt, iuxtà diuerſitatem formæ, ſeù termini,cuius eſt carentia; Porrò dealbatio,non eſt motus à carentia,vt ſic, ad albedinem,ſed eſt motus à carentia albedinis ad albedinem ergo etiam terminus à quo negatiuus, ſeù priuatiuus concurrit ad ſpecificam vnitatem motus.

Sed contrà eſt quia: carentia albedinis, ſi quam habet diuerſitatem ab alia carentia,habet ratione termini ad quem, & ratione formæ,cuius eſt carentia, ergo in ſe ipſa,& abſolutè ſpectata,eadem eſt in omni motu, & conſequenter non poteſt dare Motui vnitatem ſpecificam.

Secunda Sententia defendit; motum ſpecificari à termino ad quem, ſed huius Sententiæ Auctores diuiſi ſunt inter ſe; nam Aliqui volunt, Motum ſpecificari à

Digitized by Google

termino ad quem remoto,& vltimo, verbi gratia,motus localis ſpecificatur à Loco extrinſeco, qui eſt eius terminus vltimus, & remotus,non ab Vbi intrinſeco, quod eſt eius terminus proximus, & immediatus;ità *Paulus Venetus,& Toletus, relati ab Auerſa q.26.ſect.*12. Alij volunt, motum ſpecificari à termino proximo, & immediato, atque adeò Motum localem ſpecificari ab Vbi intrinſeco, calefactionem à calore ; ità *Auerſa loco cit Franciſcus Le Reès Diſp.vlt.ar.*4. *Ruuius lib.*4.*c.*6 *q.*1.*Sotus q.*3.*Conimbric.q* 1.*Valeſius Controu.* 25.*ad Tyrones. Pererius lib.* 13.*cap.* 8. *& communiter alij Moderni*.

Sed contrà hanc Sententiam eſt, quia: non ſufficienter explicat adæquatum ſpecificatiuum motus, non enim à ſolo termino ad quem ſpecificatur motus; Nam ad eandem Formam ſubſtantialem poſſunt terminare Creatio,& Generatio ſubſtantialis,ſed motus ab actione nõ diſtinguitur,ergo iam poſſunt eſſe duo ſpecie motus, quamuis habeant eundem terminum ad quem, ergo aliundè petenda eſt ſpecificatio motus, & aliud huius ſpecificationis principium debet aſſignari. Et ſanè in caſu poſito,Creatio, & Generatio ſpecie differunt,quia Creatio eſt independens à ſubiecto, Generatio verò à ſubiecto dependet; ergo etiam Subiectum cõcurrit ad ſpecificationem motus.

Contrà ſecundò quia. Intellectio elicita ab Angelo ſpecie differt ab Intellectione elicita ab Intellectu humano, quamuis vtraque Intellectio ſupponatur habere idem Obiectum nedum Materiale, ſed etiam formale, ergo etiam motus localis elicitus à potentia motiua Angeli erit ſpecie diuerſus à motu locali elicito à potentia motiua hominis, quamuis vterque motus ſupponatur habere eundem terminum, ad quem,tendere ad eundem Locum, & habere idem ſpecie Vbi intrinſecum,ergo inter alia ſpecificatiua motus debet enumerari mouens, ſeù Motor,& principium elicitiuum Motus.

Tertia Sententia, hactenùs relatis probabilior,aſſerit, adæquatum ſpecificatiuũ motus eſſe Tria, nimirum; Terminum ad quem,Mobile,ſeù ſubiectum, Motorẽ, ſeù principium elicitiuum motus; Quæ doctrina ſic eſt intelligenda, vt ſingula ex his ſint, ſpecificatiuum inadæquatum, tria ſimul ſumpta ſint ſpecificatiuũ adæquatum, ità *Auerſ. loco cit. Dicit tertiò Arriaga Diſput.*12.*ſect.*1.

Concluſio. Adæquatum ſpecificatiuum Motus ſunt terminus ad quem, ſubiectum,& Principium Motus.

Probatur primò ex impugnatione aliarum Sententiarum,quia: adæquatum ſpecificatiuum Motus non eſt ſolus Terminus ad quem, neque ſolum ſubiectum,neque ſolum Principium, ergo ſunt tria hæc ſimùl,ideſt, Terminus,Subiectum, & Principium.

Probatur ſecundò quia: ità ſe habet motus reſpectu termini ad quem tendit, & Principij,à quo fit;ſicuti ſe habet actus reſpectu obiecti,quod attingit, & potentiæ,à qua elicitur ; Motus enim eſt quidã actus,vt ex eius definitione patet ; ſed actus habet pro ſui adæquato ſpecificatiuo non ſolùm obiectum, ſed etiam potentiam,à qua elicitur;ſeù(vt alij loquuntur) non ſolùm Actus ſpecificatur à ratione formali, quæ,hæc enim ſe tenet ex parte obiecti, ſed etiam à ratione formali, ſub qua, quæ ſe tenet ex parte potentiæ,& ſolet dici diuerſa attingibilitas, qua Potentia obiectum attingit, vt in Diſp de Anima, vt in proprio loco explicabimus, ergo ; Imò hanc Doctrinam apertè docent plures graues Theologi de actu naturali, & ſupernaturali,quos volunt habere idem obiectum,ſeù motiuum,& tamen ſpecie differre ratione diuerſi principij, & diuerſæ attingibilitatis;ità *Coninck de Moralitate actuum diſp.*5.*d.*1.2. *&* 3. *Granadus p.*1.*Diſp.*1.*ſect.*4 *num.* 17. *Molina in Concordia. Card. Ioannes de Lugo in Manuſcriptis, & alij.* ergo etiam motus ſumit ſuam vnitatem ſpecificam non ſolum à termino ad quem, ſed etiam à principio,à quo fit, & producitur, quia idem Terminus ad quem poteſt diuerſo modo attingi, ad eundem enim locum extrinſecum diuerſo modo tendit mobile, quod mouetur motu recto, & mobile, quod mouetur motu circulari,nam per motum rectum acquiritur de nouo totus Locus, per motum verò circularem acquiritur de nouo à mobile pars loci; cæteroquin in eodem ſemper loco reuoluitur Mobile, quod circulariter mouetur, patet in motu Cœli, quod proptereà dicitur moueri ſecundũ partes,nõ ſecundum ſe totũ.

Obijcies primò. ſubiectum motus idẽ eſt in omni motu, ſubiectum enim motus eſt materia prima, ergo ſubiectum non concurrit ad ſpecificationem motus; ſicuti neque concurrit terminus à quo priua-

ua-

uatiuus,quia idem eſt in omni motu.

Reſpondeo, negãdo Antecedens; Creatio enim in materia prima non recipitur, nec ab illa dependet; motus localis Animæ Rationalis ſeparatæ, aut Angeli non recipitur in materia prima, ergo iam non omnis motus recipitur in materia prima, ac proindè non idem eſt ſubiectum omnium motuũ: Imò in Sententia Thomiſtarum aſſerentium ſubiectum Accidentium eſſe Compoſitum, nullus motus recipitur in materia prima, quia omnis motus, ſicuti & omnis alia forma accidentalis in Compoſito recipitur.

Obijcies ſecundò: ſi terminus ſit ſpecie diuerſus, quamuis idem ſit Principium motus, motus tamen eſt diuerſus ſpecie, calefactio enim, & frigefactio ſpecie diſtinguuntur ſolùm ex eo, quòd per calefactionem producitur calor, per frigefactionem verò producitur frigus, & quia calor, & frigus ſpecie diſtinguũtur, ideò & calefactio ſpecie diſtinguitur à frigefactione.

Reſpondeo; quòd quia diuerſitas, & diſtinctio comparatur malo, & Vnitas bono; ſicuti malũ habetur ex vnico defectu, & bonum ex integra Cauſa, ideò ad Vnitatem ſpecificam motus requiritur vnitas ſpecifica termini ad quem, ſubiecti, & mouentis; ad diſtinctionem verò, & diuerſitatem ſpecificam ſufficit diuerſitas, & diſtinctio ſpecifica vnius ex his; hinc eſt, vt ſtante ſola diuerſitate ſpecifica termini, ad quem, diuerſus ſit ſpecie motus.

Obijcies tertiò. ex *Ariſt.* 5. *Phyſ.c.*4.*t.*31.*& lib.*7.*cap.* 1. *t.* 5. Motus ſpecificatur à termino ad quem, ergo non ſpecificatur à principio, à quo fit.

Reſpondeo in primis Argumentum ab Auctoritate negatiuè non valere, vt eruditè obſeruat *Soncin.*8.*met.q.*1. ex eo enim, quòd *Ariſt.* non aſſerat, motum ſpecificari à principio, ſeù à motore, non licèt inferre, quòd negauerit motũ à principio, & motore ſpecificari.

Prætereà dico. Ariſtotelem, & cùm eo communiter alios Phiſolophos contradiſtinguere motum naturalem à violento ratione principij, à quo fiunt, & ratione ſubiecti, in quo recipiuntur, vt hic *Lect.*1. oſtendi; nam motus violentus fit à principio extrinſeco cùm renitentia ſubiecti, ſeù mobilis; At verò motus naturalis fit à principio intrinſeco, nullam conferente vim paſſo, ideſt, ſinè renitentia ſubiecti, ſeù mobilis ad talem motum. Cohærenter ad hanc Doctrinam *Ariſt.* 1. *Cæli c.*4. ponit Cælum eſſe corpus diuerſæ omninò ſpeciei, & quintæ cuiuſdam ſubſtantiæ ab omni Corpore ſublunari, quia habet motum circularem, qui eſt diuerſæ omninò ſpeciei tùm à motu grauium, & leuium, tùm etiam à motu progreſſiuo Animalis, ergo diuerſitas ſpecifica motus arguit diuerſitatem ſpecificam etiam ſubiecti, & mobilis recipientis motum.

Denique Elementa probãtur eſſe Corpora ſpecie diuerſa, quia habent motum ſpecie diuerſum; Leuia enim, vt Ignis, & Aer, mouentur ſurſum; Grauia, vt Terra, & Aqua mouentur deorſum, ergo à diuerſitate ſpecifica motus tanquam à ſigno, & à poſteriori deſumitur ſpecifica diuerſitas mobilis, & ſubiecti.

Dices. Idem ſpecie calor eſt, productus à Sole, & ab igne, vt *Diſp.*2. *Lect.* 2. dictũ eſt, ergo ex diuerſitate ſpecifica principij, & mouentis, vti ſunt Sol, & ignis in caſu adducto, non deſumitur ſpecifica diuerſitas motus.

Reſpondeo. Solem, & Ignem eſſe idem principium mouens formaliter, & in ratione virtutis motiuæ, et calefactiuæ; eſto diſtinguantur entitatiuè, & materialitèr.

Patet ergo non ſolum à Termino ad quem à mobili, & ſubiecto, ſed etiam à motore, & principio motus deſumendam eſſe eiuſdem motus ſpecificam diuerſitatem.

Replicabis: Motum violentum, & naturalem, ſicuti etiam rectum, & circularem; rectum ſurſum, et rectum deorſum differre accidentaliter, non eſſentialiter, et ſpecificè: aut ad ſummum diſtingui ſpecificè, non ſpecie Logica, ſed Phyſica, qua ratione differunt Homo albus, et Homo niger.

Sed contrà eſt, quia, vt benè vrget *Rubius* 4 *Phyſ.cap.*6.*q.*1.*nu.*35. hæc reſponſio friuola eſt, nec vllus claſſicus Auctor tali modo loquendi vſus eſt, vt dixerit hominem album ſpecie phyſica differre à ſeipſo, vt nigro; quis enim differentiam merè accidentalem appellet ſpecificam, et eſſentialem.

Contrà ſecundò: quia talis reſponſio manifeſtè eſt contrà *Ariſtotelem*, *qui* 8. *Phyſ.c.*8. docet motum rectum ſurſum, et motum reflexum deorſum non continuari, ſed potiùs dari quietem in puncto reflexionis ſubdens rationem: quæ ſpecie diſtinguuntur, non poſſunt continuari. at ſi motus ſurſum, & deorſum differrent ſpecie accidentaliter, optimè poſſent continuari, ergo qui dicit, motum ſurſum, & deor-

Digitized by Google

deorſum accidentaliter differre, contradicit Ariſtoteli.

LECTIO III.

Vnitas Numerica Motus.

COmmunis Sententia cùm *Ariſt. lib. 5. Phyſ. c. 4. t. 34.* docet Vnitatem numericam motus eſſe deſumendam ex vnitate numerica mobilis, ſeù ſubiecti; ex vnitate numerica termini ad quem, & ex vnitate numerica Temporis; quare tunc motus eſt vnus numero, quando recipitur in vno ſubiecto, habet vnum numero terminum ad quem, & fit vno Tempore.

Raphael Auerſa tom. 1. Philoſ. q. 26. ſect. 9. diſcedens à Communi Sententia, diſtinguit in motu duo, nimirum entitatem motus, & eius Continuitatem; concedit continuitatem motus dependere à tempore, & conſequenter motum eſſe vnum continuatiuè, ſi fiat vno tempore, & non interrumpatur; at entitatem motus ponit eſſe independentem à Tempore, atque adeò motum eſſe vnum numero, non dependere à Tempore.

Hanc *Auerſæ* Doctrinam non approbo, quia licèt entitas motus ab eius continuitate realiter diſtinguatur, ſicuti entitas quælibet permanens diſtinguitur à quantitate permanente; tamen phyſicè à parte rei, non eſt reperire entitatem motus abſque continuitate eiuſdem, ergo motus non eſt phyſicè vnus numero, niſi vnum ſit Tempus, & conſequenter vnitas numerica motus deſumenda eſt etiam ab Vnitate Temporis.

Replicabis: entitas motus non dependet à Tempore, ſicuti neque à loco, ſi motum localem excipias, ergo erit idem numero motus entitatiuè ſiuè fiat hoc Tempore, ſiuè alio.

Sed contrà eſt quia ex dictis *Diſp. 2. Lect. 15.* Quælibet Cauſa eſt ex ſui natura determinata ad producendum hunc potiùs numero effectum, quàm alium, in his potius circumſtantijs Loci, & Temporis, quàm alijs, ergo iam quilibet effectus etiam entitatiuè conſideratus, dependet aliquo modo ab his numero circumſtantijs Loci, & Temporis; & conſequenter vnitas numerica motus deſumenda eſt etiam ab vnitate numerica Temporis.

His ità ſtabilitis, & explicatis. Principalis difficultas, & Controuerſia eſt; An ad vnitatem numericam motus concurrat etiam Vnitas numerica motoris, ſeù mouentis.

Concluſio eſt. Ad vnitatem numericam motus præter vnitatem numericã mobilis, Termini ad quem, & Temporis, requiritur vnitas numerica motoris, ſeù mouentis.

Ità *Auerſa loco ſupracit. 5. Dico primo. Pererius lib. 13. c. 8. ad 2 Conimbric. 5. Phiſic. cap. 4. q. 5. ad primum, & alij Moderni, quos ſuppreſſo nomine citat Ruuius Lib. 5. Phyſ. c. 4. q. 2.*

Contrà *Ruuium loco cit. nu. 42.* & omnes illos, qui Vnitatem numericam motus deſumunt tantum ex illis tribus, videlicèt, vnitate numerica termini ad quem; Mobilis, & Temporis; His adde *Complutenſes hic diſp. 23. q. 2. § 3. Auerſam, vbi ſuprà. Franciſcum Le Rees Diſput. vlt. art 4.*

Probatur Concluſio primò Auctoritate *Ariſt. Lib. 8. Phiſ. t. 49. At vero ſi continuus eſt motus, vnus eſt; vnus autem ſi & ab vno mouente, & vnius ſit, quod mouetur, ſi enim quoddam aliud, & aliud mouebit; non continuus totus motus, ſed conſequenter erit.*

Probatur ſecundò Concluſio quia: motus idem eſt, ac Actio, ſed vna numero actio non poteſt eſſe, niſi ab vno numero agente, ſeù motore, actio enim ſeipſa à tali numero agente dependet, ergo.

Confirmatur, quia ex dictis *Diſput. 2. Lect. 16.* effectus productus ab hac cauſa non poteſt idem numero produci ab alia, ergo à fortiori motus dependens ab hoc motore, ſeù mouente, non poteſt fieri ab alio, quia magis dependet motus à motore, ſeù mouẽte, quàm effectus, motus enim ſe ipſo, & non per aliquid aliud dependet à motore, ſed effectus à motore, ſeu agente dependet mediatè, & per motum, ſeù actionem, ergo.

Denique quia Mouens, ſeù Motor concurrit ad vnitatem ſpecificam motus, ergo & ad eius vnitatem numericam. Conſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens probaui Lect. ſuperiori.

Obijcies primò: ſi aliquod Corpus viuum à loco ſuperiori deſcendens in medio aere moriatur, eodem motu continuo mouebitur vſque ad terram, non enim poteſt quieſcere in aere, quia graue eſt, ergo iam erit vnus, & idem motus continuus; at mobile, ſeù ſubiectum motus eſt di-

diuerſum ſpecie,nèdum numero,nimirum corpus viuens, & mortuum, ergo ad vnitatem numericam motus non concurrit vnitas numerica Mobilis,ſeù ſubiecti.

Confirmatur quia. ſi detur Arbor, cuius vna pars ſicca ſit, altera viridis, mouebitur eodem numero motu, & tamen pars ſicca, & viridis ſpecie differunt, nedum numero, ergo iam vnus numero eſt motus, quamuis non ſit vnum numero mobile,ſeù ſubiectum.

Reſpondeo; in aſſignatis Caſibus ſemper eſſe idem ſubiectum inhæſionis,& radicale,quod eſt materia prima;eſto ſubiectum denominationis,& compoſitum,varietur, & numero diuerſificetur. *Ruuius, & alij Thomiſtæ hic*, qui ſubiectum accidentium ponunt Compoſitum; Reſpondent huic Argumento, non eſſe vnum numero motum.quia diſcontinuatur, non quidem per interruptionem aliquam, aut moram Temporis, ſed per extrinſecam mutationem Corporis, quod de viuo fit mortuum; & ſimiliter Arboris, cuius pars de viridi fit ſicca.

Obijcies ſecundò: Tempus accipit vnitatem à motu, Tempus enim eſt intrinſeca duratio motus, ergo Tempus non poteſt concurrere ad vnitatem motus, aliàs concurreret ad propriam ſui Vnitatem.

Reſpondeo.Tempus intrinſecum,ſeù intrinſecam Durationem motus accipere vnitatem à motu;at Tempus extrinſecum non accipit à motu, ſed dat vnitatem motui, ideòque definitur numerus, & menſura motus ſecundùm prius,& poſterius.

Obijcies tertiò: Subiectum mouetur, ſeù mutatur de calido in frigidum,& hoc per vnum numero motum, ſed talis motus habet duos terminos,ad quos nempè, frigus,quod augetur, & intenditur, & calorem,qui remittitur, & diminuitur,ergo vnitas numerica motus non deſumitur ab vnitate numerica termini,ad quem.

Confirmatur quia, ſi lapis à concauo Lunæ deſcendens magno impetu pertingeret ad Centrum Terræ, & facto foramine rediret ad Lunæ concauum, iam erit vnus motus, neque enim talis lapis in Centro Terræ quieſceret, & tamen habet duplicem terminum, ad quem, nempè Concauum Lunæ,& Centrum Terræ.

Reſpondeo. in primo caſu ibi eſſe duos motus,vnus eſt acquiſitionis, alter deperditionis, quia per primũ motũ acquiſitionis acquiritur frigus, per ſecũdũ deperditur calor: In ſecũdo caſu de motu lapidis, dico; vel eſſe duos motus, & lapidẽ in Cẽtro Terræ aliquantulum quieſcere; vel ſi lapis ille in Centro non quieſcit,iam continuaretur motus, atque adeò eſſet idem numero,& cõtinuatiuè;haberet enim vnũ Terminum ad quem, nempè Concauum Lunæ,à quo receſſit, & ad quod ſupponitur redire.

LECTIO IV.

Velocitas,& Tarditas Motus.

INter alia motus accidentia primum locum tenent Velocitas, & Tarditas; ſicut enim Tempus dicitur longum, & breue,multum,& paucum,ità motus dicitur Velox,& tardus ab *Ariſt.lib.4.Phyſic.c.12.t.109.* Imò ſi motus inuicem cõparentur, vnus alio dicitur velocior,& tardior;Aquila dicitur velocius moueri, tardius Teſtudo; velocius mouetur Sol, tardius rota figuli.

Difficultas hoc tẽpore famoſa,& grauis èſt,in quo conſiſtat Velocitas iſta, & tarditas motus, ſeù quid formaliter ſit vnum motum eſſe alio uelociorem.

Et ſanè cõmunis cõceptus,quẽ habẽt omnes de Velocitate motus,eſt,quòd ille motus dicatur uelocior, quo mobile æquali, aut minori tempore maius ſpatium percurrit;hinc ideò Aquila dicitur uelocius moueri Teſtudine, quia Aquila una parte temporis pertranſit duas partes ſpatij,ſeù loci, at Teſtudo una parte temporis pertranſit unam partem ſpatij,ſeù loci;*quare id,quod celerius, & velocius mouetur plus magnitudinis in æquali tempore tranſit, aut plus magnitudinis minore in tempore tranſit. Ariſtoteles 6. Phyſ.c.11.t.12.*

Si ergo Aquila una parte Temporis pertranſit duas partes ſpatij, ideoque dicitur celerius,& uelociùs moueri Teſtudine, iam ergo una pars Temporis correſpondet, & coexiſtit duabus partibus Spatij,ſeù loci; & conſequenter mobile uelox, & Aquila dũ eſt in una parte temporis, ſimul erit in duabus partibus loci,quod naturaliter impoſſibile eſt.

Explicandum eſt igitur,quomodo fieri poſsit, ut unus motus uelocior ſit,aliter uerò tardior, abſque eo, quòd indè ſequatur,idem mobile, Aquilam, uerbi gra-

Digitized by Google

gratia,ſimul eſſe vno, eodemque tempore in duobus locis.

Primò ergo nonnulli nobiles Recentiores explicant, & componunt velocitatem motus per quaſdam morulas, & interruptiones; volunt enim Aquilam eodem tempore percurrere maius ſpatium, & acquirere maiorem locum, quam acquirat Teſtudo, non quia Aquila vno,& eodem tempore ſit præſens duplici loco, (id enim impoſſibile eſt)ſed quia motum non interrumpit per quaſdam morulas, ideſt, quia in pertranſeunda vna parte ſpatij non inſumit duas partes Temporis; è contrà Teſtudo tardius mouetur,quia interrumpit motum per morulas, & inſumit duas partes temporis in pertranſeunda vna parte ſpatij,moratur enim, & aliquãtulum quieſcit, atque adeò interrumpit motum Teſtudo, dum mouetur ad acquirendam vnam partem ſpatij, & ideò inſumit duas partes Temporis in illius acquiſitione.Hinc eſt,vt ille motus velociſſimus ſit, qui nullas habet morulas, ille magis,vel minus velox,qui pauciores, vel plures habet morulas;ille tardiſſimus,qui plures,& plures habet morulas.

Ità diſcurrunt *Arriaga diſp. 16. Phyſ. Lect.11. Ouiedus controu.17.§.2.* & pro ſe citant *Galenum lib 1.de dignoſcendis pulſibus c.1. Valleſius lib.3. Controu. Medic. cap.8.* Sed ante illos ità ſunt philoſophati *Democritus,& Epicurus, vt refert Alex. 2.Nat. q.c.1. Auicen. 2.ſuff.c.11.*

Sed contrà hunc modum explicandi velocitatem, & tarditatem motus primò eſt quia: qui per morulas tarditatem motus explicant, neceſſariò coguntur negare cùm Zenone motum,ergo,

Probatur Antecedens quia: qui tarditatem per morulas explicant, cùm Zenone Tempus ex punctis,ſeù momẽtis componũt, vt videre eſt apud Recẽtiores loco vbi ſuprà;Ergo cum eodem Zenone debẽt motum negare, Zeno enim ſemper ſibi conſtans, & Tempus ex punctis compoſuit,& motum negauit; reuerà enim connexa ſunt iſta duo,Tempus ex punctis cõponere,& motum negare, vt apertè conceſſit *Ariſt. 6.Phyſ.c.9. t.* 80. vbi reſpondens argumento tertio, & rationi tertiæ, qua Zeno ſibi perſuadebat non dari motum,& ſagittam quieſcere, dum velociſſimè fertur, ait Philoſophus,illud argumẽtum concludere in Sententia Zenonis componentis Tempus ex momentis,ergo negare motum,& Tempus componere ex momentis, connexa ſunt adinuicem, & per conſequens connexa ſunt iſta tria, admittere morulas. componere Tempus ex momentis,& motum negare.

Quod, vt clarius innoteſcat, adducamus tertium illud Argumentum Zenonis,& Reſponſionem Ariſtotelis.Zeno ergo ſic argumentabatur;Id,quod mouetur ſingulis momentis non poteſt moueri,neque enim poteſt dari motus in inſtanti,& momento, momentum enim eſt indiuiſibile,& caret partibus prioribus, & poſterioribus, motus autem conſtat ex partibus prioribus,& poſterioribus,ergo non poteſt dari motus in momento, nec in pluribus momentis,cùm ergo Tempus ex momentis componatur, non poteſt fieri motus in Tempore,ergo mobile non mouetur,ſed quieſcit,ergo ſagitta, etiã quando videtur velociſſimè ferri, non mouetur,ſed quieſcit.

Ariſtoteles huic argumento reſpondet. Valere, & efficaciter concludere in Sententia Zenonis admittentis Tempus componi ex momentis, & conſequenter efficaciter concluditur tali argumento negatio motus in Sententia admittente Tempus ex punctis componi, vt iſti Recentiores admittunt, ergo iam ex mente Philoſophi, qui Tempus componunt ex momẽtis, conuincuntur tali argumento ad negandum motum, quia & Zeno tali argumento conuictus,negauit motum.

Audiamus modo verba formalia *Ariſt. loco cit. Tertia ratio ea eſt, quæ quieſcere dicit ſagittã cũ fertur,accidit autẽ id ex eo, quia tempus ſumitur ex momentis cõſtare, quod ſi nõ dederis, ratio cõtinuò expirabit.*

Probatur ſecundò idem antecedens,de quo ſupra,quia; Primum Mobile,quia nullas habet morulas velociſſimè mouetur per Aduerſ. Sagitta verò, quam videmus velociſſimè moueri, comparatiuè ad primum Mobile, tardiſſimè mouetur, ergo iam ſagitta habet innumerabiles morulas, ergo innumerabilibus vicibus quieſcit; nõ ergo mouetur ſagitta, etiam dum velociſſimè fertur,ſed quieſcit: Quòd ſi adhuc ſuſtineas, ſagittam moueri: Teſtudo, quæ tardiſſimè omninò, imò & motu in infinitum tardiori,& tardiori mouetur, vicibus infinities innumerabilibus q̃eſcet,nõ ergo mouebitur, atque ità iam actum eſt de motu, niſi velis fortaſſe, motum, & quietem, motum, & non motum, rem eandem facere.

Dices. Motum Teſtudinis eſſe ferè inſen-

ſen-

Digitized by Google

ſenſibile; Benè. Sed iam motus, quem omnes hucuſquè Philoſophi, ſenſibus euidentiſſimum fecerunt, vix erit ſenſibilis, aut erit ferè inſenſibilis.

Videant Aduerſ. quomodo datis morulis, ſeù vno dato abſurdo, quàm multa accidant, vt loquitur *Ariſtoteles* 1. *Phyſ. t.* 11. *& t.* 23.

Contrà morulas ſecundò principaliter quia, ſi Teſtudo tardiùs mouetur, quàm Aquila, quia moratur, quieſcit, & motum interrumpit, ergo iam motus tardus non eſt vnus numero motus, ſed duplex, vnus enim numero motus eſt, qui eſt continuus, ſed ad ſenſum patet, motum tardum eſſe continuum; neque enim videmus Teſtudinem quieſcere, & morari, interrumpendo motū, ergo contrà ſenſum eſt, admittere huiuſmodi morulas, & interruptiones in motu tardo. Confirmatur ex *Ariſt.* 5. *Phyſ. c.* 3. *t.* 35. *vt motus ſit vnus, oportet Tempus vnum eſſe, & non intercapedines fieri*.

Reſpondebis multa eſſe, & concedi in rerum natura, quæ ſenſum effugiunt, quāuis ergo hæ morulæ ſenſibus non pateāt, negandæ tamen ob id non ſunt.

Benè, ſed ea, quæ admittuntur, quamuis ſenſibus non pateant, non ſunt de genere ſenſibilium, vt Angeli, & ſubſtantiæ aliæ etiam materiales, nedum ſpirituales; at motus, & quies ſūt de genere ſenſibilium, & ſpectant ad ſenſibile commune, vndè Diogenes Zenoni neganti motum, reſpōdit ambulando. *Ariſtoteles* negantes motum recenſet in eorum numero, qui ſenſu indigent, *&* 2. *Phyſ.* ridiculum ait, tentare demonſtrare naturam, quia per motum ſenſibus euidentiſſimum patet, & innoteſcit; Zeno, qui motum ſenſibus euidentiſſimum negauit, ſibilis, & riſu excipitur, ergo ſi verè iſtæ morulæ ſunt aliquid motus tardi, debent ſenſibus innoteſcere.

Contrà Morulas tertiò principaliter quia: Sol velociſſimè mouetur, eius tamen motus tardior eſt, quam ſit motus primi mobilis, quod omnium citiſſimè, & velociſſimè mouetur, ſed in velociſſimo motu Solis nullæ ſunt morulæ, ergo. Minor probatur, quia non eſt maior ratio, cur Sol dicatur velociſſimum ſui motum potius interrumpere in hac parte temporis, quā in alia, ergo nunquam motum interrumpet.

Reſpondet *Arriaga loco cit.* Deum determinare, in qua parte temporis debeat Sol quieſcere, & motum interrumpere.

Sed contrà eſt quia: motus Solis eſt motus naturalis, ergo & eius quies eſt naturalis, & conſequenter ab eruditis Philoſophis debet talis interruptionis aſſignari cauſa naturalis, & non recurrere ad Deum cùm Anaxagora, & Vulgo.

Prætereà. motus Solis, quia circularis, eſt vniformis, ergo non poteſt in vna parte Temporis quieſcere, & in alia moueri, eſto motus rectus grauiū, & leuium velocior ſit in fine, quàm in principio, cōtrà quod accidit in motu violento proiectorum, quibus virtus impreſſa cauſatiua motus, quia paulatim, procedendo verſus finem, minuitur, & decreſcit, conſequenter ſit, vt motus proiectorum tardior ſit in fine, quàm in principio, at in motu Solis, quia circularis, ſemper eſt vniformis, & æquè velocior in omni ſui parte; in hoc enim conſiſtere motus vniformitatem docet apertè *Ariſtoteles* 5. *Phyſ. c.* 4. *t.* 44. *cuius enim eadem eſt velocitas, is eſt vniformis, cuius verò non eadem eſt, is eſt difformis* 8. *Phyſ. c.* 9. *t.* 50. *Solus motus circularis vniformis conuincitur ex eo, quòd in motu recto partes propinquæ fini celeriùs mouentur; at in motu circulari, in quo non eſt finis, ſicuti neque principium, quia in eo non eſt primum, & vltimum, partes omnes ſunt eiuſdem rationis.*

Cōtrà Morulas quartò principaliter q a: ſi in motu darentur morulæ, ſequeretur, quòd quando Rota circulariter mouetur, q a partes eius interiores tardiùs mouētur, quàm exteriores, aliquantulum morarentur in vno inſtanti, dum exteriores mouentur, ergo iam diſcontinuantur, & conſequenter omnes partes Rotæ diſcontinuarentur; quod eſſe falſum ex eo deprehenditur, quia ſi à centro Rotæ ad illius circumferentiam duceretur linea; hæc, mouente ſe Rota, maneret recta, ergo partes illius Rotæ non diſcontinuarentur, aliàs illa linea non maneret recta, ſed inflecteretur.

Huic Argumento, quod à multis putatur Achilles contrà morulas, non multum fido, quia minus abſurdum eſt, partes Rotæ diſcontinuari, & illam lineam inflecti, quàm admittere morulas, ergo Aduerſ. qui admittunt morulas, faciliùs concedent partes illas diſcontinuari, & illam lineam inflecti; licèt enim talis diſcontinuatio ad ſenſum non pateat, non proindè negabitur ab Aduerſarijs, qui morulas non vident, & pro morulis conſtantiſſimè pugnant.

Deindè quamuis plerique concedant partes interiores Rotæ tardius moueri, id tamen ſua difficultate non caret; nam motus Rotæ eſt motus circularis, atque adeò habet analogiam cum motu Cœli, At in motu Cœli circulari non ità ſe res habet, vt partes interiores Cœli tardius moueantur, quia motus circularis eſt vniformis, vt ſuo loco fuſius explicabimus, ergo cùm ille motus Rotæ ſit vniformis, quia circularis, non ità facilè debet admitti, partes illius Rotæ tardius moueri, imò potius dicent Aduerſ. partes illius Rotæ exteriores, & interiores æquè velociter, æque celeriter moueri.

Concluſio ſit. Velocitas motus benè explicatur per Vbi fluens, quod habet motus.

Probatur quia: tota difficultas explicandi velocitatem motus, reducitur ad hoc, quia mobile velox debet vna parte Temporis percurrere duas partes ſpatij, atque adeò eodem tempore duobus locis coexiſtere, atque adeò coexiſtere loco, & ſpatio maiori ſe, ſed hoc facilè intelligitur, & explicatur poſito Vbi fluente, ergo. Probatur minor, quia proprium eſt Vbi fluentis conſtituere rem in loco maiori ſe; nam ſi per horam mobile palmare moueatur ſuprà ſpatium quadripalmare, occupabit totum illud ſpatium in illa hora, ergo iam ſucceſſiuè, & fluenter mobile palmare coexiſtit ſpatio quadripalmari, atque adeò coexiſtit ſpatio maiori ſe. Antecedens patet, quia per hoc contradiſtinguitur Vbi fluens ab Vbi permanente, quòd Vbi permanens, facit rem permanẽtem coexiſtere ſpatio æquali ſe, eſt enim proprium rei quieſcentis, & permanentis coexiſtere ſpatio æquali ſe; è contrà Vbi fluens, & ſucceſſiuum facit rem ſucceſſiuã, & ſe mouentem coexiſtere ſpatio maiori ſe, modo explicato, ergo à primo ad vltimum poſito Vbi fluente, facilè intelligitur, & explicatur Velocitas motus, & quòd mobile velox vna parte temporis, correſpondet duabus partibus loci.

Confirmatur ex *Ariſtotele 6. Phyſ. c. 9.* Vbi reſpondens argumento, quo Zeno probabat, non dari motum, quia quod mouetur, ſemper eſt in loco ſibi æquali; atque adeò ſemper quieſcit, & nunquam mouetur;

Reſpondens, inquam, *Ariſtoteles* huic argumento, docet, id, quod mouetur, eſſe in loco maiori ſe; datur ergo per *Ariſtotelem* Vbi fluens, quo mobile coexiſtit ſpatio maiori ſe.

Confirmatur ſecundò; quia à *Saxonia hic q. 10. Barth. Amico tract. 25. in 6. Phy. art. 5.* fusè probatur; mobile, dum eſt in motu, occupare ſpatium maius ſe, & ità explicatur ab his Auctoribus, indiuiſibile, ſi daretur, poſſe moueri occupando ſpatiũ maius ſe, non eſt ergo nouum in Philoſophia, mobile coexiſtere ſpatio maiori ſe, dum eſt in motu; & conſequenter Velocitas motus benè explicatur per Vbi fluens.

Dices primò: etiam Teſtudo, dum mouetur, habet Vbi fluẽs, nam vbi fluens producitur per motum, ergo etiam Teſtudo coexiſtit ſpatio maiori ſe, atque adeò vna parte temporis coexiſtit duabus partibus ſpatij: ergo nullum erit diſcrimen inter mobile velox, & tardum, inter Aquilam, & Teſtudinem.

Reſpondeo, Teſtudinem per motum acquirere ſpatium maius ſe, ſed tale ſpatium nunquam erit maius, aut æquale ſpatio, quod percurrit mobile velox; tarditas autem motus debet ſemper explicari relatiuè ad Velocitatem, dicitur enim motus tardus, quia æquali tempore percurrit mobile tardum minus ſpatium, quàm percurrat mobile velox, vt ſuprà explicatum eſt, eſto igitur ſpatium acquiſitum à Teſtudine per motum ſit maius Teſtudine, at non eſt maius, imò nec æquale ſpatio, quod per motum acquirit mobile velox. Habent ergo Teſtudo, & Aquila Vbi fluens, dum mouentur, ſed non idem Vbi fluens, ſicuti enim vtriuſque motus eſt diuerſus, ità & Vbi fluens in vtroque eſt diuerſum.

Dices ſecundò. Si per Vbi fluens mobile exiſtit in loco maiori ſe, id non fit vna, & eadem parte Temporis, ſed per plures partes Temporis, Corpus enim palmare per Vbi fluens occupat ſpatium quadripalmare vna hora, ità tamen, vt per primum Quadrantem horæ occupet primum palmum loci, per ſecundum quadrantem, ſecundum palmum loci, & ſic deinceps vſque ad quartum, ergo iam nõ eadem parte Temporis corpus palmare occupat locum ſe maiorem.

Reſpondeo, quòd ſi partes Temporis comparentur cum partibus ſpatij, quas pertranſit mobile velox, benè probat argumentum, vnam partem Temporis correſpondere vni parti loci, ſeù ſpatij; at ſi partes ſpatij, quas pertranſit mobile velox, comparentur cùm partibus, quas pertranſit mobile tardum; ſtatim apparebit, vnam partem Temporis correſpondere dua-

duabus partibus ſpatij, nam mobile tardum in primo quadrante horæ non pertranſit vnum palmum ſpatij, ſed illius medietatem, mobile verò velox pertranſit illam eandem medietatem, & alteram, ergo iam mobile velox illa vna, & eadem Temporis parte ſe mouens, ac ſe moueat mobile tardum, pertranſit duas partes ſpatij, vbi mobile tardum è contrà eodem tempore percurrit vnam partem ſpatij.

Dices tertiò: Benè explicatur velocitas, ſi dicamus, mobile velocius habere maiorē extenſionem localem, atque adeò extendi in ampliorem locum, & mobile tardum habere minorem extenſionem localem, & contrahi in minorem locum, ergo non eſt recurrendum ad Vbi fluens.

Reſpondeo. Maiorem, & minorem extēſionem localem nō poſſe haberi ſinè Vbi, licèt enim localis extenſio radicaliter habeatur à Quantitate, maior tamen, vel minor extenſio localis relatiuè ad certum locum habetur ab Vbi, & quidem in re permanenti habetur ab Vbi permanente, in re ſucceſſiua habetur ab Vbi fluente, & ſucceſſiuo.

Quòd ſi quæratur cauſa effectiua velocitatis motus. Sententia Communis eſt, eam cauſari à maiori, vel minori virtute, quæ eſt in mobili ex *Ariſt. 2. Cœli t. 36.* à maiori, vel minori reſiſtentia medij, per quod fit motus. 4. *Phyſ.* 71.

Deniq; à figura mobilis, quæ eſt aptior, vel ineptior ad ſcindendum medium.

In Cauſis verò liberis maior, vel minor velocitas dependet etiam ab earum arbitrio, quia cauſæ liberæ aliquando tardius, aliquando velocius eligunt ſe mouere.

LECTIO V.

An verum ſit. Omne quod mouetur ab alio mouetur.

ARiſtoteles 7. *Phyſ. t. 1. & 2. 8. Phyſ. à t. 28.* pronunciat hoc axioma iam ſatis vulgatum, & famoſum in ſcholis, *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*; De Veritate huius Axiomatis valdè dubitant nobiles Philoſophi, ità vt plures, qui in cæteris Ariſtotelem, tanquam veritatis Oraculum agnoſcunt, in hoc puncto de veritate pronunciati Axiomatis, ab illo recedant, & falsū eſſe illud Axioma, defendāt.

Ita Scotus in 1. d. 3. q. 7. & 9. met. q. 14. & ibidem Antonius Andreas, Gregorius Arimin, in 2. d. 6. q. 1. art. 13. Iandunus 8. Phyſ. q. 12. Com. 3. lib. 1. de Cælo Comment. 28. Nouiſsimè Arriaga tom. 1. in par. 1. & Thomas Campanella iuratus hoſtis Ariſtotelis in ſuo Triumphato Atheis. cap. 3. vbi pro ſe citat Senecā, & Teleſium ex Antiquis; Hanc Sententiam propugnarunt, *Plato apud Aquar. ad Ferr. 7. Phyſ. q. 1. Academici omnes, præcipuè verò Macrobius 2. de Somnio Scipionis, denique Democritus, & Epicurus, hi enim poſuerūt Athomos ſe mouentes.*

Cōtrà alij. Verùm eſſe Ariſtotelis axioma defendunt. Ità *D. Thomas hic in t. 28. lib. 8. Phyſ. & 3. contrà gentes c. 13. & p. 1. q. 2. art. 1. Complutenſes hic diſp. 39. q. 6. §. 1. Rnuius lib 8. Phyſ. cap 4. q. 1. Suarez tom. 2. Met. Diſp. 8. Sect. 7. nu. 11. Conimbricenſes lib. 7. Phyſ. q. 1. Bartholomæus Amicus tom. 2. Phyſ. tract. 26. q. 3. dub. 2. Rees Diſp. vlt. Art. vlt. Quibus adde Aegidium in 3. q. 16. Capreol. in 1. d. 3. q. 3. Ferrarien. lib. 1. contrà gentes, cap. 13.*

Hanc Ariſtotelis Sententiam tueri debent omnes Theologi, qui communiter aſſerunt, ex Creaturis poſſe naturali lumine cognoſci, & demonſtrari exiſtentiam Dei.

Ità *Granadus tom. 1. de exiſtentia Dei Diſput. 2. Valentia tom. 1. q. 2. p. 3. Ioſeph ab Auguſtino 1. p. q. 2. ar. 3. diff. 1. nu. 22. Faſolus 1. p. q. 2. d. 2. q. 1. ar. 3. Beccan. in Manual. tom. 1. tract. 1. Petrus à Sancto Ioſeph in ſua Idæa Theol. Specul. lib. 1. cap. 1. Nouiſsimè Recupitus p. 1. & alij innumeri.*

Huius Difficultatis ſolutio pendet ex declaratione illius Axiomatis, ſtatim enim ac fuerit explicatum, in quo ſenſu Axioma illud intelligendum ſit iuxtà mentem Philoſophi, innoteſcet eius veritas, & efficacia:

Vnum ergò moueri ab alio ſtat dupliciter; primò quidem vnum poteſt intelligi moueri ab alio eiuſdem ordinis, vt ſi mobile ſit corporeum, ſeù materiale, & intelligatur moueri à motore corporeo, & materiali; ſecundò, vnum poteſt intelligi moueri ab alio diuerſi ordinis, vt ſi mobile ſit corporeum, motor verò ſit ſpiritualis. Iterum dupliciter poteſt intelligi, quòd motor ſit ſpiritualis, primò quidem ſi motor ſit primus, & nulli ſubordinatus. Secundò ſi motor non ſit primus, ſed ſecundus, & alteri ſubordinatus. His poſitis.

Concluſio Prima. Axioma illud, omne quod mouetur ab alio mouetur, debet intelligi iuxtà mentem Philoſophi, de motore diuerſi ordinis, & primo; ità vt ſenſus

Digitized by Google

ſit, omne quod mouetur, mouetur ab alio qui eſt motor ſpiritualis, & primus.

Probatur apertiſſimis verbis Philoſophi, qui cùm multis rationibus probaſſet, quidquid mouetur ab alio moueri, ſubdit. *Quapropter, & Anaxagoras rectè dicit, mentem impaſſibilem, inquiens, & immixtam eſſe, quoniam motus principium ipſum facit eſſe, ſic enim vtique ſolum mouebit, cum ſit immobilis, & vincet cum ſit immixtus*; ergo iā Ariſt. vult, omne ꝙ mouetur, moueri ab alio, q̄ ſit motor ſpiritualis, & primus, mens enim impaſſibilis, & immixta, eſt motor ſpiritualis, & primus.

Quòd autem loquatur etiam Ariſtoteles de mobili corporeo, & materiali; patet ex alijs verbis, quæ habet *cap 6. t. 40. neceſſe igitur eſt, omne quod mouetur eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia; hoc enim oſtenſū eſt prius in ijs, quæ vniuerſaliter de natura; quod omne, quod per ſe mouetur, continuum eſt*: ſi ergo mobile debet eſſe continuum, & diuiſibile, debet eſſe corporeum, & materiale.

Concluſio Secunda. Axioma Ariſtotelicum in ſenſu explicato, verum eſt, & ſatis firmum.

Probatur primò quia; omne quod mouetur in ſuo motu eſt ſubordinatum primo motori, ideoque *Meteor. 1 docet Ariſt. eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis eius virtus indè gubernetur*, ſed eſſe ſubordinatum primo motori, eſt dependere ab illo in motu, atque adeò ab illo moueri, ergo. Maior probatur quia: omne quod mouetur, in ſuo eſſe eſt ſubordinatum primo enti, ergo & in ſuo motu, in ſuo moueri, & operari eſt ſubordinatum primo motori, ſicuti enim res ſe habet ad eſſe, ità & ad operari, nam modus operandi ſequitur modum eſſendi, vt eſt commune axioma vniuerſaliter receptum in Scholis, ergo firmum ſtat, & incōcuſſum, omne quod mouetur, ab alio mouetur.

Probatur ſecundò Concluſio deſtruendo principale Argumentum Aduerſariorum, illud enim fundatum eſt in eo, quòd Ariſtotelis rationes, quibus ſuum Axioma probat, ſunt inefficaces, & inſufficientes, ſed hoc eſt falſum; ergo.

Probatur minor primò ſolutione eorum, quæ in contrarium Obijciunt Auctores eius Sententiæ.

Probatur ſecundò quia rationes adductæ ab Ariſtotele ad probandū illud axioma, quamuis ſingillatim acceptæ efficaciter non probent, probant tamen efficaciter, ſi ſimul ſumantur, id enim ſpeciale eſt Argumentis Ariſtotelicis, vt ſimul ſumpta efficaciter probent, ſecus verò ſingillatim accepta, vt eruditè notat *Burleus ſuper 7. Phyſ.*

Probatur tertiò quia; communis eſt Sententia Theologorum, poſſe naturali lumine ex creaturis deueniri in cognitionem Dei, qui eſt primus motor, imò *Franciſcus Le Reès in Met. Diſput. vlt. Art. 1. §. 1.* docet, id eſſe de fide, & ſanè probatur varijs ſcripturæ locis, *Act. 17. quærere Deum, ſi fortè attrectent. ad Romanos 1. inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, Intellectu conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas, Iob. 36. 35. omnes homines vidēt eum; vnuſquiſq; intuetur procul.* ſed nullū argumētū aliud aſſignari poteſt, quo probetur, & conuincatur efficaciter exiſtentia Dei, præter hoc Ariſtotelicum, quidquid mouetur ab alio mouetur, ſed non ab alio, & ab alio in infinitum, ergo tandē recurrendum eſt ad primum motorem immobilem, ergo.

Confirmatur, quia cognitio Dei eſt fundamentum totius vitæ rationalis, ergo naturali lumine debet attingi, & cognoſci exiſtentia Dei, & primi motoris, quam Ariſtoteles induens perſonam Theologi ex Anaxagora appellat mentem impaſſibilem, & immixtā, aliàs nō benè arguerētur ab Apoſtolo loc. cit. tāquā ineſcuſabiles Gentiles, eo quòd cum cognouiſſent Deū, non ſicut Deum glorificauerunt, ſed Aduerſ. negant Ariſtotelis argumenta efficaciter conuincere exiſtentiam Dei, & primi motoris, et nullum aliud argumentum ipſi adducunt, deberēt aūt adducere, ergo:

Non dubito, quòd ſi aliquod argumētum ab ipſis adduceretur, pluribus, & efficacioribus pateret impugnationibus; facile eſt, impugnare, quæ alij dicunt; at aliquid adducere, quod alij non impugnent, hoc opus, hic labor eſt.

Probatur quartò. quia ſi id, quod mouetur, mouetur motu violento, iam patet moueri ab alio extrinſeco motore; ſi mouetur motu naturali, vel mobile eſt animatum, vel inanimatum: ſi animatum, iam in eo datur vna pars, quæ cæteras mouet; quę pars ab Ariſtotele dicitur eſſe Cor, à Galeno Cerebrum, rurſus iſta pars, quæ reliquas mouet, & eſt principium motus in reliquis partibus mouetur à generante, à quo ſicuti accepit eſſe, ità & accepit virtutem motiuam, Denique ſi id, quod mo-

uetur

Digitized by Google

uetur,eſt inanimatum,quia mouetur motu naturali, & omnis motus naturalis eſt à principio intrinſeco, videtur moueri ſe ipſo, & non ab alio; adhuc tamen tale mobile inanimatum mouetur ab alio motu naturali,quia eius intrinſecū principium motus actiuum, quod eſt Forma,eſt à generante;eius intrinſecum principium motus paſſiuum eſt materia prima,quæ etiam eſt à Deo per creationem, ergo iam omne quod mouetur quocunq; genere motus,ab alio mouetur.

Obijcies primò:In Doctrina Ariſtotelica,& communi: Per hoc contradiſtinguūtur Viuentia à non viuentibus, quia Viuētia mouentur ſe ipſis, & non ab ab alio, è contrà non viuentia, ergo falſum eſt vniuerſaliter,*quidquid mouetur ab alio mouetur*, ſufficit enim ad falſitatem alicuius propoſitionis vniuerſalis, quod in aliquo caſu particulari non verificetur.

Reſpondeo. Viuentia ſe ipſis moueri, quia in ijs eſt aſſignare vnam partem,quę reliquas partes mouet, quod de non viuētibus non verificatur;Cæterum Viuentia non dicuntur ſe ipſis moueri, quaſi, *τὸ ſe ipſis*,excludat primum motorem, à quo mouentur tàm Viuentia, quàm non viuentia,in hoc enim parificantur Viuentia, & non Viuentia,

Obijcies ſecundò.ex Ariſt. 8.*Phyſt.*35. Lapis mouetur à baculo,baculus à manu,& ſic ſiſtitur,ergo non omne quod mouetur ab alio mouetur.

Reſpondeo. tale exemplum ab Ariſtotele adduci, vt oſtendat non dari proceſſum in infinitum in motibus, ſed tandem deueniendum eſſe ad vnum primum motorem immobilem: quare vera eſt illa propoſitio, *quidquid mouetur ab alio mouetur,quò vſque perueniamus* ad primum motorem.

Negat autem Ariſtoteles manum ab alio moueri,non quia velit, non moueri à primo motore impaſſibili, & immixto; ſed quia non mouetur ab alio motore paſſibili,& mixto proximè,& immediatè,eſto à generante, tanquam motore mixto, & paſſibile mediatè,& remotè moueatur; & quia mouens remotum ſimpliciter, & abſolutè non eſt mouens, ideò dicit manū non moueri, ſed ibi ſiſti motum.

Eodem modo Reſpondetur ad aliud Argumentum,quod fieri ſolet de Leuibus, & Grauibus, quæ videntur moueri à propria corū grauitate,& leuitate, hæc enim mouentur à generante, quod dedit illi grauitatem,& leuitatem, tanquam virtutes eorum motiuas,eſto deindè,quòd quia generans eſt cauſa remota, & mediata motuum eorum,ſimpliciter dicantur, grauia,& leuia ſeipſis moueri.

Obijcies tertiò. Si verum eſſet, *omne, quod mouetur ab alio mouetur*, maximè, quia, vt habetur 8. *Phyſt.* 40. *impoſſibile eſt,idem eſſe actu,& potentia*;nam id,quod mouetur eſt potētia, ſeu habet paſſionem; id quod mouet eſt actu, & habet actionem;potentia autem, & actus ſunt contradictoria,ſed hæc ratio nulla eſt,ergo.

Probatur minor quia: Eadem Anima Rationalis eſt potentia, prout poteſt intelligere, & eſt actus, prout elicit actum Intellectionis.

Reſpondeo.Ariſtotelis verba eſſe intelligenda de potentia formali,& actu etiam formali,impoſſibile enim eſt, idem ſimul eſſe formaliter potentiam,& actum, quia mutuò ſe negant, & excludunt actus formalis, et potentia formalis; at non eſſe intelligenda ea verba de potentia formali, et actu virtuali,id enim, quod eſt potentia formaliter,poteſt virtualiter eſſe actus, vt probat exemplum adductum de Anima Rationali intelligente,& obſeruat,*D.Thomas p.*1.*q.*77.*ar.*7,vbi ait.*Accidens cauſari à ſubiecto,vt eſt actu,in eoque recipi,vt eſt potentia.*

Colligite ex his.Ità *omne,quod mouetur ab alio moueri*, vt tamen deueniendum ſit tandem ad aliquod,quod moueat, & non moueatur.nam in tantum verum eſt,quidquid mouetur ab alio mouetur,in quātum Omne quod mouetur, mouetur ab alio, tanquam primo mouente, & prima Cauſa motus, ſed primum mouens non poteſt ab alio moueri,aliàs non eſſet primum;haberet enim alium priorem antè ſe, à quo moueretur.ergo. Deindè, ſi id, quod mouet, moueretur, vel moueretur eodem genere motus,& hoc eſt impoſſibile, impoſſibile enim eſt, quod docens doceatur, & diſcat,quod ſanans ſanetur, quod alterans alteretur, augmentans augmentetur;Sed neque poteſt moueri diuerſo genere motus, quia neceſſe non eſt, vt motiuum ſit mobile,id enim appellat Ariſt. ſimile figmento: ergo. Dixi neceſſe non eſt, quia per accidens poteſt moueri diuerſo motu,ſic ſanans poteſt diſcere,

Præterea ſi mouens omne mouetur neceſſariò, iam daretur infinitum actu in mouentibus,quia non poſſet aſſignari primum, & vltimum mouens, ergo iam in mo-

Digitized by Google

mouentibus, & motis daretur actu infinitum, vbi enim non eſt aſſignare primum, & vltimum,ibi actu eſt infinitum.

Colligite ſecundò. Primum motorem eſſe immaterialem, & inpermixtum, quia ſi eſſet materialis,& permixtus,non poſſet ſemper vincere mobile, & conſequenter defatigaretur, & vinceretur aliquando, & ſic ceſſarent motus Cœli, & conſequenter omnia deordinarentur, & confunderentur.

Colligite tertiò. Primum motorem eſſe virtutis infinitæ, quia ſicuti non recipit motum ab alio, ità non recipit eſſe ab alio,ergo iam habet eſſe infinitum; non enim eſt aſſignabile à quo accipiat limitationem in ſuo eſſe, cum ipſe ſit primus motor. Altera ratio Ariſtotelis eſt,q̃a ipſe mouit tẽpore infinito, impoſſibile eſt autẽ,quòd mouẽs tempore infinito ſit finitę virtutis;quæ Ratio, quia ſupponit mundi, ſeù motus æternitatem contrà id, quod docet fides,eſt inefficax,& ſophiſtica,vt loquitur *Bartholomæus Amicus loco cit. art. 2.nu.4.litt. E.* In quo puncto licet Philoſopho Chriſtiano ab Ariſtotele recedere; aptè enim in hanc rem cadit illud; amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas.

LECTIO VI.

Aliæ Quæſtiones de Motu Reſoluuntur.

QVoniam omnia non poſſunt pro Dignitate, & fusè tractari; reſoluemus hic breuiter, & perſtringemus nonnullas alias quæſtiones de motu leuioris momenti.

Prima Quæſtio eſt: Vndè deſumatur Contrarietas motus.

Reſpondetur. Contrarietatem motus deſumendam eſſe ab ijs, à quibus ſumitur eiuſdem motus ſpecifica diuerſitas,nam, vt benè ait *Ariſt.8.Phyſ.c.8.t.64.* Contraria ſpecie differunt,& nõ vnum ſunt:Quia ergo motus adæquatum ſpecificatiuum coaleſcit ex termino ad quem,ex motore, & ex mobili, ab his etiam deſumitur eiuſdem motus contrarietas; Ad hoc ergo vt motus ſit contrarius, debet habere contrarietatem aliquam,vel in motore, vel in mobili,vel in termino ad quem;ad hoc,vt motus non ſit contrarius,requiritur, vt in nullo ſit, contrarietas. Simili ratione, qua dicebamus ſuprà diuerſitatẽ ſpecificã motus ſumi ex quolibet ſpecificatiuo,vnitatem verò ſpecificam ex omnibus ſpecificatiuis ſimul ſumptis;ratio eſt, quia plura requirũtur ad negandum, quàm ad affirmandum, plus enim negat negatio, quã affirmet affirmatio, negatio enim, vt in Logicis diximus, vniuerſaliter diſtribuit; vt ergo motus non ſit contrarius, ſeù, vt non habeat contrarietatem, in nullo ſui ſpecificatiuo debet contrarietatem agnoſcere, ad hoc verò, vt contrarietatem habeat,ſufficit in aliquo ex ſpecificatiuis cõtrarietatem adeſſe;hinc motus localis Angeli, & Hominis opponuntur, & contrariantur ratione principij:motus ſurſum,& deorſum opponuntur ratione termini, ad quem; motus Cœli, & motus Elementorum ratione ſubiecti, ſeù mobilis ſimiliter opponuntur.

Cæterum motus eſſe contrarios formalitèr, eſt, eſſe incompoſſibiles in eodem ſubiecto, ſeu mutuò ſe ab eodem ſubiecto excludere; in hoc enim conſiſtit formalis contrarietas motus, ſicut & cuiuſcumque alterius rei, vndè habet Philoſophus 8. *Phyſ. t.64. motus eſſe contrarios,eo quòd ſe inuicem impediunt.*

Cæterùm contrarietas non ſolũ eſt inter motum,& motum,ſed etiam inter motum & quietem; Quies enim priuatiuè opponitur motui, quia eſt priuatio motus; vnus verò motus opponitur alteri quodammodò poſitiuè;quia duo motus ſunt entitates poſitiuæ, inter quas intercedit oppoſitio poſitiua. Dixi quodammodò,quia oppoſitio propria, et in omni rigore eſt inter qualitates,quæ per mutuam actionem ſe ab eodem ſubiecto excludunt, vt infrà dicemus;at motus non ſunt qualitates, quæ ſe per actionem excludant. eſto aliqui eorum, vt alterationes, habeant pro terminis,qualitates,vt calefactio, & frigefactio.

Dices:ergo iam vni duo eſſent contraria,nam vni motui, putà motui ſurſum, opponeretur motus deorſum,& opponeretur quies;ſed hoc eſt contrà *Ariſt.10.met. t.14.& 1.Cœli t.9.*

Reſpondeo. Vni duo eſſe contraria, et oppoſita diuerſo genere contrarietatis, et oppoſitionis,ſcilicet,poſitiuè,et negatiuè, vt benè concedunt hic *Iauellus q. 12. & Bartholomæus Amicus tract.24.in 5. Phyſ. dub.2.*

Secunda Quæſtio ſolet eſſe; an detur Quies in puncto Reflexionis.

Suppono ex *Ariſt.hic t.62.* reflexionem mo-

Digitized by Google

motus eſſe; cùm mobile motum à puncto A. verſus B. recedens ex B. mouetur verſus A. quod quatuor modis contigit. primò, quando poſt motum naturalem ſequitur alius naturalis, vt in motu conſtrictionis. & dilatationis cordis. Secūdò, quando poſt violentum ſequitur præternaturalis, vt cū lapidi moto ſurſum occurrit Mons Æneus impellens deorſum maiori velocitate, quàm exigat natura lapidis. Tertiò, quando poſt motum violentum ſequitur alius violentus, vt cùm pila ad murum immiſſa, violenter reſilit, vel quando duo ludunt pila, quorum vnus iacit pilam in alterius manum, à qua & repercutitur. Quartò demum, quando ad motum violentum ſequitur naturalis, vt cum lapis ſurſum motus relictus ſuæ naturæ deſcendit. Quibus poſitis.

Reſpondeo ad Quæſtionem; quando vterque motus eſt naturalis, aut naturalis ſequitur ad violentum, tunc datur quies in puncto reflexionis; quando verò violentus, aut præternaturalis ſequitur ad violentum, non datur quies.

Prima Reſponſionis pars patet ex *Ariſt. 8. Phyſ. t. 63. Auer. Com. 63. Ruuio hic, & alijs.* ratio eſt; quia natura nihil producit, vt ſtatim corrumpat, non enim quod augetur, ſtatim decreſcit; ſed datur Tempus conſiſtentiæ; quæ mouentur ad aliquem locum, mouentur, vt ibi aliquātulum quieſcant; inter motus inſpirationis, & reſpirationis, compreſſionis, & dilatationis cordis, datur aliqua quies, aliàs defatigaretur animal, ergo iam quando motus naturalis ſequitur ad naturalem, datur quies in puncto reflexionis.

Similiter ſi ad motum violentum ſequatur naturalis, vt cum lapis ſurſum proiectus, naturali ſua vi deſcendit; etiam in tali caſu datur quies in puncto reflexionis.

Ità *Aegid. 8. Phyſ. 65. Capreol. diſt. 15. q. 1. art. 3. ad 4.* & alij, quos refert, & ſequitur *Barthol. Amicus tract. 24. in 5. Phyſ. Art. 4. Concluſ. 3.* Ratio eſt, quia virtus impreſſa paulatim minuitur, vt mox dicemus de tarditate motus in fine, ergo deueniēdum eſt, vt tanta ſit virtus impreſſa, quanta eſt grauitas lapidis, ſed à proportione æqualitatis, id eſt, quando æqualis eſt actiuitas agentis, & reſiſtentia paſſi, nulla fit actio, nullus motus, ergo lapis ſurſum proiectus aliquātulum ibi quieſcit, vt debilitato impetu, & remiſſa virtute impreſſa, deſcendat.

Vndè patet, à quo lapis detineatur ibi, detinetur enim ab impetu impreſſo, qui licèt non poſſit amplius mouere, poteſt tamen impedire actionem grauitatis, præſertim adiuuante âere ad reſiſtentiam.

Secunda Reſponſionis pars; quam cōcedunt plures cit. à *Barth. Amico vbi ſupra art. 3.* Probatur quia. Pila, quæ alliditur ad murum, & reflectitur; non poteſt moueri motu reflexionis à muro: qui perſeuerat immobilis; nec ab aere, qui quieſcit, quieſcente mobili, ergo motus ille reflexus debet cauſari ab illo primo Agente, quod pilam ad parietem impulit, ſed talem motum non poteſt cauſare Agens, ſi admittamus quietem in puncto reflexionis, ceſſante enim motu agentis, ceſſat virtus ab illo priùs impreſſa, ergo iam debet continuari motus rectus, & reflexus, & non interrumpi per quietem, alioquin non eſſet aſſignabile, à quo produceretur motus reflexus.

Similiter quando lapillus proijcitur ſurſum, & mons è Cœlo cadens, illi fieret obuius in medio deſcenſus, non daretur quies in puncto reflexionis, quia aliàs retardaretur mons deſcendens magno impetu, ſed hoc eſt falſum, vt de ſe patet, iam ergo in hoc caſu non datur quies in puncto reflexionis, ſed eſt vnus continuatus motus directus, & reflexus.

Dices: ex *Ariſtotele 8 Phyſ. à tex. 52.* nullus motus præter circularem poteſt eſſe perpetuus; ſed ſi non daretur quies in pūcto reflexionis, poſſet motus perpetuari, poſſet enim in infinitum continuari per reflexionem, ergo danda eſt quies in puncto reflexionis.

Reſpondeo in motu naturali dandam eſſe huiuſmodi quietē, aliàs ſequeretur, illum fore perpetuum, quia virtus motiua naturalis non minuitur paulatim, vt contingit in virtute motiua, & virtute impreſſa proiectis; at in motu violento non eſt admittenda quies, nè ſit perpetuus; adhuc enim negata quiete, non fit perpetuō, quia virtus ipſa cauſatiua motus paulatim deficeret.

Quæſtio Tertia ſolet eſſe, à quo moueantur proiecta. Et ſanè certum eſt proiecta moueri à Proijciente, tanquam à Cauſa remota; hanc non quærimus, quia non eſt propriè Cauſa ex dictis *Diſp. 2. Phyſ. Lect. IV.*

Sed quærimus Cauſam proximam, & immediatam motus Proiectorum; verbi gratia, proijcitur pila ſurſum, vel deorſum

Digitized by Google

ſum,vel in gyrum, aut etiam impingit in parietem,quæritur , quæ ſit cauſa proxima,& immediata huius motus.

Antiqui ergò Expoſitores Ariſtotelis *Themiſtius* , *&* *Auer in t.* 82. *lib.* 8. *Phyſ. quos ſequitur D.Thomas* 3.*de Cęlo Lect.*7. *Burleus* 8.*Phyſ.*82. *Aegidius Lect.* 29. aſſignarunt Cauſam immediatam motus proiectorum eſſe aerem, quatenus nimirùm à Proijciente commouetur aer, qui deindè commotus aerem ſubſequentem propellit, & ità ſucceſſiuè defertur proiectus lapis;donec langueſcente commotione aeris,tandem quieſcat.

Sed contrà eſt, quia experientia patet, quòd ſi quis aerem propinquum lapidi maximè commoueat, & agitet,nunquam lapidem mouebit , ergò non proijcitur lapis ab aere commoto,& agitato.

Communis ſententia defendit ; Proiecta moueri à virtute quadam impreſſa à proijciente, quæ virtus immediatè eliciat motum proiecti.Ità *Suarez diſp.*23. *ſect.*10.*Vaſq.p.*2.*d.*81.*Toletus* 8. *Phyſ.t.*86. *Ruuius in tract.de motu violento q.* 2. *Conimbr.*7.*Phyſ.c.*2.*q.*1.*art.* 8. *Franciſcus Le Reès diſp.vlt.ar.*7.§.1.*Barth. Amicus tom.* 2.*de Gen.tract.*5.*art.* 4. *vbi plures alios refert*.

Probatur primò à priori quia videmus non moueri lapidem , niſi ipſe tangatur à proijciente,etiã ſi proijciẽs moueat aerem circumſtantem vſque ad lapidem.

Probatur ſecundò quia . eò tendit ſagitta , quò dirigitur à proijciente , ergò aliquid ſagittæ imprimitur , nam motus ità directus non poteſt tribui aeri ob ſui volubilitatem, vndè videmus aquam deſcendentem diuidi circà finem motus , & hoc propter concurſum aeris propellentis aquam cùm magna fluctuatione.Cõfirmatur quia proijciens habet vim cauſandi motum , ergò etiam habet vim cauſandi virtutem motiuam , quia aliter non poſſet cauſare huiuſmodi motum, cùm proiectum ab ipſo ſeparetur,niſi loco ſui ſubſtitueret virtutem motiuam,& ideò benè ait Philoſophus 4. *Phyſ. t.*68. motum proiectorum poſſe fieri etiam in Vacuo,in quo non eſt aer.

Probatur tertiò quia . non poteſt aſſignari ratio , cur motus hic ſit velocior paulò poſt initium,(vt colligitur ex maiori ictu,)quàm in ipſo initio,& in fine, niſi aſſignetur iſta virtus impreſſa ; hæc enim durat aliquo tempore,& adiuuatur à maiori concurſu aeris paulò poſt initium , non ſic autem ipſo initio, & multò minus in fine, quando iam langueſcit, & imminuta eſt iſta virtus impreſſa,contrà quòd accidit in motu naturali , qui eſt à virtute naturali , quæ verſus finem motus nõ langueſcit, aut minuitur,ergò.

Hinc etiam redditur ratio,cur bombardæ quò longiores,eò pilas velociùs, & longiùs explodant , quia nimirum ignis genitus ex puluere plus impetus imprimit toto illo tempore.

Similitèr cur plus iaciuntur globuli madidi , quàm ſicci, quia nimirum globulus madidus citiùs concipit impetum , & virtutem impreſſam , ideò citò elabitur,& longiùs extruditur.

Denique ex eo manifeſtè conuincitur ab aere non moueri proiecta, quia ſæpè proijcitur lapis contrà validiſſimum vẽtum,quo totus aer commouetur in contrarium,nam impoſſibile eſt, talem motum cauſari ab aere commoto,& agitato validiſſimè in contrariam partem.

Dices . quando quis laxat lapidem ex funda , id facit per motũ circularem, quo aliquandiù girat fundam , ſed talis motus lapidis proiecti non poteſt cauſari à proijciente, ſeù exonerante fundam, ergò. Probatur minor, quia motus ille lapidis eſt rectus, ſed motus rectus non poteſt cauſari à motu circulari, ſicuti neque motus rectus verſus Oriens poteſt cauſari à motu recto verſus Occidens, ergò .

Reſpondeo,quòd fundibularius girata funda, tandem recta via dirigit lapidem, ideòque cauſat motum rectum, qui proindè non à giratione fundæ, ſed à recta proiectione cauſatur.

DI-

DISPVTATIO SEXTA,

DE MVNDO, ET COELO.

*Phyſica,ſicut & cuiuſcunquè Scientiæ Speculatiuæ, munus eſt,partes,ſeù ſpecies Obiecti ſui ſpeculari. Explicatis ergo Principijs,Cauſis, & Proprietatibus Corporis naturalis, progredimur ad Partes, ſeù Species eiuſdem Corporis explicandas. Sunt autem inprimis Mundus ipſe,ſeù Vniuerſum;Cœlũ, ſeù Corpus omninò Ingenerabile,& Incorruptibile;Elemẽta,& Mixta,ſiuè Animata,ſiuè Inanimata. Ariſtoteles agit de Mũdo in ſpeciali Libello,quẽ ſcripſit ad Alexandrũ Macedoniæ Regẽ,Vbi nomine Mundi intelligit,*Coagmentationem ex Cœlo,Terra, & reliquis rebus, quarum natura illis continetur;*ſeu, vt paulò infrà,*Mundus eſt rerum omnium ordo,ornataqué deſcriptio. *Quatuor Libris,quos de Cœlo inſcripſit,agit de Cęlo prius,tùm de Elementis.*

LECTIO I.

An Ratione naturali Demonſtretur, Mundum cœpiſſe in Tempore.

CErtum eſt de Fide Catholica,Mundũ cępiſſe in Tempore, & non fuiſſe ab Æterno;id enim eſt definitum in *Concilio Lateranenſi 1.& 2.* & refertur *cap. Firmiter de Summa Trinitate,& Fide Catholica,* vbi habetur; *Creator omnium ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio vtramque de nihilo condidit Creaturam Spiritualem,& Corpoream*, & clarè habetur in Scripturis Sanctis.*Gen.1.In Principio creauit Cęlum, & Terram. Prouerb. 8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.Ioan.17.clarifica me Pater claritate, quã habui priuſquam mundus fieret.* Denique ad *Epheſios 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.*

Mundum fuiſſe ab æterno,& non cępiſſe in Tempore Antiquorum fuit Opinio,pręſertim verò Ariſtotelis, vt clarè patet ex varijs eius doctrinæ locis, & præcipuè 8. *Phyſ.*initio,vbi, vt *Ioan.Argyropylus Ariſtot.Interpres habet,*Æternitatem Vniuerſi ex æternitate motus illuſtriſſimè prædicat.

Sed hac in re cogit nos Diuina Fides diſcedere ab Ariſtotele, quem tamen aliqui piè excuſant,conceſſiſſe Mundum ab æterno, nè admitteret eum cæpiſſe in Tempore varijs modis impoſſibilibus, quibus à Platonicis fuiſſe factum in tempore,adſtruebatur.

Videamus modo. An Mundum in Tem-

pore cæpiſſe demonſtrari,& probari poſſit ratione naturali. Non vidi circulo ab alijs Auctoribus hanc Quęſtionem pertractari, ſed omnes id probant ex Scripturæ locis ſupracit.

*Ruuius lib.8.Phyſ.q.*1.vbi pro ſe cit. *D. Thomam p.*1.*q.*46 *art.*2. & omnes eius Interpretes, docet, Mundum cæpiſſe in tempore ſola Fide teneri, & non eſſe demonſtrabile ratione naturali.

*Bartholomaus Amicus Tract.*2.*de Mundo Quæſt.*2. *Dub* 3. *Art.*4.docet,& reipſa adducit rationes, & Argumenta, quibus probat Mundi temporalem creationem.

Concluſio. Mundum cæpiſſe in Tempore Ratione naturali poteſt probari, & probabiliter ſuaderi.

Dico probabiliter ſuaderi, quia mundi temporalis Creatio, vt potè res ipſius Temporis obſcuritate, & Antiquitatis tenebris inuoluta, non poteſt Demonſtratione aliqua mathematica oſtendi, & probari.

Probatur Concluſio quia. De Fide eſt, non ſolum Animam Rationalem eſſe immortalem, ſed etiam id poſſe probari ratione naturali, vt patet ex Conc.Lateranenenſi ſub Leone X. ergo etiam,mundum cæpiſſe in tempore poteſt probari ratione naturali.tenet conſequentia quia;ideò Cõcilium docet, ratione naturali poſſe probari Animæ Rationalis immortalitatem, quia verum non repugnat vero,lumen ſupernaturale Fidei non repugnat lumini naturali Intellectus creati, ſed hæc ratio etiam militat de Mundi temporali creatione, ergo Mundum cæpiſſe in Tempore, debet poſſe naturali Ratione oſtendi, & perſuaderi.

Confirmatur quia,AEthnicis tenemur reddere rationem eius, quæ in nobis eſt Fidei, ergo contrà negantes mundi temporalem creationem, debemus aliqua afferre argumenta.

Probatur ſecundò quia:reipſa adducuntur aliquæ rationes naturales, & phyſicæ, quibus probatur temporalis Creatio mũdi,ergo.Probatur Antecedens adducendo rationes.

Quarum prima eſt ex Auctoritate Antiquiſſimorum Philoſophorum, *Empedoclis, Agrigentini, & Heracliti Epheſij, quos refert Ariſt.* 1. *Cæli t.*102.*Pythagoræ apud Plutarch. de Placitis Philoſ. c.* 4. *&* 6.*Epicuri apud Lucretium lib.* 2. *Platonis apud D. Auguſtinum* 2. *de Ciuit. c.*12. *& apud Ariſt.*8.*Phyſ.*101.*Cæli t.*104. *&* 3.*Cæli.*21.

Hi omnes antiquiſſimi Philoſophorũ putarunt mundum cæpiſſe in tempore, ergo aliqua ratione naturali id ſibi perſuaſerũt.

Secũda ratio eſt, quia ſi mundus fuiſſet ab æterno, cùm Viuentia in dies habeant imbecilliorem vim, & minus viuant, iam Mundus fuiſſet omninò deſtructus, teſtantur enim Medici peritiſſimi, quòd quæ tempore Hypocratis erant remedia, nũc sũt venena ob ciuium imbecillitatẽ,olim homines erant maiores, & validiores, vt refert *Plinius lib.* 7. *c.*16. at nunc,vt benè habet Iuuenalis *Satyra.* 15. malos nunc terra homines procreat, atque puſillos.

Tertia ratio adducitur ab aliquibus apud *Alb.*8. *Phyſ. tract.*1. *cap.*12. quia,ſi mundus fuiſſet ab æterno, nunquã potuiſſet peruenire ad diem præſentem,quia debuiſſent præcedere infinitæ circulationes, & dies, quia cùm infinitum ſit impertranſibile,infiniti dies non potuerunt pertranſiri,ergo.

Quarta ratio quia, ſi mundus fuiſſet æternus, nunc deberent eſſe infiniti homines etiam poſitis bellis,& peſtilentijs,quia multo plures oriuntur,quàm intereant.

Hæ Rationes ſi non ſingulæ, & ſigillatim acceptæ, ſimul & collectiuè ſumptæ mundum cæpiſſe in tempore, ſatis probabiliter ſuadent.

Dices.ſi Mundum cæpiſſe in tempore, poſſet ratione naturali demonſtrari, vi illius rationis adductæ à Concilio, quia verum non repugnat vero,ſequeretur omnem Articulum Fidei poſſe probari ratione naturali, ſed hoc eſt falſum, qua enim ratione naturali probabimus myſterium Incarnationis,aut myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis? ergo.

Reſpondeo. Rationem Concilij valere non de omnibus Articulis Fidei,ſed de ijs tantum, ad quos etiam peruenire poteſt naturale lumen, talis eſt Articulus de immortalitate Animæ,& de Mundi temporali Creatione, ſicuti talis quoque eſt Articulus de exiſtentia Dei, quæ propterea etiam ratione naturali poteſt demonſtrari,& ſuaderi, vt de facto demonſtratur, & ſuadetur ab *Ariſt.*8.*Phyſ.* at myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis ſunt altioris ordinis, & diuerſæ omninò rationis;ità *D. Thomas* 2.2.*q.*2.*art.*5.

Vel etiam dico. Rationem Concilij valere de omnibus myſterijs Fidei,ſed eſſe intelligendam negatiuè, itàut ſenſus ſit;quia verum non repugnat vero, ideò nulli myſterio ſupernaturali repugnat ratio natura-

Digitized by Google

ralis,& naturale lumen, licèt enim myſteria Diuinæ Fidei ſint ſuprà lumen naturale, non tamen ſunt contrà lumen naturale.

LECTIO II.

An Mundus potuerit eſſe ab æterno.

NOmine æterni,ſeù æternitatis venit Duratio infinita carens Principio, & Fine, ſeù non habens primum, & vltimum in ſui eſſe, & ſui duratione, vt patet ex definitione æternitatis communiter recepta in Scholis à nobis ſupra *Diſp.* 4. *Lect.*1. relata, & explicata.

Pro Intelligentia igitur,& ſolutione difficultatis Propoſitæ.

Pono primò. Duo eſſe in vniuerſo entiũ Genera; nempè entia ſucceſſiua, & entia Permanentia. Entia ſucceſſiua ſunt, Tempus, motus, ſeù etiam plures, & plures ſeries variarum generationum, entia permanentia ſunt, Angelus, Anima Rationalis,& alia huiuſmodi.

Pono ſecundò. Creaturam poſſe eſſe ab æterno, dupliciter intelligi; primò quidem, quaſi ipſa Creatura exigat eſſentialiter, vel connaturaliter æternitatem; Secundò, ſi ponamus, ęternitatem illi nõ repugnare. Certum videtur, Creaturam nec eſſentialiter, nec connaturaliter exigere æternitatem; non exigere eſſentialiter, quia aliàs Creatura ſic eſſentialiter æterna, nõ differret à Deo, cui eſt eſſentialis æternitas: non exigere connaturaliter, quia aliàs Deus miraculosè impediret æternitatem Creaturarũ; An ergo Creaturæ repugnet æternitas, hic eſt Punctus propoſitæ difficultatis.

Concluſio Prima. Ens ſucceſſiuũ, Tempus, motus, & variarum ſeries Generationum non poſſunt eſſe ab æterno.

Ità *Durand. in 2. diſt. 1. q. 2. art. 3. Sotus 8. Phyſ. q. 3. Conimb. ibidem. Ruuius lib. 8. Phyſ. tract. de æternit. mundi q. 3. n. 27. Murcia diſp. 1. q. 3. Suarez diſp. in met. diſp. 20. Sect. 6. & diſp. 29 Sect. 1. & 2. Pererius lib. 15. cap. 13. Barth.* Amicus *tract. 2. de mundo q. 3. dub. 4. art. 6. Concluſ. ſexta. Le Reès diſp. 1. de mundo art. 3. §. 1.*

Contrà *Nominales relatos à Ruuio vbi ſuprà. Vaſq. 1. p. diſp. 177.* Arriagã *diſp. 17. ſect. 2. Ouied. Cõtrou. 19. puncto 3. Complutenſes diſp. 29. q. 4. §. 11. qui referunt plures alios ex Thomiſtis,* Antiquos, *& Recentiores.*

Probatur Concluſio quia: Tempus, Motus, & variarum ſeries generationum ſunt entia eſſentialiter ſucceſſiua, ergo eſſentialiter includunt prius, & poſterius, ſed æternitas eſſentialiter excludit, & negat prius,& poſterius, quia æternitas eſt duratio tota ſimul, vt clarè patet ex eius Definitione communiter in Scholis recepta, ergo non poſſunt combinari iſta duo, ens ſucceſſiuum,& æternitas.

Concluſio ſecunda. Aliqua Creatura Permanens, vt Angelus, potuit de abſoluta potentia eſſe ab æterno.

Ità *D. Thomas p. 1. q. 46. art. 2. & in 2. d. 1. q. 2. ibidem Caiet. & 2. contra Gentes c. 38. ibidem Ferrarien.* & alij plures Thomiſtæ, quos citant, & ſequuntur *Ruuius* 8. *Phyſ. tract. de ætern. mundi q. 1. Complutenſes diſp. 29. q. 3. §. 2.*

Nominalium Schola. *Greg. q. 3. Gab. ibidem, Ocham. q. 8.* Ex Recentioribus. *Suarez in met. diſp. 20. ſect. 6. Pererius lib. 15. c. 13. Conimb.* 8. *Phyſ. c. 2. q. 6.* Arriaga *diſp. 17. Phyſ. ſect. 2. ſubſect. 2. Ouied. Cont. 19. punct. 1. & alij plures apud ipſum.*

Contrà *Henricum quodlib. 1. q. 7. & 8. Albertum magnum in ſumma tract. 1. q. 4. mem. 4. & in 2. diſt. 2. art. 10. Bonau. ibidem q. 2. & Rich. q. 4. Marſ. q. 1. art 2. Le Reès Diſp. 1. de mundo art. 3. §. 2.*

Scotus vtramque partem problematicè defendit, ſed videtur magis inclinare in ſententiam *D. Thomæ*,& communem, quã in oppoſitam Sententiam *Henrici*, vndè & *D. Thomæ* Sententiam peculiari argumento à ſe excogitato confirmat in 2. *d. 1. q. 3. §. & ex hoc arguitur.*

Probatur Concluſio primò; argumento generali, & communi ijs omnibus, quæ conceduntur poſſe fieri de abſoluta Dei potentia, quia: Creaturam eſſe ab æterno, ſeù Creaturam eſſe coæternam Deo, non implicat, ergo de abſoluta potentia potuit Angelus, verbi gratia, eſſe ab æterno.

Antecedens multipliciter probatur, primò quia ſi Creaturæ eſſent ab æterno, non repugnaret, quòd vna eſſet alteri coæterna, vt apertè patet ex celebri Authoritate *D. Auguſtini 6. de Tri. c. 1. vbi* habet, *ſi ab æterno eſſet Sol, aut Ignis, ab æterno illuminaret, aut calefaceret. & 10. de Ciuit. c. 31. ſi pes ab æterno, vel in æternitate fuiſſet in puluere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium, & hom. 26. ſuper Iohannem, affert exemplũ de virgulto, & imagine eius in aquis producta.* ergo cũ Deus ſit ab æterno, nõ repugnat, aliquã Creaturã fore illi coæternam.

Digitized by Google

Probatur ſecundò quia: in Diuinis verè Filius procedit, & producitur à Patre, & tamen eſt illi coæternus, ergo etiam Creatura poteſt eſſe coæterna Deo, quamuis ab illo producatur.

Reſpondebis; proceſſionem, & productionem Verbi Diuini à Patre eſſe neceſſariam, productionem verò Creaturæ à Deo fore liberam, & contingentem.

Contrà eſt quia Agens liberum poteſt habere operationem in eodem inſtanti, in quo incipit eſſe, vt eſt Communis Doctrina de Angelo, qui in eodem inſtanti, quo cæpit eſſe, habuit liberam operationem ſuæ voluntatis, per quam ſe diſpoſuit ad recipiendam gratiam in eodem inſtāti, ergo à fortiori Deus ſimul, ac fuit, potuit habere Creaturam ſibi coæternam.

Probatur tertiò quia Antiquorum Sapientiſſimi poſuerunt de facto Mundum ab æterno, ergo nullam agnouerunt implicantiam in coæternitate Creaturæ cum Deo.

Confirmatur quia plures ex Auctoribus Contrariæ Sententię, defendunt, Mundum cæpiſſe in tempore, non poſſe naturali ratione demonſtrari, ergò non poteſt naturali ratione demonſtrari, Mundum non eſſe ab æterno, ergo mundum eſſe ab æterno, non implicat, ſi enim implicaret, poſſet naturali ratione; & aſſignata implicantia oſtendi, mundum cæpiſſe in tempore, & non fuiſſe ab æterno.

Probatur quartò idem Antecedēs quia. Creaturam eſſe coæternam Deo, non repugnat infinitæ Dei potentię, nec finitę, & limitatæ entitati Creaturæ, duratio enim eſt accidens, ergo ſiuè duratio ſit finita, ſiuè infinita, non minuit, nec auget perfectionem Creaturæ; ſed additur illi, ſaluis eius Eſſentia, & Proprietatibus.

Obijcies primò: Sancti Patres contrà Arium impiè aſſerentem, Verbum Diuinum eſſe Creaturam, & non Deum, vſi sūt hoc Argumento. Verbum Diuinum eſt coæternum Patri, ergo non eſt Creatura, ſed hoc argumentum non eſſet efficax, ſi Creatura poſſet eſſe coæterna Deo; ergo.

Reſpondeo. Argumentum SS. Patrum fuiſſe efficaciſſimum, quia erat argumentum ad hominem, Ariani enim conuicti auctoritate Sacræ Scripturæ vtrumque cōceſſerunt, & Verbum Diuinum ab æterno, & Creaturam non fuiſſe ab æterno, qua data conceſſione, manifeſtè deducebatur; ergo Verbum Diuinum non eſt Creatura. Si qui ex SS. Patribus aſſerunt, Creaturæ repugnare æternitatem, piè ſunt explicandi, quòd repugnet æternitas ab intrinſeco, & connaturaliter à Creaturis exigita, non quòd abſolutè illi repugnet.

Obijcies ſecundò: In Creatura prius eſt nō eſſe, quàm eſſe, quidquid enim creatur, tranſit de non eſſe, ſeu ex nihilo, ad eſſe, & per conſequens prius eſt, non eſſe Creaturæ, quàm eſſe, ſed in æternis non eſt aſſignare prius; ergo implicat, creaturam eſſe æternam.

Confirmatur quia: ſi Creaturæ ſemel concedatur duratio æterna, non poterit per totam æternitatem anihilari, & deſtrui, ſed hoc eſt contrà rationem Creaturæ, quæ de ſui natura anihilabilis eſt, & deſtruibilis, imò eſt contrà perfectum Dei Dominium, quòd habet ſuper omnem Creaturam, de qua debet, poſſe liberè diſponere in quolibet momento, quòad eius conſeruationem, & deſtructionem, ergo.

Reſpondeo. Ad Creationem ſufficere, quòd non eſſe præcedat eſſe in priori naturæ, atque adeò neceſſe non eſſe, quòd præcedat non eſſe in priori temporis, ſola autem prioritas temporis repugnat æternitati, cui ſicuti non repugnat prioritas originis, vt patet in Patre, qui eſt prior origine Filio, ſibi aliàs coæterno, ità nec repugnat prioritas temporis.

Ad Confirmationem dico. Argumentum valere etiam in Creatura durante per horam, in qua non poteſt anihilari, & deſtrui, ſufficit ergo tùm ad rationem Creaturæ, tùm ad ſaluandum perfectum Dei dominium ſupra talem Creaturam, quòd ſit ab intrinſeco anihilabilis, & deſtruibilis, eſto per accidens, & ex mera Dei libera voluntate ſit inanihilabilis, & indeſtruibilis, vide; quæ dicta ſunt; *Diſp.* 4. *Lect.* 13. de Duratione permanente.

Obijcies tertiò: ſi Creatura fieret ab æterno, non poſſet operari ab æterno, vel ſi operaretur, deberet per infinitum tempus perſeuerare in eadem operatione, quia ſi ſolum per finitū tempus in ea duraret, non habuiſſet eam ab æterno, quia æterno non datur prius, ſed ex tempore, hæc autē repugnant, ergo etiā repugnat ergo Creaturam eſſe æternam.

Reſpondeo. In tali caſu, vel Creaturam æternam nullam elicere operationem, ſuſpendente Deo miraculosè concurſum ad omnem operationem aliàs elicibilem à tali Creatura, vel duraturam ſemper eam Creaturam in eadē operatione, nulla enim repugnantia eſt in hoc, quòd Deus conſer-

Digitized by Google

uet aliquam Creaturam in eadem operatione ſimultanea per infinitum tempus; dixi ſimultanea, quia operatio ſucceſſiua, cũ includat prius, & poſterius, repugnat Durationi æternæ, quæ indiuiſibilis eſt, & tota ſimul.

LECTIO III.

Cæli Natura, & Eſſentia.

LIcèt Philoſophi ſit de omnibus ſpeculari ex Ariſt. 4. *Met. t.* 5. tamen à Cęlorũ ſpeculatione, & contẽplatione multos terret Cęlorũ à nobis infinita ferè diſtãtia eorũdẽ, ſi.n. *difficilè æſtimamus, quę in terra sũt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cũ labore, quæ in Cœlis ſunt, quis inueſtigabit? Sap. 9.*

Nihilominus reprehẽdẽdi non ſunt, qui de Cœleſti corpore Quæſtiones inſtituũt, vt enim habemus ex *Ariſt. 2. Cæli t. 62. videtur, veneratione dignam eſſe magis, quàm temeritate reputantes, promptitudinem illam, ſi quis propter Philoſophiæ ſitim, etiam paruas in ijs ſufficientias amet, de quibus maximas habemus dubitationes.* Cœlorum ergo natura ſe nobis offert prius inquirenda.

Pono autem in Vniuerſo eſſe quatuor prima, & maxima corpora, quæ appellamus Elementa, Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, nam reliqua Corpora ab his diſtincta, ſunt ex his mixta, atque compoſita; & ideò horum comparatione Elementa dicuntur Corpora ſimplicia, non quia non ſint Compoſita ex Materia, & Forma, ex genere, & differentia, ſed quia non ſunt compoſita ex alijs corporibus, vti ſunt reliquà corpora, quæ propterea ſunt, & dicuntur mixta.

Fuit ergo Antiquorum Sententia ponentium, Cœlum eſſe naturæ elementaris, ſed erant inter ſe diuiſi, atque diuerſi. nam *Empedocles apud Plutarchũ 2. de Placitis,* Cœlum putauit eſſe aerem ui ignis concretum in duritiem chryſtalli, vt frigore aqua congelatur. Alij, vt *Aegipty* putarũt, eſſe Aquam; Alii Terram, vt *Anaximenes apud Plutarchum lib. 2. de Placit. c. 7.* Alij naturę ignitæ, vt *Anaxagoras apud Plutarchum 2. de Placit. c.* 13. & Recentiores, *Bernardinus Teleſius* 1. *de rerũ natura c.* 38. *Campanella in* Atheiſm. *c.* 11. *cap.* 8. *Stephanus Aragonius in Enchir.*

Denique alij putabant, Cœlum eſſe mixtum, & compoſitum ex Elementis, vt *Plato apud D. Auguſtinum* 8. *de Ciuit. Dei c.* 11. ex floribus, ſeù delicijs Elementorum.

Sententia Communis, & probabilior defendit, Cęlum eſſe corpus ſimplex, & naturæ omninò diuerſæ ab omnibus, & ſingulis Elementis, ideòque communiter dicitur quintæ cuiuſdam naturæ, & eſſentiæ diſtinctæ à quatuor primis Corporibus. Ità *Ariſt.* 1. *Cæli t.* 5. & alibi paſſim. *Ariſtotelem* ſequuntur Theologi. *D. Thomas in 2. d. 14. q. 1. art. 2. vbi Bonau. Riccardus, & Scotus,* ſequuntur moderni Philoſophi, *vt videre eſt apud Conimb.* 1. *Cæli cap. 2. q. 5. & nouiſſimè Barth. Amicus tract. 4. q. 1. Dub. 1. art. 2. Ruuius lib. 1. cap. 11. q. 4. Rees diſp. 2. art. 1.*

Conclusio. Cœlum eſt Corpus ſimplex, & naturæ omninò diuerſæ ab Elementis.

Probatur primò apertiſſimis verbis Philoſophi 1. *Cæli t. 16. eſt aliquid præter Corpora, quæ hic, & circà nos ſunt, tantò nobiliorem habens naturam, quantò quidẽ plus diſtat ab his, quę hic ſunt. Et t. 92. conſueuimus extremum, & ſurſum vocare Cęlum, in quo & Diuinum omne collocatum eſſe dicimus. 2. Cæli t. 13. Corpus enim quoddam Diuinum eſt, & 1. Meteor. cap.* 3. refert Antiquos putaſſe, Cęlum eſſe quoddam Diuinum Corpus, eo quod ſemper curreret, & moueretur; & Æther fuiſſe appellatum, *quaſi nulli eorum, quæ apud nos ſunt, exiſtens idem*, ἕτερος enim Græcis eſt quid omninò alterum, & diuerſum.

Probatur ſecundò quia Eſſentia, & natura corporis naturalis nulla alia via poteſt nobis melius innoteſcere, quàm per motum localem, qui eſt eius præcipua, & magis ſenſibilis proprietas, ſeu paſſio; ſed Corpori cæleſti conuenit motus localis omninò diuerſus à motu Elementorum, ergo eſt naturæ, & eſſentiæ omninò diuerſę ab Elementis; Minor probatur quia, Cœlo per ſe, & connaturaliter conuenit motus circularis, ſeù circà mediũ; ſed motus circularis eſt omninò diuerſus à motu recto ſursũ, ſeù à medio, qua ratione mouentur Aer, & Ignis, & à motu recto deorsum, ſeù ad medium, qua ratione mouentur Terra, & Aqua, ergo.

Cęterum Cœlum moueri motu circulari, & circà medium, eſt Cœlum moueri circà Terrę centrum, quod eſt punctum indiuiſibile deſcriptum in medio Terrę, & Cœli, atque adeò totius Vniuerſi; è contrà

Ignis

Ignis, & *Aer* mouentur à medio, & ſurſum, quia longè recedunt à Centro Terrę, & quaquà verſus ad Cęlum rectà aſcendunt; è contrà Terra, & Aqua mouentur ad medium, quia ad Centrum rectà deſcendunt.

Probatur tertiò quia. Cęlum eſt incorruptibile, conſtat ex Stellis, tanquam ex partibus ętherogeneis, obtinet locum Superiorem ad omnia elementa, ergo eſt naturę omninò diuerſę ab elementis, quę corruptibilia ſunt ſaltem ſecundum partes, ſunt omninò homogenea, & occupant loca inferiora ad Cęlum; ideòque teſtatur *Ariſt*. 1. *Cæli t*.22. omnes barbaras nationes, Cęlum conſtituere locum, & ſedem Dei, quia Corpus immortale eſt, & cęterorum nobiliſſimum, *omnes enim homines de Dijs habent exiſtimationem, & omnes eum, qui ſurſum eſt locum, Deo attribuunt, & Barbari, & Græci, quicunque putant eſſe Deos, tanquam videlicèt immortali immortale coaptatum ſit, impoſſibile enim aliter.*

Obijcies primò, Eadem ſunt accidentia Cæli, & Ignis, ergo cum ex accidentibus dignoſcatur natura, & eſſentia Corporis naturalis, Cęlum erit Ignis. Antecedens probatur, quia conueniunt in raritate, luciditate, diapheneitate, & denique in leuitate, leue enim ex *Ariſt*. 1. *Cæli t*.17. ſupereminet omnibus, at Cęlum ſupereminet omnibus, ergo.

Confirmatur quia. ſi haberemus aliquã particulam Cęli hic, vel illa euolaret ſurſũ. & ſic eſſet Ignis, vel deſcenderet deorſum, & ſic eſſet Terra, vel quieſceret, & ſic eſſet vel Aer, vel Aqua, Sed quod dicitur de vna Cęli particula, de toto Cęlo verificatur, quia ex *Ariſt*. 1. *Cæli t*.72. *quò vna gleba, & tota Terra fertur; Ignis, & Scintilla feruntur in eundem locum, ergo.*

Reſpondeo. quòd ſicuti accidentia alia ſunt generica, alia ſunt ſpecifica, vt patet, ideò ex eo, quòd Cęlum, & Elementa conueniant in aliquibus accidentibus, non bene arguitur, quòd conueniant in natura, & eſſentia ſpecifica; nam illa accidentia, ſi leuitatem excipias, generica ſunt, & ideò ex illis arguitur Cælum, & elementa conuenire in ratione generica, ſeù in materia prima; quod vltrò admittimus. De leuitate dico, eam quidem eſſe accidens ſpecificum Elementi ignis, ſed non omne, quod omnibus ſupereminet, eſt leue, id enim verificatur ſolum de ijs, quæ ſurſum mouentur, non de ijs, quæ mouentur circulariter, & in hoc ſenſu, debet intelligi *Ariſt. t.cit.*

Ad Confirmationem Reſpondeo. illam particulam Cæli, nec aſcendere, neque deſcendere, ſed ſtare, & quieſcere, violenter tamen ob defectum virtutis motiuæ.

Obijcies ſecundò: ſi Cælum eſſet naturæ diſtinctæ ab elementis, maximè quia mouetur circulariter, Sed hic motus conuenit etiam Igni, & Aeri, vt patet ex impreſſionibus ignitis, & aqueis, vt patet ex fluxu, & refluxu, ergo.

Confirmatur quia: Cęlum non habet motum ſimplicem, ſed mixtum, nam aliquę partes Cęli aſcendunt, aliquę deſcendunt, & Planetę modo accedunt ad Centrum mundi, modo à tali Centro recedũt, ergo.

Reſpondeo. motum circularem Cęlo per ſe, & naturaliter conuenire, Igni verò, aut Aeri omninò per accidens; ſimiliter fluxum, & refluxũ nõ eſſe naturalem aquę, & pręthereà eum motum fluxus, & refluxus, non eſſe circularem. Ad Confirmationem.

Reſpondeo: Motum Cęli eſſe maximè regularẽ, & vniformem, & ſolum reſpectu noſtri modo aſcendere, & modo deſcendere; Planetarum motus vniformitas non eſt menſuranda ex Centro mundi, ſed ex Centro ſui, circa quod mouentur, & à quo regulantur; ideò licet reſpectu Centri mundi Planetę non moueantur vniformiter, vniformiter tamen mouentur circà proprium ſui Centrum.

Obijcies tertiò. In Cęlo ſunt virtutes, & qualitates actiuę elementorum, ergo & naturæ eorundem. tenet cõſequentia quia, virtutes Elementorum ſunt eorundem Proprietates, quæ ſunt ab Eſſentia eorum, atquè natura inſeparabiles.

Antecedens probatur quia. in Cælo ſũt calor, & humiditas, dicitur enim Sol calidus, Luna humida ab Aſtronomis, ergo: Cõfirmatur quia, in Cœlo, & Planetis ſũt veri colores, nam Sol apparet aureus, Luna argentea, ſed colores ſunt qualitates ſecundæ, quæ oriuntur ex primis, ſeù ex primarum mixtione, ergo.

Reſpondeo. Qualitates primas, calorem humiditatem, frigus, & ſiccitatem reperiri virtualiter, ſeu cauſaliter, nõ actu, & formaliter in Cęlis; Colores verò non eſſe reales, ſed apparentes, vt benè probat *Contarenus lib*.5. *de Elementis*.

Obijcies quarto. Auctoritates tum Ariſtotelis, tum etiam Sanctorum Patrum, Ariſtotelis quidem, quia 3. *Cæli t*.1. & 2. *Met*.

Digitized by Google

Met.t. 5. docet ex Elementis compoſitum eſſe Cœlum,& partes Cœli,vt ſunt aſtra. Sanctorum Patrum,quia ipſi , vt referunt *Conimb.de Cœlo c.1.q.1.ar.1.& Molina* 1. *p.de operibus ſex dierum diſp.3.&* 5.

Beccanus in Manuali tract.4.c.2. docet, ex Scripturis in Cœlo eſſe Aquas, vt patet ex illo Pſalmi:& aquæ , quæ ſuper Cœlos ſunt. & ex illo *Gen.* 1. Diuiſit aquas ab aquis.

Reſpondeo.Et primò cum Ariſtotele , ibi nomine Cœli intelligere Vniuerſum, quod rõne Sphericæ figuræ Cælo aſſimilatur, & clarè patet *ex 1.Cæli t.96. Totum, ac Vniuerſum Cælũ dicere , conſueuimus.* Ad auctoritatem Sanctorum Patrum,dico, eos loqui non ex ſenſu Scripturæ , ſed ex ſenſu Platonicorum,vel nomine Cæli intelligere aerem; vel denique per Aquas. intelligi Cælum Chryſtallinum,quod eſt ſimile aquæ ob ſui tranſparentiam,& homogeneitatem,quia nullum habet aſtrum.

LECTIO IV.

An Cælum , conſtet ex Materia eiuſdem rationis cùm materia Sublunari.

COelum cõſtare ex Materia,& Forma , certum eſt in Schola Ariſtotelis, quæ nullum agnoſcit Corpus naturale, quod nõ ſit Compoſitum ex materia prima , & Forma;licèt enim de poſſibili, & ſupernaturalitèr Doctiſſimi Recẽtiores quam plurimi, vt *Amicus ſuo tom. de Mundo tract.* 4. *quæſt.* 2. *Dub.* 2. *Arriaga* hic , & alij. Satis probabiliter defendant ; poſſe dari ſubſtantiam materialem completam , & ſimplicem , quæ non ſit compoſita ex Materia, & Forma. Sed ſit ſola materia capax Quantitatis,de facto tamen, & naturaliter, nulla eſt ſubſtantia completa , quæ non ſit compoſita ex materia, & forma.

Quæritur modò ; an materia Cæli ſit eiuſdem ſpeciei cùm materia corporum ſublunarium.

Pono ad intelligentiam, & ſolutionem Quæſtionis; Materiam primam dupliciter poſſe conſiderari. Primò quidem nudam , & ſpoliatam contrarijs qualitatibus , quo pacto ſolent Scholaſtici appellare materiã remotam. Secundò poſſe conſiderari affectam contrarijs qualitatibus,quo pacto illam appellant materiam proximam , quia vt eſt effecta contrarijs qualitatibus , eſt proxima radix corruptionis , corruptio enim à contrarijs qualitatibus originatur; quidquid enim corrumpitur à contrario, corrumpitur; axioma eſt Ariſtotelicum ab omni Schola , & communi omnium ſuffragio receptum,& approbatum.

Primò ergo Nonnulli,ponunt materiam Cæli eſſe diuerſæ ſpeciei à materia Corporum ſublunarium.

Ità *Thomiſtæ quamplurimi , quos fusè relatos* ſequuntur *Ruuius lib.1.c.2.q.6. Amicus tom de Cælo tract.4.q.3. dub.1.n 6. Conimb.1.de Cælo c.2.q.6.Suarez diſp.13.ſect. 11.Fonſeca 2.Met.c.3.*

Secundò alij ponunt,materiam Cæli eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ.

Ità Antiquiſſimi Philoſophorum , quos *citant Ruuius,& Amicus vbi ſuprà.Scotus in 2.diſt 14.q.1.§.ſecundum Theologos. Bonau. ibidẽ diſt.12.q.1. AEgidius eadem diſt. & opuſc.de materia Cæli,Ocham.q.12.*

Tertiò, Subtiliſſimi Recentiores neutrã in partem ſe determinant , quia putant id eſſe omninò incertum , & non poſſe ratione naturali demonſtrari.

Ità *Arriaga Diſp.Vnica ſect.1.n.1.Franciſ. Le Reès diſ.2.a.1.Ouied.diſ.Vnica Pũt.2.*

Concluſio. Cæli materia non eſt diuerſæ ſpeciei à materia ſublunari.

Probatur primò clariſſimis verbis Ariſtotelis , quem pro ſe ſtare Auctores contrariæ Sententiæ, gloriantur.nam 1.*Cæli t.* 8.*t.68.* ex eo probat , non eſſe plures Mundos,ſed vnum ,quia omnia Corpora naturalia eandem habent naturam , & eandem potentiam; imò ſi plures eſſent Mundi , hi quoque conſtarẽt ex corporibus eiuſdem naturæ;quòd ſi negaueris,omnia corpora Mundi vnius , qui de facto eſt,eſſe eiuſdem naturæ, & eandem habere potentiam , i tũ Mundus iſte non verè,& vniuocè,ſed æquiuocè vnus diceretur . Audi verba formalia. *Præterea Mundus Vniuerſus ex iiſdem naturis conſtare cùm ſint eiuſdem naturæ, neceſſe eſt. Corporum etiam vnumquodque potentiam eandem habere,neceſſe eſt,vt Terrã Ignem , & ea , quæ inter hæc collocantur. ſi enim æquiuoca hæc ſunt , & non ſecundum eandem ſpeciem dicuntur ea , quæ illic , & quæ apud nos ſunt , & ipſum Vniuerſum æquiuocè diceretur Mundus.*

Probatur ſecundò Argumento , quo vſi ſunt Nominalium, & Recentiorum Scholę, ad impugnandos modos rerum,puto enim eo efficaciter concludi,materiam Cæli non eſſe diuerſæ ſpeciei à materia ſublunari;ſic, non ſunt multiplicanda entia ſpecie diuerſa ſine neceſſitate 1.*Phyſ.t.50. Deus enim*

& Na-

Digitized by Google

& *Natura nihil fruſtrà faciunt* 1.*Cæli t.*32. ſed nulla eſt neceſſitas ponendi materiam cæleſtem ſpecie differre à ſublunari.ergo.

Min: probatur quia: ſi qua eſſet neceſſitas, maximè eſſet ad ſaluādā Cæli immortalitatem, & incorruptibilitatem, ſed hæc etiā ſaluatur poſita materia, quæ ſit eiuſdē ſpeciei, dummodò tamen contrarijs qualitatibus careat, omnis enim corruptio non à materia vt ſic, ſed à materia, vt affecta contrarijs qualitatibus oritur, vt innumeris ſuæ doctrinæ locis, ſepiùs repetit Ariſt. præcipuè verò *Libel. de Longitudine*, & *Breuit. Vita c.*2. *Quarè cui non eſt contrarium & vbi nō eſt, impoſſibile eſt corrumpi, quid enim erit corrumpens, ſi contrarijs quidem corrumpi accidit ſolis; vbi* notanter eſt poſitus terminus excluſiuus. *ſolis.* vt omninò excluderetur materia è numero Cauſarum, à quibus corruptio originetur. vndè 1.*Cæli t.*20. ex eo probat, Cælum eſſe ingenerabile, & incorruptibile, quia caret contrarijs; *rectè videtur natura id, quod futurum erat ingenerabile, & incorruptibile, exemiſſe à contrarijs, in contrarijs enim eſt generatio, & corruptio*, ergò quamuis in Cælo ponatur materia eadem ſpecie cùm hac ſublunari, non proindè ſequitur, non fore Cælum Incorruptibile.

Confirmatur quia: in Cælo ponitur Quātitas eiuſdem rationis ſpecificæ cum quantitate ſublunari; & tamen non ſequitur Cælum fore partibile, & diuiſibile, ſicuti nunquam viſa eſt pars aliqua Cæli diuiſa à reliquo corpore, ergo quāmuis in Cælo materia eadem ſpecie ponatur, non tamen ſequitur illud fore corruptibile, ſicuti nunquam per tot ſæcula vnquam viſa aliqua pars Cæli corrupta, aut deſtructa.

Quòd autem Cælum careat contrarijs qualitatibus, præter Auctoritatem *Ariſt. ſupra cit.* redditur ratio à poſteriori, & à priori. Ratio à poſteriori deſumitur ex motu circulari, qui eſt proprius, & naturalis corpori Cæleſti, motui enim circulari, nullus alius motus eſt contrarius, illi enim nō eſt contrarius motus rectus, nam vnus motus rectus v. g. ſurſum eſt contrarius alter motus rectus deorſum, motus ergo rectus opponitur alteri motui recto, non circulari, aliàs vni duo eſſent contraria, motui enim ſurſum eſſet contrarius motus rectus deorſum, & motus circularis. *contrà Philoſophum* 1.*Cæli t.* 23. *vnus motus vni eſt contrarius.* ſi ergo Cælum caret motu contrario, caret etiam qualitatibus motiuis contrarijs, ergo & qualitatibus actiuis contrarijs, à quibus motiuæ originantur.

Ratio à Priori deſumitur ex ipſa eſſentia, & formalitate Cęleſtis formę, hęc.n.intrinſecè eſt incorruptibilis, & exigit eſſentialiter habere vnionem inſeparabilem cùm materia, ergo vt ſui incorruptibilitatem, & immortalitatem ſeruet, ſua virtute reſiſtitiua impedit, nè in Cæleſtem materiam introducantur qualitates contrariæ, à quibus omnis corruptio, pernicies, & interitus naturaliter oritur. Quòd autem forma cæleſtis intrinſecè ſit incorruptibilis debet omninò tanquam certum ſupponi etiam ab Auctoribus contrariæ Sententiæ, nam, vt benè notat *Amicus hic. tract.* 4. *q.*3. *dub.*1. *art.*1. præſens Quæſtio agitatur inter eos, qui ponunt Cælum Incorruptibile, qui enim Cælum ponūt corruptibile abſque controuerſia admittunt, illud conſtare ex materia eiuſdem rationis cùm ſublunari, & elementari.

Obijcies primò. Auctoritatem Ariſtotelis 12.*met.t.*2.& 10. *Cuncta verò quæcūque mutantur, materiam habent. Sed diuerſam, nam & ipſorum ſempiternorum quæcunque non ſunt generabilia, ſed latione mobilia, attamen non generabilem, ſed vnde quo.*

Reſpondeo optimè dici materiam eſſe diuerſam, quia materia Cælorum, ſeù ſempiternorum caret qualitatibus contrarijs, quibus non caret materia Inferiorum, diuerſa ergo materia proxima, non remota, quæ Reſponſio clara eſt ex ipſiſmet verbis clariſſimis eiuſdem textus, ſubdit enim Philoſophus, *attamen non generabilem, ſed vnde quo.* quaſi diceret. ſempiterna, & quæcunque generabilia non ſunt, ſed loco mobilia, non habent materiam generabilem, & effectam contrarijs qualitatibus, à quibus habentur originaliter generatio, & corruptio, ſed materiam vndè quo, ideſt materiam ex qua conſtent, & componantur tanquam ex potentia remota.

Obijcies ſecundò. materia Cæli eſt incapax formarum Sublunarium, nunquam enim poteſt tranſmutari, & amiſſa forma Cæli, formas elementares admittere, ergo materia Cæli eſt rationis ſpecificæ omninò diuerſæ à Materia elementari, quæ tranſmutationi ſubiecta eſt.

Neque dicas. In materia Cæli eſſe potētiam remotam ad tranſmutationem; nam iſta potentia remota materiæ videtur fictitiè excogitata ad effugiendam vim argumentorum in contrarium, iſta enim potētia remota nunquam reducitur ad actum eſt

eſt ergo omninò fruſtratoria, vnde benè notat *Ariſt.* 1.*Cœli t.*32.*fruſtra calceamẽtum hoc dicimus, cuius non eſt calceatio.*

Reſpondeo. Idem argumentum poſſe vrgeri in materia Cœlorum, nam materia Solis, verbi gratia, nunquam poteſt tranſmutari, admittendo in ſe formam Lunæ, & tamen materia Solis non eſt diuerſa ſpecie à materia corporis Lunaris; ſicuti ergo quamuis Cœli, & aſtra non poſſint inuicem tranſmutari; non ſequitur eorum materias eſſe diuerſas ſpecie, ita quamuis Corpora cœleſtia,& elementaria non poſſint inuicẽ immediatè tranſmutari, non indè ſequitur Cœleſtem materiam eſſe ſpecie diuerſam ab Elementari; codẽ modo infringitur aliud argumentum, quòd fruſtrà ſit,& fictitiè excogitata potentia iſta remota, nam tale aliquid debent vel inuiti reſpondere Aduerſarij.

Reuerà autem talis potentia remota non eſt fruſtrà, quia licèt non reducatur ad omnem prorſus actum, ad quem reducibilis eſt, reducitur tamen ad aliquem actum, habet enim aliquam formam Cœleſtem, neque enim fruſtrà eſt potentia viſiua in Homine, quamuis non eliciat omnes actus viſionis, quos poteſt elicere;& iuxtà hæc ſunt intelligenda verba *cit. Ariſt.*

Obijces tertiò. Homo quamuis habeat animam immortalem, & corpus mortale, non dicitur immortalis, ſed mortalis, ergo ſi Cœlum ponatur habere formam incorruptibilem, & materiam, cui non repugnet corruptio, debet potiùs dici corruptibile, quàm incorruptibile.

Reſpondeo. diſparitatem eſſe quia Anima Rationalis eſt vnita materiæ, & corpori modo ſolubili, & ſeparabili, vt patet in morte Hominis, quæ nihil eſt aliud, quàm ſeparatio Animæ à Corpore. At forma Cœli eſt vnita materiæ Cœli modo inſeparabili, aut incorruptibili, patet enim nunquam à materia Cœli fuiſſe ſeparatam formam Cœli; ideò Cœlum dicitur ſimpliciter, & abſolutè incorruptibile.

Colligite ex his primò. Cœlum eſſe omninò incorruptibile, non quidem ratione materiæ, quæ quantum eſt de ſe capax eſt tranſmutationis, & corruptionis, quatènus eſt origo, & radix omnis corruptionis,& tranſmutationis, ſed ratione formæ nobiliſſimæ, & propemodum Diuinæ, quæ omnem tranſmutationem,& corruptionem à Cœlo reijcit, ſua virtute reſiſtitiua, impediẽs,nè qualitates contrariæ in materiam Cœleſtem introducantur.

Colligite ſecundò, poſſe, & de facto eſſe allatam rationem naturalem ad probandam identitatem ſpecificam materiæ cœleſtis,& ſublunaris; argumentum enim petitum ex eo, quòd non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate, magni fit ab illis ijſdem Authoribus, negantibus talem Demonſtrationem, eoque vtuntur cùm Nominalium Schola ad impugnandum modum Relationis, & alias entitates modales, ergo etiam in præſenti materia, Argumentum illud habet ſuam vim & efficaciam iuncta præſertim facili Argumentorum in contrarium ſolutione; non ſemper eſt afferenda Demonſtratio mathematica, nec de omni obiecto poteſt haberi, vt ex Ariſt. alibi oſtendi in qua re eſt notabilis.*tex.*1.*Meth.c.*9.*Eruditi eſt, eatenùs exactam in vnoquoque genere explicationem, requirere, quatenùs dari eius natura patitur, nã & Mathematicũ vtẽtem ſuaſionibus approbare, & ab Oratore demonſtrationẽ exigere, ſimile vitium videtur.*

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE PROPRIETATIBVS, SEV ACCIDENTIBVS COELI.

Proprietates Cæli, ſeù mauis dicere, Accidentia, ſunt, Motus, Soliditas, ſeù Fluiditas, iuxtà varias Sententias; *Lumen, & Influentia. His perſpectis innoteſcet meliùs, & clariùs ſe prodet Eſſentia, & Natura Cœlorũ, vt enim habemus ex* Ariſt 1. de Anima t. 11. Accidentia conferunt ſecundum magnam partem ad cognoſcendum ipſum quid eſt, *vbi per* τὸ quid eſt, *eſſentia, & Natura rei phraſi Ariſtotelica intelligitur*.

LECTIO I.

An Cælum moueatur, & quo motu.

NVllus Philoſophorũ, aut Aſtronomorum, quem legerim, ponit Cœlum, & Terram, vtrumque, ſcilicet, hoc corpus naturale, eſſe immobile, & ſtare, aut vtrumque moueri, ſed omnes in duas extremas abiere Sententias; Aliqui enim Cœlum moueri, & Terram ſtare, & quieſcere; alij Terram moueri, & Cœlum ſtare, atque quieſcere, poſuere.

Vt quid probabilius dici poſſit, videamus.

Suppono, Quæſtionem hanc eſſe de motu locali, nam nullo alio genere motus poteſt Cœlum, aut Terra moueri, cũ enim Viuentia, & Corpora animata non ſint, non poſſunt moueri motu ſpirituali Intellectionis, qui eſt proprius Animæ Rationalis: nec motu ſenſationis, qui eſt proprius animæ ſenſitiuæ; nec denique motu augmentationis, aut generationis qui eſt proprius animæ vegetatiuæ; ſolũ ergo eſt Quæſtio de motu locali.

Suppono ſecundò. Motum localem alium eſſe mixtum, alium ſimplicem. Motus mixtus competit corpori mixto; motus ſimplex competit corpori ſimplici; motus ſimplex aut eſt rectus, aut circularis. Circularis fit circà medium, & per lineam circularem æquè diſtantem à Centro Mundi, ſeù à medio; Motus rectus fit per lineã rectam, & eſt, vel à medio, & ſurſum; vel ad medium, & deorsũ. motus verò mixtus eſt is, qui neque fit per lineam circularem æquè diſtantem à Centro Mundi, neque fit per lineam rectam ſurſum, aut deorſum, ſed eſt compoſitus ex aſcenſu, & deſcenſu; quare motus molæ fabri, aut rotæ figuli, quamuis circularis fit, eſt mixtus, quia conſtat ex aſcenſu, & deſcenſu, & non fit per lineam circularem æquè diſtantem à medio, ſiuè à Centro Mundi.

Suppono tertiò, quatuor motus locales excogitatos fuiſſe ab Aſtronomis in Cælo. Primus appellatur motus Diurnus, qui peragitur ſpatio viginti quatuor horarum, & fit ab ortu in occaſum, & tri-

Digitized by Google

buitur Primo Cælo, ſeù Primo mobili; alter eſt motus retrogradus proprius Planetarũ, quo motu videntur Planetæ retrogredi, & retrocedere ab occaſu in ortum; Tertius denique eſt motus, quem appellant trepidationis, ſeù motum acceſſus, & receſſus, & hoc mouentur ſtellæ fixæ, quæ dum modo accedunt, modo recedunt, videntur quodammodò tremere, & trepidare. Quartus, quidam motus tardiſſimus eſt.

De motu diurno, qui ſpatio viginti quatuor horarum, abſoluitur, & per quem Dies naturalis conſtituitur, potiſſimùm præſens Difficultas procedit.

Fuit ergo Antiquorum Sententia, Terrã moueri circulariter, & quã quã verſus circundare Cælum; & Cælum quieſcere, ac ſtare immotum.

Ità *Nichœas Syracuſius, Philolaus. Ponticus Heraclides, & Ecphantus. Pythagoras apud Sax q.13. artic. & q.24. & apud Simpli de Placitis Pythag.*

Ex Recentioribus Aſtronomis ſequuntur hanc Sententiam *Copernicus de Reuolut. orbium cœleſt. Didacus Aſtunica in Iob. Galilæus in quadam epiſtola ad Magnum Hetruriæ Ducem. Gulielmus Gilbertus in ſuo opere de magnete lib. ſexto. Andræas Cæſalpinus lib. Peripat. quæſt. q.4.*

Altera Sententia ponit, Terram immobilem, ſeù immotam ſtare, atque quieſcere, Cælum circa Terram moueri.

Hanc ſententiam docuit varijs ſuæ Doctrinę locis *Ariſtoteles*, quem omnes *Philoſophi, Theologi, Aſtronomi omnes* ſequuntur, imò *Sacra Card. Congregatio deputata ad Indicem Libr. ſub Paulo V. peculiari Decreto ædito die* 5. *Martij Anni* 1616. Contrariam opinionem omninò damnauit, & reiecit.

Concluſio, Cælum, & Aſtra mouentur, Terra ſtat immota, & quieſcit.

Probatur primò Auctoritate Sacræ Scripturæ. *Eccleſ. c.1. Terra autem in æternum ſtat, oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem. Pſal. 92. firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Pſal. 101. fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum Sæculi. Paralip. 16. Deus fundauit orbem immobilem.*

Probatur ſecundò, Auctoritate *Ariſt. 2. Cæli à t. 72.* vſque ad finem, vbi ex profeſſo probat, Terram eſſe Centrũ Vniuerſi, eſſe in medio, & immobilem ſtare, eodem *lib. 2. c. 3. t. 18. neceſſe eſt igitur Terram eſſe, hæc enim quieſcit in medio.*

Confirmatur ex hiſtoria *Ioſue* 10. vbi vt miraculum narratur, quòd Sol orante Ioſue ſteterit, & Luna ſpatio vnius Diei.

Confirmatur ſecundò ex hiſtoria Ezechiæ, in cuius gratiam Deus reduxit vmbrã per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz retrorſum decem gradibus, vt habetur 4. *Reg. 20. retrò redijt Sol, & addidit Regi vitam.*

Probatur Tertiò: Auctoritate Sanctorũ Patrum, qui docent Cælos ab Angelis moueri, vt apertè docent *Philaſtrius, & Diodorus Tarſenſis apud Tannerum diſp. 6. q. 4. d. 3.* vbi appoſitam Sententiam hæreſis, vel erroris nota damnatur; denique acceſſit Decretum Sacræ Congregationis, de quo ſuprà.

Probatur quartò pluribus Rationibus, Quarum Prima eſt. Terra eſt Centrum reſpectu Vniuerſi, imò eſt Centrum reſpectu Cæli, & quidem Centrum grauitatis, vt loquuntur Aſtronomi, ſed de ratione Centri eſt, quòd moto Corpore, non moueatur; ergo Terra ſtat immobilis, & quieſcit. Maior patet quia ad Centrum requiruntur duo, & quòd ſit in medio, & quòd ſit ferè inſenſibile, vtrumque habet Terra, quæ & eſt in medio totius Vniuerſi, & Cæli, & reſpectu vtriuſque ſe habet, vt punctum, vt cõmuniter aſſumunt Aſtronomi. Præterea omnia grauia tendunt ad Centrum; ſed omnia grauia tendunt ad Terram, ergo ipſa eſt Centrum. Minor etiam facilè probatur quia: hæc eſt differentia inter Centrum grauitatis, & magnitudinis, quòd Centrum grauitatis illud eſt, quod moto Corpore nõ mouetur; Centrum verò magnitudinis eſt illud, à quo lineæ ductæ ad circumferentiã ſunt æquales, ergo.

Secunda ratio eſt quia. Si Terra moueretur, vel moueretur motu recto, vel moueretur motu circulari, neutrum dici poteſt; ergo. non poteſt moueri motu recto, quia uerſus quamcumque partem moueretur, aſcenderet, patet quia, moueretur verſus Cælum, quod vndequaque Terram circumambit, & claudit. Sed nec poteſt moueri motu circulari, aliàs ſequeretur Vrbes ferè ſingulis Horis Climata, & Zonas mutare, quod eſt contrà experientiam, Noſtra enim Neapolis, quàm incolimus ſemper eadem verna temperie, ſemper eadem Cæli benignitate fruitur, vix medio hyeme frigoris rigorem ſentimus, & æſtate media caloris incendia facilè toleramus temperantibus Zephyris cõtinuò flantibus Æſtus, Soliſque ardores, ergo.

Confirmatur quia quod mouetur circulariter, (excepta prima Sphæra,) mouetur pluribus motibus, & obliquè fertur, ſed Terra non poteſt moueri pluribus motibus, aut obliquè ferri, quia tunc non vniformiter ſe haberet ad Stellas fixas, & tamen oppoſitum patet ad ſenſum, oriuntur enim, & occidunt ſtellæ fixæ ſemper in eodem loco reſpectiuè ad Terram; ergo.

Tertia ratio eſt quia. Idem eſt motus totius, & partis, vt ſuprà probauimus ex *Ariſt.* 1 *Cæli t.*72. Sed videmus partes Terræ ſolo motu recto ad mediū moueri, ergo & tota Terra ad medium, & ad ſeipſam mouetur.

Quarta Ratio eſt quia, omne Corpus naturale adepto ſuo fine, & loco quieſcit, ſed locus naturalis Terræ eſt medium Cæli, & Vniuerſi, ergo quando ipſa eſt in medio quieſcit, & non mouetur.

Reſpondebis cum Tychone Brahe *Epiſt. ad Mathematicum Lantgrauianum*; Terræ locum non eſſe medium Vniuerſi, & Cæli, quia in tali medio ſedet Sol, ſed Terræ locum eſſe in medio Planetarum, ità vt ſub ſe habeat, Venerem, Mercurium, & Lunam, & ſupra verò Martem, Iouem, & Saturnum.

Sed cōtrà eſt quia. Terra eſt Corpus grauiſſimum, ergo non poteſt eſſe ſuprà Ignē, & Aerem, imò & ſupra aliquos Planetarū, grauiſſimum enim ſubſtat omnibus, ſicut leuiſſimum omnibus ſupereminet, ex 4 *Cæli t.*26. Deindè Sol, ſicuti Pater eſt luminis, ità debet omnibus Planetis lumen impartiri, ſed id meliùs præſtat, ſi ponatur in medio Planetarum, ergo non in medio Mundi, ſed in medio Planetarum debet Sol poni.

LECTIO II.

Argumenta Contraria Soluuntur.

NOn deſunt diuerſi Generis Argumēta, quibus Terræ Motum, & Cæli Quietem conentur euincere Auctores Cōtrariæ Sententiæ.

Obijciunt ergo primò. Auctoritatem Sacræ Scripturæ *Pſal.* 113. *à facie Domini mota eſt Terra. Iob.* 9. *qui commouet Terrā de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.*

Confirmatur primò quia. Terra hebraicè dicitur, *eretz*, quod currere, & circumuolui ſignificat. Confirmatur ſecundò Auctoritate *D. Auguſtin.* 2. *de Gen. ad litteram cap.*10. *Ità rem poſſe ſaluari per motū Terræ immoto Cælo, ſicut ab alijs ſaluatur per motum Cæli immota Terra.*

Reſpondeo primò. ea Scripturæ loca eſſe intelligenda de motu Terræ ſecundum eius partes, non ſecundum totum; vel intelligi de motu Terræ, cuius duo genera aſſignat *Ariſt.* 2. *Meteor.* 2. tremor, & pulſus; tremor fit, cùm Terra modò ad hanc, modò ad illam partem inclinatur; pulſus, cùm ex imo Terra concutitur, & ſurſum, deorſumque iactatur; qui motus non in omni Regione, & omni Tempore, ſed rarò, & aliquibus in Regionibus, præſertim vero in Inſulis, & locis Cauis, atque fungoſis accidit.

Ad primam Confirmationem dico. fortaſſe Hebręos fuiſſe in illa opinione, vel Terrā dici *eretz*, à motu ſecūdū partē. Denique patet *D. Auguſtinū* loqui de poſſibili, non de facto, neque enim putandum eſt, *D. Auguſtinum* voluiſſe apertis teſtimonijs Sacræ Scripturæ in contrariū, contradicere.

Obijcies ſecundò. Auctoritatem Ariſt. qui 2. *Phyſ. t.*3. Definit naturam, quòd ſit Principium motus, & quietis; ergo Terra mouetur etiam aliquando. Confirmatur quia, ex eodem *Ariſt. lib.* 4. *Cæli t.* 31. graue eſt, quod mouetur deorſum, & leue ſurſum, ergo Terra ſaltem motu recto deorſum fertur, & 1 *Cæli t.*72. habet, *quò vna gleba, & tota Terra fertur*, ſed partes Terræ tendunt deorſum, ergo.

Reſpondeo ad primum locum, naturam eſſe Principium motus, & quietis, ità vt particula, *ET*, ſumatur disiunctiuè, non copulatiuè.

Prætereà dico, Terram quoque moueri, & quidem motu naturali, quando extrà proprium locum, & ſedem violēter detinetur; at non quando eſt in propria Sede, & loco. In eodem ſenſu intelligenda ſunt, & explicanda alia verba Ariſt.

Obijcies Tertio. Terra indiget Cælo, non Cælum Terra, ergo potius Terra voluitur circà Cælum, quam è contra, vti caro, quæ aſſatur, voluitur circà Ignem, non è contra.

Confirmatur quia; non debet fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora, ſed per motum ſolius Terræ poteſt regi Vniuerſum, ergo debet poni, Terram ſolam moueri, & negare motus plures, & plures Orbium Cæleſtium, & Stellarum.

Confirmatur ſecundò. facilius mouetur Terra, quā orbes cęleſtes, Terra enim minimę eſt quantitatis cōparatiuè ad Cælū, reſpectu

Digitized by Google

pectu cuius ab Aſtronomis dicitur eſſe inſtar puncti, & quælibet Stella minima maior eſt Terra.

Reſpondeo. Terram indigere Cælo, vt ab illo regatur, & gubernetur, & conſequenter paſſiuè ſe habere reſpectu Cæli, à quo & lumen recipit, & influxus, & ideò non poteſt circà Cælum moueri, aliàs actiuè ſe haberet, & potius regeret, quàm regeretur.

Prætereà regimen Vniuerſi meliùs ſaluatur per motum Cæli circà Terram, quia ità meliùs Stellæ, & Planetæ communicant ſuos influxus, & qualitates omnibus Terræ partibus.

Ad primam Confirmationem non æquè benè ſaluari per ſolum motum Terrę regimen Vniuerſi, vt patet ex Rationibus adductis; Prętereà Opinio probabilis eſt, Vnū eſſe Cęlum, ſicuti vna eſt Terra.

Ad Secundam Confirmationem dico, facilius parua corpora, quàm magna moueri, quando cętera ſint paria. at non ſunt cętera paria in caſu noſtro, quia Terra, quamuis paruum ſit corpus reſpectiuè ad Cęlū, tamen ſummè grauis eſt, vndè ſumma ſui grauitate, & ponderoſitate, quàm difficillimè poteſt moueri.

Obijcies quartò: Motus primi mobilis eſt efficaciſſimus, ergo debet ſecum rapere nō ſolum Orbes cęleſtes, ſed etiam Terram; imò faciliùs Terram, quę minor eſt, & non habet motum contrarium, quem tamen habent orbes cęleſtes inferiores primo mobili.

Reſpondeo: Terram eſſe ſummè grauem & longè diſtantem à primo mobili, ideò non poſſe ab illo rapi.

Obijcies quintò. Saturnus, Mars, Venus, & Mercurius mouentur circà Solem; Stellę Borbonię mouentur circà Mercurium; Stellę Medicęę circà Iouem, et denique Stellę Auſtriacę circà Saturnum, & vniuerſaliter Stellę minores mouentur circà maiores, ergo Terra, quę eſt Orbis minor, mouebitur circà Cęlos.

Confirmatur quia Terra eſt figurę circularis, ſed talis figura eſt maximè apta ad motum circularem, ergo. Minor probatur, quia Cælum Empyreum, quia quieſcit, eſt figuræ quadratæ, ergo Terra ideò eſt figuræ circularis, quia circulariter mouetur.

Reſpondeo. grauitatem, & ponderoſitatem Terræ obſtare, nè moueatur motu circulari, quæ grauitas, & ponderoſitas nō reperitur in ſtellis aſſignatis.

Ad Confirmationem dico. Terræ à Platonicis fuiſſe attributam figuram Cubam, ab alijs fuiſſe attributam Figurā Tympani, ab alijs figurām Pini, vt refert *Damaſc. lib.2. de Fide orthodoxa c. 9.* Sed dato, Terram eſſe figuræ ſphæricæ, indè non argui, eam circulariter moueri, nam illa figura, licèt conferat ad motum, non tamen eſt contraria quieti, & quidem ideò Terra eſt figuræ globoſæ, & ſphæricę, vt partes eius, quæ ſemper ad Centrum, & ad medium mouentur, æqualiter diſtent à Centro.

Obijcies Sextò: Corpori nobiliſſimo debetur nobiliſſima paſſio, ſed Cælum eſt corpus nobiliſsimum, ergo illi debetur potius quies, quàm motus, quies enim nobilior eſt motu, omnia enim Corpora naturalia ad quietem, tanquam ad finem, ordinantur.

Reſpondeo. Corpora naturalia ordinari ad quietem in proprio loco, ſede, & Centro, & ideò quies terminans motum Corporis ad proprium locum, eſt perfectior motu, ſed quies oppoſita motui ordinato ad communicandam ſuam virtutem pluribus, & ad regimen Vniuerſi non eſt nobilior motu, ſed ignobilior motu, qui Cælo competit etiam dum eſt in proprio loco, non eſt otioſè, ſed communicatiuè, & actuoſè.

Obijcies ſeptimò. exiſtentibus in naui videntur litora, & Vrbes moueri, cùm nauis ipſa reuerà moueatur, & conſequenter motus ille litorum, & Vrbium, eſt apparens, non verus, & realis, ergo à pari, motus cœli non eſt realis, ſed apparens habitantibus in Terra, quæ verè, & realiter in gyrum mouetur, & circumfertur.

Neque dicas. Senſus decipi, & falli, at rem hanc iudicandam eſſe Intellectu, & ratione.

Cōtrà enim eſt quia: ex *Ariſt.* 1 *de Gen. t.* 19. *ſenſus ſcientia habet virtutem.* & 1. *Cœli t.* 22. *Videtur Ratio iis quæ apparent. atteſtari, & ea, quæ apparent rationi.*

Reſpondeo. ex eo conuinci euidentem diſparitatem inter motum Terræ, & motum nauis; quòd ſi quis exiſtens in naui, ſagittam cœlum verſus eiaculetur, redit ſagitta, non in nauim, ſed in locum, & ſitum longè à naui diſtantem; at è contrà exiſtens in Terra, ſagittam eodem modo eiaculetur, redit ſagitta ad eundem ſitum, & locum, vndè eiaculata eſt: patet ergo Terram non moueri, ſed ſtare; ſi ergo Terra ſtat, debet cœlum neceſſariò moueri, nullus enim aſſerit, vtrumque hoc corpus ſtare, & quieſcere, non ergo motus cœli eſt apparens, ſed verus, & realis.

LE-

Digitized by Google

LECTIO III.

Motor Cœli, & Rotator.

SVppono certum iam eſſe iuxtà Principia Diuinæ,& Catholicæ Fidei, ac iuxtà communem Theologorum,& Philoſophorum Sententiam, cœlos non eſſe animatos; habetur enim in Concilio Lateran. *Cap. firmiter de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Non alia cognoſcitur natura Intellectualis præter Angelicam, & Humanam.* Conſequentor ex his certò deducitur cœlum à propria forma non moueri, vti mouentur cætera Viuentia, & animata; ideò cœlo data eſt à Natura figura globoſa, quæ eſt omnium figurarũ minimè motiua motu vitali, quia vt habet *Ariſt. 2. Cœli t. 59. nullum habet Inſtrumentum ad motum, & t. 49.* docet Aſtra non moueri proprio motu,& à ſe, quia *nullum habent organum, neque dicendum eſt, naturam habuiſſe curam animalium, & hæc tam pretioſa deſpexiſſe.*

Quia verò dãtur corpora, quæ licèt viuentia,& animata non ſint, tamen à propria eorum intrinſeca virtute mouentur, vt Elementa, quæ ab innata grauitate, & leuitate mouentur, ſiuè deorſum, ſiue ſurſum, ideò locus eſt difficultati. *An* cœli à propria forma intrinſeca, vel innata aliqua virtute intrinſeca mouẽatur, an ab extrinſeco aliquo Principio,& Motore.

Suppono etiam, certum eſſe, non eſſe vllam repugnantiam in hoc, quòd cœli à propria forma, aut innata aliqua virtute intrinſeca moueantur, ſicuti de facto mouentur Elementa; Procedit ergo Difficultas de facto,& quid ſit connaturalius naturę, ſtatui,& conditioni cęlorum; Et quidem ſermo eſt de principio non paſſiuo, ſed actiuo, nam principium paſſiuum motus cęleſtis eſt materia prima, quæ cęlo, ſicuti & omni corpori naturali intrinſeca eſt,& altera pars componens.

Primò ergò. Nonnulli poſuerunt cœlum moueri à principio intrinſeco, ſeù propria eorum forma.

Ità ex Antiquis *Democritus, Epicurus, & Straton Lãpſacenus*; ex Modernioribus *Io. Maior 2. Cœli t. 5. Alber. de Saxonia 8. Phyſ. q. vlt. Kaleſ. Contr. 11. Phyſ. Gab. In 2. diſt. 12. q. 1. Baſſolis q. 2.* nouiſſimè *Taſſonus in ſuis Quæſitis q. 5. & alibi* poſuit cęlũ moueri à calore, quem etiã poſuit eſſe formã Orbium cœleſtium. Tenentur huic Sententiæ ſe ſubſcribere omnes illi, qui poſuerũt cœlum eſſe animatum,& viuens, omnia enim animata,& Viuentia ſeipſis,& à propria forma, ſeù vita mouentur.

Secundò alij ponunt cęlum moueri ab extrinſeco Principio, quod licèt aliqui dicant eſſe Deum; communiter tamen in vtraque Schola, Philoſophica ſcilicet,& Theologica, certum eſt, cęlum moueri ab extrinſeca aſſiſtente Intelligentia, ſeù Angelo. Auctores huius Sententiæ fusè relatos habes apud *Amicum to. de Cœlo tract. 5. dub. 2. art. 2. apud Conimb. 2. de Cœlo t. 5. q. 5. ar. 2. Ruuium lib. 2. q. 8. Aurſam q. 34. ſect. 7.* & alios innumeros.

Imò *D. Thomas q. 6. de Pot. art. 3.* putat Sentẽtiam Fidei, quòd *Angeli* ſeù ſubſtãtiæ ſeparatæ moueant corpora cęleſtia; *D. Bonau. in 2. d. 14 art. 3. q. 2.* docet, eam Sententiam eſſe Rationi,& Fidei magis conſentaneam.

Concluſio ſit. Motor cęli, ſeù Rotator eſt Intelligentia Aſſiſtens, ſeù *Angelus*.

Probatur primò. Auctoritate *Ariſt. 8. Phyſ. t. 52. moueri enim ab alio, & eorum, quæ sũt in Cęlo quibuſdam principijs ineſt, quæ ſecundum plures feruntur lationes. 12. Met. c. 8. t. 43. videmuſque præter ſimplicem lationem totius, quam dicimus primam ſubſtantiam, & immobilem mouere, & cæteras etiam lationes, quæ errantium ſunt, ſempiternas,*& paucis interiectis. *neceſſe eſt harum quoque lationum vnamquanque à parte immobili, & æterna ſubſtantia moueri* & paulo infra. *Conſtat itaque neceſſe eſſe, tot ſubſtantias eſſe natura perpetuas, & per ſe immobiles, ac abſque magnitudine ob cauſam priùs dictam.*

Probatur ſecundò quia omne Corpus naturale, quod mouetur à propria forma, aut etiam motiua virtute intrinſeca, mouetur ad acquirendum proprium,& naturalem locum, vt patet in Elementis,& mixtis inanimatis, quæ mouentur virtute prædominantis Elementi; mixta verò animata, ità mouentur ab Anima, vt tamen in ijs vna ſit pars immota, quæ reliquas moueat. Sed Cœlum mouetur non ad acquirendum proprium locum, vti mouentur Elementa,& mixta inanimata, quia ſemper ſunt in proprio loco naturali, neque mouentur, ità vt in ijs vna pars immota reliquas moueat, quia Cœlũ nec eſt animatũ, nec in eo aſſignabilis eſt pars immota, quæ reliquas moueat, quia motus Cœli eſt vniformis,& regu-

la-

laris, atque adeò non eſt aſſignanda pars immota,& partes, quæ mouentur,ergo à propria forma, aut naturali virtute non mouentur.

Probatur tertiò. quia in fine, & conſumatione Mundi, Cœli quieſcent à motu, ergo ſi de facto mouerētur ab intrinſeca forma,ſeù virtute,quies illi eſſet violenta, & miraculosè per totam æternitatem in quiete illa perdurarent, quod eſt abſurdum,ergo.

Quòd autem Motor Cœli, debeat eſſe Subſtātia ſpiritualis, & immortalis patet, quia,ſi eſſet ſubſtantia materialis, & corporea, in mouendo Cœlo defatigaretur, defatigatio enim conueuit potentijs indigentibus organo ad operādum, ſed ex tali defatigatione maximum oriretur incōueniens,nempè deordinatio, & maxima confuſio totius Vniuerſi, vndè habet *Ariſtot. 2. Cœli t. 3. Cœlum moueri ſine labore, quia nullam habet reſiſtentiam ad motum, quo fertur,* ideòque eſſe irrequieſcibile,*&* 8.*Phyſ.c.vlt docet,id,quod mouet circulariter, eſſe immobile,aliàs non poteſt cōtinuare motum circularem, quia defatigaretur*, & 12.*Met.c.*8.*monet, quòd quia Cœlum eſt irrequieſcibile, debet moueri à ſubſtantia per ſe immobili,& æterna*.

Quòd etiam talis ſubſtantia debeat eſſe intelligens.patet ex eo,quia motus Cęli eſt ordinatiſſimus, ſed Intellectus eſt cauſa ordinis,ex 1.*Met.c.*2.ergo.

Obijcies primò. Si motus Cęli eſſet ab extrinſeco,talis motus eſſet illi violentus, quia motus ab extrinſeco motore eſt violentus mobili. Confirmatur, quia ſi forma cęli non moueret cœlum,eſſet in cœlo otioſa, quia ad nihil inſeruiret, ergo.

Reſpondeo, tunc motum eſſe violentum,quando ità eſt ab extrinſeco, vt mobile reſiſtat tali motui,in caſu noſtro Cęlum non reſiſtit, imò potiùs naturaliter ad talem motum inclinat, ideò non eſt violentus.

Ad Confirmationem nego, talem formam fore otioſam,quia inſeruiret ad cōponendum cœlum, tanquam altera compars,& ad excipiendum motum ab Intelligentia cauſatum.

Obijcies ſecundò.Si Intelligentia moueret cœlum, vna Intelligentia ſufficeret ad mouendos omnes cœlos, ſed hoc eſt contrà Ariſt.qui 12.*Met.t.*47.tot ponit Intelligentias, quot Orbes cœleſtes, ergo.

Probatur ſequela maioris. quia cęlum non habet grauitatem, nec reſiſtentiam, ergo vnica ſufficeret Intelligentia ad omnes cœlos mouendos,& rotandos.

Reſpondeo.Plures ex Philoſophis concedere ſequelam illam maioris, & aliqui volunt,vel formicam,aut etiam Infantem poſitum extrà cœlos, poſſe illos, vel vno digito mouere: Dico tamen non ſufficere vnam Intelligentiam ad omnes cęlos mouendos, quia Intelligentia debet eſſe præſens cœlo, quod mouet, ad hoc, vt poſſit illi imprimere, & impulſum aliquem dare, ſed vnus Angelus non poteſt eſſe præsens vni Cœlo ſecundum omnes eius partes,imò, vt probant Theologi *p.* 1.*q.*52. vnus Angelus ob limitationem ſuæ præſentiæ, non poteſt eſſe ſimul præſens in cœlo, & in Terra; ergo neque poteſt eſſe præſens omnibus cœlis, qui inter ſe magis diſtant, quàm cœlum à Terra.

Dico igitur, vnam Intelligentiam non poſſe mouere omnes cœlos ob eorum diſtantiam; & vaſtitatem, neque enim poteſt eſſe præſens omnibus cœlis.

Obijcies tertiò. Angelus non poteſt eſſe præſens,neque vni cœlo, & tamen quilibet Angelus mouet vnum cęlum, ergo quòd Angelus non poſſit eſſe præſens omnibus cœlis, non obſtat, quò minus poſſit cęlos omnes mouere; Confirmatur, quia Intelligentia mouet cęlum per Intellectum,& Voluntatem, ſed Intellectus Angeli ſe extendit ad omnes cœlos, ergo.

Reſpondeo,quòd cùm cœlum ſit continuum, & magna ſit Virtus motiua in Angelo, poteſt cœlum totum mouere, quamuis vni parti tantum aſſiſtat,& præſens ſit, vt Figulus mouet rotam, etiam ſi toti Rotæ non ſit præſens.

Ad Confirmationem dico. cauſare motum non eſſe actum Intellectus,& Voluntatis,ſed potentiæ motiuæ, à qua cauſatur talis motus in cœlo, vndè ſicuti ait *Ariſt.* 1. *de Anima t.*64. quod dicere *Animam iraſci, ſimile eſt, ac ſi quis dicat, Animam texere aut ædificare*, ità dicere Intellectum Angeli mouere, idem eſt, ac dicere, Intellectum Angelicum texere, aut ædificare.

LECTIO IV.

An Cœli ſint Solidi, vel Liquidi.

NOto primò; non poſſe Philoſophos naturales de Soliditate cœlorum, ſicuti nec de eorum numero quidquam determinare, niſi aſſumant Perſonam aſtronomorum; Quid enim in cœlis fiat, quidue agatur in regionibus illis tàm longè diſtantibus à noſtro aſpectu, nequit Intellectus perſpicere, quia ope ſenſuum, oculorum præſertim, deſtitutus; à Senſibus enim, præcipuè verò ab aſpectu, & oculorum miniſterio, omnem noſtram naturalem oriri cognitionem testatur *Ariſt.* 1. *Met.* 1. & ipſa probat experientia. *A*ſtronomi ergo, vt aliquam ex regionibus illis remotiſſimis expiſcarentur cognitionem, varijs inſtrumentis, & tubis magna diligẽtia, & arte factis conati ſunt viſum, & aſpectum elongare, & in illas regiones inferre; obſeruarunt in cœlis plures motus, nouas Stellas, & Cometas, quos deinde in Philoſophantium Scholas innexere, & euulgarunt.

Hinc variæ Opiniones, & Sententiæ Philoſophorum exortæ ſunt, & omnes fundatæ in Obſeruationibus factis ab *A*ſtronomis, ac in ipſorum Fide, & teſtimonio, vndè vel ipſe *Ariſt.* 1. *Meteor.* 3. reprehendit quoſdam ex *A*ntiquis, quia non conſiderabant id, quod ſufficienter per Mathematica, & *A*ſtrologica Theoremata, oſtendebatur. Et 12. *Met. c.* 8. *t.* 44. ***Pluralitatem lationum ex peculiariſſima Mathematicarum Sciẽtiarum, uidelicet, ex Aſtrologia conſiderandam eſſe,*** oſtendit. Quibus tamen non obſtantibus,

Noto ſecundò; non ſemper, nec omnibus Mathematicis Obſeruationibus eſſe cùm *Ariſt.* 12. *Met.* ſupracit. credendum; non ſemper, nec in omnibus *A*ſtronomorum Fidei, & teſtimonio ſtandum. ***Si quid præter ea, quæ nunc dicta ſunt, ijs videatur, qui circà hæc verſantur; diligere vtroſque, adhærere verò certioribus.***

Et Ratio vlterius eſt quia. Non omnes *A*ſtronomi conueniunt in ijſdem Obſeruationibus, ſed vnus alteri contradicit; Aliquando Fides aſſerentium eſt ſuſpecta, vt fatetur *A*ſtronomorum celeberrimus *Tycho Brahe lib.* 2. *de Mundi Aetherei Phænom. c.* 10. *memb.* 2. *Thadæus Hagecius apud Tychonem* loco cit. retractat ſuas obſeruationes circà Cometam Anni 1577. Sæpè errant aſtronomi, accipiendo vnam Stellam pro alia, & ità erraſſe iam circà dictum Cometam, notat *Tycho* vbi ſuprà. Errant partim in computo, partim in lapſu temporis, quo fuit facta obſeruatio vitio Horologij, vel quia Inſtrumenta nõ fuerũt exacta, vt idem *Tycho Nolthio* obijcit.

Videtis planè quot erroribus Obſeruationes *A*ſtronomicæ ſubiectæ ſint, ideòque benè *Ruuius lib.* 2. *de Cœlo c.* 5. *q.* 2. Obſeruationibus huiuſmodi non fidit, niſi per multas annorum cẽturias à pluribus Mathematicis, & *A*ſtronomis periſſimis probentur.

Noto Tertiò. Plures eſſe obſeruationes, à quarum Fide dependet ſolutio Difficultatis propoſitę.

Prima eſt. Cœlum, non ſolùm moueri motu Diurno ſpatio 24. horarum ab ortu in occaſum, ſed etiam motu contrario ab occaſu in ortum. Prętereà moueri motu quodam laterali à Meridie ad Septentrionem, quo motu viſum eſt quodammodo Cœlum tremere, & trepidare, ideòque appellatus eſt ille motus trepidationis. Deníque moueri motu quodam omnium tardiſſimo.

Secunda eſt. Planetas aliquando viſos eſſe procedere, aliquando retrocedere, & eſſe retrogrados, aliquando immotos ſteтiſſe, ideòque dictos, Stationarios.

Tertia. eoſdem Planetas modo ad nos acceſſiſſe, modo receſſiſſe, modo appropinquaſſe Terrę, modo à Terra longè diſtaſſe, & remotos fuiſſe.

Quarta. In Sole, & Luna eſſe quaſdam maculas in figuram vallium, & montium, quibus proptereà Luna modo gibboſa, modo demiſſa apparet.

Quinta. Mercurium, & Venerem apparuiſſe inſtar Lunę plenę, & orbicularę, & circà Solem volui; quod etiam obſeruatum eſt de Stellis Mediceis, Borbonijs, & Auſtriacis circà alios Planetas.

Noto quartò. Certũ eſſe in Scholá Ariſtotelica, non poſſe vni corpori ſimplici competere niſi vnum motum ſimplicem, & conſequenter tot eſſe multiplicanda corpora cœleſtia, quot ſunt motus in cœlo obſeruati; Similiter quia certum eſt in eadem Scholá, cœli motum eſſe maximè vniformem, & regularem, non poſſe varietates obſeruatas in motibus Planetarum, & aliorum *A*ſtrorum vni motui conuenire

aliàs

aliàs nõ eſſet regularis,& vniformis, ideòque illas varietates refundendas eſſe in varietatem, & diuerſitatem corporis cęleſtis, per quod fit ille motus.

Prima ergo Sententia, quam defendunt nonnulli Philoſophorum, & Aſtronomorum Antiquiſſimi, poſuerunt Cœlos eſſe ſolidos. Hi tamen diuiſi ſunt inter ſe;nam aliqui pro multiplicitate, ac varietate motuum cœleſtium, & Planetarum,multiplicarunt,& variarunt numerum Cęlorum, ſtatuerunt enim Cœlos vndecim, pręter empyreum Sedem Dei, & Beatorum, quorum ſeptem pro ſeptenario numero Planetarum, & alias quatuor, nempè Primum mobile,Decimum Cœlum,Chryſtallinum,& Firmamentum,ſeù Cœlum Stellatum, in quo ſint 1022. notę magnitudinis Stellę.

Ità *Ptolomæus 1. Almag.cap.1. Plato in Timæo. Ioſeph 1. Antiq.1. Philo lib. de Gigantibus*, & alij innumeri non ſolum Philoſophi,& Aſtronomi,ſed etiam Sancti Patres, quos fusè relatos lege *apud Amicum tom. de Cœlo tract 5 q.5 art.2.Conimb.2.de Cœlo c.5.q.1.art.1.Auerſam q.32.Sect.6.*

Reliqui poſuerunt cęlos numero decem pręter Empyreum, nempè ſeptem pro ſeptem Planetis, octauum dant Stellis,nonum vocant primum mobile, decimum glaciale,ſeu Chryſtallinum,ita plures,quos citant *Conimb.vbi ſupra*, & refert *Arriaga diſp.de Cœlo ſect.4.ſubſect.1.n.46.*

Alij poſuerunt vnum Cœlum circumcirca fornicatum, in cuius circulis moueãtur, & rotentur corpora Planetarum, ità *Hurtad.hic diſp.2.q.1.§.20.ſed ante Hurtadum, Lucillus Philaltæus 2.de Cœlo com.7. circa t.51.* admiſit vnum Cœlum ſolidum, ſed in eo plures canales, cauitates,ſeu ſpiras, per quas Planetę mouerentur, et rotarentur.


Iterum illi,qui vndecim, vel decem Cęlos admittunt, in quolibet Cęlo totali admittunt Cęlos partiales numero tres;duos extremos, et vnum medium; duos extremos faciunt in circuitu inæquales,in vna medietate vaſtiores, et profundiores; in alia ſubtiliores; orbem medium in toto circuitu æqualem, duos extremos appellant concentricos, ideſt, habentes idem Centrum cum Centro mundi, tertium appellant eccentricum,quia non habet idem Centrum cum Centro mundi; mouetur Planeta in tertio orbe, qui propterea dicitur,deferens Planetam. Addunt denique Epicyclum,ideſt minimum circulum, ſeù circellum, intra quem Planeta rotetur, qui circellus eſt in orbe deferente; Putant hi Authores per huiuſmodi Cœlos partiales ſaluare omnes varietates, & diuerſitates motuum Planetarum, & quòd modò magis,modò minus diſtent à Terra, & quòd modo ſint retrogradi, modo Stationarij.

Hæc Sententia mihi videtur eſſe valdè cognata,& affinis Opinioni eorum, qui,vt refert *Albertus Magnus lib. 2. Cæli tract. 3.c.11.* aſſerebant,plures eſſe Cœlos, quàm Stellas,imò & cuilibet Stellæ correſpondere. 182. Cœlos, iuxtà numerum dierum, quibus Sol trãſit ab vno Tropico ad aliud, quaſi omni die tranſeat Stella ab vno Cœlo ad aliud.

Moyſes quidam Aegyptius tot poſuit Cœlos, quot ſunt Stellæ ſiuè errantes, ſiuè fixæ.

Eudoxus, & Calippus celebres Aſtronomi tempore Ariſtotelis, vt patet ex 12. *Met.t.47.* poſuere 47. aut etiam 55. Sphæras Cœleſtes,& diſtinctos Cœlos.

SYSTEMA PONENTIVM PLVRES COELOS.



COELI PARTIALES.



Digitized by Google


Denique *Auerſa q. 3 2. Sect. 6.* ponit vnum Cœlum ſolidum, & firmum, in quo ſunt omnia aſtra tàm errantia, quàm fixa; itá tamen vt cęlum ſit diſtinctú in plures amplas Zonas, ſeù faſcias, per quas aſtra diſcurrant.

Secunda Sententia ponit tres cœlos, nempè Empyreum, cęlum Stellatum pro Stellis fixis, tanquam nodis, & clauis in tabula, quod aplane appellant Græci, ideſt, non errans. denique aliud cœlum magnum pro Planetis, quod Gręci plane, ideſt, errans appellant. primos duos ponit ſolidos, & duros, tertium fluidum, & molle.

Ita *Iſidorus lib. 3. Aethim. c. 9. Riccardus Victorinus lib. 2. Except. c. 7. Anſelm. lib. 1. de Imag. Mundi c. 24. Hugo Carenſis Poſtillis in Gen. Blancanus in Sphara. Arriaga d iſp. vnic. de Cęlo ſect. 4. ſubſect. 2. Alios lege apud Tamnerum 1. par. d. 6. quæſ. 3. d. 2. num. 19.*

Tertia Sententia vnum ponit cœlum Sydereum, in quo ſunt omnia aſtra, tam, errantia, quàm fixa. Itá *ſentit D. Ioan. Chyſoſt. hom. 4. in Gen. & ſuper Pſal. 148.* vbi docet, *cõtradicere ſacris litteris Philoſophos, qui plures ponunt Cælos. Iuſtinus Martyr in Quęſt. ortodoxorum q. 57. Theodor. q. 11. in Gen. Clemens Romanus lib. 2. Recognit. D. Amb. lib. 2. exam. c. 2. D. Damaſcen. lib. 2. Fide c. 6.* ſequitur *Ouied. diſput. vnica de Cælo p. 3. S. 2. Tychon.* Brahe *accuratiſſimus* A*ſtronomus lib. 2. Progiſnaſm. c. 8.* per quod aſtra mouentur, vt aues in aere, piſces in mari. Et quidem tale cœlum Sydereum, liquidum, & molle ponitur.

SYSTEMA PONENTIVM VNVM COELVM.



Digitized by Google

Concluſio ſit. Vnicum eſt Cœlum Sydereum molle,& fluidum.

Probatur primò Auctoritate Philoſophi 12.*Met.c.*8.& 1. *Cœli.t.*90. vbi multis probat,Cœlum eſſe vnum, ergo fluidum, ſic enim melius ſaluatur pluralitas motuum, & apparentiarum. Confirmatur, quia 1.*Meteor.*3. ideò probat Cœlum nõ igneſcere, quia Stellæ per Cœlum diſcurrunt, quæ conſequentia non benè inferretur,ſi Cœli eſſent ſolidi, imò totum oppoſitum deberet inferri, nempè, Cœlos igneſcere, quia ex attritu corporis ſolidi,ignis elicitur,verba ſunt.*Stellarum etiã diſcurſus ſatis declarant,Cœleſte corpus neque calidum eſſe,neque igneſcere.*

Probatur ſecundo: quia poſita fluiditate Cœli, corporis cæteroqui vaſtiſſimi, & penè immenſi, ſaluãtur mira facilitate pluralitas motuum,& omnes apparentiæ,ſeù phænomena hucuſq;, ſiuè excogitata,ſiuè obſeruata diligentiſſimè ab Aſtronomis, & ex alia parte nõ multiplicãtur tot Cœli totales, partiales, Epicycli, circuli, & circelli, ergò tenenda eſt vnius Cœli fluiditas.

Conſequentia tenet, Antecedens probatur,quia plures motus obſeruati ab Aſtronomis benè poſſunt tribui pluribus aſtris, itàut vnumquodque Aſtrum, aut quælibet conſtellatio habeat ſuum motũ diſtinctum,atque diuerſum; Planetæ verò magis diſtant à terra, quando ſunt in Cęli ſuperficie cõuexa, minus quãdò ſunt in concaua; videntur retrogredi ſtare comparatiuè ad alios, qui citiùs mouentur, videntur procedere relatiuè ad eos, qui tardiùs,ergo data Cœlo fluiditate,ſaluantur omnes motus,& omnes apparentiæ.

Probatur tertiò, quia data Cœlorum ſoliditate cogimur, vel plures, & plures Cœlos totales,& partiales,Epicyclos,Circulos,& Circellos concedere, imò & de nouo multiplicare ad multiplicationem apparentiarum,quas de nouo, & ſæpè cũ errore deprehendunt Aſtronomi;vel ponere in Cœlo,corpore cęteroqui perfectiſſimò, plures canales,cauitates, & ſpiras, aut faſcias, per quas aſtra diſcurrunt ſalua,& incolumi Cęli ſoliditate,ſed tot Cęlos ferè in infinitum multiplicare ad libitum Aſtronomorum ſæpè errantium in obſeruationibus, videtur eſſe contrà bonam Philoſophiam.Canales verò,cauitates,& Spiras, ſeu etiam faſcias permeabiles admittere, videtur obſtare perfectioni corporis cœleſtis, quod propterea eſſet vndique perforatum, & in fruſtra conciſum,ergo.

Confirmatur quia. in Scripturis habemus aſtra moueri, & Planetas, non Cœlum,ergo pluralitas motuũ, & apparentiarũ eſt ſaluanda per multitudinẽ aſtrorum,non Cœlorum.Antecedens patet ex *Ioſ.*10.*ſtet Sol contrà Gabaon*,& alijs locis.

LECTIO V.

Argumenta in Oppoſitum Soluuntur.

Obijciunt primò Auctoritatem *Ariſt.* 1.*Cœli t.*42.vbi probat Ariſt. Aſtra in Cœlo non moueri, ſicuti piſces in mari, & aues in aere, & 1. *Meteor.* 3. habet motus rei ſolidæ, & Solis, & reliquorum Syderum aerem potiſſimum ſecernit.

Reſpondeo: Ariſt. primo loco cit.totũ eſſe in probando; Cœlum non eſſe infinitum,ſed tamen moueri tempore infinito, & moueri motu circulari, vbi an aſtra moueantur,vti piſces in mari,aut aues in aere, ſîn ſecus,nè verbum quidem facit. Ad ſecundũ tex.Solem dici ſolidum,ſumpta ſoliditate pro incorruptibilitate,non pro duritie,aliàs ſi Cœlum ſolidum eſſet, & durum,igneſceret per motum ſui, & ex colliſione cum Aſtris, quod eodem tex. negat Ariſt.vt patet.

Obijcies ſecundò. Auctoritatem Sacræ Scrip.*Iob.* 37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt.* Confirmatur quia de *D. Paulo* legimus 2.*Cor.*12.raptum fuiſſe vſque ad tertium Cœlum,ergo nõ eſt vnum Cœlum, ſed plures,& tres ad minus.

Reſpondeo primò. per ſoliditatem intelligi incorruptibilitatem, vel ibi exagerari Diuinam Omnipotentiam, quæ Cœlos alioquin fluidos, perindè ac ſi eſſent ſolidiſſimi, & duriſſimi immunes à corruptione, & illęſos ſeruat,vt ibi explicat *Pinedà.* Ad Confirmationem dico.nomine tertij Cœli intelligi Empyreum, quod dari,certũ eſt ex Sacris Scripturis,Theologis,& Patribus; vltra quę non nego,dari Cœlum aereum,quamdis enim non ità propriè nomen Cęli poſſit aeri attribui, in Scripturis tamen, imò & in communi modo loquendi etiam aer, Cœlum appellatur;volucres Cœli, Aues Cęli,familiaris eſt ſermo,vel in ipſis Scripturis Sanctis.

Obijcies tertiò; Si Cœli eſſent liquidi, ad nos defluerent, quod eſt contrà experien-

rientiam,ergo. Antecedens patet in aqua, quę ſi ponatur in ſublimi, ſtatim defluit, & deſcendit.

Reſpondeo. Cęlos non eſſe fluidos, & liquidos,vt aqua,& oleum,verbi gratia, ſed ſicuti eſt aer,qui firmus ſtat in ſuis regionibus, & ad nos non deſcendit,aut defluit.

Obijcies Quartò. Si Cœlum eſſet liquidũ, & per illud aſtra diſcurrerent, eſſet corruptibile,ergo. ſequela probatur quia, Aſtra Cœlum finderent, & diuiderent, ergo corrumperent, & deſtruerent, idem enim eſt corruptibile eſſe,& diuiſibile.

Reſpondeo. Nõ omne diuiſibile eſſe corruptibile:materia prima eſt diuiſibilis in ſuas partes entitatiuas,& tamẽ nõ eſt corruptibilis, ſed ſaluatur ingenerabilis, & in corruptibilis, diuideretur ergo Cœlum, & ſtatim reuniretur, vt videmus fieri in Aqua quæ diuiditur ad ingreſſum ligni,aut alterius Corporis, ſed ſtatim reunitur, & recontinuatur.

Obijcies quintò. Planetę mouentur duplici motu ab ortu in occaſum motu primi Mobilis,& ab occaſu in ortum proprio motu,at id non poteſt ſaluari, niſi Planetę ponantur eſſe in aliquo cœlo, quod vno motu moueatur, ipſi verò Planetę alio motu ſibi proprio moueantur: vt contingit in exiſtentibus in naui,qui duplici motu mouentur, nempè motu nauis,et motu ſibi proprio; benè enim vni Corpori ſimplici poteſt competere duplex motus, vnus per ſe,alter per accidens, at non poteſt duplex motus per ſe competere.

Reſpondeo. à Philoſophis plurimis oſtendi,nec Corpori ſimplici,nec compoſito,poſſe duos motus ſimul neque per ſe, neque per accidens competere, quia aliàs idẽ Corpus eſſet in duplici loco, & duas haberet vbicationes. ſed dato, id non repugnare, vt multi defendunt, quia eſſet motus circularis, & fieret ſuper diuerſos Polos. Dico,verè Planetas non moueri duplici motu; Sed vno, qui cùm ſit tardior, videntur Planetæ quodammodo retrocedere à loco, ad quem feruntur.

Obijcies ſextò:ſi cœlum eſſet fluidum, maximus ederetur Sonus armonicus, & concentus, ſi enim, auicula ſe ſe mouentę per aerem, Sonus efformatur,& auditur;à fortiori, cùm ſe mouent tot Aſtra errantia, & fixa per cęlũ,ſonus maximus,& armonicus ederetur,vt volebat *Pythagoras*, quẽ latè impugnat *Ariſt.* & quia eſt cõtrà experientiam,non enim talis motus exauditur; & quia maximi ſoni deſtruunt vel inanimatorum corpora,vt ſonus tonitrui lapides, & corpora validiſſima diſſipat, id autem non facit Cęlum, vt patet experientia,& docet *Ariſt. 2. Cœli t.* 51.52.

Reſpondeo in primis; Cęlo Sonum armonicum concedere,non eſſe ità abſonũ, & inconueniens, vt ſupponitur, habemus enim ex Scripturis, *Concentum Cæli quis dormire faciet, Iob.* 3. nec obſtat, quòd à nobis non exaudiatur, quia aſſueti mundi rumoribus,concentum Cæli audire nõ poſſumus,vt fabri ferrarij ob conſuetudinem alios in platea loquentes,aut etiã cãtãtes,nõ exaudiunt; *Pythagora* exẽplũ eſt.

Sed hæc dicta ſint concinnè, & muſicè. Ad Argumentum, Dico, ſonum nõ edi,quia ſoni Cęlum eſt incapax,ſicuti nec igneſcit, quia incapax eſt ignitionis, nec poteſt Ignem vllo modo concipere.

Dices *Diſp. IV. Lect. XII.* ſæpè facta eſt mentio de primo Mobili, quod diximus moueri motu regulatiſſimo,ab eoque deſumi, tanquam à prima menſura omne Tempus, ſed ſi datur Primum Mobile, debent quoque dari & alij Cæli, non ergo vnum eſt cælum, ſed plures ponendi ſunt cæli.

Reſpõdeo. nomine motus Primi Mobilis à nobis intelligi motũ Stellarũ fixarũ, qui omniũ eſt regulatiſſimus, & maximè vniformis,licèt & alij quoque motus Planetarum regulares ſint,& vniformes,quia directi ab Intelligentia Aſsiſtente.

LECTIO VI.

Quæſtiones aliæ Reſolutæ.

CErtum eſt motum Cęli eſſe ordinatũ ad regimen,& gubernationem Vniuerſi;Regit ergo, & gubernat cęlum inferiora hæc,cauſando calorem, impartiendo lumen, & influendo alias qualitates nobis occultas, quibus indigent ad ſui conſeruationem hæc ſublunaria, & inferiora;

Prima ergo Quæſtio eſt; An calor, quẽ experimur à cęlo cauſatum, & productũ ſit productus à motu cęli, An à lumine,an ab vtroque.

Reſpondeo, calorem in ſuprema Aeris regione cauſari à motu; in alijs Vniuerſi partibus cauſari à lumine. Ratio eſt quia: in ſuprema aeris regione accenduntur, & inflammeſcunt Cometæ, & aliæ impreſſio-

Concluſio ſit. Vnicum eſt Cœlum Sydereum molle,& fluidum.

Probatur primò Auctoritate Philoſophi 12.*Met.c.*8.& 1. *Cœli.t.*90. vbi multis probat,Cœlum eſſe vnum, ergo fluidum, ſic enim melius ſaluatur pluralitas motuum, & apparentiarum. Confirmatur, quia 1.*Meteor.*3. ideò probat Cœlum nõ igneſcere, quia Stellæ per Cœlum diſcurrunt, quæ conſequentia non benè inferretur,ſi Cœli eſſent ſolidi, imò totum oppoſitum deberet inferri, nempè, Cœlos igneſcere, quia ex attritu corporis ſolidi,ignis elicitur,verba ſunt.*Stellarum etiã diſcurſus ſatis declarant,Cæleſte corpus neque calidum eſſe,neque igneſcere.*

Probatur ſecundò: quia poſita fluiditate Cœli, corporis cæteroqui vaſtiſſimi, & penè immenſi, ſaluãtur mira facilitate pluralitas motuum,& omnes apparentiæ,ſeù phænomena hucuſq;, ſiuè excogitata,ſiuè obſeruata diligentiſſimè ab Aſtronomis, & ex alia parte nõ multiplicãtur tot Cœli totales, partiales, Epicycli, circuli, & circelli, ergò tenenda eſt vnius Cœli fluiditas.

Conſequentia tenet, Antecedens probatur,quia plures motus obſeruati ab Aſtronomis benè poſſunt tribui pluribus aſtris, itàut vnumquodque Aſtrum, aut quælibet conſtellatio habeat ſuum motũ diſtinctum,atque diuerſum; Planetæ verò magis diſtant à terra, quando ſunt in Cęli ſuperficie cõuexa, minus quãdò ſunt in concaua; videntur retrogredi ſtare comparatiuè ad alios, qui citiùs mouentur, videntur procedere relatiuè ad eos, qui tardiùs,ergo data Cœlo fluiditate,ſaluantur omnes motus,& omnes apparentiæ.

Probatur tertiò, quia data Cœlorum ſoliditate cogimur, vel plures, & plures Cœlos totales,& partiales,Epicyclos,Circulos,& Circellos concedere, imò & de nouo multiplicare ad multiplicationem apparentiarum,quas de nouo, & ſæpè cũ errore deprehendunt Aſtronomi;vel ponere in Cœlo,corpore cęteroqui perfectiſſimò, plures canales,cauitates, & ſpiras, aut faſcias, per quas aſtra diſcurrunt ſalua,& incolumi Cęli ſoliditate,ſed tot Cęlos ferè in infinitum multiplicare ad libitum Aſtronomorum ſæpè errantium in obſeruationibus, videtur eſſe contrà bonam Philoſophiam.Canales verò,cauitates,& Spiras, ſeu etiam faſcias permeabiles admittere, videtur obſtare perfectioni corporis cœleſtis, quod propterea eſſet vndique perforatum, & in fruſtra conciſum,ergo.

Confirmatur quia in Scripturis habemus aſtra moueri, & Planetas, non Cœlum,ergo pluralitas motuũ, & apparentiarũ eſt ſaluanda per multitudinẽ aſtrorum,non Cœlorum.Antecedens patet ex *Ioſ.*10.*ſtet Sol contrà Gabaon*,& alijs locis.

LECTIO V.

Argumenta in Oppoſitum Soluuntur.

OBijciunt primò Auctoritatem *Ariſt.* 1.*Cœli t.*42. vbi probat Ariſt. Aſtra in Cœlo non moueri, ſicuti piſces in mari, & aues in aere, & 1. *Meteor.* 3. habet motus rei ſolidæ, & Solis, & reliquorum Syderum aerem potiſſimum ſecernit.

Reſpondeo: Ariſt. primo loco cit.totũ eſſe in probando; Cœlum non eſſe infinitum,ſed tamen moueri tempore infinito, & moueri motu circulari, vbi an aſtra moueantur,vti piſces in mari,aut aues in aere, ſin ſecus, nè verbum quidem facit. Ad ſecundũ tex.Solem dici ſolidum,ſumpta ſoliditate pro incorruptibilitate,non pro duritie,aliàs ſi Cœlum ſolidum eſſet, & durum,igneſceret per motum ſui, & ex colliſione cum Aſtris, quod eodem tex. negat Ariſt.vt patet.

Obijcies ſecundò. Auctoritatem Sacræ ſcrip.*Iob.* 37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt.* Confirmatur quia de *D. Paulo* legimus 2.*Cor.*12.raptum fuiſſe vſque ad tertium Cœlum,ergo nõ eſt vnum Cœlum, ſed plures,& tres ad minus.

Reſpondeo primò. per ſoliditatem intelligi incorruptibilitatem, vel ibi exagerari Diuinam Omnipotentiam, quæ Cœlos alioquin fluidos, perindè ac ſi eſſent ſolidiſſimi, & duriſſimi immunes à corruptione, & illęſos ſeruat,vt ibi explicat *Pinedà*. Ad Confirmationem dico.nomine tertij Cœli intelligi Empyreum, quod dari,certũ eſt ex Sacris Scripturis,Theologis,& Patribus; vltra quẽ non nego,dari Cœlum aereum,quamdis enim non ità propriè nomen Cęli poſſit aeri attribui, in Scripturis tamen, imò & in communi modo loquendi etiam aer, Cœlum appellatur;volucres Cœli, Aues Cęli,familiaris eſt ſermo,vel in ipſis Scripturis Sanctis.

Obijcies tertiò; Si Cœli eſſent liquidi, ad nos defluerent, quod eſt contrà experien-

rientiam, ergo. Antecedens patet in aqua, quę ſi ponatur in ſublimi, ſtatim defluit, & deſcendit.

Reſpondeo. Cęlos non eſſe fluidos, & liquidos, vt aqua, & oleum, verbi gratia, ſed ſicuti eſt aer, qui firmus ſtat in ſuis regionibus, & ad nos non deſcendit, aut defluit.

Obijcies Quartò. Si Cœlum eſſet liquidũ, & per illud aſtra diſcurrerent, eſſet corruptibile, ergo. ſequela probatur quia, Aſtra Cœlum ſinderent, & diuiderent, ergo corrumperent, & deſtruerent, idem enim eſt corruptibile eſſe, & diuiſibile.

Reſpondeo. Nõ omne diuiſibile eſſe corruptibile: materia prima eſt diuiſibilis in ſuas partes entitatiuas, & tamẽ nõ eſt corruptibilis, ſed ſaluatur ingenerabilis, & incorruptibilis, diuideretur ergo Cœlum, & ſtatim reuniretur, vt videmus fieri in Aqua quæ diuiditur ad ingreſſum ligni, aut alterius Corporis, ſed ſtatim reunitur, & recontinuatur.

Obijcies quintò. Planetę mouentur duplici motu ab ortu in occaſum motu primi Mobilis, & ab occaſu in ortum proprio motu, at id non poteſt ſaluari, niſi Planetę ponantur eſſe in aliquo cœlo, quod vno motu moueatur, ipſi verò Planetę alio motu ſibi proprio moueantur: vt contingit in exiſtentibus in naui, qui duplici motu mouentur, nempè motu nauis, et motu ſibi proprio; benè enim vni Corpori ſimplici poteſt competere duplex motus, vnus per ſe, alter per accidens, at non poteſt duplex motus per ſe competere.

Reſpondeo. à Philoſophis plurimis oſtendi, nec Corpori ſimplici, nec compoſito, poſſe duos motus ſimul neque per ſe, neque per accidens competere, quia aliàs idẽ Corpus eſſet in duplici loco, & duas haberet vbicationes. ſed dato, id non repugnare, vt multi defendunt, quia eſſet motus circularis, & fieret ſuper diuerſos Polos. Dico, verè Planetas non moueri duplici motu; Sed vno, qui cùm ſit tardior, videntur Planetæ quodammodo retrocedere à loco, ad quem feruntur.

Obijcies ſexto: ſi cœlum eſſet fluidum, maximus ederetur Sonus armonicus, & concentus, ſi enim, auicula ſe ſe mouente per aerem, Sonus efformatur, & auditur; à fortiori, cùm ſe mouent tot Aſtra errantia, & fixa per cęlũ, ſonus maximus, & armonicus ederetur, vt volebat *Pythagoras*, quẽ latè impugnat *Ariſt.* & quia eſt cõtrà experientiam, non enim talis motus exauditur; & quia maximi ſoni deſtruunt vel inanimatorum corpora, vt ſonus tonitrui lapides, & corpora validiſſima diſſipat, id autem non facit Cęlum, vt patet experientia, & docet *Ariſt. 2. Cœli t. 51. 52.*

Reſpondeo in primis; Cęlo Sonum armonicum concedere, non eſſe ità abſonũ, & inconueniens, vt ſupponitur, habemus enim ex Scripturis, *Concentum Cæli quis dormire faciet, Iob. 3.* nec obſtat, quòd à nobis non exaudiatur, quia aſſueti mundi rumoribus, concentum Cæli audire nõ poſſumus, vt fabri ferrarij ob conſuetudinem alios in platea loquentes, aut etiã cãtãtes, nõ exaudiunt; *Pythagora* exẽplũ eſt.

Sed hæc dicta ſint concinnè, & muſicè. Ad Argumentum, Dico, ſonum nõ edi, quia ſoni Cęlum eſt incapax, ſicuti nec igneſcit, quia incapax eſt ignitionis, nec poteſt Ignem vllo modo concipere.

Dices *Diſp. IV. Lect. XII.* ſæpè facta eſt mentio de primo Mobili, quod diximus moueri motu regulatiſſimo, ab eoque deſumi, tanquam à prima menſura omne Tempus, ſed ſi datur Primum Mobile, debent quoque dari & alij Cæli, non ergo vnum eſt cælum, ſed plures ponendi ſunt cæli.

Reſpõdeo. nomine motus Primi Mobilis à nobis intelligi motũ Stellarũ fixarũ, qui omniũ eſt regulatiſſimus, & maximè vniformis, licèt & alij quoque motus Planetarum regulares ſint, & vniformes, quia directi ab Intelligentia Aſsiſtente.

LECTIO VI.

Quæſtiones aliæ Reſolutæ.

CErtum eſt. motum Cęli eſſe ordinatũ ad regimen, & gubernationem Vniuerſi; Regit ergo, & gubernat cęlum inferiora hæc, cauſando calorem, impartiendo lumen, & influendo alias qualitates nobis occultas, quibus indigent ad ſui conſeruationem hæc ſublunaria, & inferiora;

Prima ergo Quæſtio eſt; An calor, quẽ experimur à cęlo cauſatum, & productũ ſit productus à motu cęli, An à lumine, an ab vtroque.

Reſpondeo, calorem in ſuprema Aeris regione cauſari à motu; in alijs Vniuerſi partibus cauſari à lumine. Ratio eſt quia: in ſuprema aeris regione accenduntur, & inflammeſcunt Cometæ, & aliæ impreſſio-

Digitized by Google

ſiones ignitæ, quæ non poſſunt accendi per lumen, quod non agit, niſi reflectat in corpus opacum, cùm ergo in ſuprema aeris regione nullum ſit corpus opacum, lumen non poteſt agere, neque cauſare calorem, quo accendantur Cometæ; Producitur ergo ibi calor à motu, atteritur enim cęlum cùm aere, mox ignis, & calor elicitur, ſimili rõne, qua ex percuſſione ſilicis, ignis, & calor elicitur. Hinc Axioma vulgatum, motus eſt cauſa caloris.

Dices. Motus non eſt calidus, ergo non poteſt cauſare calorem, quia nemo dat, quod non habet.

Reſp. Motũ non eſſe calidũ formaliter, ſed eſſe calidũ virtualiter, habet .n. virtutẽ cõgregandi omnes partes calidas, & ſiccas eius corporis, quod mouetur, expulſis partibus frigidis, & humidis, ideòque corpus, quod mouetur per motum incaleſcit, & igneſcit. Similiter & in animali per motũ ſpiritus calidiſſimi congregantur, ideò animal per motum incaleſcit, & tandem in motu prolixiori defatigatur, quia calidorum ſpirituum diſpendia patitur, quia ſpirituum inopia laborat, quos in motu conſumpſit.

Secunda Quæſtio eſt. An lumen, quod in inferioribus à cœlo nouimus communicatum, atque diffuſum, ſit à Sole tantum, an etiam ab alijs Aſtris, & Planetis; quod idem eſt, ac quærere, an aſtra diſtincta à Sole, proprium lumen habeât, quod inferioribus hiſce impartiant, & communicent.

Reſpondeo. Maiorem luminis partem eſſe à Sole, qui propterea dicitur Pater, & Fons luminis.

Probatur quia. quadripartita anni diſtinctio in Ver, Aeſtatem, Autumnum, & Hyemem procedit ab inæqualitate luminis à Sole communicati; Æquinoctia, & Solſtitia ab eadem luminis inæqualitate menſuramus, & ſumimus.

Dixi maiorem luminis partem, quia etiam ab alijs aſtris, præſertim verò à Luna, omnium Planetarum viciniori Terræ, aliquid luminis communicatur, & ideò reddit rationem *Ariſt.1.Cœli t.42.* cur noctes in Plenilunio ſint calidiores, quia tũc maior lucis copia à Luna inferioribus hiſce communicatur.

Patet ergo & reliqua aſtra habere aliquid luminis, quod communicẽt; Verum à Sole habent incrementum, & diuitias luminis; Patet hoc ex Eclipſi, & obſcuratione Aſtrorum, Lunæ præſertim, quãdo eſt in tali ſitu, & poſitione, quo nequeat à Sole lumen accipere, tunc enim obſcuratur, & Eclipſatur Luna; Accidit autem talis obſcuratio, & Eclipſis, cùm inter Solem, & Lunam interiacet Terræ globùs niger, & opacus, quem non poteſt lux peruadere, & tranſmeare. Hinc eſt etiam, quòd Luna ſæpè apparet manca, aliquando corniculata, aliquando vix fulgida, quia nimirum non ſemper æquale lumen à Sole illi communicatur.

Dices. ſæpè etiam eclipſatur Sol, ergo ſi Eclipſis ſit, quia per interpoſitionem corporis opaci à Sole lumen non communicatur, etiam Sol accipit lumen à Luna, vel ab alio Aſtro, inter quod, & Sol corpus aliquod opacum interponatur.

Reſpondeo. Solem in ſeipſo nunquam pati eclipſim, aut obſcurationem, quia nunquam patitur diminutionem luminis, ſed obſcurari reſpectu noſtri aſpectus, cum enim Luna ponitur inter aſpectum noſtrum, & Solem, non videtur Sol à nobis, ideòque obſcuratur Sol, & eclipſatùr noſtro aſpectui.

Quæſtio tertia ſolet eſſe. An Aſtra præter lumen, & calorem alias quoque qualitates communicent.

Reſponſio communis eſt affirmatiua, & quia has Qualitates cognoſcimus in effectibus, non in ſeipſis, ideò appellantur qualitates occultæ; talis eſt virtus Polaris attrahendi magnetem: virtus, qua Gallum excitat media nocte ad cantum, vt Soli ex Antipodis ad nos reuertẽti, applaudat; tales quoque inſoliti quidem, & extraordinarij effectus, quorum cauſa nobis ignota eſt;

Quæſtio Quarta ſolet eſſe. An aſtra poſſint Animam, et voluntatem Hominis mouere, ad vitia, aut Virtutes impellere, aut cogere.

Reſponſio communis eſt negatiua, quia nequeunt corpora in ſpiritus quidquam agere directè ob improportionem agentis corporei ad Paſſum ſpirituale, et incorporeum; dixi directè, quia indirectè, alterando corpus poſſunt aſtra, in animis turbationes immittere, quia animus ſequitur diſpoſitiones corporis; Hinc Axioma vulgatum, *aſtra inclinant, non neceſſitant*: ideòque facile poteſt homo prudens malos influxus auertere, et præcauere; hinc illud, *Sapiens dominabitur aſtris*.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO OCTAVA.

DE ELEMENTIS.

PRogredimur ad Elementa, cùm Ariſtotele, Tertio, & Quarto Libro de Cœlo; Elementa, & ipſa ſunt Corpora ſimpliciter Incorruptibilia, & Ingenerabilia, vti Cœlum, ſed corruptibilia, & generabilia ſecundum quid, ſeù ſecundum aliquas eorum partes, quale non eſt Cœlum. De his non admodum graues, aut Celebres difficultates occurrunt; acriter tamen pro Ariſtotele pugnandum eſt nobis hic contrà plures ex Modernis, quorum Aliqui vel Ignem è medio tollunt omninò, vel extrà propriam Sedem, & Locum, nempè Lunæ Concauum, exulare cogunt. Alij Aerem, quo ſpiramus, & viuimus, nobis interdicunt. Alij Terram, & Aquam concedunt, ſed eſſe Elementa, negant. Alij quia calidos nos eſſe, volunt, aut frigidos, humiditatem, & ſiccitatem exterminant; Aptè in hanc rem cadit illud, nullam eſſe fœditatem, quam aliquis Philoſophorum non impensè ſequatur, & amet, nullam eſſe Sententiam adeo abſurdam, quam Philoſophantium aliquis non poſſe à ſe tutò defendi, arbitretur.

LECTIO I.

Elementorum Eſſentia, & Natura,

ELementum dicitur quaſi eleuamentum, quia ex Elementis, per eorum mixtionem eleuatur, & formatur mixtum; vel quaſi alimentum, quia ex Elementis, ſaltem mediatè, nutriuntur mixta.

Non vna ab omnibus aſſignatur elemēti exacta definitio, ſed varia à multis iuxtà varias Sententias de Elementorum formis eſsētialiter cōſtitutiuis, vt mox videbimus Deſcribuntur hic à Philoſopho *t. 31. eſſe prima corporum, in quæ alia reſoluuntur, & diuiduntur, ipſa verò non in alia diuerſa ſpecie*, quia, nimirum, Elementa ſunt prima, & maxima corpora, ſunt primæ, & præcipuæ partes (poſt Cœlum) integrantes hoc Vniuerſum; ex his fiunt, & componuntur reliqua omnia corpora, quæ ob id dicuntur mixta, ipſa vero Elementa neque componuntur ex alijs corporibus, nec in alia reſoluuntur.

Materiā Elementorum eſſe eandem,

&

& communem cùm reliquis corporibus nō eſt dubium. De eorum formis eſſentialiter cōſtitutiuis multę ſunt,& variæ Opiniones Philoſophorum.

Primò. Nonnulli formas eſſentialiter conſtitutiuas Elementorū poſuerunt qualitates actiuas, nempè calorem eſſe formam ſubſtantialem ignis, humiditatem aeris, frigus aquæ,ſiccitatem Terræ.

Ità plures ex antiquis Græcis Expoſitoribus Ariſtotelis, quos fusè citant *Auerſa tom.2.q.41.ſect.3.Barth.Amicus to.de Gen. lib.2. dub.2. Art.1.* nouiſſimè hanc ſententiam docuit *Cæſar Cremoninus in peculiari libello hac de re edito.*

Secundò alij.Formas Elementorum poſuerunt eſſe Qualitates motiuas,Leuitatem Ignis, grauitatem Terræ. Ità *Auerroes 2. Anim.Comm.18. Achillinus 3.de Elem.dub. 2. Thomas Braduordin. tract. de proportione Motuum.Nobil. Flam. 1. de Gen. cap.8. lib.2.*

Tertiò alij, formas Elementorum poſuerunt eſſe animatas;

Ità Platonis Schola, vt refert *Marſilius Ficinus in Sympoſio Platonis.*

Quartò alij formas Elementorum,ſicuti & aliorū corporū,poſuerunt eſſe ſubſtātias, Ità Ariſtotelis Schola, *D. Thomas 1. de Gen.cap.18. Aegidius 1.de Gen.q.19.* & alij omnes.

Concluſio.Formæ eſſentialiter conſtitutiuæ Elementorum ſunt ſubſtantiales, non accidentales.

Probatur primò quia. nullum eſt in Ariſt. Schola certius principium, & vniuerſalius, quàm omne corpus naturale conſtare ex materia prima, & forma, tanquam ex partibus ſubſtantialibus, imò hoc eſt totius Ariſtotelicæ Philoſophiæ primum, & vnicum fundamentū, vt patet expreſsè ex his, quæ docet toto primo Libro Phyſ. ſed elementa ſunt Corpora naturalia eiuſdem conditionis, & naturæ, ac ſunt alia, ergo conſtare debent ex materia prima, & forma, tanquam ex partibus ſubſtantialibus;

Confirmatur quia: aliàs nulla eſſet differentia inter compoſitum ſubſtantiale, & accidentale,hoc enim conſtat ex vna parte ſubſtantiali, quæ eſt materia prima, & altera accidentali, quæ eſt forma aliqua accidentalis, ergo cùm elemētum ſit compoſitum ſubſtantiale, debet conſtare ex materia, & forma ſubſtantiali, aliàs quomodo ſubſtantia ex non ſubſtantijs erit?

Quòd ſi dicas,Elementa nō eſſe cōpoſita ſubſtantialia:& quodnam aliud corpus, ſeù compoſitum ſubſtantiale erit,ſi prima corpora,& omnium nobiliſſima non ſunt ſubſtantialia? Imò nec Homo eſſet compoſitum ſubſtātiale, & eius forma,nempè Anima rationalis,eſſet accidens quoddam, vt voluit *Galenus*, ponens animam eſſe temperiem primarum qualitatum, ſed hoc eſt contrà Fidem,vt eſt definitum in Conc.Lateran.ſub Leone X. ergo.

Probatur ſecundò.quia ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium ex *Lib. de Prædicam. & ex 5.Phyſ.t.10.* ad ſubſtantiam non eſt motus, quia caret contrario.ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis, ſed ſentitur, & innoteſcit per accidentia,ſed hæ qualitates ſuſcipiūt magis,& minus,ſunt inuicem contrariæ, imò primò contrariæ, ſicuti & primò ſenſibiles, ergo non ſunt formæ ſubſtantiales elementorum.

Reſpondebis.eſſe formas eſſentiales, nō ſubſtantiales,at formæ eſſentiales, ſeù ipſæ eſſentiæ accidentium ſunt per ſe ſenſibiles, ſuſcipiunt magis,& minus,capaces ſunt cōtrarietatis,ergo.

Benè, ſed iam Elementa non eſſent ſubſtantia,ſed accidens; non eſſent compoſita ſubſtantialia,ſed accidentalia,eſſent aggregata per accidens,vt aceruus lapidum, aut Strues lignorum, quod eſt hactenus inauditum in Scholis.

Denique probatur, expreſſis verbis *Ariſt.3.Met.t.17.* vbi loquens de Elementis,habet; *horum autem caliditates, & frigiditates, & huiuſmodi, paſſiones non ſubſtantiæ ſunt. Lib.de ſenſu et ſenſili c.4.* docet,Ignem,& Terram agere,quatenus in ijs adeſt contrarietas, quæ habetur à qualitatibus, ſed non agere quatenus ignem, & Terram, ergo qualitates, & ex his orta contrarietas non pertinent ad eſſentiam, Ignis,& Terræ.verba ſunt. *Quà igitur ignis & quà Terra nihil natum eſt agere, vel pati,nec aliud quidquam; quà autem ineſt cōtrarietas in eis, hæc omnia agunt, & patiuntur.*

Obijcies primò 4. *Cœli Ariſt.* appellat Grauitatem, & Leuitatem differentias elementorum 4. *Meteor.in principio*; Qualitates dicuntur cauſa, & principia elemētorum,ergo ſunt eius partes componentes 3.*de Animat.* 10. docet, rationem carnis conſiſtere in calido,& frigido.

Reſpondeo ad primum tex. grauitatem, & leuitatem eſſe differentias accidentales, non eſſentiales. Ad ſecundum. Qualitates eſſe

Digitized by Google

eſſe principia, & cauſas diſpoſitiuas, non componentes. Ad tertium, rationem carnis non formaliter, ſed diſpoſitiuè conſiſtere in quadam temperie calidi, et frigidi.

Obijcies ſecundo; Mixta fiunt, et conſtant ex elementis, ſed fiunt, et conſtant ex qualitatibus Elementorum, ergo qualitates ſunt partes eſſentiales Elementorum.

Reſpondeo. Mixta non conſtare ex Elementis, nec ex illis fieri, ideſt, cōponi ex eorum ſubſtantijs, et naturis, aliàs mixta eſſent aggregata per accidens, ſed conſtant ex Elementis, & ex illis fiunt, quia ex qualitatum Elementarium certa temperie tāquam præuia diſpoſitione fiunt, et componuntur.

Obijcies tertiò. Formæ Elementorum corrumpuntur, non niſi à contrario, ergo iam habent contrarium, ergo ſunt qualitates, non ſubſtantiæ.

Reſpondeo. idem argumentum poſſe fieri de formis mixtorum, quæ corrumpūtur à contrario, et tamen non ſunt qualitates, ſed ſubſtantiæ.

Dicendum ergo. Formas naturales corrumpi per introductionem alterius formæ ſubſtantialis incompoſſibilis cùm præcedenti, non verò per aliquam qualitatem, quæ ſit illi immediatè contraria.

Quæſtio ſolet eſſe hic. An dentur elementa pura, ideſt, quæ careant extraneis, et ſibi non debitis formis, tàm ſubſtantialibus, quàm accidentalibus.

Reſpondendum eſt. Elementa ſubſtantialiter eſſe pura, quia in eorum materia non eſt mixtio formarum, & forma Elementi eſt omninò diuerſa, & contradiſtincta à formis mixtorum. Non tamen eſſe pura qualitatiuè, quia ſaltem elementa, quæ apud nos ſunt permixta ſunt, & inquinata varijs, & diuerſis peregrinis corporibus, & extraneis qualitatibus, ditescit enim mare piſcibus, Aer Auibus, Terra Serpentibus, Ignis frigidis qualitatibus. dixi, ſaltem quæ apud nos ſunt; quia in proprijs eorum centris, quò noxiæ, & contrariæ qualitates penetrare non poſſunt, mihi ſatis probabile eſt, natiuam Elementa conſeruare puritatem, & ſimplicitatem.

LECTIO II.

Elementorum Qualitates Actiuæ.

VTraque Schola, Medicorum ſcilicet, & Philoſophorum.

Docet primò: Dari quatuor qualitates cōtrarias omniū primas, eaſq; ſenſibiles, nimirū, Calorē, Frigus, Humiditatē, & Siccitatē; & quidem has qualitates dici ſenſibiles per antonomaſiam, quia tangibiles, & ſenſui tactus ſubiectæ, tactus autem eſt primus omnium ſenſuū, vniuerſaliſſimus, omnibus animalibus communis, & per totum corpus diffuſus. Simpliciter enim dantur aliæ qualitates his priores, & etiam ſenſibiles, non ſenſu tactus, ſicuti nec contrariæ, vti lux, Diaphaneitas, & aliæ ſimiles.

Docet ſecundò. Singulis Elemētis binas concedendas eſſe qualitates, nempè Igni calorem, & ſiccitatem; Aeri calorem, & humiditatem; Aquæ humiditatem, & frigiditatem. Terræ ſiccitatem, & frigiditatem, ità tamē, vt vna vni Elemento ſit propria, & connaturalis, ac veluti primò, & per ſe competens, altera veluti non ità propriè, & connaturaliter conueniat. Sic igni calor, aeri humiditas, aquæ, frigus, Terræ Siccitas primò, et principaliter ſit à natura data, & attributa.

Primò. Huic communi doctrinæ contradicunt aliqui *apud Plat. opuſc. de 1. Frig. Cardanus 2. de ſubtilitate*, exiſtimantes frigus non eſſe qualitatem poſitiuam, ſed priuationem caloris, et ſiccitatem eſſe priuationem humiditatis.

Sed contrà eſt quia. Ad ſenſum patet, frigus eſſe operatiuum, ergo non eſt ſola caloris priuatio, conſequentia tenet, quia non ens non operatur. Antecedens probatur, quia frigus expellit calorem, vt patet in niue, quæ vitro incluſa, vitrum infrigidat, et manum vitro approximatam; ergo.

Nec obſtat, etiam tenebras lucem expellere, et à morte tolli vitam; Quia hæc eſt expulſio formalis, non effectiua; Ratio eſt quia, priuatio non inducitur in ſubiectum ſeipſa primò, et immediatè, ſed mediatè, et deſtructa priùs cauſa conſeruatiua formæ oppoſitæ, ſed frigus ſeipſo primò, et immediatè inducitur in ſubiectum, non deſtructa cauſa conſeruatiua caloris: inde eſt, poſſe naturaliter eſſe ſimul calorē, et frigus in gradu remiſſo, vt patet in aqua tepida, et ſupernaturaliter poſſe eſſe ſimul etiam in gradu intenſo, et ſummo.

Cōtrà ſecundò principaliter quia. ſi frigus eſt priuatio caloris, è contrà poſſet dici, quòd calor ſit priuatio frigoris, quia nullum habemus fortius argumentum pro entitate poſitiua caloris, & non pro entitate poſitiua frigoris.

Digitized by Google

Contrà tertiò quia. Si frigus eſt priuatio caloris; ergo grauitas eſt priuatio leuitatis, ſeu carentia intrinſeci vacui, & leuitas erit carentia grauitatis, vt dicebant Antiqui *Democritus*, & *Leucippus*, quos ideò benè redarguit *Ariſt.* 4.*Cæli c.*1.& 2.

Contrà quartò quia. id naturaliter eſſe operatam Naturam debet eruditus Philoſophus aſſerere, quod eſt conformius eidem naturæ, ſed conformius naturæ eſt, ponere frigus qualitatem poſitiuam, quàm puram negationem, quia melius eſt eſſe, quam non eſſe, natura autem ſemper intendit id, quod melius eſt 2.*Cæli t.* 59. *Quoniã enim in omnibus, inquirimus, quod melius eſt deſiderare naturam ſemper, melius autem eſſe, quam non eſſe*: licet hic vſurpare verba *Scaligeri Exercit.* 18. *Si frigus nihil eſt, niſi caloris priuatio, ſoleas abiice, & pileũ, Cardane, quò tempore ex Alpibus Rheticis nos Boreas vrit*.

Secundo contradicunt communi Doctrinæ *Anax.* 1.*Met.apud Plutarchum*, *Stephanus Aragonius in ſuo Enchirid.* exiſtimantes calorem non diſtingui à raritate, ſicuti neque frigus à denſitate; ſi calidũ vnitur, inquit *Arag.*, efficitur frigidum, ſi aperiatur, denſum vertitur in calidum; mors calidi, denſitas eſt, mors frigidi, raritas eſt.

Sed contrà eſt quia. ferrum ignitum eſt calidiſſimum, & tamen denſiſſimum; Aer, maximè in media ſui regione, frigidiſſimus, & tamen maximè rarus, & tenuis, ergo.

Dices. Aer expiratus compreſſo ore eſt frigidus, quia denſus, expiratus aperto ore eſt calidus, quia rarus; ergo.

Reſpondet *Ariſt. ſect.* 26. *Problem.* 47. *prob.* anhelitum ſemper eſſe calidum; & dũ emittitur ore compreſſo, ſentitur frigidus, quia aer frigidus circumſtans ab anhelitu expulſus mouetur vnitè, quod non accidit, quando eum patulo ore efflamus, hinc eſt etiam, quòd aer flabello percuſſus, ſentitur frigidus, quia flabello percuſſus vnitur.

Tertiò contradicunt Communi Doctrinę *Valleſius* 2.*de natura*, & *Arriaga de Gen.diſp.*4.*ſect.*2.*ſubſect.*1. Ponentes Humiditatem, & Siccitatem nõ eſſe duas qualitates realiter diſtinctas; volunt enim humiditatem eſſe fluida corpora, ſiccitatem verò eſſe carentiam corporum fluidorum.

Sed contrà eſt quia. Contrà *Arriagam* redeunt omnia Argumenta facta contrà eos, qui ponebant frigus eſſe carentiam caloris, quorum aliqua ipſe *Arriaga* approbat, iiſque vtitur contrà Authores illius Sententiæ; tale eſt primum, & ſecundũ Argumentum, vt patet diſcurrenti.

Contrà ſecundo quia. Hæc Sententia videtur omninò coincidere cùm Sententia *Democriti*, & *Leucippi*, aſſerentium leuitatem eſſe negationem plurium corpuſculorum, ſeù athomorum, grauitatem verò eſſe copiam athomorum; ponit enim *Arriaga* humiditatem eſſe copiam corporum fluidorum, ſiccitatem verò eſſe carentiam corporum fluidorũ; ſed illa reiicitur ab *Ariſt.* *loco vbi ſuprà*, ergo reiicienda quoque eſt Sententia *Arriagha*.

Contrà tertiò, quia ſi humiditas, & ſiccitas non eſſent entitates poſitiuæ, qualibet illarum produceretur in inſtanti, careret enim contrario; Præterea nõ minus ad ſẽsũ patet Calor, & Frigus, quàm humiditas, & ſiccitas, ergo vel omnes debent negari, vel omnes admitti.

Contrà quartò quia. ſiccitas maximè reſiſtit, ergo eſt entitas poſitiua, & patet conſequentia in adamante, ferro, & marmore, quæ quia maximè reſiſtunt, entia ſunt poſitiua; Antecedẽs probatur in morbis ſiccis, qui difficillimè curantur; humiditas quoque maximè reſiſtit igni, vt patet in ſtrue uiridium lignorũ, quæ ab igne quàm difficillimè abſumuntur. ergo.

Contrà quintò quia. ſi humiditas ſunt corpora fluida, ergo calor ſunt ſpiritus calidi, & frigus erũt corpora frigida, & conſequenter denegandus erit etiam calor; vt de facto aliqui negant, & tamen *Arriaga* acriter pugnat pro calore, & frigore.

Quartò. nonnulli contradicunt Communi Doctrinæ, aſſerendo, eſſe quidem calorem, ſed non eſſe primam qualitatem, quia non datur Ignis quartum Elementũ, cui calor attribuitur, tanquam natiua proprietas. ità *Morandus in Curſ.Phil.tract.*1. *de elem.q.*4.

Sed contrà eſt quia; etiam ſi calor non ponatur eſſe natiua proprietas Ignis, aut etiam ſi non detur Ignis quartum elementum, adhùc poteſt dari Calor, qui ſit prima Qualitas, & conueniat alicui ex omnibus reliquis elementis, quod enim abſurdum eſt vni Elemento tres Qualitates attribuere contrà Communem Sententiam? ſi negatur Calor, & negatur quaternarius numerus Elementorum, quòd etiam eſt contrà Communem Sententiam?

Ex his colligitur primò; firmam, & inconcuſſam manere Sententiam communẽ, atque adeò eſſe primas Qualitates nume-

Digitized by Google

ro quatuor, eſſe omnes entitates poſitiuas, & reales.

Colligitur ſecundò. Binas qualitates ſingulis Elementis conuenire, ità tamen vt Igni primò conueniat Calor; Aeri, humiditas; Aquæ Frigus; Terræ ſiccitas; in tantū enim *Arriaga loco vbi ſuprà*, negat Aeri primò conuenire Humiditatem, in quantū ponit, humiditatem non eſſe qualitatem, ſed iam probauimus, Humiditatem eſſe qualitatem poſitiuam, ergo Aeri benè poteſt attribui Humiditas, ſicuti & Aquæ Frigus.

Dices. Aqua eo ipſo, quòd habet ſummum frigus, congelatur; ſed eſt abſurdum, dicere, Aquam natura ſua eſſe cōgelatam, eſſet enim inepta piſcibus, qui eam habēt pro ſui regione, inepta quoque eſſet ad potum, & ad irrigationem plantarum, ergo.

Reſpondeo. aquam congelari ob defectum fluiditatis, & humiditatis, exiccatur enim, & conſtipatur, & ſic in glaciem vertitur.

LECTIO III.

Qualitatum Actiuarum Deſcriptio.

FOrmas omnes in ordine ad earum effectus, à quibus illæ non diſtinguuntur, conſueuit Schola definire, & deſcribere. Et quidem definimus, quando earum effectus primarios aſſignamus; deſcribimus, cùm effectus Secundarios manifeſtamus, & exponimus. Omitto Definitiones harum Qualitatum, quia effectus earum primarij de ſe ſatis noti ſunt, & obuij, caloris eſt enim calefacere, Frigoris frigefacere, ſiccitatis exiccare, Humiditatis humectare. Adduco deſcriptiones, quia harum qualitatum effectus ſecundarij non ſunt ità manifeſti, ac noti.

Deſcribitur ergo ab *Ariſt. 1. de Gen. t. 2. & 8.* Calor in concreto, ſic; *Calor eſt, qui congregat ea, quæ ſunt eiuſdem generis; ſegregat, quæ ſunt diuerſi generis.* è contra frigidum eſt, quod coniungit, & congregat, quæ eiuſdem, & quæ ſunt diuerſi generis, vbi per τὸ *congregare* intelligit Ariſtoteles vnire, per ſeparare, intelligit Ariſtoteles diſunire, & ſeiungere: ſicuti ea intelligit, eſſe eiuſdē generis, quæ conueniunt in ijſdem accidentibus, & affectionibus, quamuis ſint diuerſæ omninò eſſentiæ, & naturæ, verbi gratia; in fluxibilitate, & liquabilitate, in quo ſenſu, vinum, aqua, oleum ſunt eiuſdem generis; è contra ea intelligit eſſe diuerſi generis, quæ diſconueniunt in ijſdem accidentibus, quamuis ſint eiuſdem eſſentiæ, & naturæ, quare vapor aqueus, & aqua ſunt diuerſi generis, ſicuti etiam ſunt terreſtris exhalatio, & terra.

Illuſtratur Doctrina exemplis; nam quando per calorem ignis liquātur metalla, congregantur omnes partes homogeneæ, & eiuſdem rationis, ſegregatis extraneis, & impurioribus, verbi gratia, ſegregantur ab auro ſcoria, & aliæ partes terreæ. E contrà frigus omnia ſimul congregat, & adunat, homogenea, & etherogenea; quæ ſunt eiuſdem, & quæ ſunt diuerſæ rationis, vt patet in congelatione, in qua ſimul concreſcunt, paleæ, ligna, & herbæ.

Dices. actione caloris lac coagulatur, & in eo paleæ adunantur, ergo etiam calor congregat etherogenea; Similiter & Solis actione in luto videmus alia extranea adunari, ergo.

Reſpondeo; non ſola actione Solis lac coagulari, ſed per coagulum craſſum, & viſcoſum, quo & extranea adunantur, vt paleæ. In luto per accidens obdureſcunt, & paleæ, cùm iam Sol à luto humiditatem expulerit.

*D*ices ſecūdò: In sāguine è venis emiſſo, ſegregat frigus partes etherogeneas, nam partes terreas proijcit in profundum, aqueas, & bilioſas tollit ad ſummum.

Præterea tàm frigus, quàm calor diſgregant homogenea, & vaſa vitrea diſrumpunt; nam ſi calor intrà ouum, aut caſtaneam incluſus, rareſiat, liberiorem quærens locum, corticem frangit, atque diſrumpit. Phiala vitrea vi aquę congelatæ, funditur, & frangitur, ergo ratione frigoris etiam homogenea ſeparantur.

Reſpondeo. eas partes non ratione frigoris, ſed ductu propriæ naturæ, terreas deſcendere, bilioſas aſcendere; illæ quia graues, hæ quia leues: Ad alium caſum dico; eoſdem effectus oriri à calore, & à frigore, ſed non eodem modo, nam à calore ſegregantur homogenea vi rarefactionis; à frigore verò vi condenſationis, & conſtipationis.

Iam verò deſcribitur humiditas in concreto; Humidum eſt interminabile proprio termino facilè terminabile exiſtens alieno.

Siccum autem facilè terminabile proprio,

prio, difficile alieno. Cæterum terminari termino proprio eſt habere propriam figuram, & conſiſtentiam; terminari termino alieno eſt per aliud figurari.

Explicatur. Aqua, quæ eſt humida, nullam propriam figuram retinet ex ſe, ſed potiùs ſe accommodat propriæ figuræ vaſis; è contrà verò terra ſicca, & lapides retinent tenaciter propriam aliquam figuram, nec recipiũt figuram alterius corporis.

Dices. Farina, Cinis, Arena, Puluis ſicciſſimus facilè quocunque alio termino figurantur, ſi intrà vas aliquod includantur; ergo.

Reſpódeo: hæc, & ſimilia retinere proprias figuras, quamuis quia tritiſſima ſunt, videantur habere formam continentis, & ad ſitum continentis accommodentur; quò pacto etiam Ignis, qui regulariter in figuram Pyramidis ſolet aſſurgere, & eleuari, ſe ſe accommodat ad figuram fornacis.

Verum quia harum qualitatum quædam ſunt diſſymbolę, & contrariæ, vt calor, & frigus; humiditas, & ſiccitas; quædam ſunt ſymbolæ, & conſimiles, vt calor ignis, & calor aeris; humiditas aquæ, & humiditas aeris; ſolet quæri, an hæ qualitates ſpecie differant, an verò ſint eiuſdem ſpeciei.

Reſpondeo huic quæſtioni cum *Conimb. 2. de Gen. c. 3. q. 6. Toleto eodem libro 7. Hurt. diſp. 6. & alijs*.

Qualitates ſymbolas eſſe eiuſdem ſpeciei, aliàs primæ qualitates eſſent plures, quàm quatuor, vt numeranti facilè patet. Præterea ſequeretur, vni duo eſſe cõtraria contrà *Ariſt. 10. Met. t. 16. & 1. Cæli t. 10.* Frigori enim aquæ eſſet contrarius tàm calor ignis, quàm calor aeris. Denique qualitates ſymbolæ ſe ſe inuicem intendunt, ergo ſunt eiuſdem ſpeciei, intenſio enim qualitatis fit à ſimili in ſpecie.

Hinc ea Elementa, quæ conſimiles, & ſymbolas qualitates habent, dicuntur ſymbola, quæ verò diſſimiles, & diſſymbolas, dicuntur diſſymbola; aqua ergo, & ignis diſſymbola ſunt: ignis, & aer ſymbola: Terra, & Aqua ſymbola, terra, & aer diſſymbola.

Ex his, talis colligitur Elementorum definitio: Elementa ſunt prima corpora, quorum ſingulis binæ primæ qualitates conueniunt.

LECTIO IV.

Qualitates motiuæ Elementorum.

GRauitatem, & Leuitatem, quæ ſunt motiuæ virtutes Elemẽtorum, Ariſtoteles definit in Concreto, vt clariùs haberetur earum notitia; concreta enim notiora ſunt abſtractis. Habet ergo 3. *Cæli t. 10. Graue eſt, quod mouetur deorſum; Leue, quod mouetur ſurſum*, & 1. *Cæli t. 37. Graue eſt illud, quod aptum eſt ferri ad medium; Leue eſt id, quod aptum eſt ferri à medio*, vbi nomine *medij*, venit Centrum Mundi, ideſt, minima pars in medio Terræ ſituata; Ex qua Ariſtotelis *Doctrina*, hæ definitiones conſtruuntur.

Grauitas eſt principium motus, quo corpus naturale tẽdit deorſum, & ad medium; Leuitas eſt principium motus, quo Corpus naturale tendit ſurſum, & à medio.

An verò hoc Principium motus ſit ipſa forma ſubſtantialis Corporis grauis, & leuis, an ſit aliqua Virtus, & Qualitas diſtincta.

Nonnulli Recentiores, qui ponunt Potentias ab Anima non diſtingui, ſimili ratione ponunt, Grauitatem, & Leuitatem non diſtingui à formis ſubſtantialibus Elementorum, quæ deorſum, vel ſurſum feruntur.

Sed quicquid ſit de Potẽtijs Animę, qua de re ſuo loco difficultas examinabitur; plures, & ſatis notæ experientiæ declarãt, Grauitatem, & Leuitatem à formis ſubſtantialibus Corporum grauium, & leuiũ diſtingui. Quarum prima eſt, quia in aqua, & vapore eſt eadem forma ſubſtantialis, & tamen vapor aſcendit, & fertur ſurſum; aqua deſcendit, & fertur deorſum. Secunda eſt, quia in modica terra, & magna, eſt eadem forma ſubſtantialis Terræ, & tamen plus grauitat magna Terra, quã modica, vnde & velocius fertur deorſum magna Terra, quàm modica, quia in magna terra eſt maior ponderoſitas, ideſt, grauitas in plures partes dilatata, atque diffuſa, quamuis aliàs intenſiuè eadem ſit grauitas tàm in parua, quàm magna Terra. Tertia quia in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento nulla eſt ſubſtantialis forma panis, & tamen adeſt grauitas, ergo grauitas, & leuitas ſunt qualitates diſtinctæ à for-

Digitized by Google

à formis ſubſtantialibus.

Fateor tamen, qualitates iſtas motiuas oriri, & originari à formis ſubſtantialibus tanquam à principio radicali, ſicuti potentiæ oriuntur ab anima, & omnis proprietas ab eſſentia. Dixi, tanquam à principio radicali, quia ad productionem harum qualitatum concurrunt etiam primæ qualitates actiuæ calor, & frigus, imò etiã raritas, & denſitas, videmus enim leuia corpora, eſſe quoque calida, & rara; ità sũt Aer, & Ignis: ſicuti grauia eſſe denſa, & frigida, ità ſunt Terra, & Aqua. Principium ergo radicale leuitatis, eſt forma ſubſtantialis, affecta tamen calore, & raritate, ſicuti principium grauitatis eſt forma ſubſtantialis, affecta tamen frigore, & denſitate.

Eſt autem leuitas duplex, ſicuti & grauitas, leuitas ſimpliciter, & hæc competit igni, qui propterea fertur à medio, & ſurſum ſimpliciter, ideſt ad locum ſimpliciter ſuperiorem, vnde ait Ariſtot. 4. *Cœli t.6. leue eſt, quod ſupereminet omnibus*. Altera eſt leuitas ſecundum quid, quæ competit aeri, qui propterea fertur à medio, & ſurſum ſecundum quid, ideſt, ad locum ſecundum quid Superiorem; ſimiliter, & grauitas eſt duplex. Grauitas ſimpliciter, & hæc competit Terræ, quæ propterea fertur ad medium, & ad locum ſimpliciter inferiorẽ, ſeù infimũ, vnde ait Ariſt. *lo.c.* Graue *eſt, quod ſubſtat omnibus*. Grauitas ſecundum quid competit aquæ, quæ fertur ad medium, & ad locum inferiorem ſecũdum quid, ideſt ſuprà Terram, & infrà aerem.

Solet hic quæri. An grauitas ſimpliciter, & grauitas ſecundum quid: ſimiliter an leuitas ſimpliciter, & leuitas ſecundum quid, differant ſpecie, an verò ſint eiuſdem ſpeciei.

Reſpondeo. Grauitatem ſimpliciter, & grauitatem ſecundum quid differre ſpecie. Probatur primò, quia qualitates actiuæ mediæ, quia ſpecie non differunt ab extremis inuicem intenduntur, ſed qualitates motiuæ mediæ inuicem non intendũtur, leuitas enim non poteſt intendi à leuitate ignis, imò nec vniri quidem poſſunt, ergo.

Probatur ſecundò quia. Grauitas Terræ, & aquæ differunt ſpecie, ergo etiam leuitas ignis, & aeris; conſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens probatur quia: niſi illæ duæ qualitates ponantur differre ſpecie, non poſſet reddi ratio, cur multa aqua in Sphæra aeris grauior ſit modico plumbo, in Sphæra verò aquę modicum plumbum grauius ſit multa aqua, deberent enim ſemper æqualiter grauitare aqua, & plumbum, quod eſt terreæ naturæ, & grauitatem Terræ habet; at ſuppoſita differentia ſpecifica harum grauitatum, facile redditur ratio experientiæ adductæ, magis enim grauitat multa aqua, quàm modicum plumbum, quia in ea ſphæra vtrumque Elementum grauitat, Aqua, & Terra; at in aquæ Sphæra, grauitat terra, ſeù plumbum, aqua verò, cum ſit in propria Sphæra, & Sede non grauitat;

Hinc colligitur ſolutio alterius quæſtionis; An Elementa in proprijs ſphæris, ſeù ſedibus grauitent, & leuitent, an verò quieſcant.

Dico enim Elementa in proprijs ſphæris quieſcere; Ratio eſt quia, omne corpus naturale acquiſito ſibi loco naturali, & proprio quieſcit, ergo Elementa in proprijs locis naturalibus quieſcunt; Natator non ſentit pondus aquæ ſupra humeros, ſentiret autem, ſi aqua grauitaret, & deſcenderet: videmus frequenter dolia plena aquis, inuicem funibus connexa, & benè ligata à litore maris ad naues deferri ſuper mare, & non mergi, aut in profundum deſcendere, mergerentur autem, ſi eſſent plena vino, quod eſt terreæ conditionis, & naturę, ergo iam aqua in propria ſede, & ſphæra quieſcit.

Fateor; quòd ſi in eodem elemento aliquę partes ſint craſſiores, aliquę rariores; illæ deſcendũt, aſcẽdũt iſtæ, ſimili ratione, qua in lebete partes terreæ deſcendunt, leuiores, & puriores aſcendunt.

LECTIO V.

Numerus Elementorum, & Situs.

Ariſtotelis Schola quatuor ſtatuit Elementa, Ignem, Aerem, Aquam, et Terram; Ignem ſupremo in loco poſuit, deinde Aerem, mox Aquam, vltimo loco Terram, quę cùm Aqua vnum corpus, vnũ globum facit, ità tamen, vt ſit diſcooperta aquis, Diuina Prouidentia ſic diſponẽte, & ordinante, vt poſſint animalia viuere fruges, et fructus oriri, herbæ, et plantæ germinare, quod ſane fieri non poſſet, ſi tota Terra eſſet cooperta aquis.

Quaternarius hic numerus Elementorum

rum,ſic poſitus,et ſituatus pluribus Rationibus probatur ab *Ariſt. 2. de Gen. & 3. Cœli per totum*.Prima eſt;tot ſunt elementa,quot ſunt ſimplices , et primæ qualitates,ſed hæ ſunt numero quatuor,ergo. Secunda;tot ſunt Elementa,quot ſunt qualitates ſimplices motiuæ ad motũ rectũ,ſed hæ sũt quatuor,ergo.Tertia ratio.quatuor ſunt loci Differentiæ, nempè locus ſummus,et ſummo proximus, infimus,et infimo proximus ; ergo etiam quatuor ſunt Elementa,quæ ſibi tales exigunt locorum poſitiones , et differentias . Quarta ratio; vnumquodque componitur ex his, in quæ reſoluitur,ſed lignum , verbi gratia reſoluitur in quatuor Elementa , dum comburitur,in Aquam,et Terram, concedunt vel ipſi Aduerſ.et Chymici omnes,inſuper apparet ignis , apparet etiam tenuiſſimum corpus,quod eſt aer;ergo .

Hæ omnes rationes non quidem ſingillatim acceptæ, ſed ſimul ſumptæ quaternarium hunc Elementorum numerum ſufficienter probãt,iuncta præſertim communi Auctoritate,non modò Philoſophorum cuiuſcunque ſint Claſſis , et Scholæ, ſed etiam Medicorum ; *Hipocr.lib.de nat. Hominis, Galeni.2.de Elementis* .

Sed primò huic communi Doctrinæ contradicunt nobiles Recentiores *Recs lib.2.de Cælo Diſp.Vnica Art.2.per totum Arriaga,& Ouied.lib.2.de Gen.* Hi negant adductis rationibus efficaciter probari, quaternarium numerum Elementorum; vndè et conantur rationes adductas ſoluere, et diluere, tanquam inefficaces ad probandum intentum .

Sed contrà eſt,quia Recentiores hi, ſingulas fortaſſe ſoluunt , ſed non omnes ſimul acceptas , et conglobatim ſumptas; Præterea altè retinendum eſt illud, quod ſæpius ex Ariſt.notaui,nõ omnium rerum poſſibilem eſſe Demonſtrationem .

Sed accipe huius rei luculentius teſtimonium ex eodẽ *Ariſt.1 Aeth.c.9.Eruditi eſt, exterius exactam in vnoquoque genere explicationem requirere,quatenùs pati eius natura poteſt.nam,& Mathematicam vtentem ſuaſionibus approbare , & ab Oratore demonſtrationem exigere,ſimile vitium videtur*.

Secundò contradicunt alij , vt Paſqualigus,qui negat aerem eſſe Elementum.

Sed contrà eſt quia. Si aer nõ eſſet Elementum, maximè quia: non eſt diſtinctus ab aqua,ſed hoc eſt falſum,ergo

Probatur minor,quia : ſi aer eſſet eſſentialiter aqua,ſe reduceret ad priſtinum ſtatum , vt patet in exhalationibus , & vaporibus aqueis , ſed id eſt contrà experientiam , ergo. Confirmatur quia diuerſæ qualitates competunt aeri , ac cõpetunt aquæ, vt patet ex dictis ſuprà , ergo .

Tertiò cõtradicunt.*Cardanus 2.de ſubtili.Taſſonus in ſuis Quæſitis lib. 1. q. 1. Morandus in 2.de Gen tract.1.q.3.Thomas de Corbo in ſua ſumma tract.1 c.2.*Hi ponunt tria tantũ Elemẽta , Aerẽ, Aquã, & Terrã;negant omninò ignẽ, volũt.n.omnia,quæ ab Ariſtotelicis dicũtur ab igne fieri,à calore Solis fieri , ſicuti de facto multæ generationes conceduntur fieri à calore Solis in viſceribus Terræ .

Sed contrà eſt quia; videntur , qui negant ignem,ſenſu indigere , ad ſenſum enim patet , & ignem dari , & ab igne multa conſumi,atque comburi ;

Neque poteſt dici , ignem eſſe exceſſum quendam caloris , atque adeò eſſe accidens quoddam, non corpus ſubſtantiale .

Nam hæc ratio probaret,nullum dari Elementum , poſſet enim ſimiliter dici, aquam eſſe exceſſum quendam frigoris, aerem exceſſum humiditatis,Terram exceſſum ſiccitatis; Præterea exceſſus iſte caloris , calor eſt , ergo prima qualitas ſimplex,ergo alicui corpori ſimplici primò,& per ſe naturaliter debita ; hãc omnis Schola , & communis Populorum , & Gentium vox vna,vocat ignem.

Contrà ſecundò,quia ideò ignis non datur , ſeu non eſt corpus , quia ſine alio corpore reperiri nequit,ſtatim enim, ac ignis eſt ſine alio corpore, quo vtitur, vt pabulo,perit,ideò non eſt corpus , ſed accidens.Contrà inquam, quia piſces nõ ſunt ſine aquis , & extrà aquas , pereunt, ergo non ſunt corpora,ſed accidentia.

Quartò huic doctrinæ contradicunt Chymici, qui omnia elementa negant, præter aquam , & Terram ; Imò *Paracelſus lib. 2.ad Athenienſes*, vnicum ponit Elementum Loco Elemẽtorum, quæ potius dicunt eſſe corpora mixta , & reſolubilia in alia corpora,ponũt hęc tria,quę dicunt omninò ſimplicia,Sal, Sulphur,& Mercurium ; Sal vocant corpus primò ſapidum,Sulphur corpus ſubtile primò inflammabile;Mercurium corpus primò ſpirituoſum,& tenuiſſimum .

Sed contra eſt quia ; tenebriones hi è fumarijs caſis , fumoſiſque fornacibus pro-

Digitized by Google

prodeũtes,nihil ferè ſuprà carbonariam artem ſapiunt, vt loquitur *Le Reès loco vbi ſuprà art.3.* ergo ineptè communem Sententiam damnant.

Contrà ſecundò quia. Vnicum eorum fundamentum eſt quia,vel ipſa,quæ Ariſtotelici Elementa, & prima principia dicunt, reſoluuntur in Sal, Sulphur, & Mercurium, ità ſe fuiſſe expertos ipſi fatentur, qui contrariam Opinionem defendunt; ſuſpecta igitur eſt eorum fides, *etenim oportet eos arbitros eſſe, non Aduerſarios, qui veritatem ſunt iudicaturi ſufficienter ex Ariſt.1.Cæli t.101.*

Contrà tertiò, ſi tria illa eſſent prima Corpora, poſſent in illa reſolui omnia mixta, ſed, vt ipſi Chymici ingenuè fatentur,certum eſt,aurum,talcum, & adamantem non poſſe in illa corpora reſolui; imò illa ipſa reſoluuntur in Elementa, ſi benè firmo igne probentur, & concoquantur; patet enim Sal, Sulphur, & Mercurium tandem in liquorem acidum reſolui, & demum ex oculis euaneſcere ratione nimiæ ſubtilitatis,& tenuitatis, ita fatetur *Reès vbi ſuprà*, (qui ex parte Chymicorum Sententiæ adhæret,)ſed liquor eſt aquę proprietas,& tenuitas propria eſt aeris,ergo.

Hinc benè, & eruditè *Thomas Eraſius parte 2. Diſp.contra Paracelſum* ſic inſurgit, *quæ aquæ propria eſſe omnium eruditorum oculi omnibus ætatibus conſpexerunt,fumoſi iſti Philoſophi,vt nouiſſe plus alijs viderētur,Mercurio adſcribere uoluerunt: quæ aeri maximè conueniunt, Sulphuri tribuunt: quæ Terræ aptiſſimè congruunt, ſali ſuo accommodant.*

Contrà quartò.quia ſi vnum eſſet Elementum: hoc ſane eſſet incorruptibile ſimpliciter,quia non haberet qualitates contrarias,tolleretur ſenſus doloris, dolor enim eſt ſenſatio qualitatis diſconuenientis, & contrariæ, at nulla eſſet qualitas diſconueniens, & contraria, omnes enim qualitates illi vni Elemento eſſent connaturales, & conuenientes; tolleretur omnis ægritudo,quę eſt à contrarijs; vnum eſſet medicamenti genus, quia vna conbinatio qualitatum, quæ omnia patet eſſe contra experientiam, ergo.

LECTIO VI.

Tranſmutatio Elementorum.

OMnia Elementa poſſe inuicem tranſmutari, & vnum in aliud conuerti, certum eſt æquè apud Antiquos, ac Modernos Philoſophos. At,an omnia poſſint inuicem immediatè tranſmutari, adhuc ſub Iudice lis eſt.

Primò ergo,nonnulli negant,poſſe omnia Elementa inuicem immediatè tranſmutari,ſed ſolum ſymbola,vt Ignē,& Aerem,non Aquam,& Ignem.

Ità ex Antiquis *Themiſti.1. Phyſ.t.91, Niphus ibidem,& Albertus. Sotus 4.Phyſ. q.2.art.1.Valleſ.ibidem c.5.* ex Recentioribus *Le Reès diſput. vnica art. vlt. §. 1. Arriaga 2. de Gen. diſp.4. ſect. 8. Ruuius 2 de Gen.cap.6.q.1. nu. 22. & 23. Areſius verò hic q. 15. & Morandus tract.1. q. 8.* concedunt immediatam tranſmutationē auxilio Agentis extrinſeci.

Secundò Alij,concedunt immediatam tranſmutationem quòad omnia Elementa. Ità ex Antiquis *Achillinus 3. de Elementis dub.9. Marſilius 2.de Gen. Albertus de Saxonia, Paulus Ven.Com.2. de Gen.* ex Recentioribus *Auerſa q.41.ſect.10. Barth. Amicus 2.de Gen.diſput.2.dub.2.*

Cōcluſio.Omnia Elemēta etiam diſſymbola inuicem immediatè tranſmutantur.

Probatur primò Auctoritate *Ariſt.2.de Gen.t 24.*vbi habet, *vniuerſaliter manifeſtum eſt,quòd omne ex omnia generari natum eſt.* Quod etiam oſtendit Inductione, probat enim ex Igne,Aquam, & ex Aere generari terram;habet enim *t. 26. ex Igne quoque Aquam, & ex Aere Terram; & rurſus ex Aqua,& Terra Aerem.*

Probatur ſecundò: ratione eiuſdem *Ariſt.* quia; Omnia Elementa ratione ſuarum qualitatum ſunt adinuicem contraria, imò magis ſunt contraria diſſymbola, & quæ nullam habent cognationem adinuicem,quàm ſymbola, & cognata, ergo quodlibet ex illis poteſt in aliud agere,introducendo in illud ſuas proprias qualitates, & diſpoſitiones, & tandem illud in ſe conuertere.

Confirmatur quia.ſi gutta Aquæ conijciatur in fornacem Ignis, ſtatim in Ignem conuertitur, et ſi ſcintilla Ignis in Oceanū mergatur, ſtatim in Aquam conuertitur, ergo.

Re-

Reſpondebis. ſcintillam Ignis conuerti priùs in aerem, ſimiliter & guttam Aquæ; antequam Ignis in Aquam, & Aqua in Ignem conuertatur.

Sed contrà eſt, quia vndè habes ſcintillam Ignis priùs in Aerem conuerti; quæ ratio te mouet ad id aſſerendum? Ego certè rationē habeo à priori, qua moueor, ad concedendam immediatam tranſmutationem, quia inter ignem, & aquam adeſt maxima contrarietas, & actiuitas, quibus poſitis non poteſt non ſequi tranſmutatio.

At inquies; eſt ratio à poſteriori in cōtrarium; quando enim ignis ſcintilla in Oceanum mergitur, videtur aſcendere quidam fumus, hic eſt aer, in quem immediatè tranſmutatus eſt ignis; ſimiliter, quando gutta aquæ in fornacem proijcitur, fumus aſcendit, hic eſt aer, in quem immediatè conuerſa eſt aqua.

Benè; ſed iam abſolutè, & ſimpliciter negas aquam conuerti in ignem, non enim conuertitur immediatè, nec mediatè, quia aqua prius conuertitur in aerem, ſeù fumum, quem videmus euolare, ergo iam ibi ſiſtit conuerſio; nec vlterius procedit; nullo ergo modo aqua in ignem conuertitur.

Probatur tertiò quia. In ſublimi, & prima aeris regione accenduntur Cometæ, trabes ignitæ, ſtellæ cadentes, fulgura, fulmina, quæ nihil aliud ſunt, quàm terreſtres exhalationes in ignem conuerſæ. Aqua conuertitur in vaporem, & fumum, at fumus ſi accendatur, & ignem concipiat, nihil aliud eſt, quàm flamma, ergo.

Obijcies primo. non poteſt dari tranſitus ab extremo ad extremum non tranſeundo per medium ex 5. *Phyſ. t.* 22. ergo non poteſt dari tranſitus ab elemento diſſymbolo ad diſſymbolum, quæ extremè diſtant, niſi priùs Conuerſio fiat in Elementum ſymbolum, ergo.

Reſpondeo. Axioma illud, non poteſt dari trāſitus &c. habere locū in motu locali, qui non poteſt fieri à loco A. ad locū C. niſi quis priùs trāſeat ꝑ locū B. Deindè ēt tale axioma habere locum in actione, quæ diffunditur per ſubiectum; ſed non habere locum in Elementorum tranſmutatione, neque enim Elementa diſſymbola ſunt extrema, vt ſupponit Argumentum, licèt in nulla Qualitate conueniant.

Obijcies ſecundo. Si poſſet ignis conuerti in aquam immediate, ſequeretur, ignem nunquam extingui, ſit enim ignis, aut lampas accenſa, hæc conſumpto oleo, nutriretur aqua, deindè aere exiſtente intrà lampadam, poſtmodum aere exiſtente intrà cubiculum, atque ità nunquam extingueretur. Imò & Terra tandem aliquando anihilaretur, poſſet enim conuerti in aerē, in quem iam conuerterentur cacumina montium, & ſic deinceps tota terræ vaſtitas in aerem verteretur, & tranſmutaretur.

Reſpondeo. Ignem non quocumque pabulo, & Elemento nutriri, licèt enim ignis maximæ ſit actiuitatis, & edacitatis, tamen cætera elementa maximæ ſunt reſiſtentiæ, atque adeò non ſinunt ſe ab igne conuerti, atque conſumi; hinc patet experientia, conſumpto oleo, ignem quoque conſumi.

Eodem modo Reſpondeo ad alteram inſtantiam, Terram reſiſtere aeri, ideòque non poſſe totam in aerem verti, & tranſmutari.

Obijcies tertiò. lateres in ardentiſſima fornace poſiti, integri perſeuerant, ergo iā terra in ignem non conuertitur. Similiter ſi pugillus terræ in flumen proijciatur, nō conuertitur in aquam, ſed ſimul cum aqua videmus terram defluere, ergo.

Reſpondeo. Ad primum caſum, Terram, & ignem eſſe ſymbola, & cognata, non diſſymbola; Præterea, lapides duriſſimi ab igne conſumuntur, & in calcem vertuntur: lateres ignem concipiunt, & ſi in igne diù durarent, non dubito, eos tandem conſumendos eſſe, & conuertendos vel in ignem, vel in calcem. Ad ſecundum caſum dico, pugillum Terræ, non ſtatim verti in aquā, ſed temporis progreſſu.

Neque enim ad id neceſſarium eſt auxilium agentis extrinſeci, quia independēter ab omni extrinſeco agente, qualitates elementorum ſunt actiuæ, & contrariæ, ergo ſeipſis agunt; Admoueat igni manū, & experimento probet *Morandus* Doctrinā ſuam; fortaſſe non calefiet manus, aut non abſumetur?

Quæres. Quomodo intelligendum ſit dictum Philoſophi, 2 *de Gen. t.* 25. *facilior eſt tranſmutatio Symboli in Symbolum, quàm diſſimboli in diſſymbolum.* Videtur enim eſſe tranſmutatio æquè facilis, aut æquè difficilis vnius Symboli in ſymbolum, ac vnius diſſymboli in diſſymbolum vti enim ſe habet proportio vnius ad vnum, ità duorū ad duo, ſed in primo caſu vna qualitas ab vna corrumpitur, in ſecundo duæ qualitates corrumpuntur à duabus; ergo.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo, verè ità ſe habere proportionem vnius ad vnum, ſicuti ſe habet proportio duorum ad duo, quandò ſunt cætera paria; at hic cætera non ſunt paria, quia duæ qualitates, quæ ſupponuntur actiuæ, ſunt minùs actiuæ, quam ſint reſiſtitiuæ qualitates oppoſitæ, ſi enim aqua deberet in ignē cōuerti, frigus, & humiditas aquæ ſunt qualitates minus actiuæ, quàm ſint reſiſtitiuæ calor, & ſiccitas ignis, difficilior eſt ergo iſte tranſitus, quā ſit alius, quo aqua vertitur, & tranſmutatur in Aerem, nam magis actiuus eſt calor aeris, quam ſit reſiſtitiuum frigus, calor enim eſt ſummè actiuus, at frigus nō eſt ſummè reſiſtitiuum, qualitas enim ſūmè reſiſtitiua, eſt ſiccitas.

LECTIO VII.

Elementorum Congreſſus, & Mixtio.

Elementa in vnum locum conuenire, & congredi ad faciendum tertium corpus ab ijs diuerſum, quod propterea appellatur mixtum, citrà omne dubium eſt; agunt enim adinuicem, & reagunt, & patiuntur elementa, donec tandem ex mutua eorum actione, & reactione, ex mutuo eorum congreſſu, & pugna, tertium quid, ſeu mixtum oriatur.

Quia verò Schola, frequenter vtitur hac phraſi, mixtum componi ex Elementis, fieri ex elementis, conſtare ex elementis, examinemus in quo ſenſu eſt intelligendum, mixtum conſtare ex elementis, ità nè vt formæ ſubſtantiales Elementorum maneant in mixto; an verò in mixto maneant proprietates Elementorum, & virtutes, quæ ſint elementorum Vicariæ, & eorum vice, ac loco ſubſtitutæ.

Primò ergo ponunt aliqui. Elementorum formas ſubſtantiales in mixto manere. Ità ex antiquis *Stoici, & Chryſippus, Auerroes, 1. de Gen. Ianduuus 6. Phyſ. q. 2. Achillinus lib. 2. de Elementis art. 3. Contarenus lib. 3. de Elem. Zimara Theor. 27. Cremoninus lib. 2. de anima. digreſſ. 8.*

Ex Recentioribus *Piccolomineus lib. 2. de mixtione cap. 9. Flaminius Nobilius lib. 1. de Gen. cap. 10. q. 3. Buonamicus lib. 1. de motu cap. 50. Nouiſſimè Morandus 2. de Gen. tract. 2. q. 3.*

Secundò alij ponunt Elementa formaliter quidem concurrere, & conuenire in vnum locum ad faciendum mixtum, ſed in eo non remanere formaliter, & ſecundū eorum ſubſtantiales formas, quia facto mixto, recedunt formæ ſubſtantiales Elementorum, & remanent earum virtutes, ſeù Qualitates, non quidem in ſummo, vti erāt in Elementis, ſed refractæ, & remiſſæ.

Ità *D. Thomas 1. p. q. 56. art. 4. quem ſequūtur Thomiſtæ communiter. Schola Nominalium in 2. d. 2. q. 3. Schola Durandi in 4. d. 13. q. 1. ar. 2. ad 2. Schola Scoti in 2. diſt. 15.*

Ex Recentioribus *Barth. Amicus 2. de Gen. diſp. 5. q. 6. art. 2. Auerſa 2. de Gen. q. 53. ſect. 3. Arriaga diſp. 4. Sect. 7. Scaliger exerc. 16. num. 13. Thomas de Corbol. 2. ſum. tract. 7. q. 1. Hurt. diſput. 6. q. 2. Suarez diſp. 15. ſect. 10.*

Concluſio. Elementa manent in mixto non formaliter, ſed virtualiter, ideſt ſecundum eorum virtutes refractas, & remiſſas.

Dixi ſecundum eorum virtutes refractas, & remiſſas, quia hi, qui ponunt, Elemēta in mixto remanere virtualiter, diuiſi ſunt inter ſe, nam alij explicant, quòd remaneant ſecundum eorum virtutes refractas, & remiſſas, vt docet *Scotus loco vbi ſuprà,* (quem & ego ſequor;) *Alij* è contrà volunt Elementa in mixto remanere virtualiter, non ſolum quia remanent ſecūdum eorum virtutes, ſed etiam quia Forma mixti, vtpotè perfectior formis Elementorum, continet illas virtualiter, vt Anima Rationalis virtualiter cōtinet animam vegetatiuam, & ſenſitiuam.

Non audeo, probare Concluſionem Auctoritate Ariſtotelis, quia in hac re mihi videtur perplexus, & vtrique Sententiæ fauere; nam licèt 3. *Cæli t. 32 et 2. de partib. animalium c. 1. & 1. de Gen. t. 84.* apertè aſſerat, Elementa in mixto manere potētia, & virtute, tamen 3. *Cæli t. 31* loquitur ambiguè, & ſub diſiunctione; en verba. *Sit itaque Elementum illud Corporum, in quod alia Corpora diuiduntur, quod ineſt potentia, aut actu, hoc enim vtro modo, adhuc ambiguum eſt.*

Probatur ergo Concluſio Ratione quia. Si in mixto eſſent formæ ſubſtantiales Elementorum, iam mixtum eſſet aggregatum quoddam per accidens, & non vnum per ſe, coaleſceret enim ex vna materia, & pluribus Formis ſubſtantialibus, ſed hoc eſt abſurdum, vt patet, ergo.

Reſpondebis. huiuſmodi formas ſubſtātiales eſſe ſubordinatas formæ mixti, ſicu-

ti in Sẽtentia admittente formam corporeitatis, & alias formas partiales, non ſit aggregatum per accidens, quia forma corporeitatis, & aliæ partiales ſubordinatæ ſunt formæ totali.

Sed contrà eſt quia; de Formis partialibus eſt eadem difficultas, ergo per illam non ſoluitur iſta alia de formis ſubſtantialibus Elementorum, nã eſt contrà bonũ modum philoſophandi, vnã difficultatẽ per aliam, & rem controuerſam per aliam æquè controuerſam, explicare.

Præterea lata eſt diſparitas inter formas partiales, & formas Elementorum in mixto; *Scotus* enim formas partiales admittit, & negat formas elementorum in mixto remanere; ratio autem diſparitatis eſt quia; formæ partiales exercent ſuos peculiares effectus formales, forma corporeitatis dat eſſe corporis, forma carnis dat eſſe carnis; forma oſſis, dat eſſe oſſis; at formæ elementorum in mixto non dant eſſe ſuum formale, mixtum enim non eſt ignis, non eſt aqua, non eſt Terra, aut aer; nec vni ſuæ parti dat eſſe ignis, alteri eſſe aeris, aut aquæ, aut terræ. eſto mixtum habeat calorem, qui eſt proprius ignis, frigiditatem, quæ eſt propria aquæ, ideò dixi remanere in mixto qualitates Elementorum.

Addidi, refractas, & remiſſas, quia hæ qualitates in ſummo, & intenſæ, ſunt proprietates Elemẽtorum, & ideò in tali gradu non poſſunt alijs corporibus conuenire.

Ex his etiam patet. Formam mixti non continere virtualiter formas Elementorum, ſicuti ſecundum aliquos Anima Rationalis continet virtualiter animam vegetatiuam, & ſenſitiuam: nam Anima Rationalis exercet omnes operationes animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, ſed forma mixti non exercet effectus, & operationes Elementorum, neque enim forma mixti dat eſſe ignis, aut eſſe aquæ, ſicuti anima Rationalis dat ſentire, & vegetare; dat eſſe ſenſitiuum, & vegetatiuum.

Obijcies primo. Vnumquodque reſoluitur in ea, ex quibus conſtat, ſed mixtum reſoluitur in Elementa, nam ſi ſtrues lignorum viridium accẽdatur, videmus ex illa prodire flammam, fumum, humorem, & cineres, quę quatuor Elementis, igni, aeri, aquæ, & terrę, correſpondent. Confirmatur, ex floribus, & herbis Stillarij miniſterio diſtillantur aquæ, ergo.

Reſpondeo. Flammam, fumum, humorem, & cineres non eſſe Elementa, ſed mixta quædam Elementis ſimilia, & de nouo virtute ignis generata, nam ſi fumus eſſet ignis, aut aer, aſcenderet ſurſum, at contrariũ experimur in carbonibus, fumus enim ex illis elicitus deorſum tendit.

Ad Confirmationem dico. Aquam ex floribus, & herbis diſtillatam non eſſe aquam elementarem, vndè benè notat *Auerſa* vbi ſupra, eam aquam non eſſe aptam ad Sacramentum Baptiſmi, ad quod requiritur aqua Elementaris. Aut dicas, in poris corporis cuiuſcunque reperiri ſæpè aliquas particulas elemẽtorum, quæ deindè calore ignis, aut etiam Solis foràs extrahuntur.

Obijcies ſecundò. Non poteſt aſſignari, à quo corrumpantur formæ elemẽtorum, ergo remanent in mixto. Antecedens probatur, quia non poſſunt illę formæ adinuicem corrumpi per mutuas eorum actiones, & reactiones, quia non datur exceſſus virtutis vnius elementi ſuprà aliud, & præterea Elementa fuerunt à Deo creata, & producta, ergo à ſolo Deo poſſunt deſtrui, & corrumpi; neq; n. poſſunt elementa corrumpi, & deſtrui à forma mixti, quia hæc ex ipſis elementis fit, & generatur.

Reſpondeo, Formas elementorum corrumpi, & deſtrui formaliter à forma mixti, quæ cum ſit in eadem materia incompoſſibilis cum formis elemẽtorum, illas ab eodem ſubiecto, & materia excludit; effectiuè verò formæ Elementorũ deſtruuntur ab agente producente formam mixti; neque enim formæ Elementorum creatæ fuerunt à Deo, vti eſt Creata Anima Rationalis, ſed à Deo fuerunt eductæ initio mundi ex materia, vndè Deus in Elementorum Creatione, ſeù productione ſe habuit, vt agens naturale, ideò poſſunt illæ formæ ab alio agente naturali deſtrui, & corrumpi.

Præterea Anima Rationalis eſt creata à Deo, & tamen à corpore, cui eſt vnita vi agẽtis naturalis ſeparatur, & excluditur, ergo eodem modo, quamuis formæ Elementorum eſſent creatæ à Deo, adhuc ab agente naturali poſſent à materia mixti excludi, & tolli.

Obijcies tertiò. Si Elementa dicerentur eſſe in mixto virtualiter modo explicato, etiam vnum Elementum virtualiter eſſet in alio, nam calor ignis eſt etiam in aere, ſed hoc ſecundum non dicitur, ergo nec illud primum.

Reſpondeo. Elementa contineri in mixto

to virtualiter, quia in mixto ſunt non modo virtutes actiuæ, ſed etiam motiuæ Elemētorum,& virtus motiua vnius Elementi non continetur in alio Elemento: Hinc mixta dicuntur moueri iuxtà virtutem prædominantis Elementi;ſic calida mouentur ſurſum,frigida deorſum .

Quæres. Si in mixto eſſent qualitates motiuæ æquales , quo motu moueretur mixtum ?

Reſpondeo. In mixto eſſe quidem tēperamentum ad iuſtitiam, ſed non eſſe Temperamentum ad pōdus,ſaltem quò ad qualitates motiuas, & ideò non poſſe in mixto eſſe qualitates motiuas æquales,ſed ſemper eſſe vnam maiorem;& intenſiorem alijs, & cōſequenter in mixto ſemper aliquod Elementū prædominari.

Dixi qualitates motiuas æquales,quia qualitates actiuas poſſe eſſe æquales, non dubito: poteſt enim dari aliquod mixtū, quod exigat æqualem calorem,& æquale frigus ; ſemper tamen,quamuis frigus ſit æquale calori , plus grauitatis cauſat frigus,quàm calor leuitatis, vt patet in animali,quod magis grauitat , quāuis in eo ſit maior copia caloris,quàm frigoris, & ideò nunquam poteſt eſſe æqualitas ad pondus, in qualitatibus motiuis. Fore autem in mixto temperamentum ad iuſtitiam ex eo manifeſtè patet, quia mixtum debet habere qualitates Elementorum refractas,& remiſſas,ſeù attemperatas tali temperamento,quale connaturaliter exigit forma mixti,hoc autem eſt Temperamentum ad iuſtitiam , quod tale dicitur ducta ſimilitudine à Iuſtitia virtute morali, quæ præcipit vnicuique dare,quod ſuum eſt , quodque illi debetur .

DISPVTATIO NONA.

DE CORPORE GENERABILI, ET CORRVPTIBILI.

AD Inferiora tandem, & ad Corpora omninò generabilia, & Corruptibilia in Communi deuenimus . Alij Diſputationem hanc inſcribunt de ortu , & interitu ; Alij cùm Ariſtotele de Generatione, & Corruptione ; Idem ſenſus eſt, licèt phraſi diuerſa vtantur:nomine Generationis venit productio formæ ſubſtantialis in ſubiecto . Dixi formæ ſubſtantialis,quia eius productio, & primò intenditur à Natura, & eſt huius Diſputationis primarium Obiectum, & ſcopus;dixi,in ſubiecto,vt contradiſtinguatur generatio à Creatione, quæ in ſubiecto non ſit, & eſt à ſubiecto omninò independens. Genera-

tioni opponitur corruptio, quæ eſt deſtructio formæ ſubſtantialis in ſubiecto, ſicuti & Creationi opponitur Anihilatio, quæ eſt totius deſtructio; Ariſtoteles vbi dicit 1. de Gen. t. 17. Generatio vnius eſt corruptio alterius, *intelligendus eſt in ſenſu materiali, ſeù reali, quatenùs, ſcilicèt, à parte rei nũquam contingit generatio alicuius formæ, ad quam non ſequatur, vel antecedat alterius formæ deſtructio, & corruptio; non enim poteſt intelligi in ſenſu formali, quia productio formaliter non poteſt eſſe deſtructio, ens non poteſt eſſe non ens.*

LECTIO I.

Terminus formalis Generationis.

TRia ſunt, quæ per Generationem fiunt; ſeù vi generationis exiſtunt; Forma, Vnio, & Compoſitum; Verum non in omni generatione forma exiſtit vi generationis; nam in generatione Hominis Anima Rationalis non exiſtit vi generationis, præſupponitur enim iam exiſtens, vtpotè creata à Deo; ſicuti etiam materia prima quia creata à Deo, non exiſtit vi generationis vllo modo.

Ideò nec de materia prima, nec de forma in Generatione Hominis eſt vlla difficultas in præſenti. De Compoſito concedunt omnes, illud eſſe terminum totalè Generationis, vndè benè ait Philoſophus 1. *Phyſ. t. 82. quidquid fit, compoſitum eſt.*

Videamus, An Vnio, vel Forma, ſit formalis terminus Generationis, nam ad hæc duo Difficultas tota reſtringitur.

Suppono autem, vt erudîtè notant *Barthol. Amicus 1. de Gen. tract. 2. art. 2. Ioan. Lugo de Incarn. diſp.* 11. *ſect.* 2. Terminum formalem Generationis dici id, quod primò, & per ſe attingitur per generationem, ſeù primò, & per ſe exiſtit vi generationis; At id exiſtit primò, & per ſe vi generationis, quod primò attingitur per generationem, & non exiſtit ratione alterius, quod prius per generationem attingatur, imò cætera per illud, ſeù ratione illius attingũtur, & exiſtũt; Simili rõne, qua in Sciẽtijs, & Artibus id dicitur obiectũ formale, ꝙ primò, & per ſe cõſideratur, & attingitur, ità vt cætera rõne illius, ſeù per illud cõſiderentur, & attingantur, ità obiectum formale Phyſicæ eſt naturalitas, hæc enim primò, & per ſe conſideratur à Phyſica, ità vt cætera ratione illius, & ſub formalitate naturalitatis, conſiderẽtur; Id ergo, quod primò, & per ſe attingitur per generationem, ſeù exiſtit vi generationis, erit terminus illius formalis, cætera verò erunt terminus vel materialis, vel totalis, vel aliqua alia ratione ad generationem ſpectabunt.

Prima Sententia ponit Terminum formalem Generationis eſſe Formam.

Ità ex Antiquis *quamplurimi, quos ſunt relatos habes apud Amicum vbi* ſupra. ex Thomiſtis *Soncin. 7. met. q.* 22. *Flandria q.* 12. *art.* 2. ex Scotiſtis *Antonius Andræas 7. met. q. Canon. 5. Phyſ. q.* 1. ex Recentioribus *Vaſq. p. 3. tom. 1. diſp. 19. cap. 2. Conimb. lib. 1. de Gen. c. 4. q. 15. concl. 3.*

Secunda. ponit Terminum formalem Generationis ex æquo Formam, & Vnionem, ſeù Formam, vt vnitam.

Ità *Ruuius lib. 1. de Gen. c. 4. tract. 1. q. 3. Aſſer. 3. nu. 42. Morandus 1. de Gen. tract. 1. q. 3. nu. 9 Verum Ruuius nu. 46.* in fine, clarjùs ſe explicans ponit ſolam Formam eſſe Terminum formalem, Vnionem verò eſſe conditionem, ſinè qua non.

Tertia Sententia ponit Terminum formalem eſſe Vnionem.

Ità *Auerſa to. 2. Philoſ. q. 37. ſect. 3. Amicus* vbi ſuprà. *Ouiedus 2. de Gen. puncto 4. Hurtad. in Phyſ. diſp. 11 ſect. 5. Suarez tom. 1. in 3. p. d. 8. ſect. 3. § in hoc. Aureolus apud Capreolum.*

Concluſio. Terminus formalis Generationis eſt Vnio.

Probatur quia Terminus formalis Generationis ſicut, & cuiuſcumque actionis eſt is, qui producitur, & exiſtit vi generationis primò, & per ſe, quatenus non ratione alterius, ſed ſeipſo fiat, & producatur, cætera verò quæ per actionem fiunt, ratione illius fiant, vt ſupra exemplificauimus, & vlterius poteſt declarari exemplo

viſio-

Digitized by Google

viſionis ; quæ attingens parietem coloratum,habet pro termino formali colorem, quia color per ſe attingitur, quia non attingitur ratione alterius , imò potiùs paries ratione coloris attingitur, & ſi non eſſet color,non attingeretur.

Sed in Generatione, Vnio primò,& per ſe attingitur,primò,& per ſe generatur,nō forma, cætera verò dicuntur generari, & fieri vi vnionis,non vi formæ;ergo.Probatur minor quia. Forma in primis non in omni generatione fit,& producitur, vt patet in Generatione Hominis: deindè in alijs generationibus,Compoſitum non dicitur generari, & fieri ratione formæ, nam benè poteſt forma produci, abſq; eo,quòd reſultet Compoſitum, ſi nimirum forma non vniatur; at verò non poteſt produci vnio,quin fiat, & generetur Compoſitum, non ergo forma,ſed vnio eſt terminus formalis.

Reſpondebis cùm Auctor.Secundæ Sent.ſaltem Forma,vt vnita,erit Terminus formalis Generationis.

Sed contrà eſt, quia vel forma vt vnita, dicit ſolam Vnionem,& ſic iſta Reſponſio non differt à noſtra Concluſione: vel dicit ſolam formam, & id etiam eſt ſufficienter impugnatum Argumento facto in probatione Concluſionis ; vel dicit formam , & Vnionem ſimul,& ſic idem eſt dicere, formam,vt vnitam,ac dicere Compoſitum, ſed Compoſitum eſt Terminus totalis, nō formalis in omnium Sententia , ergo ; vel denique τὸ forma,vt vnita,dicit tertiam entitatem,quæ in Homine,eſt humanitas, in Equo equinitas , & de hac eadem ratio militat, ac de ipſo Toto, ſeù Compoſito, quia Equinitas ,& tertia entitas fit, & generatur;fit, & producitur vi generationis, ergo.

Obijcies primò. Generatio eſt mutatio à priuatione ad formam , ergo ſicuti terminus formalis à quo eſt priuatio formæ; ità terminus formalis ad quem eſt ipſa forma,non ergo eſt vnio.

Reſpondeo . Verè terminum formalem generationis ſub formalitate mutationis eſſe formam,vt benè probat Argumētum; at ſub formalitate , & conceptu Actionis, & productionis,non forma , ſed ſola vnio eſt terminus formalis.

Obijcies ſecundò.forma non fit vi vnionis,ſed fit ſeipſa æquè,ac vnio, ergo & ipſa eſt terminus formalis,vti eſt vnio.

Reſpondeo. Formam ità fieri ſeipſa, vt tamen ratione formæ non dicatur fieri Compoſitum, at Vnio ità fit ſeipſa,vt ratione Vnionis dicatur fieri compoſitum; ad terminum formalem actionis vtrumq; requiritur, & quòd ſeipso fiat,& quòd cætera quæ fiunt,denominentur fieri ratione Vnionis;Imò & ipſa forma aliqua ratione etiam dicitur fieri ratione Vnionis, quia producitur, vt vniatur, & vi vnionis faciat Compoſitum .

Obijcies tertiò . Forma non eſt terminus materialis,talis enim eſt materia,ergo eſt terminus formalis .

Reſpondeo . quòd ſi forma comparetur cum vnione,æquè eſt terminus materialis, ac materia quod maximè verificatur in Generatione Hominis, in qua ad Generationem æquè præſupponitur materia prima, ac præſupponatur Anima Rationalis; in alijs verò Generationibus , certum eſt, poſſe produci formam abſque eo, quòd reſultet compoſitum , ſaltem ſupernaturaliter,at nec ſupernaturaliter poteſt produci vnio, quin reſultet Compoſitum . Si verò forma comparetur cùm materia prima relatiuè ad Compoſitum , vltrò admitto, Formam eſſe Terminum formalem,quia eſt pars formalis Compoſiti naturalis .

LECTIO II.

An detur Reſolutio vſque ad Materiam Primam.

SAtis famoſa eſt , & celebris hæc Controuerſia inter *Thomiſtas* ex vna parte, *Scotum,& Recentiores* ex altera : ſolet ſub alijs terminis ſic proponi; An in Genito remaneant eadem Accidentia,quæ erāt in Corrupto. Et ſenſus Controuerſiæ eſt ; An quando deſtruitur Compoſitum , & diſſoluitur,ſicuti remanente eadem materia prima , introducitur noua forma ſubſtantialis,& forma vetus,quæ prius exiſtebat,recedit,& abit,ità quoque Accidentia, quæ formam veterem comitabantur , recedant,& abeant,recedente, & abeunte veteri forma,an verò potius remaneant cum materia prima , ſimul cùm qua tranſeant ab vna ad alteram formam .

Vbi certum eſt.Accidentia ſpecifica, quæ ad Formam, tanquam proprietates neceſſariò conſequuntur , quia ſunt ab illa prorſus inſeparabilia , naturaliter abire,& recedere cùm abeunte, & recedente forma , neque enim remanent riſibilitas, aut admiratiuitas recedente Anima Ra-

rio-

Digitized by Google

tionali. Dubium eſt de accidẽtibus aliàs vtrique formæ communibus, & quodãmodo genericis, vti ſunt Quãtitas, Qualitas, Albedo, Nigredo, Cicatrix, & ſimilia.

Pendet, ni fallor, ſolutio præſentis Difficultatis, ex aſſignatione, & deputatione ſubiecti, cui inhæreant, & à quo ſuſtententur Accidentia; præcipuè verò Quantitas. Dico præcipuè Quantitas, nam cætera Accidentia immediatè in Quantitate recipi, concedunt communiter omnes. Debet ergo, vt iſta difficultas fundamentaliter, & in radice ſoluatur, aſſignari ſubiectum, cui Quantitas inhæreat. Si enim tale ſubiectum cùm Thomiſtis cõpoſitum ipſum aſſignes, & deputes, concedas neceſſe eſt, Reſolutionem fieri vſque ad materiam primam, & nullum remanere accidens, ſicuti ipſum compoſitum non remanet, ſed reſoluitur, & deſtruitur.

E contrà ſi dixeris, Quantitatis ſubiectum eſſe materiam primam, facilè ſaluabis Accidentia à corruptione, quia remanente materia prima, nõ eſt, cur accidentia deſtruantur, & pereant.

Scio Recentiores aliquos deputare pro ſubiecto accidentium compoſitum ipſum, & tamen negare ad corruptionem compoſiti accidentia corrumpi, & deſtrui.

Sed hi premuntur eo vulgato quidem, ſed ſatis efficaci argumento, quo conuincuntur admittere, accidentia tranſire, & migrare de ſubiecto in ſubiectum, ſi enim compoſitum eſt ſubiectum, & modò eſt vnum, modò alterum compoſitum, ſi accidentia remanent eadem, tranſeunt ſanè, & migrant de vno ſubiecto ad alterum, de vno compoſito ad alterum.

Scio & alios concedere accidentia recipi in materia prima, & tamen admittunt reſolutionem omnium accidentium. Ità *Conimb. 1. de Gen. c. 4. q. 18. Fonſeca 8 Met. c. 1. q. 1.*

Sed hi valdè laborant, in aſſignanda cauſa, & radice corruptionis horum accidentium, ſi aliàs quoad eorum eſſe, & conſeruari à materia dependeant.

His ergo medijs Sententijs omiſſis, tanquam minùs probabilibus, ſpeculationem omnem, & examen ad Sententias conuertamus extremas.

Auctores, qui defendunt dari Reſolutionem vſque ad materiam, atque adeò accidentia recipi in compoſito fusè referuntur ab *Amico 1. de Gen. tract. 2. q. 4. dub. 8. art. 2. ab Auerſa tom. 2. Philoſ. q. 37. ſect. 6.* Sunt omnes Thomiſtæ ſequẽtes D. Thomam, quem tamen 4. *contra Gentes cap.* 81. ad ſecundum ſtetiſſe pro contraria Sententia, fatetur *Ferrarienſis ibi circà primum dictum.* Nouiſſimè hanc Sententiam iuxtà principia Thomiſtarum ſequutus eſt *Bernardinus Mazziotta in Quæſt. Select. q. 9 per totam,* & fusè, & eruditè.

Auctores oppoſitæ Sententiæ negantes Reſolutionem, & deſtructionem accidentium, ſunt in primis *Scotus in 4. d. 11. q. 3. cum eo Scotiſtæ, & Tat. 1. de Gen. q. 1. d. 1. Ioannes de Magiſtris q. 1. not. 1.* & omnes Recentiores, quos fusè relatos habes, apud Amicum, & Auerſam loco vbi ſuprà. Verum *Scotiſtæ* mouentur eo fundamento, quia putant dari formam corporeitatis, quæ remanet deſtructo compoſito, & beneficio huius formæ remanere accidentia, quæ aliàs corrumperentur, & abirent abeunte forma totali. *Recentiores* verò non omnes eo fundamento mouentur, quia non omnes eam formam corporeitatis admittunt.

Concluſio. Non datur Reſolutio vſque ad materiam primam, ſed aliqua remanent accidentia in genito, quæ erant in corrupto.

Probatur primò ex *Ariſt. 1. de Gen. t. 24. ſi aliqua maneat paſſio eadem contrarietatis in generato, & corrupto, vt quando ex aere aqua, ſi ambo tranſparentia, aut frigida, non oportet huius alteram Paſſionem eſſe, in quam tranſmutatur.* Et 2. de Gen. 25. *in tranſmutatione Elementorum Symbolorum vnam qualitatem, in qua illa conueniunt, remanet, vndè t. 27.* habet hęc formalia verba; *quando aqua corruptum fuerit frigidum, Ignis autem ſiccum, aer erit; relinquitur enim huius quidem calidum, illius autem humidum.*

Probatur ſecundò ratione fundamentali, & à priori quia. Quantitas in ſola materia ſubiectatur, tanquam ſubiecto inhæſionis, & ſuſtentationis, ergo ſicuti deſtructo compoſito, & abeunte forma veteri, remanet materia prima, ità in ea remanent omnia accidentia ſubiectata in quantitate, & ipſa in primis quantitas immutata manet, & inuariata. Conſequentia videtur ſatis clara, & certa. Antecedens (in quo eſt tota difficultas) probatur quia. Ex vna parte materia pri-

ma

Digitized by Google

ma de ſe eſt naturaliter exigitiua quantitatis, tanquam proprietatis ſibi debitæ independenter ab omni forma ſubſtantiali, & antè omnem formam ſubſtantialem, & ex alia parte ipſa eſt de ſe ſufficientiſſimum ſubiectum Quantitatis independenter ab omni forma ſubſtantiali, ergo verè quantitas in materia recipitur, ſicuti omnis proprietas in ſui eſſentia, à qua fluit, omnis potẽtia in ea Anima, cuius eſt potentia.

Antecedens probatur quia, materia de ſui natura petit eſſe extenſam, & habere extreitatem partium, tùm quia per talẽ extreitatem contradiſtinguitur à ſubſtãtia ſpirituali, quæ petit è contrà eſſe inextenſam, & non habere extreitatem partium, tùm quia niſi ſit extenſa, non eſt apta, vt poſſit recipere actiones agentis naturalis, non enim datur actio agentis in ſubiectum ſine aliquo contactu, & non datur contactus inter agens corporeum, extenſum, & quantum, niſi ſubiectum quoque ſit quantum, & extenſum, ergo materia de ſua natura petit extenſionem, & extreitatem partium.

Quòd autem talis exigentia ſit in materia antecedenter ad omnem formam ſubſtantialem, patet quia ipſa eſt ſubiectum agentis educentis formas, ergo debet præſupponi, aut ſaltem præintelligi cũ omni neceſſaria diſpoſitione ad exequendum tale munus ſubiecti reſpectu agentis, & formarum, ſed hæc diſpoſitio conſiſtit in eo, quòd ſit extenſa, & habeat extreitatem partium, ergo de ſua natura, & antè omnem formam ſubſtantialem materia exigit, & habet talem extenſionem, & extreitatem.

Quòd autem etiam de ſe præciſa quacumque forma ſubſtantiali, imò & antè omnem formam ſubſtantialem, ſit ſufficiens ad exercendum munus ſubiecti; patet, quia alibi probauimus, materiã habere propriam exiſtentiam: & alias ſi indigeret forma ad exercendum munus ſubiecti, vel indigeret forma, tanquam ratione formali recipiendi, vel tanquam conditione; non primum, quia iã materia de ſe non eſſet ens potentiale, cui proprium eſt, imò & eſſentiale recipere, & eſſe ſubiectum, imò ipſa forma indueret rationẽ ſubiecti, quo nihil abſurdius.

Si forma ſe haberet, tanquam conditio ſine qua non, iam aut præexiſteret forma ſubſtantialis in materia antè formas accidentales, aut eſſet ſimul cùm illis; quodcunque dicas, ſequitur quòd formæ accidentales non ſint præuiæ diſpoſitiones in materia ad recipiendas formas ſubſtantiales, quod eſt contrà formalitatẽ accidentium, quæ propterea dicuntur entis entia in Sententia Thomiſtarum, quia ſunt præuiæ diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales, & ad illas de ſui natura ordinantur, ergo.

Confirmatur primò quia in Sententia Thomiſtarum, materia ſignata, & affecta Quantitate eſt principium indiuiduationis, ipſa ergo in primis materia eſt hæc, & indiuidua, ſi ſit affecta, & ſignata per Quantitatem, ergo antè omnem formam ſubſtantialem debet eſſe quanta, forma enim eſt hęc, & indiuidua per materiam ſignatam, & affectam quantitate, ergo præſupponit materiam cùm quantitate, tãquã radicẽ ſuæ indiuiduationis.

Confirmatur ſecundò quia eſt commune dictum valdè notum, & Scholaſticis familiare quantitas ſequitur materiã, qualitas formam; ſed qualitates ità ſequũtur formas ſubſtãtiales, vt ſint illarũ proprietates, vt patet in formis ſubſtantialibus primorum corporum, ſeù Elementorum, ergo quantitas ideò ſequitur materiam, quia eſt illius proprietas coætanea, & coæua.

Probatur tertiò principaliter, ſed ratione à poſteriori, deducta ex teſtimonio ſẽſuum, quod etiam efficaciſſimum eſt, tum quia ait *Ariſt. 1. de Gen. t. 19. ſenſus habet virtutem ſcientiæ*, tùm quia ex eodem *Ariſtot. 1. Cæli t. 22. videtur ratio iis, quæ apparent atteſtari, & ea, quæ apparent, rationi*.

Quia videmus in AEthiope mortuo eandem nigredinem, quam cernebamus in eo viuo, eandem figuram, eandem organizationem, cicatricem, & quantitatem prorſus eandem, imò & ad breue tempus eundem calorem ſentimus. Similiter in herbis à ſuis radicibus, aut pomis à ſuis truncis reciſis, & abſciſſis, eũdem experimur ſaporem, odorem, virtutem, & actiuitatem eandem omninò; Et ſanè ſi in herbis huiuſmodi, & pomis nõ eſſent eædem virtutes, pharmaca ex illis confecta, non prodeſſent: ergo ſi ſenſuum arbitrio decidenda lis eſt, contrà Reſolutionem vſque ad materiam primam pronuncianda Sententia eſt.

Probatur quartò quia: ſi daretur talis reſolutio, corrumperetur aliquis effectus ſine cauſa corrumpente, produceretur ſi-

ne

Digitized by Google

ne cauſa producente,nam ſi,verbi gratia, homo intereat vi ignis, corrumpitur calor naturalis in homine, qui ſupponitur mori; ſed talis calor non corrumpitur à calore ignis, quia calor non eſt contrarius calori. Similiter ſi homo vi frigoris moriatur, calor,quem ad breue tempus experimur in mortuo,non poteſt produci à frigore, quia vnum contrarium non poteſt produci ab altero,imò potius vnũ contrarium deſtruit aliud. ergo iam in primo caſu corrumpitur calor ſine cauſa corrumpente,& in ſecundo caſu producitur calor ſine cauſa producente.

LECTIO III.

Soluuntur Argumenta Thomiſtarum.

AD propriam Sententiam ſtabiliendam,plura excogitarunt Argumẽta Thomiſtæ, & Recentiores illi, qui Reſolutionem vſque ad materiam primam poſuerunt.

Obijciunt primò.Auctoritatem Ariſt. qui 1.*de Gen.t.23.* definit, *Generationem eſſe mutationem nullo ſenſibili remanente,vt ſubiecto eodem*,ac ſi diceret nullo remanente accidente, ex his, quæ prius erant,nam ab accidentibus habetur omnis ſenſibilitas.Confirmatur ex eodem in *lib.de Prædicam.c.de ſubſtantia*,vbi habet, *ablatis primis ſubſtantijs, nihil aliud remanere*.ergo deſtructo compoſito, & indiuiduo non remanent accidentia.

Reſpondeo. Ad primum locum ſatis claré patet,*Ariſt.*loqui de ſubiecto denominationis,quod eſt compoſitum, non de ſubiecto inhæſionis, quod eſt materia prima, quam remanere, admittunt omnes.Ad Confirmationem dico; eo argumento etiam probari,non remanere materiam primam, nam nihil aliud remanet ex Ariſtotele: explicandus eſt ergo Ariſtoteles,nihil aliud remanere facta hypotheſi, quòd primæ ſubſtantiæ ſecũdum omnes ſui partes tollerentur, atqui iam patet,remanere materiam primam; manent ergo etiam accidentia materiæ primæ debita,& connaturalia.

Obijciunt ſecundò.Quantitas eſt proprietas debita corpori,Corpus enim per quantitatem conſtituitur, ſed materia prima de ſe non eſt corpus, ergo non poteſt habere quantitatem, niſi ſit in ea, vel forma ſubſtantialis corporeitatis, vel ſi hæc non datur,debet in materia præexiſtere, aut ſaltem præintelligi forma ſubſtantialis totalis, prout tribuit gradum corporis.

Reſpondeo. duplex corpus aſſignari, phyſicum .ſ. & mathematicum; cõcedo vltrò corpus mathematicum per quantitatem formaliter cõſtitui, quia corpus mathematicum nihil eſt aliud,quàm trina dimenſio; at corpus phyſicum eſt ipſamet materia prima,vel ſe ſola,vel prout exigitiua Quantitatis; cæterùm materia prima ſe ſola, & antè omnem formã ſubſtantialem, ſiuè partialem corporeitatis, ſiuè totalẽ dãtem gradum corporis,& exigit, & habet quantitatem, per hoc enim contradiſtinguitur à re ſpirituali, quæ non exigit, imò potius habet repugnantiam ad habendam Quantitatem,ſeu extreitatem partium.

Obijciunt tertiò. ſi remanerent eadem Accidentia in genito, & in corrupto,non euitaretur tranſitus, & tranſmigratio accidentis de ſubiecto in ſubiectum,nam ſubiectum adæquatum, & vt quod,eſt ipſum compoſitum. Confirmatur; quia ablato actu primo non poteſt remanere actus ſecundus:ablato eſſe ſimpliciter,non poteſt remanere eſſe ſecundum quid;ſed actus primus, ſeu eſſe ſimpliciter eſt forma ſubſtantialis, actus ſecundus,& eſſe ſecundũ quid,eſt forma accidẽtalis;ergo ablata,& pereũte forma ſubſtantiali pereunt quoque accidentia.

Reſpondeo. non eſſe abſurdum, accidentia migrare de vno ſubiecto denominationis ad aliud; eſto ſit abſurdum,migrare de vno ſubiecto inhęſionis ad aliud, in caſu noſtro fieret prima tranſmigratio,non ſecunda.Ad Confirmationem, & præcipuè ad id, quod dicitur de actu primo,& ſecundo; dico;tunc ablato actu primo,auferẽdũ quoq; eſſe actũ ſecũdũ, quãdo actus ſecũdus depẽdet à primo in ſuo conſeruari; ſecus, ſi actus ſecundus à primo non depẽdeat in conſeruari;hinc ablato Sole aufertur & lux, quia lux in conſeruari à Sole dependet, ſed ablato igne, non aufertur calor à manu calida, quia calor in conſeruari non pendet ab Igne: in caſu noſtro, forma accidentalis nõ depẽdet in cõſeruari à forma ſubſtãtiali,hac ergo pereũte,remanet illa.

Imò ſi ordo executionis inſpiciatur forma accidẽtalis eſt actus primus,q̃a primò recipitur in materia,& in ea debet preintelligi,tanquã diſpoſitio ad formam ſubſtan-

ſtantialem. Ad id,quod additur, de eſſe ſimpliciter, & eſſe ſecundum quid: patet ipſum Compoſitum habere eſſe ſimpliciter;ſed quis dicet,compoſitum eſſe prius, aut materia,aut accidentibus, aut forma, niſi fortaſſe ad ordinem intentionis recurras, nam ipſum Compoſitum primo eſt intentum,& volitum à natura.

Obijciunt quartò: ſi remaneret quantitas deſtructo compoſito,& pereunte forma ſubſtantiali; iam firmior eſſet vnio inter materiam,& accidentia,quàm ſit inter materiam,& formam ſubſtãtialem, quod eſt abſurdum,ergo. Confirmatur quia,idẽ eſt ordo in reſpiciendo, & in recipiendo, ſed ordo in reſpiciendo eſt,quòd primò reſpicitur forma ſubſtantialis, ergo hæc primò recipitur;non ergo quãtitas eſt coæua materiæ primæ.

Reſpondeo. nullum eſſe abſurdum, aut inconueniens in hoc,quòd firmior ſit vnio inter materiam, & Accidentia, quàm ſit inter materiam,& formam ſubſtantialem, ſæpè enim ſubſtantia magis eſt connexa cùm aliquibus accidentibus, ac ſit cùm alia ſubſtantia, patet enim,quòd quælibet eſſentia magis eſt connexa cùm ſuis proprietatibus,quàm cùm alia eſſentia.

Ad Confirmationem,nego omninò, debere eſſe eundem ordinem in reſpiciendo, & recipiendo; imò dico,debere talem ordinem inuerti, & eſſe omninò oppoſitum, oppoſitus eſt enim vel in ipſa *Thomiſtarum* Sententia ordo executionis, & ordo intentionis, quod enim eſt primum in intẽtione,eſt vltimum in executione,& quod eſt vltimum in intentione, eſt primum in executione;id ergo, quod primò natura intendit,eſt forma ſubſtantialis;at id,quod primò exequitur, & in materiam inducitur,eſt forma accidentalis, quæ eſt præuia diſpoſitio ad formas ſubſtantiales.

LECTIO IV.

An detur Forma Corporeitatis.

REdit iterum pugna *Thomiſtas* inter, & *Scotum* de Forma Corporeitatis, & cæteris formis ſubſtantialibus partialibus.

In primis ponit *Scotus* in Compoſito phyſico,præſertim animato,potiſſimum verò in Homine, tot formas ſubſtantiales, quot ſunt partes etherogeneæ, & ſubſtantialiter diuerſæ, quia ergo in Homine eſt pars, quæ denominatur caro, pars altera, quæ denominatur os,neruus, & denique tota materia denominatur corpus, ideo ponit primò formam ſubſtantialem Corporeitatis, formam ſubſtantialem carnis, formas ſubſtantiales oſſis, nerui,& ſimiles alias à quibus proueniant denominationes illæ corporis, carnis, oſſis, & nerui. Has formas vocat partiales, vt diſtinguat à Forma totali, ſeù forma totius, quæ,vt alijs eſt ſuperior,& perfectior, ità totam Materiam informat,actuat,& viuificat.

Ità *Scotus* cùm ſuis *in 4. diſt. 11. q. 3. art. 2. & 7. met. q. 20. quodlib. 2. q. 11. Henricus quodlib. 2. q. 2. & Schola Nominalium.*

Ex Antiquis hanc ſententiam docuerunt, *Stoici, & Pericles Lydius ex Simplicio t. 69. 1. Phyſ. Auicen. 1. ſuff. 2. & tract. 2. met. c. 2. Perphyrius apud Simplicium vbi ſupra. Auerroes epit. met. tract. 2.* Ex Modernis *Areſius 1. de Gen. diſp. 2. q. 10. ſect. 2. Morandus 1. de Anim. tract 1. q. 5. Paſqualigus, & alij.*

Ex aduerſo *Thomiſtæ* omnes, tanquam ſuperfluas,& ſinè vlla neceſſitate inductas, negant formas huiuſmodi partiales, & etherogeneitatem partium diuerſarum, vel in varia, & diuerſa refundunt Accidentia, vel in ipſam formam vnicam,& totalem, quæ pro varia diſpoſitione accidentali, quam reperit in varijs materiæ partibus, tribuit diuerſum eſſe ſubſtantiale, ſeù diuerſos gradus entis ſubſtantialis.

Illuſtratur hæc Doctrina exemplo Hominis,in quo Anima Rationalis ità informat,& viuificat materiam, vt in primo ſigno tribuat illi exiſtentiam, ſeù gradum entis actualis, in ſecundo ſigno tribuat illi eſſe ſubſtantiale,ſeù gradum entis ſubſtantialis in varijs partibus,iuxtà varias diſpoſitiones,nam illi parti materiæ,quæ tenuis eſt,& mollis,tribuit eſſe carnis,alteri parti, quæ eſt dura,& ſicca,tribuit eſſe oſſis; in tertio ſigno tribuit eſſe corporis,ſeù gradũ corporeitatis,denique tribuit eſſe vitæ, ſeù gradum viuentis.

Ità Thomiſtæ omnes; Quorum Sententiam docent ex Antiquis *Simplicius 1. Phyſ. comm. 66. Auer. 1. Phyſ t. 63.* ex Recentioribus *Auerſa 2. tom. Philoſ. q. 45. ſect. 2. Suarez diſput. 15. ſect. 10. Conimbr. 1. de Gen. c. 4. q. 22. Tolet. 2. de Anima q. 1. Ouied. Contr. 3. Phyſ. Arriaga diſp. 3. Amicus 1. de Gen. Mazziotta in quæſt. ſelect. q. 9.*

Concluſio. Dantur Forma Corporeitatis, & reliquæ formæ ſubſtantiales partiales.

Qq Pro-

Digitized by Google

Probatur Concluſio primò Auctoritate *Ariſt.2.de Anima t.4.* vbi definit, Animã eſſe actum corporis organici, ergo iam anima, quæ eſt forma totalis non cõſtituit, ſed ſupponit iam corpus organicum conſtitutum, non niſi à forma partiali corporeitatis, aliàs ſi corpus organicum eſſet tale per ipſam animam, idem eſſet dicere, anima eſt actus corporis organici, ac dicere anima eſt actus corporis animati. Cõfirmatur ex 1. *de Anima t.* 58. in mixto præter animam, agnoſcit *Ariſt.* formã mixtionis, quã docet cõſtare ex diuerſis partibus, carne, oſſibus, & neruis, ergo.

Probatur ſecũdò ratione à priori quia in Compoſito naturali, præſertim in Homine, dantur plures partes etherogeneæ, & ſubſtantialiter diuerſæ, ſed talis ſubſtantialis diuerſitas non poteſt oriri, niſi à diuerſis formis ſubſtantialibus partialibus; ergo.

Probatur minor, quia talis ſubſtantialis diuerſitas non poteſt oriri à forma totius, hæc enim homogenea eſt, & per conſequẽs non poteſt dare formaliter diuerſum eſſe ſubſtantiale; dixi formaliter, quia id, quod eſt vniuocum, & homogeneum, benè poteſt dare diuerſum eſſe, & præſtare effectus ſpecie diuerſos effectiuè, vt patet in Intellectu producẽte diuerſos ſpecie actus, in ipſa Anima producente diuerſas ſpecie potentias; at forma homogenea, formaliter, & dando ſeipſam, non poteſt præſtare diuerſos effectus formales, ſed vnum poteſt præſtare, quia talis effectus ab illa non diſtinguitur, ſi ergo ipſa eſt vna ſpecie, vnus erit ſpecie effectus ab ipſa cauſatus.

Reſpondebis. Anima licèt formaliter homogenea ſit, & vna ſpecie, virtualiter continet plures gradus entis, quos in varijs ſignis intelligitur communicare materiæ primæ, & ſic tribuit gradum corporis, gradum entis actualis, gradum ſubſtãtiæ diuerſæ pro diuerſitate diſpoſitionum, quas inuenit in diuerſis partibus materiæ, ſicuti etiã vna Anima Rationalis dat eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum; ergo.

Sed contra eſt quia. Anima, ſicuti & quælibet forma, quamuis perfectiſſima ſit, non poteſt communicare hos, & ſimiles effectus, ſeù gradus, quando ipſa non eſt, ſed antequam anima materiæ adueniat, præſupponitur illa organizata, & habens partes etherogeneas; imò & recedente tali forma, adhùc illæ partes & remanent etherogeneæ, & ſunt illæ eædem, quæ erant anteà; vt patet in Homine mortuo, cuius corpus, oſſa, caro, & nerui eodem modo manent, ac erant in eo iam viuo, ergo talis etherogeneitas, & ſubſtantialis diuerſitas non eſt ab anima formaliter: imò nec effectiuè, quia quod non eſt, nec effectiuè poteſt quidquam operari. Ideò autem anima eadem intellectiua tribuit eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, quia eſt formaliter vegetatiua, & ſenſitiua, at non eſt formaliter caro, aut os, aut neruus, ideò & lata eſt, & clara diſparitas.

Reſpondebis ſecundò. eas partes eſſe accidentaliter diuerſas, & etherogeneas, & & talem diuerſitatem haberi à diuerſis ſpecie accidentibus, eſſe carnis à mollitie, & tenuitate; eſſe oſſis à duritie, & denſitate.

Sed contrà eſt quia. Mortuo homine non remanent accidentia, quæ erant prius per *Thomiſtas*; at remanent caro, & oſſa, quæ erant prius, ergo caro, & oſſa non conſtituuntur formaliter per accidentia, ergo verè ſunt partes ſubſtantialiter diuerſæ.

Præterea, naturaliùs, ſeù magis conforme naturæ eſt, ponere has formas ſubſtãtialiter, quàm accidentaliter diuerſas, ſic enim melius ſaluatur terminus formalis in generatione Hominis, talis enim terminus non eſt materia, neque forma, quæ ſupponũtur iam creata à Deo, nec etiam eſt vnio ſubſtantialis, quam plures *Thomiſtæ* negant, & hi, qui concedunt, adhùc melius ſaluant talem terminũ, ſi non ſolũ vnionem ſubſtantialem admittant, ſed etiã formas ſubſtãtiales partiales, ergo ponẽdæ ſunt formæ ſubſtãtiales partiales, nã id, quod melius eſt, & perfectius eſſe ponẽdum ab accurato naturæ Scrutatore, & Philoſopho, tota Natura clamat ex Ariſt. *2.de Gen.t.9 quod melius eſt, deſiderat natura ſemper*.

Nonnulli ex diuerſitate Accidentiũ, & operationum partium etherogenearum, colligunt earum diuerſitatem ſubſtantialem, diuerſæ enim formæ ſubſtantiales innoteſcunt ex diuerſitate ſpecifica accidentium, & operationum.

Non placet, quia facilè ſe ab hoc argumẽto expediũt Aduerſ. dicendo, ex diuerſitate accidentium, & operationum colligi diuerſitatem formarum ſubſtantialium, quando ea accidentia, & operationes diuerſæ ſunt in diuerſo, & diſtincto ſuppoſito, vt cum calor eſt in Igne, frigus in aqua: at ſi diuerſa ſpecie accidentia ſint in eodem

dem

Digitized by Google

dem ſuppoſito, tale argumentum non valet, nam in eodem intellectu ſunt diuerſæ ſpecie operationes, imò & contrariæ, ſæpè etiam contradictoriæ, vt aſſentiri, & non aſſentiri, cùm tamen vnus ſpecie ſit Intellectus.

Probatur tertiò Concluſio. Argumento petito è re Theologica, idem numero fuit Chriſti Domini Corpus mortuum, & viuum, vt patet ex communi ſenſu Fideliũ, & pluribus teſtimonijs Sanctorum Patrũ, quos fusè cit. *Scotus vbi ſupra*, ſed corpus mortuum non eſt tale ab Anima Rationali, quæ in eo corpore non erat, aliàs Chriſtus Dominus non fuiſſet verè mortuus; Veneramur reliquias, & corpora mortua Sanctorum, ergo iam in ijs remanet eadem forma, quæ prius, ſed non remanet Anima Rationalis, ergo forma corporeitatis. In Euchariſtiæ Sacramento ex vi verborum ponitur Corpus, at Anima non ponitur ex vi verborum, ſed per concomitantiam ex *Trid. ſeſſ.* 13. *c.*3. ergo Corpus non conſtituitur formaliter per Animam, aliàs & ipſa ex vi verborum poneretur, ergo.

Obijcies primò. Auctoritatem Philoſophi, qui 4. *Meteor. t.*54.3. *de Anima t.*9. *& lib.* 2. *de Hiſt. Animalium cap.*5. docet, carnem Hominis mortui eſſe æquiuocè carnem cum carne Hominis viui. Et 2. *de Anima t.*31. ponit Animas eſſe veluti figuras, quorum vna continet aliam, quadratum continet triangulum, ergo non ſunt plures Animæ, ſeù plures formæ partiales.

Reſpondeo. carnem Hominis mortui dici æquiuocè carnem ratione formæ totalis, & vitæ, nam caro mortua caret vita, atque adeò caret forma totali, & completa, quam tamen habet caro viua, ſed ſi vtraque caro, & viua, & mortua conſiderētur quòad eſſe ſpecificum partiale, eadem ſpecie eſt caro mortua, & viua; hinc idem Philoſophus 4. *Meteor. vlt.* docet; *quando oculus poteſt videre, & exercere functiones vitæ, oculus eſt, at quando functiones vitæ exercere non poteſt, oculus dicitur per communitatem nominis cum membris viuis.*

Ad ſecundum tex. ibi negari plures formas totales, & non ſubordinatas; non tamen negari plures formas partiales, & ſubordinatas.

Obijcies ſecundò: hæ formæ partiales ſunt ordinatæ ad formam totalem, aliàs non facerent vnum per ſe, ſed vnum per accidens, & per aggregationem, ergo iam non ſunt formæ ſubſtantiales; hæc enim eſt differentia inter formas ſubſtantiales, & accidentales, quòd hæ ſunt entis entia, ideſt, entia eſſentialiter ordinata ad ſubſtantiam, non ſic formæ ſubſtantiales, quæ ſunt entia ſimpliciter, & ad aliam vlteriorē formã, ſeù actũ non ordinata; ergo.

Reſpondeo. non eſſe contrà rationem formalē ſubſtantiæ ad aliud eſſentialiter ordinari, nã materiã ad Formas, & formas eſsētialiter ordinari ad materiã, cōcedunt cōmuniter omnes; benè ergo pōt vna forma ſubſtantialis ad aliam ordinari, ſi concipiatur, vt quid incompletum, & potentiale reſpectu alterius formæ ſuperioris, & perfectioris, abſq; diminutione, aut deperditione ſui eſſe ſubſtantialis.

Verum non in eo ſenſu, accidentia dicuntur entis entia, ſeù entia ſecundũ quid, quia ſunt eſſentialiter ordinata, ſeù ſubordinata ad ſubſtantiam, ſed quia non ſunt primò, & principaliter intenta à natura, ſicuti ſunt ſubſtantiæ, quę propterea dicũtur entia ſimpliciter, ſiuè ſint formæ, ſiuè ſit materia, non enim ſola forma ſubſtantialis eſt ens ſimpliciter, aliàs materia, vel eſſet ens ſimpliciter, & iam eſſet forma, non materia, vel non eſſet ens ſimpliciter, & ſic eſſet accidens. Imò ſi accipiatur ens ſimpliciter prout opponitur non enti ſimpliciter, æquè forma accidentalis, & ſubſtantialis, eſt ens ſimpliciter, quia vt ſubtiliſſimè notat *Scotus* vbi ſupra §. *ſecunda ratio*, non enti ſimpliciter, ſeù nihilo æquè opponitur quodlibet ens, quamuis minimum, ac opponatur ſubſtantia.

Dices. quare forma ſubſtantialis eſt ens ſimpliciter, & eſt primò intenta à natura, forma verò accidentalis eſt ens ſecundum quid, & non eſt primò intenta à natura?

Reſpondet *Scotus* vbi ſupra; quia forma ſubſtantialis eſt hæc, forma accidentalis eſt hæc, ſeù quia illa eſt ſubſtantia, hæc eſt accidens, quãdo enim deuenimus ad rationem formalem, & immediatam vlterius non progredimur; ſicuti ſi quæras, quare calor calefacit, frigus infrigidat, nihil aliud reſpondebis, quia calor eſt calor, frigus eſt frigus.

Obijcies tertiò. quidquid aduenit enti in actu accidentaliter aduenit, ſed forma totalis adueniret enti in actu, ſeù materiæ primæ iã cōſtitutæ in actu ſubſtãtiali per formas partiales ſubſtantiales, ergo forma totalis adueniret accidentaliter.

Reſpondeo eodem argumento probari, etiam data vna forma, eam accidentaliter

aduenire, quia adueniret materiæ iam diſpoſitæ ad illam per accidentia, quæ cum ſint actus, & ipſa conſtituunt materiam in actu. Prætereà, per *Thomiſtas*, forma totalis, prout dat gradum vitæ eſt poſterior ſe ipſa, prout dat gradum entis actualis, & gradum corporis, ergo prout dat gradum vitæ accidentaliter adueniret.

Dicendum eſt ergo id, quod aduenit enti in actu completo, & alteri non ſubordinato, accidentaliter aduenire; ſecus ſi adueniat enti in actu incompleto, & alteri ſubordinato, vt eſt in caſu noſtro.

Prætereà, non omne, quod aduenit enti in actu completo, accidentaliter aduenit, nam plures Philoſophi ex ijs, qui cū *Thomiſtis* negant formas iſtas partiales, admittunt ſupernaturaliter poſſe duas formas totales, & completas actuare eādem numero materiam, quo caſu altera earum adueniret enti in actu iam complete conſtituto, & tamen non adueniret accidentaliter, ex eo, quia, non actuaret illud ens in actu, ſeù non actuaret compoſitum, ſed ſolam materiam; ſic in caſu noſtro forma totalis non actuaret compoſitum ex materia, & forma partiali, ſed ſolam materiam.

Denique ſicuti in gradibus metaphyſicis res ità componitur, vt ens actuatum per vnum gradum, putà per gradum ſubſtantiæ, remaneat vlterius actuabile per alium gradum, putà per gradum animalis abſque eo, quòd iſte alius gradus dicatur accidentaliter aduenire, ità materiæ actuatę per formas partiales, poteſt aduenire forma totalis abſque eo, quòd dicatur accidentaliter aduenire.

LECTIO V.

An in eadem materia poſſint eſſe duæ totales Formæ ſubſtantiales.

DE facto in vna materia eſſe vnam formam totalem, & non poſſe eſſe duas, nemo eſt, qui ambigat, ſufficienter enim materia per vnam formam actuatur, & completur, altera ergo ſuperflua eſt, & omne ſuperfluum natura execratur, & odit. An de potentia abſoluta poſſint eſſe duæ formæ totales in materia, ad examen vocamus.

Nonnulli hanc Quæſtionem dicunt eſſe celebrem; ſed neſcio, quo fundamento, nam non audiui frequentes de hac re diſputationes, aut graues contentiones fieri inter Scholaſticos.

Et ſanè difficultas non procedit de formis contradictoriè oppoſitis, ſiuè hæ formæ ſint oppoſitæ contradictoriæ formaliter, ſiuè æquiualenter, certū eſt enim has eſſe incompoſſibiles etiam diuinitus in eadem materia.

Sed nota, non eas formas dici contradictoriè æquiualenter oppoſitas, quæ quomodocumque poſſunt ad prædicata contradictoria reduci, aliàs omnes formæ eſſentialiter diuerſæ, eſſent cōtradictoriè oppoſitæ æquiualenter, quælibet enim forma, imò & quodlibet ens implicitè dicit negationem omnis eius, quod non eſt ipſum, atque adeò dicit virtualem, & æquiualentem contradictionē cùm alio omni ente. Sed eas formas intelligo eſſe æquiualenter contradictorias, quarum vna non poteſt exercere ſuum effectum formalem primarium, niſi excludat, & neget alteram, ità Curuitas eſt æquiualenter contradictoriè oppoſita rectitudini, quia non poteſt pedem reddere curuum, niſi neget, & excludat rectitudinem ab illo.

Negant *Thomiſtæ* poſſe ſupernaturaliter eſſe duas formas totales in eadem materia.

Affirmant Recentiores communiter, & pro ſe citant *Scotum in 4. d. 15. q. 3. §. quantum ergo*. Sed reuerà *Scotus* hic ſatis dubitanter loquitur, nec ſe pro hac Sententia apertè declarat, en verba; *licèt Deus poſſit facere aerem ſimul cùm igne de potentia abſoluta, & fortè ex eadem materia, tamen vt aer ſuccedit igni, ſic ſunt incompoſſibiles in ſimùl eſſendo*.

Cōcluſio. ſupernaturaliter poſſunt duæ formæ ſubſtantiales, totales informare eandem materiam.

Probatur primò. Argumento communi, & ideò efficaci, quia in hoc nulla cernitur implicantia, aut manifeſta contradictio, vt ex ſolutione earum, quæ afferuntur in contrarium, patebit; ergo.

Probatur ſecundò à pari. Quia non repugnat duo corpora eſſe in eodem loco, & ſe penetrare; duas qualitates contrarias eſſe in eodem ſubiecto, duas naturas eſſe in vno ſuppoſito, vt etiam Aduerſarij, admittunt, ergo nec duas formas eſſe in eadem materia;

Qua in re non video magnam eſſe difficultatem.

Ve-

Digitized by Google

Verum Difficultas in eo videtur eſſe poſita, vt aſſignetur modus, quo Deus facit huiuſmodi miraculum; ſeù vt aſſignetur, quid Deus addat, aut detrahat ab his formis ſubſtantialibus, quas ponit in eodem ſubiecto, in quo naturaliter eſſe nequeunt.

Reſponſio Communis eſt. Deum ab vna ex his formis tollere effectum negatiuum, & ſecundarium, quem habet, de expulſione alterius formæ ab eodem ſubiecto, quælibet enim forma totalis habet pro ſui effectu primario, & poſitiuo actuare materiam, & pro ſui effectu ſecundario, & negatiuo, expellere alias formas totales ab eodem ſubiecto, qui effectus ſecundarius quamuis ſit connaturalis tali formæ, adhùc tamen per abſolutam Dei potentiam poteſt tolli, aut impediri.

Sed contrà eſt, quia expulſio tenebrarũ reſpectu lucis, expulſio vitæ reſpectu mortis, expulſio cæcitatis reſpectu viſus, denique expulſio rectitudinis reſpectu curuitatis, eſt effectus negatiuus, & ſecundarius, & tamen non poteſt tolli, aut impediri, ergo nec excluſio alterius formæ totalis poteſt tolli, aut impediri ab vna forma totali.

Dices. huiuſmodi effectus negatiuos, & ſecundarios habere neceſſariam, imò & eſſentialem connexionem cùm ſuis formis poſitiuis, & ideò non poſſe ab illis nec diuinitùs ſeparari.

Benè; ſed etiam excluſio, & negatio alterius formæ totalis eſt effectus habens neceſſariam, & eſſentialem connexionem cùm forma totali priori, ergo non poteſt neque diuinitùs à tali forma ſeparari. Antecedens probatur quia; forma totalis eſt adæquatus actus materiæ primæ, ſed adæquatus actus potentiæ, non exceditur à potentia; excederetur autem, ſi reciperet alium actum contradiſtinctum, ergo excluſio, ſeù negatio alterius actus, eſt effectus eſſentialiter connexus cùm forma totali priori, ſimili ratione, qua *Thomiſta*, ideò negant effectum eundem poſſe eſſe à duabus cauſis totalibus, quia quælibet ex illis eſt cauſa totalis, & adęquata.

Puto dicendum; non in eo ſenſu formã totalẽ dici adæquatã reſpectu materię, quaſi non poſſit ab illa excedi per receptionẽ alterius formę, ſed dici adęquatã, ideſt totalẽ, quia explet totã capacitatẽ materiæ; nec vnã formam habere incompoſſibilitatem, aut excluſionem, & negationem alterius formæ, neque tanquam effectum ſecundarium.

Quando ergo Deus ponit duas formas totales, aut plures in eadem materia extendit eius capacitatem naturalem, & ampliat, dans poſſe ſimul ſuſtentare plures formas totales, quas materia ſuæ naturæ relicta non poſſet ſuſtentare, ſicuti ampliat, extendit, & eleuat aquam ad producendam gratiam, ignem materialem ad torquendos ſpiritus.

Vndè quòd duæ, aut plures formæ totales nequeant eſſe in eodem ſubiecto naturaliter, non in incompoſſibilitatem earundem formarum, ſed in limitatam capacitatem materiæ primæ refundenda eſt, ſicuti etiam, quòd duæ qualitates contrariæ ſimul eſſe nequeant in eadem materia, refunditur non in incompoſſibilitatem earum, ſed in limitatam capacitatẽ ſubiecti in probabili Sententia.

Dices. Eleuatio aquæ eſt in genere cauſæ effectiuæ, ſicuti etiã eleuatio ignis, at eleuatio, & ampliatio materiæ eſt in genere cauſæ materialis, quæ non datur, aut quam difficillimè explicatur.

Reſpondeo. eleuationem in genere cauſæ materialis iam fuiſſe facilè explicatam, dum diximus, materiam eleuari, quia eius capacitas paſſiua ampliatur, ſicuti ignis eleuatur, quando eius capacitas actiua ampliatur, & benè etiam probari ducta paritate ab eleuatione aliarum Cauſarum.

Dices ſecũdò. Si in materia eſſent duæ formæ totales, putà, forma auri, & forma ligni, benè poſſet dici, aurum eſt lignum, lignum eſt aurum, ſicuti quando in eodẽ ſubiecto eſſent albedo, & dulcedo, benè poſſet dici, album eſt dulce, dulce eſt album. Imò ſi in eadem materia eſſet forma equi, & forma Hominis, poſſet etiam dici, Homo eſt equus, equus eſt Homo; ſed hæc ſunt abſurda, ergò.

Reſpondeo. in prædicatione accidentali id, quod in recto importatur, eſt ſubiectum; at in prædicatione ſubſtantiali, id, quod in recto importatur, eſt forma; ideò benè valet, album eſt dulce, dulce eſt album, quia ſenſus eſt, ſubiectum habens albedinem, habet dulcedinem; at nõ valet, aurum eſt lignum, quia ſenſus eſſet, forma auri eſt forma ligni, quod eſt falſum; à fortiori non poteſt dici, equus eſt homo, quia formæ hominis, & equi, ſunt contradictoriæ æquiualenter, quia nequit rationalitas præſtare effectum ſuum primarium, abſque excluſione, & negatione

formæ

formæ equinæ, cum qua rationalitas eſt eſſentialiter incompoſſibilis.

Dices tertiò. ſi duæ formæ totales poſſent informare eandem materiam, ergo etiam vna forma poſſet informare diuerſas materias, at hoc eſt abſurdum, quia aliàs eadem forma reperiretur in pluribus locis.

Reſpondeo. ſupernaturaliter non repugnare eandem formam, & ampliari ad diuerſas materias, & extendi ad occupanda plura loca.

DISPVTATIO DECIMA.

DE AVGMENTATIONE.

Mixtorum Animatorum Vita, & ſalus in Calido, & Humido radicali poſita eſt; at Humidum continuò vi Calòris naturalis depaſcitur, & abſumitur, ideoq; facilè Animatorum Vita deficeret, niſi amantiſſima noſtri Natura deperditam ſubſtantiam, per nutritionem, & abſumptam Quantitatē per Augmentationem oportunè repararet, quàm citiſſimè reſtauraret; Definitur ergo Augmentatio ab Ariſt. 1. de Gen. c. 2. *Quãtitatis exiſtētis additamentum; acquiritur. n., & additur Viuenti noua Quantitas per Augmentationem, & quidem maior ea, quæ fuerat vi Caloris naturalis deperdita, & conſumpta. Cæterum Quantitatis additamentū vel fit per iuxtapoſitionem alimenti, quomodo Ignis quò maior illi ſtuppa extrinſecus apponitur, nutritur, & creſcit; & hoc eſt proprium Inanimatorum, ſeù nō Viuentium; vel fit per intraſuſceptionem Alimenti ab ore Animalis in ſtomachum, & in reliquas ſubindè partes omnes Corporis diffuſi, & hoc eſt proprium Animatorum, & Viuentium.*

LE-

LECTIO I.

Termini Magnitudinis, & Paruitatis.

OMnia Corpora naturalia habere terminos aliquos magnitudinis,& paruitatis ſuæ,extrà dubium eſt, nullum enim de facto datur corpus, quod ſit Infinitum, & careat terminis; At quinam ſint hi Termini, & in quantam molem poſſint corpora naturalia excreſcere,aut in quam minimam Quantitatem ſe reducere, incertũ eſt,& Controuerſum apud Scholaſticos.

Qui admittũt Indiuiſibilia, & modos incipiendi,& deſinendi Rerum, intrinſecos, & extrinſecos; aſſignant quoque duos terminos magnitudinis; intrinſecum, quem vocant maximum quod ſic;extrinſecum, quem vocant maximum quod non; Similiter ponunt duos Terminos paruitatis,intrinſecum, quem vocant minimum, quod ſic;extrinſecum, quem vocant, minimum, quòd non;.

Nos qui negamus Indiuiſibilia, & terminos intrinſecos,& extrinſecos inceptionis, & deſitionis rerum reijcimus ex eo, quia res ceteroqui clara,obſcuritate horũ terminorum inuoluitur, & implicatur; eodem motiuo inducimur ad negandos terminos intrinſecos,& extrinſecos magnitudinis,& paruitatis.quia ſinè huiuſmodi ter minis intrinſecis, & extrinſecis, poteſt res clariùs, & meliùs explicari; vt mox patebit.

Nonnulli ergo in omni Corpore naturali,ſiuè Animato,ſiuè Inanimato ponunt terminos determinatos magnitudinis, & paruitatis.

Ità *Auerroes 6.Phyſ.Com.91.Caietanus 1.p.q.7.ar.3.Ferrarien.1. Phyſ.q. 7.Iandunus q.16.*

Sed contrà eſt, quia patet experientia, Ignem ſemper comburere, & in ſeipſum conuertere, quidquid illi apponitur, vndè fit ſemper maior, & maior. Similiter non poteſt aſſignari pars quantitatis adeò minima, ſub qua non poſſit eſſe Scintilla Ignis, videmus enim de facto,& ipſas paruas Scintillas ſubdiuidi in alias minores,& minores,in quibus tamen ſemper eſt ignis, aptus ad comburenda corpora, quamuis magna,& ferè in infinitum extenſa.

Confirmatur ex *Ariſt.2.de Anima t.41. Ignis augmentum in infinitum abit, quouſque fuerit combuſtibile. natura autem conſtantium omnium terminus eſt, & ratio magnitudinis,& augmenti,hæc autem anima ſunt, & non ignis; & rationis magis, quam materia.*

Quòd autẽ dicitur de Igne, militat etiã in alijs corporibus inanimatis,quorum ſolus ignis videtur nutriri, & augmentari, etenim ipſe videtur ſolus corporum, aut elementorum,ali,& augmentari, ex Ariſt. vbi ſupra *t.39.& 40.*

Concluſio. Viuentia habent determinatos terminos magnitudinis, & paruitatis.

Ità *Scotus in 2.diſt.2.q 9. Ochamus d 8. Ruuius 1.Phyſ.Areſius 1. de Gen. q.35. & alij omnes Antiqui,& Recentiores.*

Probatur. quia Viuentia habent organa,& Inſtrumenta, quibus exercent operationes ſuas, ergo debent habere organa proportionata, & debitæ magnitudinis, nam ſi eſſent valdè magna, non poſſet Viuens ea mouere, & ad libitum in quamlibet partem inclinare, & ſimiliter ſi eſſent valdè parua, non poſſet viuens ea mouere, atque dirigere ad ſui libitum, ergo debẽt eſſe Organa huiuſmodi, & Inſtrumenta Vitæ, magnitudinis debitæ, & proportionatæ, ſicuti & Inſtrumenta cuiuſque Artis debent eſſe proportionata, & debitæ magnitudinis,aliàs nonpoſſent ab Artifice moueri;& adhiberi.

Confirmatur ex Ariſt.vbi ſuprà. *Natura conſtantium omnium terminus eſt, & ratio magnitudinis,& augmenti.*

Confirmatur ſecundò experientia,quia adhuc viſus non eſt homo magnus, vt Mons,neque paruus, vt Formica,ergo habet terminos magnitudinis, & paruitatis.

Quinam ſint hi termini in quolibet mixto animato,& viuente, incertum; varij enim ſunt, & diuerſi iuxtà varietatem, & diuerſitatem Viuentium. Illud eſt certum, in quolibet Viuente aſſignari tres ſtatus, nempè ſtatum Augmenti, ſtatum Conſiſtentiæ,& ſtatum Decrementi: & quidem in Homine, ſtatus Augmenti eſt ab initio vitæ vſque ad annum 21.aut 25.Status Conſiſtentiæ ab anno 21.aut 25. vſque ad annum 35. aut 40. hoc tempore Homo conſiſtit,neque creſcit,neque decreſcit.

Denique eſt ſtatus Decrementi;quando Homo ab anno 35. aut 40. decreſcit ſemper vſque ad vltimam ſenectutem.ità colligitur ex Ariſt. 3. *de Anima t.59. neceſsè eſt, quod genitum eſt, augmentum habere, & ſtatum,& decrementum:* & Ratio huius triplicis ſtatus deſumitur ex actiuitate calo-

caloris naturalis,qui prius,vtpotè validior plus acquirit alimenti, quàm deperdat de ſubſtantia Viuentis.

Deindè aliquantulum debilitatus, tantum acquirit,quantum deperdit. Denique notabilter debilitatus plus deperdit, quàm acquirat.

Obijcies primò: ſi daretur actu homo maximus, qui intrà humanam ſpeciem poſſit excreſcere, hic ſi alimentum ſumeret, aut morſu venenoſi ſerpentis intumeſceret, tranſiliret eum terminum aſſignatæ magnitudinis,ergo.

Reſpondeo,in primo caſu viuens non augmentari,ſed ſtare,non creſcere;neque decreſcere,vt etiam accidit in ſtatu conſiſtentiæ; in ſecundo caſu Viuens intumeſcere quidem,& in ampliorem locum ſe extendere, ſed non creſcere, quia non nutritur, augmentatio autem comitem habet nutritionem,& non eſt ſola extēſio localis maior.

Obijcies, ſecundò. Crocodillus, & nōnullæ Arbores augentur tota vita, ergo non omnia Viuētia habent terminos magnitudinis. Similiter & Vites in terra defoſſæ, & ſæpiùs emerſæ ſine termino propagantur,& creſcunt,ergo.

Reſpondeo. Crocodillum, & illas arbores tandem conſumi, quando enim ad debitam magnitudinem peruenerint, aut conſiſtunt,aut emoriuntur.

Ad Confirmationem dico. Vites non eſſe vnum viuens,ſed plura viuentia, nimirum tot viuentia,quod ſunt radices diuerſæ,quibus vites multiplicantur, & propagantur.

Obijcies tertiò.ex *Ariſt.* 2. *de Anima t.* 41. *omnium natura conſtantium terminus eſt*, at etiam non viuentia natura conſtant,ergo.

Reſpondeo.ibi terminum,*natura*, accipi pro naſcitura, quæ eſt propria viuentium, imò ibi manifeſtè docet Philoſophus cauſam Augmenti eſſe Animam, Concauſam verò eſſe calorem. verba ſūt. *Hic autem concauſa quidem quodammodo eſt,non tamen ſimpliciter cauſa, ſed magis Anima.*

LECTIO II.

In quo conſiſtant formaliter Raritas, & Denſitas.

RAritas,& Denſitas conſequuntur ad Quantitatem;Omnia enim quanta, aut rara ſunt,vt Ignis,& Aer;aut Denſa,vt Aqua,& Terra;& ſic proportionaliter omnia mixta,in quibus aut Ignis,& Aer prædominantur,aut Aqua,& Terra. Hinc ſpiritualia quia carent Quantitate, nec rara ſunt,nec denſa.

At in quo formaliter conſiſtant Raritas,& Denſitas,Difficultas,neque léuis eſt, neque ab omnibus eodem modo explicatur.

Dixi formaliter,quia omnes conueniūt in eo, quòd raritas eſt à Calore, Denſitas à frigore,tanquam à cauſa effectiua; hinc omnia calida ſunt rara, omnia frigida ſunt denſa, & idem corpus ſi calefiat,rareſit,& in maiorē locum extenditur,ſi frigefiat,denſatur,& in minorem locum ſe contrahit,& reſtringitur.

Et quidem Communis conceptus, quē omnes habent de Raritate, & Denſitate, ſeù de Raro,& Denſo eſt,quòd ea ſunt Rara, quæ habent paruam materiam, & magnas extenſiones locales, è contrà ea ſunt Denſa, quæ habent multum materiæ, & paruas extenſiones locales; ita cùm D. Thoma 3.*p.q.* 77. *art.* 3. *ad* 3. colligunt ex *Ariſt* 4 *Phyſ.t.*84 85.communiter Scholaſtici omnes verba ſunt. *Rarum,& denſum idem, & vna materia ipſorum.* Eadem ergo Materia, prout occupat maiorem locum,eſt Rarum,ſeù Raritas;prout occupat minorem locum, eſt denſum, ſeù Denſitas;& ſic eadem materia à *D. Thoma,& Scholaſticis* dicitur parua, ſi habeat extenſiones locales minores ſe; dicitur magna, ſi habeat extenſiones locales maiores ſe. Clarius,ſit;ſubſtantia palmaris, verbi gratia,ſi calore rarefiat,extenditur in locum bipalmarem; ſi verò frigore condenſetur, reſtringitur in locum ſemipalmarem.Eccè nodus, et punctus grauis, & magnæ Difficultatis;

Quomodo enim ſubſtantia palmaris, verbi gratia,ſi calore rarefiat, poteſt occupare duos palmos loci, niſi pariter intelligamus, quantitatem palmarem eſſe in duobus locis,putà in loco palmari A.et in loco palmari B. quod ſi admittas, admittas neceſſe eſt, naturaliter fieri replicationem eiuſdem ſubſtantiæ in duobus locis, quod eſt impoſſibile:et è contrà, quomodo ſubſtantia palmaris, ſi frigore condenſetur, poterit occupare minorem locum, atque adeò locum ſemipalmarem, niſi pariter intelligamus duos ſemipalmos ſubſtantiæ palmaris reſtringi et coarctari ad ſemipalmum loci,et duos ſemipalmos ſubſtan-

Digitized by Google

ſtantiæ palmaris reſtringi, & coarctari ad ſemipalmum loci, & duos ſemipalmos ſubſtantiæ eſſe in vno ſemipalmo loci; Quod ſi admittas, admittas, neceſſe eſt, duas partes ſubſtantiæ ſe penetrare naturaliter in eadem parte loci, quod non eſt minus impoſſibile, & abſurdum, quàm ſit replicatio vnius ſubſtantiæ in duobus locis.

Nè ergo ad duos iſtos lapides offenderent Scholaſtici, et ſe ab vtroque abſurdo, et impoſſibili ſaluarent, varias excogitarunt Sententias, et varijs modis conati ſunt Rarefactionem, et Condenſationem explicare, vt et replicationem, et penetrationem pariter euitarent.

Primò ergo Nonnulli ponunt. Rarefactionem, et Cōdenſationem fieri per quoſdam modos Quantitatis, quibus eadem Quantitas, ſeù etiam ſubſtantia intelligatur modo in maiorem locum extendi, dum rareſit; modò in minorem contrahi, et reſtringi, quando condenſatur. Ità plures ex Thomiſtis, *Caiet. 2.2.q.24.art.5. Capreolus in 2.d.18.q.1. Soncin. 8. Met. q.27. Durandus in 2.d.18.q.1.* ex Recentioribus *Conimbricenſes, Ruuius, Hurtadus, Fonſeca, Areſius*, quos citat, et ſequitur *Auerſa tom.2. Philoſ. q.28. Sect.5.* nouiſſimè *Morandus 1. de Gen. tract.3.q.6.*

Sed hi diuiſi ſunt inter ſe. Nam Aliqui, vt *Auerſa*, ponunt huiuſmodi modum eſſe localem extenſionem, per quam Quantitas rarefacta maiorem locum occupat, condenſata verò, minorem. Alij, vt *Morādus, & Areſius*, ponunt talem modum eſſe præſentiam localem, ſeù Vbi, quo partes Quantitatis, ſeù etiam ſubſtantiæ rarefactæ magis elōgantur, condenſatæ approximantur, & fiunt minus diſtantes.

Sed contrà hanc Sententiam quia; quocunque modo defendatur, et explicetur hæc Sententia, ſiuè per modum extenſionis localis, ſiuè per modum Vbi, relinquit nodum, et punctum exageratæ, et declaratæ difficultatis, inſolutum omninò, atque adeò cogitur admittere replicationem vnius materiæ, aut quantitatis in duplici loco, et penetrationem duarum partium materiæ, ſeù quantitatis in vna parte loci.

Probatur quia; Materia rarefacta acquirit maiorem extenſionem localem, condenſata minorem, ergo materia palmaris rarefacta occupat duos palmos loci, condenſata ſemipalmum loci, ergo quando rareſit, replicatur in duplici loco, quando condenſatur, ſe penetrat in ſemipalmo loci.

Similiter, quando materia palmaris rareſit, eius partes per Vbi, & præſentiam localem elōgantur, quando condenſatur per Vbi approximantur: ſed quid eſt aliud partes materiæ palmaris magis elongari, niſi palmarem Quantitatem occupare duos palmos loci? quid eſt per Vbi materiæ palmaris partes magis approximari, niſi ſe penetrare in ſemipalmo loci? cùm aliàs illæ partes relictæ ſuæ naturæ deberent occupare palmum loci.

Secundò alij. Rarefactionem, & condenſationem explicant per corpuſcula penè inuiſibilia: Volunt enim in qualibet ſubſtantia eſſe plures cauitates, & poros, repletos corpuſculis, quorum ſi magna copia vi caloris congregata, replicēt vacuitates illas, iam ſubſtantia rareſit, & in maiorem ſe locum extendit, quia partes eius abſque vlla diſcontinuatione, interpoſitis, & interiacentibus corpuſculis, magis elōgantur; ſi verò corpuſcula illa in minorem numerum vi frigoris redigantur, ſtatim ea ſubſtantia condenſatur, & in minorem ſe contrahit locum, quia nimirum eius partes, ablatis è medio corpuſculis, magis approximantur.

Rarefactio ergo, & cōdenſatio nō in ingreſſu, aut egreſſu corpuſculorū formaliter cōſiſtit, ſed in illa elongatione, aut approximatione, quę optimè intelligitur fieri, & accidere per ingreſſum, aut egreſſum corpuſculorum; ſic enim facilè euitatur, quòd non fiat replicatio in duobus locis vnius ſubſtantiæ, putà palmaris, hæc enim quando rareſit, admittit corpuſcula; hæc ſunt, quæ occupant locum palmarem B. ſubſtantia vero occupat ſolùm locum palmarem A. ſibi naturaliter, & preciſo caſu rarefactionis debitum; quia verò vt rarefacta includit ea corpuſcula, ideò, vt rarefacta, dicitur maiorem locum occupare. condenſata verò occupat locū minorem eo, quem aliàs naturaliter, & extrà caſum condenſationis occuparet, quia excluſis corpuſculis, quæ in ſuis poris admiſerat, nè detur vacuum, debet occupare locum ab illis relictum; Non ergo duæ partes ſubſtantiæ ſunt in vna parte loci, ſed in duabus; in vna quidem, quam occupabat ſe ſola, ſeù ratione ſui, in altera, quæ occupabatur à corpuſculis iam egreſſis, & per frigus vi condenſationis expulſis.

Ità *Arriaga diſp.16. quaeſt.10. ſubſect.2.*

Digitized by Google

Ouied.de Gen.Cont.7.puncto 5. Sed antè illos ità ſunt philoſophati Antiquiſſimi, *Xuthus*,& alij quos ſuppreſſo nomine refert,& impugnat *Ariſt.4 Phyſ.c.5.per totũ. Galenus lib.2.de ſanitate tuenda c.2. & 1. Valeſius 4.Phyſ.c.9 Nominales, vt Ocham. Opuſc.de Euchariſtia,Gab.in Canone Miſſa Lect.*45.

Non dubitò, *Democritum , & Leucippum* eiuſdem fuiſſe Sententiæ,hi enim, & minimas athomos admittebant , & omnia fieri per athomos explicabant;etiam ergo Rarefactionem,& condenſationem per athomos fieri, non dubito,aſſeruiſſe; corpuſcula autem iſta,& athomos minutiſſimas idem eſſe, Auctores huius Sententiæ non negabunt.

Sed contrà hanc Sententiam eſt quia; vel hæc corpuſcula ſunt indiuiſibilia , vel diuiſibilia.Si primum,nullo modo poteſt per ea explicari maior extenſio , quam experimur in ſubſtantia palmari rarefacta. quia ex indiuiſibili , & non extenſo non poteſt fieri , aut pullulare localis extenſio. ſi diuiſibilia ponas corpuſcula; tunc , vel ſunt aliquid ipſius ſubſtantiæ palmaris rarefactæ,& ſic non euitabis replicationem ſubſtantiæ vnius in duobus locis,quia Quantitas palmaris ſeipſa occupat vnum palmum loci , ratione corpuſculorum occupat alium palmum,ſed corpuſcula ſunt pars ſubſtantiæ rarefactæ,quæ eſt vna, ergo iam vna ſubſtantia in duobus locis. Quòd ſi ponas corpuſcula non eſſe aliquid, non eſſe partem ſubſtantiæ rarefactæ,ſed aliquid aliud diuerſum , iam ergo non eſt ſubſtantia rarefacta , quæ occupat maiorem locum, ſed maior iſte locus partim occupatur à ſubſtantia palmari,partim à corpuſculis, non ergo illa ſubſtantia, quæ ſupponitur rarefieri, occupat maiorem locum , atque adeò tollitur omninò rarefactio.

Præterea ſequeretur, Subſtantiam rarefactam eſſe purum quoddam aggregatum per accidens ex ſubſtantia rarefacta,& corpuſculis: nec poſſet fieri rarefactio , quin de nouo producerentur hæc corpuſcula , atque adeò non poſſet fieri rarefactio, quin fieret generatio ſubſtantialis corpuſculorum. imò ſequeretur, quòd ſubſtantia rarefacta non eſſet vnum quid continuum, Aer, verbi gratia,ſi rarefiat , ſtatim diſcontinuabitur per aduentum , & ingreſſum corpuſculorum , quæ ſunt diuerſæ rationis ab Aere.

Denique & ipſa corpuſcula, cũ ſint corpora naturalia, & cõſequẽter ſubiecta rarefactioni , & cõdẽſationi,aliquando rarefiunt , & condenſantur ; ſed non per alia corpuſcula minora,aliàs darentur corpuſcula corpuſculorum,ergo.

Vide alias , ſi placet, Refutationes apud *Hurtadum in Diſp.de Rarefactione, & apud Ariſt.4.Phyſ.cit.*

Tertiò ergo ponunt Alij. Rarefactionem eſſe acquiſitionem Quantitatis de nouo, & cõdenſationem eſſe deperditionem Quantitatis ; in qua Opinione ſunt duo modi dicendi.

Primus eſt *Gotifredi quodlib.* 11. *q.* 3. *Marſ.in 4.q 9 art.* 2. *Pomponatij lib.* 2.*de Augment.c.*10. Hi volunt totam Quantitatem de nouo produci , & veterem tolli à ſubſtantia , quæ ponitur rarefieri , aut condenſari.

Secundus modus hanc Sententiam explicandi eſt *Scoti in 4.d.*12.*q.*4. quem ſequuntur non modò *Scotiſtæ , vt Faber, & Baſſolis iiſdẽ locis Caiet.3.p.q.77. art.5. Tolet.4.Phyſ.q.*12.Hi volũt in Rarefactione aliquã partẽ Quãtiatis acquiri , & in cõdenſatione deperdi partẽ Quãtitatis.

Qua data Sententia optimè , & facilè explicatur,quomodo ſubſtantia per rarefactionem ſe extendat in maiorem locũ,abſque eo, quòd ſe replicet in duobus locis, quia nimirum Quantitas palmaris,rarefacta, acquiſiuit Quantitatem maiorem , ideò non eſt amplius palmaris , ſed bipalmaris , nam à Quantitate ſubſtantia habet,quòd ſit tanta, & tanta; palmaris, & bipalmaris,quid ergo mirũ, ſi occupet locum bipalmarem,palmum loci A. & palmum loci B? Simili ratione, quando ſubſtantia condenſatur , deperdit partẽ Quãtitatis,facta eſt ergo minor, & ideò mirum nõ eſt, ſi minorẽ locũ occupet abſq; ſuarum partiũ penetratione.

Hæc Sententia mihi videtur omnium probabilior,quia facilè,& adæquatè ſoluit difficultatem cæteroqui inſolubilem , & omnium maximam ; licèt diſpliceat primus modus , quo eam defendit *Gotifredus* , quia ſi per rarefactionem tolleretur vetus Quantitas , iam omnia accidentia in tali Quantitate ſubiecta , tollerentur, quod eſt contrà ſenſum, & experientiam.

Amplector igitur hanc Sententiam modo , quo eam defendit ſubtiliſſimus *Scotus* , nimirum per rarefactionem acquiri Quantitatem maiorem veteri non deſtructa,per cõdenſationem verò aliquid Quãtitatis antiquæ,& veteris deperdi,ità enim

res

res optimè componitur;

Concluſio. Rarefactio eſt acquiſitio Quantitatis de nouo, veteri non deſtructa, condenſatio eſt deperditio alicuius partis veteris, ſeù prius exiſtentis Quantitatis.

Probatur Concluſio primò. quia ità euitantur duo illa abſurda, & impoſſibilia, quæ ſequuntur datis alijs Sententijs, nimirum, quòd non detur replicatio naturaliter, nec penetratio. & ex alia parte benè, & facilè explicatur, quomodo eadem ſubſtãtia, rarefacta maiorem, condenſata minorem locum occupet.

Probatur ſecundò. quia extreitas localis, ſeù extenſio partium in ordine ad locũ, ſupponit extreitatem partium, ſeù extenſionem in ordine ad ſe, ergo quando eſt maior, vel minor extenſio localis per rarefactionem, vel condenſationem, debet quoque eſſe maior, vel minor extensio in ordine ad ſe; at extenſio in ordine ad ſe eſt formaliſſimè ipſamet Quantitas, ergo. Minor probata eſt ſuprà *Diſp.* 3. *Lect.* 1. Maior probatur quia, ſicuti ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ità magis ad magis, ſed eſſe extenſum localiter habetur ab eſſe extenſo in ordine ad ſe, ergo eſſe magis, & minus extenſum in ordine ad locum, habetur ab eſſe magis, & minus extenſo in ordine ad ſe, atque adeò à maiori, vel minori quantitate, quæ per rarefactionem acquiratur, & per condenſationem deperdatur.

Confirmatur quia. Qualitas intenditur per additionem Qualitatis ad Qualitatẽ, remittitur per deperditionem Qualitatis, ergo & ſubſtantia rarefit per additionem Quantitatis ad Quantitatem; condenſatur verò per deperditionem Quantitatis.

LECTIO III.

Argumenta in contrarium ſoluuntur.

OBijcies primò: Poſito, rarefactionem fieri per acquiſitionem Quantitatis de nouo, ſequeretur, fieri penetrationem naturaliter, ergo. Probatur ſequela Antecedentis quia: adueniret noua Quantitas præexiſtenti Quantitati, ergo iam in eadem materia eſſent duæ Quantitates, ergo penetratio naturaliter.

Reſpondeo: in primis, non ſequi penetrationem, quia penetratio non eſt, quando duæ quantitates ſunt in vna materia, ſed quãdo duæ quantitates ſunt in vno eodemque loco; quod non contingit in caſu noſtro.

Reſpondet ſecundò *Scotus diſt. cit. q.* 4. §. *Cùm dicis*, quòd non eſſent duæ Quantitates, ſed vna, cùm enim Quantitas ſit homogenea, ſi vna Quãtitas addatur alteri, iã fiet vna, ſicuti vna gutta aquæ addita alteri, non facit duas aquas, ſed vnam.

Obijcies ſecundò. ſpecies ſacramentatæ rarefiunt, & condenſantur, ſed in tali rarefactione, & condenſatione, non acquiritur, nec deperditur Quantitas, ergo. Maior patet experientia, & ad ſenſum. Minor probatur quia, in primis, Quantitas non poteſt deperdi, quia immediatè à Deo miraculosè conſeruatur; at nullum Agens naturale poteſt Diuinæ virtuti præualere, ergo Quantitas non poteſt deperdi in condenſatione; Verum neque poteſt acquiri in Rarefactione, quia, non eſt aſſignabile ſubiectum, ex quo iſta Quantitas vi agentis naturalis educatur, ergo non poteſt noua Quantitas produci vi agentis naturalis rarefacientis Hoſtiam conſecratam.

Reſpondeo in primis, quòd data Sententia *Soncinatis* 12. *Met. q.* 26. *& Iauelli q.* 8. nimirum, Quantitatem immediatè non recipi in materia prima, ſed in eius potentia accidentali, quæ, deſtructa ſubſtantia panis, vtique remaneret, quia remanent omnia accidentia ſubſtantiæ panis, data, inquam, hac Sententia, facilè ſoluitur Argumentum quòad rarefactionem; dicendũ eſt enim, Quãtitatem nouã educi ab Agẽte naturali ab illa potentia accidentali, quæ ſicuti remanet loco materiæ primæ, ità exercet eius functiones, & ſuſtinet eius vices, vndè ſicuti ex materia educuntur formæ accidentales, ità ex illa potentia accidentali materiæ educeretur noua illa Quantitas in rarefactione. In condenſatione verò deperditur Quantitas, quamuis à Deo immediatè conſeruetur, Deo ſic volente, & permittente, vt occultetur myſterium Euchariſticum, & Fides habeat meritum; vt obſeruat, & reſpondet *Scotus q. cit.*

Vbi etiam aſſerit; §. *ſi ergo Quæras.* nouam Quantitatem in Rarefactione produci à Deo, nec tamen nouo miraculo, quia ea voluntate, qua diſpoſuit Euchariſtiam eſſe in Eccleſia, diſpoſuit, quòd circà illas

ſpecies præſente Agente naturali, talis rarefactio cauſaretur, qualis cauſaretur in ſubſtantijs conuerſis ab Agente naturali, & hoc nè meritum Fidei euacuaretur, ſi videremus ſpecies intranſmutabiles.

Dices: ergo Deus aufert Agenti naturali ſuam propriam actionem.

Reſpondet *Scotus*. Deum non auferre Agenti naturali actionem, & virtutem, quam habet, tranſmutandi ſubiectum à forma ad formam; Sed negare illi eam actionem, quæ non poteſt illi competere, nèpè, tranſmutationem, & rarefactionem ex non ſubiecto.

Obijcies tertiò: ex *Ariſt.4. Phyſ.t.85.* Rarefactio fit, & condenſatio abſque eo, quòd materia acquirat, vel deperdat aliquid de nouo, ergo Rarefactio non fit per acquiſitionem Quantitatis, ſicuti neque condenſatio per deperditionem Quantitatis. verba ſunt. *Quare & ipſa moles ſenſibilis non ideò extenditur, aut conſtringitur, quia materies aliquid inſuper accipit, aut abijcit, ſed quia ipſa materia vtrumq; ſubire poteſt, quo fit, vt idem ſit rarum, & denſum.*

Reſpondeo. hoc Argumento, & *Ariſt.* auctoritate, probari etiam Rarefactionem fieri, abſque eo, quòd materia vel admittat corpuſcula, vel admittat maiorem extenſionem localem, aut maius Vbi.

Reſpondeo igitur, velle ibi Philoſophũ, quòd ad hoc vt materia fiat parua, aut magna; rarefacta, aut condenſata, non indigere aliquo alio, ad hoc vt fieret apta, & potens ad huiuſmodi, & ſimiles tranſmutationes, vt attentè cõſideranti textum patet. præſertim illas particulas; *ipſa materia vtrumque ſubire poteſt &c.*

Obijcies quartò. eodẽ modo ſe habẽt Tarditas, & velocitas in motu, ſeù quantitate diſcreta, ac ſe habeant Raritas, & denſitas in Quantitate Continua, ſed Tarditas, & Velocitas à nobis ſuprà eſt explicata per Vbi fluens, ergo etiam Raritas, & denſitas debent explicari per maius, aut minus Vbi.

Reſpondeo. diſparitatem eſſe quia. Tarditas, & Velocitas motus ſunt aliquid ipſius motus localis, at terminus motus localis eſt Vbi, & ideò benè Tarditas illa, & velocitas eſt explicata per Vbi; è contrà Raritas, & denſitas ſpectant ad motum Augmentationis, at terminus augmentationis eſt Quantitas, non Vbi.

Obijcies quintò. lana, & ſpongia, ſi manu comprimantur, reducuntur ſe in minorem locum, ſi leuentur, maiorem occupant locum, non niſi quia, quando comprimuntur, pellitur Aer intrà earum poros incluſus, quando laxantur, Aer iterum ſubingreditur, & in earum poros, & cauitates ſeſe inſinuat, ergo rarefactio benè explicatur per ingreſſum, & condenſatio per egreſſum corpuſculorum. Cõfirmatur quia; caro facilè inflatur, pellis facilè diſtenditur; non niſi quia caro admittit intrà ſuos poros humorem, & ità in ampliorem locũ extenditur; Pellis vero dum in maiorem longitudinem trahitur, eius pori extendũtur, & maiorem occupant locum, denique in maiorem longitudinem trahitur, comprimitur in craſſitie, fitque ſubtilior, dum ſit longior, ergo.

Reſpondeo. has, & ſimiles maiores, aut minores extenſiones locales factas per ingreſſum aeris .i. Corporis cæteroqui ſatis noti, & obuij, non arcani, & occulti, vti ſunt corpuſcula, non eſſe propriam, et rigoroſam rarefactionem, aut condenſationem, ſed potiùs eſſe mutationem quãdam localem partium retenta eadem raritate, et denſitate earum in ſe. Raritas autem, ac Denſitas propriè eſt per hoc, quòd eadem ipſa ſubſtantia corporea occupat maiorem, aut minorem locum per totam cõmunitatem ſpatij. Ità notat *Auerſa q.38. ſect.3.*

Obijcies ſextò. ex *Ouied. vbi ſupra p.2.* data hac Sententia ſequeretur, ad corruptionem partis quantitatis in corpore addenſato, debere produci aliam partem quantitatis in alio corpore; vt occuparet ſpatium relictum à quantitate corrupta, ſed huius nouæ partis quantitatis nulla cauſa poteſt aſſignari, ergo.

Reſpondeo: in primis. Hi, qui volunt corpora ad replendum vacuum, moueri à virtute communi, facilè ſe expediant, dicendo, illam partem nouam quantitatis vt potè ad vacuum replendum ordinatam, produci ab illa virtute, & cauſa communi. Iuxtà mea principia dico. nouam illam partem quantitatis produci ab Agente, quod ſupponitur cauſare condenſationẽ, nam eiuſdem Agentis naturalis munus eſt, condenſare, & impedire vacuum, quod ſequitur ex illa condenſatione.

Obijcies ſeptimò. ex *eodem Ouied.* Per hanc Sententiam non euacuatur communis difficultas; ſed potiùs transfertur à quantitate ad ſubſtantiam, ſi enim ſubſtantia palmaris rarefiat, iam occupabit duos

duos palmos loci, ergo naturaliter vna pars ſubſtantiæ occupat duas partes loci, atq; adeò in duabus partib⁹ loci replicatur. ſi cōdenſetur, iā occupabit ſemipalmū loci, ergo iam duo ſemipalmi ſubſtantiæ occupabunt ſemipalmum loci, & ità datur penetratio, licèt enim admittamus ſubſtātiam de ſe non eſſe palmarem, nec ſemipalmarem, ſed talem eſſe beneficio quantitatis; tamen dato, quòd ſit palmaris beneficio quantitatis palmaris, quomodo poteſt occupare locum bipalmarem, niſi replicetur in duobus palmis locis, ſi rarefiat? Similiter quando condenſatur, quomodo poteſt occupare ſemipalmū loci, niſi duo eius ſemipalmi ſe penetrent?

Reſpondeo. quòd quandò ſubſtantia palmaris occupat duos palmos loci, tranſit de eſſe palmari, ad eſſe bipalmarē beneficio Quantitatis, hic eſt enim effectus formalis, & proprius quantitatis, res aliàs in ſe minimas, & indiuiſibiles extendere, & ampliare ad ſui extenſionem, & ampliationem. & è contrà ad ſui reſtrictionem, & diminutionem rès cæteroqui ampliatas coarctare, & minuere; in condenſatione igitur ſubſtantia non remanet palmaris, quia deperditur ſemipalmus Quantitatis, ergo & deperditur ſemipalmus ſubſtantiæ; non ergo duo ſemipalmi ſubſtantiæ ſunt in ſemipalmo loci, ſed ſemipalmus ſubſtātiæ eſt in ſemipalmo loci.

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE ALTERATIONE.

Alteratio motus eſt ad Qualitatem, ſeù eſt Acquiſitio Qualitatis: Dicitur Alteratio, quia per Qualitatem ſubiectum alteratur, ſeù fit alterū, & accidentaliter diuerſum; & licèt per quodcunque aliud Accidens, quod non ſit Qualitas, ſubiectum fiat accidentaliter diuerſum, conſueuit tamen vtraque Schola, Medicorum, ſcilicet, & Philoſophorum, appellare ſubiectum alterum, ſeù alteratum, quando in eo adeſt qualitas, non quæcunque, ſed quæ habeat contrarium, vti ſunt, Calor, frigus, humiditas, & ſiccitas. Noſtra hæc Diſputatio eſt de Alteratione ſic ſtrictè accepta, quia hæc eſt, quæ diſpoſitiuè facit generabile, & corruptibile Corpus naturale, quod eſt obiectum Phyſicæ conſiderationis. Verum potiſſima Qualitatis Proprietas eſt ſuſcipere magis, & minùs, ſeù intendi, & remitti; ità ſentiunt Scholæ omnes cùm Ariſt. in Prædic. cap. de

Qual.

Qual. & probat experientia, Calorem v.g. modo eſſe validiorem, & efficaciorem ad operandũ, quia intenſior eſt, & maior; modo eſſe valdè debilẽ, & ad operãdum minùs validum, quia remiſſior eſt, & minor. Celebris Controuerſia eſt Thomiſtas *inter &* Scotum, *Quid formaliter ſit ipſa intenſio, & remiſſio, ſeù quid ſit, ipſum ſuſcipere magis, & minus in qualitate.*

LECTIO I.

In quo conſiſtat Intenſio Qualitatis Explicatur.

DVo ſunt Conceptus, quos habemus communiter omnes de Intenſione Qualitatis, Primus, & veluti à priori eſt, quòd tunc Qualitas dicatur, & ſit intenſior: quãdo eſt perfectior, melior, & maior, tunc è cõtrà ſit, & dicatur remiſſior, quando eſt imperfectior, deterior, & minor; Alter conceptus communis, & veluti à poſteriori eſt, quòd tunc qualitas ſit, & dicatur intenſior, quando validior eſt, & efficacior ad operandum: tunc verò remiſſior ſit, quando minùs efficax, & minùs valida eſt ad operandum;

Hinc ex efficaciori, aut inefficaciori operatione, quam prouenire ex aliqua qualitate, experimur, arguimus tanquam à ſigno, & à poſteriori eam eſſe intẽſam, aut remiſſam.

Verum vndè habeatur, & quid formaliter ſit; qualitatem eſſe perfectiorem, meliorem, & validiorem ad operandum, quando intenditur, & è contrà, quando remittitur, vndè habeatur, & quid ſit formaliter, eam eſſe imperfectiorem, deteriorem, & minus validam ad operãdũ: in hoc variæ ſunt ingenioſè Philoſophantium Opiniones, & Sententię omninò diuerſæ.

Thomiſtæ cum primis. Ponunt, tunc, & in eo caſu Qualitatem eſſe intenſiorẽ, atque adeò perfectiorem, meliorem, & validiorem ad operandum, quando in ſubiecto, cui inhæret eſt magis, & magis radicata, quando eſt magis, & magis firmata; è contrà tunc, & in eo caſu, qualitatem eſſe remiſſam, quando in ſubiecto, cui inhæret, eſt minus radicata, & minus in illo firmata.

Ità *Caiet. 1. 2. q. 52. art. 2. & 2. 2. q. 24. art. 5. Capreolus in 1. diſt. 19. q. 2. Herueus ibidem q. 5. Medina. Flandria. Soncinas, Aſtudillo, Sotus, Martinez, Zanardus, Bagnez,* quos citant, & ſequuntur *Complutenſes Diſp 6 de Alterat. q. 8.* Nouiſſimè ſe huius Sententiæ Patronum declarauit *Bernardinus Mazziotta in q. Sel. q. 11.*

Verùm in quo conſiſtat, ſeù quid formaliter ſit, maior iſta radicatio, iſta maior firmitas Qualitatis in ſubiecto, cui inhæret; mirùm, quàm variè explicent, & in ſingulis, quas adducunt, explicationibus, quàm enixè, & operosè deſudent omnia celebriorum *Thomiſtarum* Ingenia; nec vlla hucuſque adducta eſt explicatio, quæ plenè, & adæquatè ſatisfaciat, vt propterea ex hoc liceat deſumere efficax. & præcipuum Argumentum pro Impugnatione, & refutatione eius Opinionis, & Sententia.

Primò igitur contrà *Thomiſtas* Argumentor. Non poteſt explicari, quid ſit, ſeù in quo conſiſtat maior iſta radicatio Qualitatis intenſæ, aut minor radicatio qualitatis remiſſæ, ergo non benè per maiorem radicationem intenſio, & per minorem radicationem remiſſio Qualitatis explicatur.

Reſpondent primò *Bagnez 1. de Gen. cap. 4. q. 5. Soncin. q. 21. Caiet. 1. 2.* maiorem radicationem conſiſtere in eo, quòd qualitas vniatur ſubiecto vnione magis inſeparabili, nam hoc videtur ſonare vocabulum, radicari, ideſt, radices altiores mittere, ſicuti Arbor dicitur magis radicata, quando altius radices mittit, & vnione magis inſeparabili terræ adhæret.

Sed contra eſt quia: calor in aqua intenſiòr eſt, quàm in manu, & tamen calor ab aqua faciliùs ſeparatur. Ethica eſt magis inſeparabiliter coniuncta cum corpore, quàm Tertiana, & tamen hæc eſt intenſior. Rubor ortus ex verecundia intenſior eſt, quàm pallor contractus ex longa ægritudine, & tamen rubor facilè ſeparatur. In ferro ignito intenſiſſimus

eſt

eſt calor, & tamē ab illo facilè ſeparatur, nam extractus ab igne, ſtatim frigeſcit.

Reſpondent ſecundò *Capreol. in* 1. *diſt.* 17. *q.* 2. *Flandria* 8. *Met. q.* 4. *Aſtudillo* 1. *de Gen. q.* 9. Qualitatem magis radicari, quia quando intēditur, acquirit perfectiorem exiſtentiam, quando remittitur, habet exiſtentiam imperfectiorem.

Sed contrà eſt quia, ſi quando qualitas intenditur, producitur perfectior exiſtētia, & quando remittitur imperfectior exiſtentia producitur, ergo in intenſione producitur qualitas, in remiſſione deperditur, & corrumpitur, quid enim eſt qualitatem generari, aut corrumpi, niſi acquirere, aut deperdere exiſtentiam, quæ ſicuti eſt terminus ad quem productionis, ità eſt terminus, à quo corruptionis, vnde tali argumento conuictus *Bannez*, negat fieri intenſionem per exiſtentiam perfectiorem, & remiſſionem per exiſtentiam imperfectiorem eiuſdem Qualitatis.

Præterea eadem res eſt eſſentia, & exiſtentia, ſi ergo in intenſione producitur perfectior exiſtentia, ergo & perfectior eſſentia, & conſequenter producitur de nouo Qualitas perfectior.

Hoc Argumento conuicti *Capreolus contra Aureolum vbi ſupra*, & *Durandus* nobilis prius Thomiſta, deindè nouæ Scholæ Auctor, conceſſerunt, Qualitatem intendi per entitatem ſuperadditam de nouo productam, quam *Capreolus* appellat conqualitatem, & in ſpecie concalorem, aut confrigus; *Durandus* verò magis clarè ſe explicans, vt ſe iam nouæ Scholæ Auctorem declararet, appellauit apertè Qualitatem de nouo productam corrupta priori.

Sanè *Capreolus*, dum conqualitatem admittit, diſcedit à *Thomiſtis*, & tranſit ad alteram *Scoti* Sententiam, quæ defendit, Intenſionem Qualitatis fieri per acquiſitionem alicuius partis, ſeù gradus qualitatis de nouo; *Durandus* verò per hoc tantum differt à *Scoto*, quòd vult, ità produci de nouo qualitatem, vt vetus omninò pereat, quod tamen eſt contrà experientiam, & ſenſum, qui judicat lumen augeri magis, & magis per acceſſum corporis luminoſi, & non per deſtructionem alicuius luminis præexiſtentis, & productionem noui luminis. Imò quando qualitas remittitur à contrario, putà cùm remittitur calor à frigore, non poteſt dici, quòd à frigore corrūpatur calor perfectior, & producatur imperfectior, quia vnum contrarium non producit aliud in quocunque minimo gradu, ſed omninò illud deſtruit, ergo Sententia *Durandi*, quò ad iſtam partem, qua diſcedit à *Scoto*, non poteſt defendi.

Reſpondet tertiò *Aegidius in* 1. *d.* 17. *q.* 1. *art.* 1. *&* *q.* 2. *art.* 2. *&* 1. *de Gen. q.* 25. *Quodlib.* 2. *q.* 14. qualitatem magis radicari in ſubiecto, quia illud magis actuat, ſeù magis perficit, quod oritur ex eo, quia in ſubiecto aderat qualitas contraria, & conſequenter non erat debita diſpoſitio requiſita ad hoc, vt forma tribuat ſubiecto totam ſui perfectionem, ablata ergo tali indiſpoſitione, atque adeò ablata qualitatē contraria, putà frigore, verbi gratia, Calor magis intenditur, quia ſubiectum magis perficit, illique communicat totam ſui perfectionem, remittitur verò, ſi ſubiectum habeat admixtam maiorem copiam frigoris, quia non poteſt, obſiſtente ſibi frigore contrario, communicare ſubiecto totam ſui perfectionem.

Sed contrà eſt quia: ſequeretur lumen non poſſe intendi, & remitti, quia lumen non habet contrarium, per cuius admixtionem remittatur, & per cuius ablationem, ſeù remotionem intendatur, at hoc eſt omninò falſum, & contrà ſenſatam experientiam, ergo. Similiter & Caritas, quæ caret contrario, non poſſet intendi, imò ſemper eodem modo intenſa reperiretur in qualibet Anima, quod iuxtà principia Theologiæ, & Catholicæ Fidei eſt omninò abſurdum.

Contrà ſecundò quia. quando intenditur forma habens contrarium, iam ſupponitur ſubiectum aptè diſpoſitum, & carens contrario, ergo qualitas ſtatim, ac introducitur communicat ſubiecto totam ſui perfectionem, atque adeò non datur locus maiori, aut minori radicationi. Antecedens probatur quia: Agens, quod eſt potens intendere qualitatem, potens eſt etiam ad diſponēdum, & præparandum ſubiectum; atque adeò ad tollendam ab eo omnem indiſpoſitionem contrariam, ergo cùm introducitur qualitas, puta Calor, non inuenitur cum ſubiecto frigus, quod impediat, nè calor ſubiecto communicet totam ſui perfectionem, nec vllam aliam indiſpoſitionem.

Re-

Reſpondet quartò *Mazziotta q.* 11. *Sect.4.in Reſp.ad 3. Obiect.* Qualitatem magis radicari in ſubiecto non importare aliquam variationem in qualitate ipſa, nam eadem qualitas modò magis, modò minus perficit ſubiectum, ſicuti idem obiectum indiuiſibile modo maiori, modo minori claritate attingitur, eadem quantitas inuariata in ſe, modo maiorem, modo minorem locum occupat, quia modo eſt rarefacta, modo condenſata; & denique eadem Anima inuariata in ſe, modo vnum, modo alium præſtat effectum formalem, modò dat eſſe carnis, modo dat eſſe corporis, oſſis, & huiuſmodi, ſed qualitatem magis radicari in ſubiecto, quia magis exerit ſuas vires, & magis exerit ſuas vires, quia plures pręſtat effectus formales, nam initio introductionis formæ in ſubiectum, non præſtat forma omnes effectus formales, quos poteſt præſtare, Calor non ſtatim, aut initio ſuæ introductionis in ſubiectum, reddit illud calidū, vt octo, ſed prius reddit illud calidum, vt quatuor, deindè vt ſex, denique vt octo, & ſic intelligitur magis, & magis intendi, ſicuti enim Anima initio ſuæ informationis, ſeù introductionis in Corpus non exerit omnes ſuas vires, & non exercet omnes ſuas operationes, neque enim ſtatim intelligit, ac eſt in Corpore, ità & Qualitas non ſtatim reddit ſubiectum ſummè intenſum.

Sed contrà eſt quia: implicat intelligere varietatem in effectu formali formæ, & non intelligere varietatem in forma ipſa, quia effectus formalis non diſtinguitur à forma, quæ eſt eius cauſa formalis, ergo implicat intelligere qualitatem modo perficere ſubiectum vt duo, modo vt vnum, modo, vt quatuor, ità vt ipſa remaneat omninò eadem, & inuariata.

Ad exemplum, quod affertur de obiecto indiuiſibili, quod idem inuariatum manēs, modo maiori, modo minori claritate attingitur, id non eſt ità certum, vt ſupponitur; nam ſi quod eſt obiectum indiuiſibile; quod inuariatum attingitur maiori, & minori claritate, eſt Diuina Eſſentia, at hæc tunc attingitur maiori claritate, quando magis penetratur, & tunc magis penetratur, quando in ea videntur plura poſſibilia; & ſi omnia poſſibilia viderentur, tunc eſſet viſio, & intellectio omnium perfectiſſima, & clariſſima, quæ dicitur Comprehenſio, ergo tale exemplum nequicquam prodeſt *Thomiſtis*, imò magis fauet Sententiæ *Scoti*, ponentis intēſionem fieri per variationem qualitatis, & additionem gradus ad gradum, quia ſicuti tunc Diuina Eſſentia clarius, & clarius videtur, quando in ea plura, & plura poſſibilia videntur, vt cōcedūt *D.Thom.1.p.q.12.ar.3.Becran.1.p. t 9.q.13.n.17. & alij plures.* ità tunc intēditur qualitas, quando plures, & plures gradus adduntur.

Ad aliud exemplum de Quantitate; iam probauimus, rarefactionem fieri per additionem Quantitatis, ex quo poſſet deſumi argumentum à pari in fauorem Sententiæ *Scoti*.

Pręterea dato, quòd quantitas rarefiat per modum maioris extenſionis localis, ſicuti extenſio iſta localis eſt maior, & maior, per additionem extenſionis ad extenſionem, ità intenſio qualitatis, & radicatio fiet per additionem radicationis ad radicationem; ſi ergo in ipſa radicatione qualitatis admittitur latitudo gradualis, cur non in ipſa qualitate?

Denique ad tertium exemplum de Anima; iam diximus ſuprà cùm *Scoto* dari formam Corporeitatis, & cæteras formas partiales pro illis effectibus formalibus, ſemper enim cohęrenter philoſophandum eſt iuxtà principia ſemel poſita;

Præterea ſicuti forma ſubſtantialis, & Anima, licèt pro varia ſubiecti diſpoſitione præſtet diuerſos effectus formales, non tamen dicitur intendi, & remitti; ità neq; intenditur qualitas, quamuis præſtet diuerſos effectus formales pro varietate diſpoſitionum, quas inuenit in ſubiecto. Imò Anima ideò ſtatim, ac informat Corpus, non intelligit, quia ad intelligendum concurrit effectiuè, non formaliter; at omnes effectus formales tribuit Corpori ſtatim, ac informat, ſtatim enim tribuit eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & ipſum eſſe intellectiuum, quod eſt formaliter ab illa, hæc enim eſt differentia inter cauſam effectiuam, & formalem, quòd cauſa formalis ſtatim, ac eſt in ſubiecto, tribuit illi quidquid habet, quidquid poteſt habere, non ſic cauſa effectiua, ſeù forma, ſiuè ſubſtantialis, ſiuè accidentalis, vt effectiua.

Secundò principaliter cōtrà *Thomiſtas* Argumentor quia: In omnium Philoſophorum ſenſu, & conceptu, Alteratio eſt motus ad Qualitatem, intenſio ipſa qualitatis eſt Alteratio, ergo debet aſſignari terminus formalis, qui producatur vi alte-

ratio

rationis, & intenſionis, ſed talis terminus non poteſt eſſe ipſa maior radicatio, quia hæc non eſt qualitas, neque eſt quid intrinſecum qualitatis, ſed potius eſt extrinſecus modus, & vnio qualitatis, ideòque diuinitùs poteſt eſſe qualitas, ſicuti & omne aliud quodcumque accidens ſinè vnione ad ſubiectum, ergo.

Confirmatur quia . iſta vnio ſemper eadem eſt, & tamen qualitas modò magis, modò minùs eſt intenſa; probatur quia; iſta vnio eſt inhærentia qualitatis in ſubiecto, hæc inhærentia ſemper eſt eadem, ergo per hanc vnionem non poteſt explicari motus alterationis.

Confirmatur ſecundò quia: Tunc qualitas intelligitur eſſe intenſa, quando eſt magis actiua, & operatiua, ſeù quando magis exerit ſuas vires (vt loquuntur Aduerſ.) Sed id non habet vi vnionis perfectioris, aut perfectioris inhærentiæ, hæc enim non eſt actiua, aliàs ſimile poſſet agere in ſimile; poſſet enim Agens calidum vt quatuor ex eo, quia haberet ſibi magis, & perfectiùs vnitum calorem, agere in ſubiectum calidum vt quatuor, producendo quintũ gradum caloris; at hoc vel ipſi *Thomiſtæ* negant, ergo.

LECTIO II.

Affertur Sententia Scoti, & Probatur.

ALtera Sententia relatæ, & impugnatæ Thomiſtarum Doctrinæ oppoſita, traditur à *Scoto in* 1. *d.* 17. *q.* 3. *S.* 6. quem ſequuntur Scholæ *Durandi, Nominalium, & omnium Recentiorum*, ſed antè Scotum fuit *Altiſidorenſis lib.* 3. *ſumma tract.* 6. *c.* 5. *Gotifredi de Fontibus quodlib.* 11. *q.* 3. *Auicennæ apud Niphum* 8. *Met. diſp.* 11. *cap.* 3.

Hæc docet, intenſionem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum, partis ad partem Qualitatis; ſupponit enim in Qualitate eſſe latitudinem quandam gradualem, ſeù partes entitatiuas, quarum ſi vna addatur alteri in eadem ſubiecti parte, Qualitas intelligitur intendi, & perfici; ſi verò partes entitatiuæ qualitatis ponantur in diuerſis partibus ſubiecti, iam qualitas non intelligitur amplius intendi, ſed extendi.

Verùm hæ partes entitatiuæ ſunt plures, & plures in infinitum, quia qualitas eſt quid continuum, vbi non ſunt tot partes, quin plures, & plures poſſint eſſe, vt ſuprà iam *Diſp.* 3. cum Ariſtotele probauimus, atque adeò in qualitate ſunt plures, & plures gradus, partes enim qualitatis appellarunt Philoſophi gradus, quia per partes has, veluti per gradus aſcendit qualitas à ſtatu imperfecto ad perfectum, à gradu remiſſo ad intenſum; & licèt hi gradus ſint infiniti, ideſt, plures, & plures, claritatis gratia à Philoſophis tantum octo ſunt aſſignati, ita vt quando qualitas peruenerit ad octo gradus, non poſſit ipſa vlterius intendi, & perfici.

Sententia ergo *Scoti* ſic explicata.

Probatur primò quia: tunc Qualitas eſt intenſa, quando eſt efficacior, & validior ad operandum, ſed non poteſt fieri validior, & efficacior ad operandum, niſi creſcat in entitate ſua, operari enim ſequitur ad eſſe, ergo tunc qualitas eſt intenſa, quando habet plus entitatis, ſeù quando vna pars eius entitatiua additur alteri, quando vnus gradus additur alteri.

Probatur ſecundò quia: Subiectum de non calido, verbi gratia, fit calidum per productionem caloris de nouo, ergo de minùs calido fit magis calidum per productionem noui caloris, ſicuti enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ità magis ad magis; imò hic videtur eſſe apertus ſenſus Philoſophi 4. *Phyſ. t.* 84. vbi habet, *vti enim ex frigido fit calidum, & ex calido frigidum, eadem, quia erat potentia, ſic ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido quod non erat calidum, quando minus erat calidum*; & clariùs paulò poſt; *neque eſt accipere flamma magnitudinem aliquam, in qua & albedo, & caliditas non inſit, ſic igitur & prior calor poſteriori*; ergo iam ex mente Ariſtotelis datur prior, & poſterior calor, vna pars qualitatis poſt aliam, vnus gradus poſt alium, habet ergo qualitas latitudinem graduum, habet extenſionem, & latitudinem partium, quarum ſi plures in eadem ſubiecti parte exiſtant, intendent ſine dubio, & augebunt qualitatem.

Obijcies primò. *Ariſt. loco mox cit.* habet, ex calido fit magis calidum, nullo facto calido in materia, ergo nullo producto de nouo calore.

Reſpondeo; claram eſſe mentem Philoſophi ex antecedentibus, & ſequentibus verbis; neque enim negat produci de nouo calorem, aut non dari latitudinem gradualem, & plures partes entitatiuas in qualitate, ſed negat, fieri ſubiectum magis calidum per calidam materiam de nouo

Digitized by Google

additâ; arguebat enim ibi Ariſtoteles contrà Antiquos, qui omnes motus naturales conabantur ſaluare, aut per vacuitatē, aut per repletiones vacui; per egreſſum, aut per ingreſſum corpuſculorum, quare benè ait, *calidum non fit magis calidum per ingreſſum corpuſculi calidi*, replentis vacuum, ſed per productionem caloris poſterioris, qui priori calori, adueniat, & ſuperaddatur; Audi Ariſtotelem *t.22. Deindè cauſam motus non ſic eſſe Vacuum, vt in quo, ſed vt vtres, ex eo quia feruntur ſurſum, ferūt, quod ipſis continuum eſt; ſic vacuum ſurſum fert. Atqui qualiter poſſibile eſt, eſſe lationem vacui; aut locum vacui: vacui enim eſt vacuum, ad quod fertur.*

Obijcies ſecundò ex eodē *Ariſt. in Præd. cap. de Qualit. & Quali.* iuſtitia, & ſanitas non ſuſcipiunt magis, & minus, ſed qualia; ipſa dicuntur magis, vel minus talia; *iuſtitiam namque iuſtitia, aut ſanitatem ſanitate magis, minuſuè dici debere, haud omnino dicunt, attamen hiſce, quæ qualia dicuntur, gradus ſine dubio, ſuſcipiunt, magiſque talia, aut minus dicuntur, iuſtior enim & ſanior alius alio dicitur, & in cæteris ſimili modo.* ergo ſuſcipere magis, & & minus intendi, & remitti non competit quantitati ratione ſui, ſed ratione ſubiecti, quod afficit, et qualificat, quatenus in illo magis, vel minus radicatur.

Reſpondeo. Ariſtotelem ibi aliorum Opinionem recitare, vt patet ex citatis verbis; quam Opinionem ipſe non approbat, ſed neque reijcit, quia in aliquo ſenſu verum eſt, iuſtitiam, ſanitatem, & omnem aliam qualitatem in abſtracto non ſuſcipere magis, & minus, quia qualitas in abſtracto ſumitur præcisè ſecundum prædicata eſſentialia, quæ non ſuſcipiunt magis, & minus, eſſentiæ enim, vt docet idem *Philoſophus* 8. *Meta. c.3. t.* 10. Sunt veluti numeri, quibus ſi vel vnam detrahas, aut addas vnitatem, variantur omnino, & amplius ijdem nō ſunt; benè autem vnus alio iuſtior dicitur, aut ſanior, quia per hunc modum loquendi in concreto, importatur latitudo gradualis in entitate qualitatis, quæ non eſſentialiter, ſed entitatiuè ſuſcipit magis, & minus, intenditur, & remittitur.

Obijcies tertiò, ſi fieret intenſio per additionem gradus ad gradum, daretur qualitas actu infinitè intenſa, conſequens eſt abſurdum, ergo. Probatur ſequela mai. quia ſi eſſet lignum quadripalmare vniformiter calidum, in qualibet parte proportionali lignis quadripalmaris, eſſet æquales gradus qualitatis, ſed partes proportionales ſunt infinitæ, & in omnibus ijs eſſent æquales partes qualitatis, ergo iam qualitas eſſet infinitè intenſa.

Reſpondeo, quod licèt partes qualitatis eſſent in dato caſu æquales ſecundum intenſionem, quia ſupponitur lignum vniformiter calidum, non tamen qualitas eſſet infinita, quia non poſſent accipi illæ partes, vt æquales in intenſione; ratio eſt, quia, illæ partes non poſſunt accipi, niſi prout diuiduntur, ſiquidem antè diuiſionem non eſt accipere partes, ſed prout diuiduntur, diuiduntur ad diuiſionem ſubiecti, & hoc diuiditur ſecundum partes proportionales, vt ſupponit argumentum, ergo etiam qualitas intenſa divideretur ſecundum partes proportionales minores, & minores, non æquales, non ergò eſſet qualitas infinita.

Obijcies quartò. ſi qualitatis intenſio fieret per additionem gradus ad gradum, vel hi gradus eſſent diſtincti numero, vel ſpecie, neutrum dici poteſt, ergo; non primum, quia in eodem ſubiecto, & à fortiori in eadem ſubiecti parte non poſſunt eſſe duo accidentia ſolo numero diuerſa, à ſubiecto enim accidentia indiuiduantur. Sed neque poſſunt dici diſtingui ſpecie, quia ex duobus ſpecie diuerſis, non poteſt fieri vna ſpecie qualitas intenſa, ergo.

Reſpondeo. hos gradus eſſe veluti guttas aquæ, guttæ enim inuicem ſeparatæ, ſunt numero diſtinctæ, atque diuerſæ, vnitæ in eodem loco, ſunt quid vnum continuatiuè, hi ergo gradus, quia poſiti in vna parte ſubiecti eſſent quid vnum numero continuatiuè; ſunt autem diſtincti numero, quando ſunt in diuerſis ſubiecti partibus, & faciunt qualitatem extenſiuè maiorem.

Ex quibus patet; gradus Qualitatis intenſæ eſſe homogeneos, vt guttas Aquæ, non etherogeneos, aliàs quantitas non eſſet quid vnum continuatiuè, vt reuerà eſt, vnum enim continuatiuè coaleſcit ex partibus eiuſdem rationis, & homogeneis in ratione indiuiduali. dixi, in ratione indiuiduali, quia certum eſt ex diuerſis ſpecie diſtinctis, & etherogeneis in entitate ſpecifica, non poſſe fieri vnum continuatiuè.

Dices, ſi primus gradus eſſet homogeneus cùm ſecundo, & cùm alijs, qualitas erit æquè intenſa, habens vnum gradum, ac ſit habens ſecundum, & octauum, hoc videtur abſurdum, & contrà formalitatem in-

Digitized by Google

intenſionis ergo.

Reſpondeo. guttas Aquæ eſſe homogeneas, & tamen ſi octo guttæ aquæ ponantur in eodem loco, aqua erit maior, ità ſi octo gradus qualitatis ſint in eadem parte ſubiecti, qualitas erit maior, & intenſa, ideòq; *Scotus in 1. diſt.* 23, ponit gradus eſſe homogeneos, & qualitatem intendi per additionem gradus ad gradum *in 1. diſt.* 17 *cit.* Eſto alij ponant gradus huiuſmodi eſſe etherogeneos, volunt enim primum eſſentialiter ſupponi à ſecundo; ſecundum à tertio, & ſic deinceps.

Sanè ad Intenſionem qualitatis nil iuuat ponere in gradibus etherogeneitatem, ſicuti neque ad alium finem; tanquam ergo omninò ſuperflua reijcienda eſt, graduum etherogeneitas.

DISPVTATIO DVODECIMA.

DE ACTIONE, ET REACTIONE.

IDem eſt Obiectum huius, & præcedentis Diſputationis, nempè Qualitas, non quidem abſolutè, & in ſeipſa, conſiderata, ſed prout eſt Inſtrumentum Actionis, & Reactionis. Nomine Actionis intelligitur Cauſalitas Agentis, & id, per quod formaliter Agens conſtituitur actu cauſans, & Agens; Actionem à Cauſa, & ab effectu diſtingui probauimus Diſp. 2. Phyſ. Lect. XIV. *Actio duplex eſt, immanens, & tranſiens; illa eſt, & dicitur immanens, quia manet in eo ſubiecto, à quo elicitur, de hac non eſt ſermo in præſenti; Actio tranſiens eſt, & dicitur illa, quæ ab Agente exit, & tranſit ad ſubiectum; quod & Paßum dicitur ex eo, quia recipit actionem emanatam ab Agente, recipere enim eſt pati; neque enim Agens dicitur tale ab Actione, quam recipiat, ſed ab actione, quam producit, eſt enim Actio extrinſeca, non intrinſeca perfectio Agẽtis; imò Agens potiùs tale dicitur ex virtute intrinſeca Agendi, quam habet.*

LECTIO I.

An Subſtantia ſit immediatè Actiua.

NOmine ſubſtantiæ non venit materia prima, quam conſtat, eſſe solù paſſiuam, nullo modo actiuam. Neque venit ipſum Totum, ſeù Compoſitum, nam hoc eſſe Principium operatiuum, vt quod, ſeù Principium operationis denominatiuè, concedunt omnes, quò facit commune dictum; *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, ſeù Compoſitorum, in quo ſenſu dixit *Philoſophus 1. de Anima t.64. dicere, iraſci Animam, ſimile eſt, ac ſi quis dicat, eam texere, vel ædificare, meliùs enim fortaſſis eſt non dicere, Animam miſereri, aut addiſcere, aut cogitare, ſed Hominem Anima. 1. de Anima 64. Humanitas non ambulat; ſed Socrates*. Reducitur Quæſtio tota ad Formã ſubſtantialem, an ſit actiua immediatè, & proximè, an verò agat ſolum remotè, & mediatè, ideſt, mediantibus qualitatibus exempli gratia Ignis A. producit Ignem B. Quæritur, Principium quo, & immediatè effectiuum, ſeù productiuum Ignis B. eſt nè Calor, an forma ſubſtantialis Ignis A. Aliqui, vt nulli eorum, qui in extremas abeunt Sententias, diſpliceant, medium tenent; volunt formam ſubſtantialem operari mediatè, & immediatè, remotè, & proximè; concurrere medijs qualitatibus, & ſeipſa immediatè.

Ità *Suarez diſp.18. met. ſect.2. Arriaga diſp.11. ſect.2. ſubſect.4. Concluſ. 4. & alij. Thomiſtæ*, & *Scotus* in extremas, & omninò contradictorias abeunt Sententias.

Ponunt *Thomiſtæ* nec de facto, neque de abſoluta potentia poſſe formam ſubſtantialem eſſe immediatè operatiuam, ſed operari medijs accidentibus, & Qualitatibus.

Ità *Caietanus 1.p.q.54. art.3. & q.59. ar. 2. & q.71. art.1. & q.115. art.1. Ferrarien. 4. contrà Gentes cap. 69. Ioann. à S. Thoma tom.1. Philoſ. q.12. art. 2. Complutenſes diſput.10 q.4.* vbi alios plures lege cit. Ex Recentioribus *Pereira lib. 8. c. 13. Rubius 2. Phyſ. tract. 4 q.4. Conimbric. ibidem Mazziotta in q. ſelect. q.14.*

Ponit *Scotus*, nè dum de abſoluta potẽtia, ſed etiam de facto, ſubſtantiam immediatè operari, & nullo modo concurrere Accidens ad formæ ſubſtantialis productionem.

Ità habet *in 2. diſt.16. q.1. & in 4. d.12. q.3. 9. met. q. 7. Scotum* ſequuntur non modo eius *Diſcipuli*, ſed famoſæ Scholæ, *Durandi, Nominalium, & Recentiorum*; Horum nomina, lege apud *Ouied Cont.9. puncto 4. Le Rees diſp. 2. art.7. §. 2. Hurt q.9. met. ſect.5. §.23. Achillinus 3. de Elem dub. 4. Valleſ. contr.3. ad Tyrones. Barth. Amicus tom.1. Phyſ. tract. 12. q.10. d.3. art.7. Concluſ.7.*

Concluſio. ſubſtantia eſt immediatè actiua, & productiua alterius ſubſtantiæ; non Accidens.

Probari ſolet primò *Auct. Philoſophi 2. de Anima t. 24.* vbi definit Animam eſſe *principium, quo viuimus, mouemur, & ſentimus. 2. de Gen. 53 materiæ eſt pati, formæ agere. & t.54. 55.* illos arguit, qui formis ſubſtantialibus vim agendi, negabant; *7. met. t.32.* neceſſe eſt præexiſtere aliam ſubſtantiam, actu exiſtentem, quæ facit, vt puta animal, ſi animal fit.

His, & alijs ſimilibus Auctoritatibus nõ multum fido; quia facilè Reſpondebunt *Thomiſtæ*; per hæc, & ſimilia verba denotari; Animam, & alias formas ſubſtantiales, eſſe remotum, & radicale principium, non proximum, & immediatum.

Probatur igitur primo quia. nemo dat alteri, quod in ſe non habet, ſi enim quis, quod in ſe non haberet, alteri daret, nil obſtaret, quo minùs non ens eſſet productiuũ entis, & ideò omnis cauſa debet eſſe vel perfectior, vel æquè perfecta effectu ſuo, perfectior, ſi eminenter, aut virtualiter cõtineat id, quod effectui tribuit; æquè perfecta, ſi actu, & formaliter contineat, id, quod effectui tribuit;

Hinc eſt, ꝙ ex productione effectuũ arguitur pfectio in cauſa maior, vel minor, prout maior, vel minor relucet perfectio in effectu producto, atq; adeo ideò Deus eſſe omnium perfectiſſimus arguitur, quia omnium entium eſt vera Cauſa; & niſi talis doctrina concedatur, non eſſet ratio, cur negaremus à muſca, à culice, vel alio quocunque animalculo, aut ente imperfectiſſimo producta eſſe, & creata omnia. At accidens, neque eſt æquè perfectum, neque eſt perfectius forma ſubſtantiali, quia in quocunque ſtatu, & quacunque ratione conſideretur, ſemper eſt accidens, atque adeo in gradu inferiori, & infimo reſpectu formæ ſubſtãtialis, ad cuius perfectionem, & gradum nunquam poteſt pertingere, quia ſupremum infimi non poteſt attingere infimum ſupremi, vt concedunt com-

mu-

muniter omnes,ergo Accidens non poteſt immediatè attingere, ſeù producere formam ſubſtantialem.

Reſpōdebis primò,quòd cauſa Inſtrumētalis nō debet eſſe,aut perfectior,aut ęquè perfecta effectu ſuo, ſed pōt eſſe imperfectior,& longè inferior,imò debet eſſe inferior,& imperfectior,quia ad aliud ordinata, & non per ſe expetibilis; Atqui Accidens eſt Cauſa Inſtrumentalis ſubſtantiæ, quia agit in virtute ſubſtantiæ; ideò benè poteſt attingere ſubſtantiam immediatè, & immediatè illam producere.

Sed contrà eſt primò, ergo iam ſubſtātia, & ipſa immediatè concurrit, & ipſa quoque eſt immediatè actiua, quod mordicus negant aliqui *Thomiſtarum*;nō enim cauſa inſtrumētalis mouet,niſi mota, vndè & Deus qui medijs cauſis ſecundis plura producit, concurrit & ipſe immediatè, vt vel ipſi *Thomiſtæ* contrà *Durandum* apertè concedunt,ergo. Præterea ſi ipſa ſubſtantia immediatè concurrit, ergo omninò ſuperfluus eſt concurſus accidentium, atque adeò eſt omninò negandus.

Contrà ſecundò,quia ægrè à *Thomiſtis* explicatur, quid ſit Accidens agere in virtute ſubſtantiæ, nam aliqui volunt Accidenti communicari à ſubſtantia aliquam vim, & virtutem diſtinctam ab ipſorum entitate, per quam accidentia operentur, & agant. Alij volunt ipſum Accidens eſſe virtutem ſubſtantiæ,ità vt propria eorum entitas ſit virtus ſubſtantiæ; & ſanè quidquid dicatur, quomodocunque explicetur, Accidens agere in virtute ſubſtantiæ, ſemper accidens, remanet in genere,& ordine accidentali, ergo nunquam poteſt producere ſubſtantiam ſeipſo perfectiorem, & ordinis ſuperioris,& altioris.

Quòd ſi ſupponas, Accidens à ſubſtantia eleuari,& fieri ordinis ſubſtantialis, ſicuti Intellectus eleuatur per lumen gloriæ, & ſit ordinis ſupernaturalis; iam non Accidens,ſed entitas illa ſubſtantialis erit immediatum principium productiuum ſubſtantiæ.

Probatur ſecundò Cōcluſio quia: ſi ſubſtantia non influeret immediatè,& immediatè non concurreret ad productionem alterius ſubſtantiæ,forma ſubſtantialis nō eſſet vera,& propria cauſa, ſed eſſet cauſa remota, quam non eſſe veram, & propriam Cauſam, probauimus *Diſput.* 2. *Lectio.* 4. imò communiter omnes contrà *Durandum*, ideò concedimus, Deum immediatè concurrere ad effectus creatos,quia ſi Deus ſolum remotè, & per virtutem tributam cauſis ſecundis,concurreret ad illos effectus, non eſſet illarum vera,& propria Cauſa,ergo.

Reſpondebis. Accidentia eſſe virtutes ſubſtantiæ,non ſic cauſæ ſecundæ reſpectu Dei,non enim cauſæ ſecundæ ſunt virtutes actiuæ Dei.

Sed contrà quia, æquè cauſæ ſecundæ ſunt Inſtrumenta Dei, ac accidentia ſunt Inſtrumenta ſubſtantiæ; ſed accidentia ideò ſunt virtutes ſubſtantiæ, quia ſunt eius Inſtrumenta,ergo in eodem ſenſu cauſæ ſecundæ ſunt virtutes actiuæ Dei,ideſt, eius Inſtrumenta,quibus ad operandum vtitur;ergo ſi ſubſtantia non concurrit immediatè,non eſt vera Cauſa.

Probatur tertiò Concluſio quia: Accidens per Aduerſ. habet vim, & virtutem immediatè productiuam ſubſtantiæ, ergo à fortiori eam virtutem habet forma ſubſtantialis; conſequentia tenet, tum quia nulla poteſt aſſignari implicantia in eo, quòd ponatur ſubſtantia immediatè concurrere ad productionem ſubſtantiæ, quæ à fortiori non militet in eo,quòd ponitur Accidens immediatè concurrere, vt ex ſolutione earum implicantiarum mox patebit, tùm quia quando cauſa ſuperior concurrit ſimul cùm inferiori ad eundem effectum, poteſt cauſa ſuperior illum effectum ſe ſola producere non cōcurrēte vllo modo cauſa inferiori, ità omnis effectus producibilis à Deo,& à cauſa ſecunda,poteſt à ſolo Deo produci, ergo forma ſubſtantialis, quæ de facto producitur ab altera forma ſubſtantiali, & ab accidente, poteſt à Sola forma ſubſtantiali produci.

Obijcies primò: Si Forma ſubſtantialis eſſet immediatè actiua, iam eſſet ordinis diuini,& non differt à Deo, quod eſſe abſurdum, planum eſt. Sequela probatur quia, in forma ſubſtantiali eſſet identificata exiſtentia cùm actuali operatione; atque adeò in ea idem eſſet exiſtere,& operari, quod eſt proprium Dei; probatur quia in forma ſubſtantiali eſſent identificata hæc duo, potentia ad exiſtendum, & potentia ad operandum, eadem enim forma ſubſtantialis ex ſui entitate eſſet potens ad exiſtendum,& ex ſui entitate eſſet potēs ad operandum; reſpiceret ergo eadem entitas ſubſtantiæ, vtrumque actum, exiſtētiam,ſcilicet & operationem,& quidem tanquam quid vnum, & idem, ſicuti ipſa eſt vna,& eadem, vnificatur enim potentia,& plurificatur ab actibus,ergo cùm

in

in eadem entitate formæ ſubſtantialis vnificatæ ſint hæ duæ potentiæ, nempè potentia ad exiſtendum, & potentia ad operandum, manifeſtè conuincitur, identificatam eſſe operationem cum exiſtentia per modum vnius, & eiuſdem actus; quod vt dicebatur, proprium eſt Dei, & eorum, quæ ſunt ordinis diuini.

Reſpondeo in primis; totum hunc diſcurſum, & argumentum poſſe applicari accidentibus, quibus à *Thomiſtis* conceditur vis, & virtus immediata operandi, & agendi, nam in eadem vna entitate accidentis eſſet identificata potentia ad exiſtendum, & potentia ad operandum, ergo eſſet identificata exiſtẽtia, & actualis operatio per modum vnius, eiuſdemque actus, atque ità accidens in Diuinam naturam, & ſortem tranſcriberetur, & eleuaretur.

At dices. Accidens eſt virtus ſubſtantiæ, atque adeò dependeret à ſubſtantia, ideoque propter hanc imperfectionem dependentiæ ab alio, non eſſet Deus, & ordinis Diuini.

Benè; ſed nunquid ſubſtantia, quia ponitur immediatè actiua, non dependeret à Deo? quinimò nonnè dependeret ab accidentibus, tanquam præuijs diſpoſitionibus; à materia prima, tanquam à ſubiecto? Non ità facilè eſt rem creatam è fęce hac, & vili rerum materialium ſtatu in diuinam transferre conditionem, & ſortem.

Reſpondeo ſecũdò directè ad principale Argumentum. potentiam ad exiſtẽdum, & potentiam ad operandum non eſſe identificatas formaliter, & quidditatiuè; eſto identificatæ ſint entitatiuè; & quidem ſunt identificatæ entitatiuè, quia in vna, eademque entitate formæ ſubſtantialis reperiuntur, vt iam ſupponimus omnes; at non ſunt identificatæ formaliter, & quidditatiuæ illæ duæ potentiæ, quia diſtinguuntur in ſuis conceptibus formalibus, & inuicem comparantur, vt prius, & poſterius; prius enim eſt exiſtere, poſterius eſt operari, commune enim dictum eſt, & communiter receptum etiam à *Thomiſtis*, *operari ſequitur ad eſſe*, ergo iam poſſe exiſtere, eſt quid prius ad poſſe operari; diſtinguuntur ergo formaliter, & quidditatiuè potentia ad exiſtendum, & potentia ad operandũ, & conſequenter etiam exiſtentia, & operatio formaliter, realiter diſtinguuntur.

Dices; quæ diſtinguuntur formaliter realiter, debent ſe habere, vel vt potentias, & actus, vel vt genus, & differentia, diſtinctio enim formalis ponitur inter gradus metaphyſicos, etiam in Sententia *Scoti*, at illæ duæ potentiæ non ità ſe habent. ergo.

Reſpondeo. potentiam ad exiſtendum eſſe quid prius potentia ad operandum, at potentia eſt quid prius actu; patet ergo, quòd potentia ad exiſtendum verè ſe habet, vt potentia, & potentia ad operandum ſe habet, vt actus, quia omne poſterius ſe habet, vt actus reſpectu eius, quod ad illud comparatur, vt prius, & vt quid præſuppoſitum.

Obijcies ſecundò: ſi Accidentia non eſſent Inſtrumenta ſubſtantiæ, & ijs mediantibus forma ſubſtantialis non operaretur, & ageret, fruſtrà eſſent data à natura hæc accidentia, & qualitates, ergo Accidentia debent eſſe immediatè operatiua.

Reſpondeo. Accidentia inſeruire tanquam præuias diſpoſitiones; quod ſufficit ad hoc, vt non dicantur eſſe fruſtrà data, & producta à natura; Præterea, ſi mediatè ponantur agere, & operari, adhùc non eſſent fruſtrà.

Obijcies tertiò. ex *Ariſt. 2. de Gen. c. 8. lib. de ſenſu, & ſenſil. cap. 4.* Ignem non agere quatenus ignem, nec terram quatenus terram, ſed quatenus adeſt in ijs contrarietas, ſed contrarietas habetur à qualitatibus, ergo qualitates ſunt immediatè operatiuæ.

Reſpondeo: ijs verbis inſinuare Philoſophum radicem, & originem generationis, & corruptionis rerum, eſſe contrarietatem qualitatum, quæ dùm inuicem agunt, & reagunt, ſunt in cauſa; vt veteres formæ ſubſtantiales corrumpantur, & nouę generentur. Vel etiam dico, Ignẽ, & Terram agere, quatenùs in ijs adeſt contrarietas, quia qualitates habentes contrarium ſunt præuiæ diſpoſitiones ad productionem formarum, calor enim, & ſiccitas ſunt diſpoſitio ad formam ignis, ſicuti frigiditas, & humiditas ad formam Aquæ.

Obijcies quartò. ſæpè producitur forma ſubſtantialis, quando ſunt ſola accidentia, & non adeſt vlla forma ſubſtantialis, quæ poſſit eſſe immediatè operatiua, ergo in tali caſu à ſolo accidente producitur ſubſtantia. Antecedens patet, quia ranæ producuntur, & generantur ex putri materia, & non eſt aſſignablis for-

forma ſubſtantialis, à qua immediatè producuntur. Sæpè animal generatur ex ſemine deciſo ab Animali vel abſente, vel iam mortuo, à quo proindè non poteſt dici, quòd generatur tale Animal, quia quod non eſt, operari non poteſt, ergo ab accidente poteſt aliquando produci anima, ergo à fortiori quæcunque alia forma ſubſtantialis, quæ imperfectior eſt anima.

Neque enim poteſt fieri recurſus ad cauſam primam cùm *Anaxagora*, quem proptereà valdè reprehendit *Ariſtoteles 8.Phyſ.cap.1.& 12.Met.t.9.* Eo quòd omnes effectus naturales refunderet in Mentem, & Cauſam primam,

Reſpondeo, quòd quando deeſt Cauſa particularis, nullū inconueniens eſt, recurrere ad Cauſas vniuerſales, cuiuſmodi eſt non ſolum Deus, ſed etiam Sol, & Aſtra, ſicuti enim de facto, generatio auri, & argenti in viſceribus terræ tribuitur actioni Solis, & alij etiam effectus attribuuntur occultis influentijs Aſtrorum, ita & generatio Ranarum, & aliorum Animalium ex putri materia cauſis ſuperioribus, & Vniuerſalibus debet attribui.

Et quòd ſpectat ad generationem Animalis, mortuo maſculo, remanet fœmina, & ſemen maſculi; Semen autem plures Medicorum volunt eſſe animatum anima vegetatiua, & ſenſitiua; ſicuti etiā volunt matrem concurrere actiuè ad generationem viuentis;

Ità *Valeſ.lib.2. Medic.Controu.cap.6.et 18.Vega lib 1. de arte medendi cap.3. Fernel.lib.3. Phyſ.* ideò adhùc ſtat, ſubſtantiam non ab accidente, ſed à ſubſtantia generari.

Et quamuis ad Deum recurrere, tanquā ad cauſam effectiuā rerū naturaliū, turpè ſit in Philoſophia, ut etiam oſtendi *Diſp.2. Lect.15. per totam*, ideoque rationabiliter ſit reprehenſus ab *Ariſtotele Anaxagoras* locis citatis, tamen aliud eſt omnium effectuum naturalium Cauſam aſſignare Deum, vt aſſignabat *Anaxagoras*, & aliud eſt, ad Deum tunc ſolum, & in eo caſu recurrere, quando alicuius effectus naturalis non ſuppetit cauſa naturalis peculiaris, & propria, vt accidit in caſu noſtro;

Præterea, vt benè notat *Scotus*, hic minus malum eſt, & minus abſurdum, ad Deum recurrere, quàm admittere ab accidente ſubſtantiam produci; ex duobus ergo malis, minus eligendum, ex duobus abſurdis minus aſſeramus.

LECTIO II.

An Idem poſſit agere in ſeipſum Actione æquiuoca.

SEnſus Quæſtionis non eſt, de actione generatiua, aut productiua eiuſdem à ſeipſo, nam quid probabiliter dici poſſit in hoc ſenſu, obiter inſinuaui *Diſp.3. lect. 3 in fine*, vbi etiam probabilem Nobilium Theologorum Sententiam adduxi.

Neque eſt ſenſus de actione augmentatiua, aut loci acquiſitiua, certum eſt enim Viuentia ſeipſis augeri per intraſuſceptionem alimenti, eiuſque conuerſionem in propriam ſubſtantiam; ſicuti etiam certum eſt, ſeipſis localiter moueri tùm motu progreſſiuo, tùm motu naturali partium, quarum vna mouet aliam, ità cor, & muſculi mouent reliquas partes Animalis.

Tota ergo Difficultas reducitur ad actionem alteratiuam; vtrum, ſcilicet Idem poſſit alterare ſeipſum, & introducere in ſeipſum aliquam qualitatem; Quod etiam intelligitur dupliciter.

Primò quidem, ſi ponatur Agens introducere in ſeipſum qualitatem eiuſdem ſpeciei cùm ea, quam ſupponitur habere, verbi gratia, an Agens calidum poſſit ſeipſo augere calorem, ſeù vt alij loquuntur, an Agens poſſit agere in ſeipſum actione vniuoca, & quidē in hoc ſenſu, quid probabiliter ſuſtineri poſſit, dicā *Lectione ſequenti.*

Secundo, ſi ponatur Agens agendo in ſeipſum introducere aliquam qualitatem diuerſam ſpecie ab ea, quam ſupponitur habere; ſeù vt alij loquuntur, an agens poſſit agere in ſeipſum actione æquiuoca.

Rurſus hæc actio æquiuoca duplex eſt, corruptiua, & perfectiua; illa eſt, qua acquiritur qualitas corruptiua, & deſtructiua ipſius Agentis, vt quando per immoderatum cibum, & alimentum ægritudines, & morbi generantur; & de hac actione nō eſt ſermo in præſenti. Perfectiua actio, ſeù alteratio eſt, quando per eam acquiritur aliqua qualitas Agenti connaturalis, & debita, ipſum complens, atque perficiens, ità cùm à propria Agentis eſſentia emanant proprietates, & paſſiones; ab Anima emanant potentiæ.

In hoc ſenſu Quærimus, an Agens poſſit in ſeipſum agere, & ſeipſum perfectiuè alterari.

Pri-

Digitized by Google

Prima Sententia eſt *Thomiſtarum*, qui vt omnem prorſus vim immediatè agendi ſubſtantijs adimant, negant idem poſſe agere in ſeipſum actione perfectiua; negāt ab eſſentia proprietates, ab Anima potentias emanare, & fluere.

Itâ *Capreolus in* 1. *d.* 3. *q.*1. *art* 3. *Aegidius quodlib.*3. *q.*16. *& quodlib.*5. *quæſt.*15. *Ferrarienſis* 1 *contrà gentes c.*23. *Soncinas* 9. *met.q.*8. *Burl.* 7. *Phyſ. t.*1. *nouiſſimè Bernard. Mazzibotta q.*24.

Secunda Sententia affirmat, idem poſſe in ſeipſum agere actione, ſeù alteratione perfectiua, & quidem ab eſſentia emanare paſſiones, & proprietates; ab Anima potentias fluere, & deriuare.

Itâ *Scotus in* 1. *d.*3. *q.*7 *& in* 2. *d.*2 *q.*10. *Scotum ſequuntur non modo eius Diſcipuli, ſed etiam Nominales, vt Greg. in* 2. *d.*6. *q.*1. *art.*3. *Mayronius ibidem; ex Recentioribus* quamplurimi, imò ferè omnes. *Toletus* 1. *de Gen.q* 14. *Nobilius in cap* 7 *dub.* 12, *Amicus* 1 *de Gen tract.*5 *dub.*2. *art.*2.

Concluſio. Idem poteſt agere, & de facto agit in ſeipſum actione, ſeù alteratione perfectiua.

Probatur primò. Auctoritate *Ariſt.* qui 8. *Phyſ.* 3. & alibi paſſim apertiſſimè docet, naturam eſſe Principium motus eius, in quo eſt; quæ doctrina ſicuti locū habet in alijs motibus, & actionibus, itâ maximè verificatur de actione alteratiua tendente ad perfectionem Corporis, ſeù Agentis naturalis.

Probatur ſecundò. quia communiter recipitur differentia, quæ ponitur inter Viuentia, & non Viuentia; quòd illa ſeipſis moueantur, non ſic iſta, quæ potiùs ab extrinſeco motore, & principio mouentur, & alterantur. Confirmatur quia. Anima Rationalis ſeipſa intelligit, ſeipſa amat; elicit actum intellectionis, & actum amoris, quos & in ſeipſa recipit, ideòque tales actus dicuntur immanentes, quia manent in eo principio, à quo eliciuntur, in ea potentia, à qua fiunt, & itâ in ea manent, vt etiā perficiant, ergo.

Probatur tertiò. quia proprietates ab eſſentia potentias ab Anima emanare, eſt aperta Sententia *D.Thomæ* 1. *p.q* 77. *art.*6. en Verba, *Compoſitum autem eſt in actu per animam, vndè manifeſtum eſt, quod omnes potentiæ Animæ, ſiuè ſubiectum earum ſit ſola Anima; ſiuè Compoſitum, fluunt ab Eſſentia Animæ, ſicut à principio.* & in reſponſione ad 3. Argum. *emanatio propriorum accidentium à ſubiecto non eſt per aliquam transmutationem; ſed per naturalem reſultantiam, ſicuti ex vno aliud naturaliter reſultat, vt ex luce color.*

Ergo veri *Thomiſtæ* non debent negare, idem agere in ſeipſum actione perfectiua, qualis eſt actio productiua Potentiarum ab Anima; Coloris à luce; paſſionum, & proprietatum quarumcunque ab Eſſentia, & natura, cuius ſunt proprietates.

Neque dicas. Reſultantiam, & emanationem non eſſe veram actionem, & conſequenter proprietates ab eſſentia, potentias Animæ verè non produci, ſed potius produci, & fieri à generante, & producente formas, qui enim dat eſſe, dat etiam cōſequentia ad eſſe.

Contrà enim eſt; quia generans, & producens formas ſubſtantiales non poteſt eſſe Cauſa, niſi remota, & mediata, proprietatum, & paſſionum naturaliter ad tales formas conſequentium, ergo cauſa immediata, & proxima, debent eſſe ipſæmet eſſentiæ formarum, imò eſſentię ſunt ſimpliciter, & vera Cauſa, nam iuxtà alibi dicta, Cauſa remota non eſt verè, & propriè cauſa.

Fateor reſultantiam, & emanationem non eſſe itâ propriè actionem, ſicuti eſt actio tranſiens in externum ſubiectum, quia hæc eſt magis ſenſibilis, & magis notabiliter immutat ſubiectum, non ſic reſultantia, & emanatio, quæ in eodem ſubiecto recipitur, à quo elicitur.

Obijcies primò. ex *Ariſt.* 8. *Phyſ.* per totum, quidquid mouetur ab alio mouetur, & non à ſeipſo, ergo idem non poteſt agere in ſeipſum.

Reſpondeo ex dictis *Diſp.* 5. *Lect.*5. ſatis ſufficienter explicatum, & aſſignatum fuiſſe ſenſum, in quo debet illa propoſitio Vniuerſalis Ariſtotelica intelligi, nam omne, quod mouetur, quia creatum eſt, & ab alio factum, agnoſcit primum motorem, & primam cauſam, cui omnes alij motores, & omnes aliæ cauſæ, ſubordinantur.

Obijcies ſecundò. ſi eſſentia produceret ſuas paſſiones, & Anima produceret potentias, ſequeretur, quòd eſſentia proprietates, Anima potentias, in ſe virtualiter, aut eminenter contineret, ſed id, quod eſt virtualiter, aut eminenter tale, non poteſt fieri formaliter tale, vt patet in Sole, qui cum ſit virtualiter calidus, non poteſt eſſe formaliter calidus; Deus non poteſt in ſeipſo producere ea omnia, quæ eminenter continet. Corpora

cali-

Digitized by Google

calida, vt Vinum, Piper, & huiuſmodi habent vim calefaciendi Corpora, non tamen ſeipſa, ergo.

Reſpondeo, tunc, & in eo caſu, quæ ſunt virtualiter talia, non poſſe fieri talia formaliter, quando non ſunt capacia talis formalitatis, ita Sol non eſt capax caloris formalis, Deus non eſt capax omnis eius, quod ad extra producit, incapax enim eſt accidentis, & cuiuſcunque alterius peregrinæ, & extraneæ formæ, Piper verò, & vinum non poſſunt recipere calorem maiorem, & intenſiorem eo, quem de ſua natura exigunt.

Obijcies tertiò, inter agens, & paſſum datur relatio realis, ergo & diſtinctio realis, ergo idem non poteſt agere in ſeipſum.

Reſpondeo inter agens, & paſſum eſſe relationem realem, & diſtinctionem realem ratione potentiæ productiuæ, & formæ productæ, quæ duo realiter diſtinguuntur, nam virtus productiua, eſt ipſa eſſentia productiua proprietatis, & realiter diſtinguitur à proprietate, Anima realiter diſtinguitur à potentia, in *Thomiſtarum* Sententia.

LECTIO III.

An idem poſſit agere in ſeipſum actione Vniuoca.

Senſus eſt, an Agens calidum vt quatuor, verbi gratia, poſſit ſeipſum intendere, & augere per productionem noui caloris, vt Lectione ſuperiori inſinuauimus.

Et quidem certum videtur eſſe, idem non poſſe agere in ſeipſum, Agens calidum non poſſe in ſeipſo augere calorem actione directa, id eſt actione, quæ ab obſtaculo non impeditur, ne vlterius progrediatur. Patet tùm experientia, qua videmus nullam qualitatem à ſeipſa, ſed ab alio augeri, tum etiam ratione quia: ſi calor augeret ſeipſum, maximè quia produceret alium gradum caloris, quem vel præhaberet in potentia, vel actu; ſi actu, iam illum non produceret de nouo, quod enim iam exiſtit, non poteſt amplius produci: ſi haberet in potentia,

Contra eſt quia. Agens ſupponitur calidum, vt quatuor, ſed calor vt quatuor non habet vim, & virtutem, ſeu potentiã ad vlteriorem gradum producendum, alias ſeipſum excederet, ergo.

Videamus; An data actione reflexa, poſſit Calor, vel alia quæcunque Qualitas ſeipſam augere, & intendere.

Vbi nomine actionis reflexæ venit illa actio, quæ fit ab Agente, quando iuxta ipſius ſphæram actiuitatis interponitur corpus aliquod, & obſtaculum, in quod incidit actio, & impeditur vlterius progredi, tunc enim actio, quæ debebat extendi vltrà obſtaculum, & explere totam ſphæram Agentis, veluti duplicatur cõtrà obſtaculum, patet hæc reflexio manifeſtè in motu locali, dum enim proijcitur pila in parietem, quia non poteſt parietem peruadere, & tranſire, reſilit, & reflectitur citrà parietem; hac eadem ratione fit Echo, nam quando quis loquitur, & aerem vocem deferens impingit in aliquem locum concauum, retrorſum aer redit, & eandem refert vocem,

Simili ratione lumen diffuſum à Sole, quando impingit in parietem, reflectitur, & citrà parietem duplicatur; idem dicas de calore, & alia quacunque qualitate, contrà *Areſium* 1. *de Gen. diſp.* 1. q. 42. *ſect.* 9. vbi in ſolo lumine, & non in alijs qualitatibus agnoſcit actionem reflexam, reuerà tamen eadem ratio, & & eædem experientiæ, quæ probant lumen intendi, probant etiam intendi calorem, & alias Qualitates.

Prima ergo Opinio in propoſita difficultate eſt *Ouiedi*. 1. *de Gen. Contr.* 5. *p.* 1. §. 4. vbi docet actione reflexa Qualitates non augeri, nec intendi.

Secunda Opinio in oppoſitum eſt cõmunis, & eam probant Ratio, & experientia.

Ratio quidem, quia virtus Animalis magis conatur, quando impingit in obſtaculum, ergo & virtus naturalis maiores vires exerit, quando in obſtaculum impingit, ergo maiorem effectum, & intenſiorem producit; Confirmatur quia, ſi actio, putà calefactio, vlterius extenderetur, calefaceret, verbi gratia, quatuor palmos aeris, ergo ſi tranſacto primo palmo, impingit in aliquod obſtaculum, gradus caloris, quos aliàs non impedito obſtaculo produceret in tribus palmis aeris calefaciẽdi, producit in primo palmo aeris, ergo iam in eadem parte ſubiecti ſunt plures gradus caloris, ergo eſt intenſior calor, intenſio enim qualitatis tunc accidit, quando in eadem parte ſubiecti ſunt plures gradus qualitatis, quę

Digitized by Google

aliàs poſſent eſſe,& extendi per plures,ſeù in plures ſubiecti partes.

Experientiæ plures Doctrinam traditam confirmant,& declarant.

Prima ſit. Videmus in Luna aliquas partes magis, aliquas minus illuminatas,non niſi quia in ijs,quæ ſunt magis denſæ,magis reflectitur lumen, & ideò fit maius, & conſequenter magis denſæ partes, magis illuminantur. E contrà partes raræ minus illuminantur, quia ob earum raritatem, & tenuitatem lumen non poteſt ità valdè reflecti,ideò minus eſt lumen, & illæ partes quia raræ, minùs apparent illuminatæ.

Secunda experientia eſt. æſtate in prima parte aeris viciniore terræ majorem calorem ſentimus,non niſi ob reflexionem luminis, quæ maior eſt ob Terræ obſtaculum, & impedimentum, Terra enim æſtate directè reſpecta à Sole magis radios reflectit vſque ad ſecundam aeris regionē,quàm in hyeme, ob radios aliquos, quibus eo tempore reſpicitur à Sole.

Tertia experientia ſit. Si intrà ſphæram ignis apponatur lamina ferrea,maximum ſentitur caloris augmentum in medio, & apricantes ad Solem eò magis caleſiunt, ſi parietem iuxtà ſe collocent, quia ex pariete magis calor reflectitur.

Obijcies tamen primò: actio, quâ diffunditur lumen, aut calor, eſt vniformis difformis,atque adeò ſubiectum illuminandum, aut calefaciendum, quò magis diſtat à corpore illuminante, aut calefaciente, debet eſſe minus illuminatum, & calidum, ergo propè obſtaculum non videtur maius lumen,non ſentitur maior calor.

Reſpondeo. experientiam eſſe in contrarium; & quidem ſi ab obſtaculo nō impediretur actio, vtique ſubiectum illuminandum,quò magis diſtaret à corpore luminoſo, minus lumen reciperet; per accidens eſt, quòd illuminatio impingat in obſtaculum, & ità lumen augeatur,quia multiplicatur,& illi gradus,qui vlterius, & vlterius deberent extendi intrà obſtaculū augentur, & intenduntur, quia multiplicantur.

Obijcies ſecundò. à natura eſt determinatus modus agendi in Cauſis, ergo niſi natura mutetur,non poteſt modus agendi vniformis difformis mutari ob extrinſecam aliquam circumſtantiam.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia modus operandi à natura non eſt ità determinatus, vt nequeat immutari ad mutationem circumſtantiarum,ſæpè enim variatur actio ex diuerſitate materiæ, applicationis,& ex alijs cauſis adiuuantibus; imò licèt ſphæra actiuitatis cauſarum ſit omninò determinata,tamen ſæpè extenditur, & ampliatur, ſi vna cauſa naturalis cum altera coniungatur.

Obijcies tertiò. ſi Agens luminoſum, impeditum ab obſtaculo auget, & intendit lumen, vel id præſtat,quia omnes gradus,quos produceret, ſi vlterius extenderetur,producit in ſubiecto,quod eſt propè obſtaculum,vel aliquos;non primum,quia eſt contrà experientiam, neque enim Sol impingens in parietem hunc A. verbi gratia producit in illo omnes gradus caloris, quos produceret,ſi non impeditus à pariete,extenderetur, & produceretur vſque in Orientem. Sed neque ſecūdum dici poteſt, quia non eſt maior ratio de aliquibus, quàm de alijs,ergo.

Reſpōdeo. aliquos gradus luminis produci;cur potius hos, quàm alios, recurrerent ad cauſam Primam cum *Anaxagora* illi,qui volunt Cauſam ſecundam à Deo determinari ad producendum hunc potius numero effectum quàm alium: iuxtà mea principia,dico,Solem ſeipſo determinari,& ex ſui natura ad producendos hos potiùs gradus,quàm alios.

Simile quid debent reſpondere *Aduerſ*, ſi ab illis quæratur,cur Agens habens ſphæram quinque vlnarum, ſi impediatur ſtatim poſt primam vlnam, non producat omnes gradus qualitatis à ſe producibiles; ſanè nihil aliud poſſunt reſpondere Aduerſ.niſi tale Agens eſſe à natura determinatum, vt diſtribuat gradus à ſe producibiles in certa,& determinata menſura, & ità quando inuenit impedimentum, pauciores gradus producit, quando impedimentum non inuenit,producit plures.

LECTIO IV.

An Qualitas per Antiperiſtaſim intendatur.

NOmine Antiperiſtaſis,(quæ græca vox eſt,) venit circumobſiſtentia, ſeù Obſeſſio contrarij; & quidem Qualitatem augeri, & intendi per antiperiſtaſim,ſeu obſiſtentiam, & obſeſſionem qualitatis contrariæ, concedunt Philoſophi communiter omnes conuicti pluribus, ijſque manifeſtiſſimis experientijs.

Quarum prima eſt. Aquæ ſubterraneæ

tem-

tempore æſtiuo, quo Aer calore feruet, ſunt frigidiores, ac tempore hyemali, quo Aer frigidus eſt; ſunt notabiliter calidiores. Hanc experientiam adducit *Ariſt.1. Meteor. ſum.3.cap.1.& 2.*

Secunda experientia eſt. Ventriculi animalium hyemali tempore, & calidiores ſunt, & cibum magis concoquunt; Imò ſi manus glaciem, aut niuem apprehendant, incaleſcunt magis; quam experientiam adducunt communiter Medicorum periti ſſimi, *Hipocrates ſect.1. Aphoriſ 15. ibidem Galenus, & Alex.lib.2.Natural.qq.*

Tertia experientia. Si in Calcem, quam viuam appellamus, infundatur Aqua frigida, tantus excitatur calor, vt aquam cogat ebullire, quæ experientia adducitur à *D. Auguſtino lib.21.de Ciuit.c.4.*

Quarta experientia eſt, fimus columbarum recluſus ità vehementer incaleſcit, vt aliquando ignem concipiat; ſic etiam triticum intra terreſtes foueas recluſum ignem concipit. teſtatur *Galenus lib. 3. de Temperam.cap.2.* Plures, qui deſiderat experientias, legat *Amicum 1.de Gen.tract 5. q.1.dub.3.art.1.*

At ſicuti certum eſt, Antiperiſtaſim dari ex adductis experientijs, ità valdè incertum eſt, & dubium, quo modo ex obſeſſione, & circumobſiſtentia contrariæ qualitatis, qualitas intẽdatur, & augeatur, & quæ cauſa talem intenſionem, & augmentum qualitatis inducat obſiſtente cõtrario, & obſidente.

Primus modus dicendi, eſt *Pomponatij q. de Actione Reali art. 1.2. & 3. Niph. de Gen.Com.195. dub.2. Tolet.1. de Gen.14.* Hi volunt Qualitates in Antiperiſtaſi ſeipſis intendi, & augeri ex obſeſſione contrariæ qualitatis, cùm enim obſidente qualitate contraria nequeant ſe diffundere in totam ſphæram actiuitatis ſuæ, in ſe ipſas actiones conuertunt, ac ſe intendunt, & augent.

Sed contrà hunc modum dicendi eſt quia; ſequeretur, quòd calor vt quatuor nõ habens quintum gradum caloris, adhùc illum produceret, atque adeò quòd daret ſubiecto id, quod in ſe non habet, neque enim obſiſtentia, ſeù obſeſſio contrariæ qualitatis, poteſt dare calori vim, & virtutem augendi ſeipſum, cùm talem vim de ſe calor non habeat, ergo.

Secundus modus eſt aliorum dicentium. Qualitates in Antiperiſtaſi intendi per præcluſionem tranſpirationis, nam partes, quæ exhalare deberent, obſiſtente contrario non exhalant, ideòque condenſantur, & qualitas augetur, quia in eadem parte ſubiecti vi condenſationis ſunt plures partes, & gradus qualitatis. Ità *Hippocrat. de Natura Fœtus. Flam. Nobilius 1. de Gen.c.7.dub.12. Cardanus lib.2.de ſubtilit. Scaliger exercit.54.* & alij plures.

Sed contrà hunc modum eſt quia, quando Frigus obſidetur à calore, non poteſt dici, quòd augeatur frigus ex eo, quòd non poſſit tranſpirare, quia calor tantum abeſt, quod impediat, quin potius iuuat tranſpirationem, ratio eſt, quia tranſpiratio fit per meatus, quos calor aperit, non claudit, ideò tempore æſtiuo, meatus, & pori ſunt magis aperti. Præterea frigus non tranſpirat, niſi emittendo partes calidas, quarum emiſſio non impeditur à calore obſidente, ſed potius iuuatur, ergo.

Tertius modus eſt dicentium. Qualitates in Antiperiſtaſi augeri, & intendi ab ipſamet contraria qualitate, vel à forma ſubſtantiali, cuius eſt qualitas obſeſſa, verbi gratia, calor obſeſſus à frigore augetur, & intenditur à forma ignis.

Sed contrà eſt quia, vnum contrarium non producit aliud, ſed potius deſtruit, non ergo frigus poteſt producere, & augere calorem.

Deindè obſidente frigore calorem, & Igneni, non poteſt forma Ignis calorem intendere, quia obſiſtente contrario minus valida, minus potens eſt.

Quartus modus eſt, dicẽtiũ; In Antiperiſtaſi qualitates intendi per motum localem partium homogenearum, & ſimilarium, quæ vniuntur, & ſimul expellunt partes etherogeneas, & ſibi diſſimiles, aut contrarias. Ità *Auerſa tom.2. Philoſ.q.39. Sect.8. Amicus 1.de Gen.tract.5 q.3.dub.3. Art.2.Concluſ.4.*

Concluſio, In Antiperiſtaſi Qualitas intenditur per motum localem partium homogenearum, & ſimilarium expulſis etherogeneis, & diſſimilibus.

Probatur ratione quia. Vnum contrarium fugit aliud, & expellit virtute ſua naturali ob antipatiam, natura enim omnibus indidit vim ſeruandi, & ſaluandi ſe à contrario; hoc autem fit dupliciter, reſiſtendo, & fugiendo contrarium, ſeù illud expellẽdo; cum ergo calor obſidetur à frigore, omnes gradus, & partes caloris vniũtur, vt ſe defendant à frigore, vt illud vel fugiant, & expellãt, vel reſiſtant, ſed partes caloris, & gradus vniri nihil eſt aliud, quam calorem intendi iuxtà dicta à nobis

ſuprà de intenſione qualitatis; ergo.

Quòd autem partes frigidæ expellantur à ſubiecto calido, obſidente frigore.

Probatur primò ratione; quia calor, vt ſe conſeruet, contrarium ſibi aliàs vicinũ debet à ſe longè remouere, nè vnitum frigus internum cùm frigore, & hoſte externo, fiat potentius, & validius, atque adeo calori machinetur deſtructionem, & interitum; vt in politicis Ars, & Prudentia militaris dictat à Ciuitate obſeſſa ab inimicis, expelli foras hoſtes internos, nè cũ hoſtibus externis vniantur in Ciuitatis obſeſſæ damnum, atque perniciem.

Probatur ſecundò multis experientijs. Quarum prima ſit. Aquæ gutta ſi cadat in ſiccam Terram, ſe colligit in globum, non ſic autem, ſi cadat in terram humidã; Neque enim dici poteſt, guttam illam ſe colligere in globum, quia aqua eſt figuræ globoſæ; nam iſta ratio militat etiam, quando gutta aquæ caderet in terram humidam; ideò ergò gutta aquæ cadens in terram ſiccam, colligit ſe ſe in globũ, quia vnitur eius humiditas ad reſiſtendum ſiccitati ſibi contrariæ.

Secunda ſit per motum, & agitationem niuis, frigeſit vinum incluſum in phiala, quia nimirum per eum motum congregantur partes calidæ niuis, quæ proptereà incaleſcit, vt patet ex fumo, quem emittit; partes autem frigidæ niuis foràs mittuntur, & cum non poſſint aliò ſe recipere, in vinum phiala incluſum impingunt, illudq; infrigidant.

Tertia ſit fumus, flante Borea, extrà caminum emiſſus, conglomeratur, vt fugiat frigus ſibi contrarium.

Quarta; quando manus calida mergitur in aquam frigidam, ſurſum ſanguis mouetur, & ſe contrahit, vt frigus aquæ fugiat, & à ſe expellat.

Ex his redditur ratio Experientiarum, quas initio huius Lectionis adduximus.

Et quidem, ideò Aquæ ſubterraneæ tẽpore æſtiuo ſunt frigidiores, quia partes aquæ frigidiores vniuntur expulſis calidioribus, vt ità fortiùs reſiſtant ambienti extrinſeco, & aeri calido. è contrà tempore hyemali ſunt calidiores, quia eius partes calidæ vniuntur expulſis frigidis, vt ità ambienti extrinſeco, & aeri frigido reſiſtant.

Similiter hyberno tempore ventriculi Animalium incaleſcunt, quia in eo partes calidæ congregantur, expulſis frigidis, vt ità magis reſiſtant ambienti extrinſeco frigido.

Denique in calce viua, in fimo columbarum, in tritico incluſo, excitatur ſæpè ignis, quia partes calidæ vniuntur, & congregantur ad reſiſtendum contrario.

LECTIO V.

An ſimile poſſit agere in ſubiectum ſibi ſimile in qualitate, & gradu.

SEnſus Quæſtionis, vel ex ipſo titulo innoteſcit, Quæritur enim an Agens, verbi gratia, calidum vt quatuor poſſit agere in ſubiectum, quod ſit etiam calidũ, vt quatuor. Si tamen Agens ſupponatur eſſe aut quantitatiuè, & extenſiuè maius, aut denſius. dixi ſi Agens ſupponatur maius, aut denſius, quia aliàs iſta Quæſtio facilè poſſet ſolui ex dictis *Lect.* 3. ſi enim idem non poteſt agere in ſeipſum actione vniuoca, atque adeò Agens calidum vt Quatuor non poteſt in ſeipſo augere, & intendere calorem; neque poteſt augere in alio ſubiecto à ſe diſtincto, quod ſupponatur æqualiter calidum.

At ſi Agens calidum vt Quatuor, ſit maius extẽſiuè, & dẽſius, quã ſubiectũ calidũ, vt Quatuor, videtur hoc eſſe ſatis probabile fundamentum, & ſufficiens motiuũ aſſerendi, poſſe Agens ſimile agere in ſubiectum ſibi cæteroqui ſimile in qualitate, & gradu Qualitatis.

Concluſio Prima. Agens naturale non poteſt agere in ſubiectum ſibi omninò ſimile in qualitate, & gradu Qualitatis, etiã ſi ſit extenſiuè maius, aut Denſius.

Ità *Philop.* 1. *meteor. initio. Venetus* 1. *de Gen. t.* 52. *Saxonia q.* 15. *Pariſ q.* 3. *de Actione. Buccaf.* 1. *meteor. &* 1. *de Gen. poſt t.* 55. Ex Thomiſtis. *Victoria Relect. de Augm. Carit. Aſtudillo* 1. *de Gen q.* 21. *Bannes q.* 10. ex Recentioribus *Mazziotta q. ſel. q.* 2. *Amicus* 1. *de Gen. tract.* 5. *quæſt.* 2. *dub* 3. *Auerſa. Morandus, & alij ferè innumeri.*

Contrà. *Marſiliũ* 1. *de Gen. q.* 18. *Niphum* 195. *Zim. Theor.* 1. *ex primo de Gen. Nobilium in c.* 7. *d. vlt. Sotum* 2. *Phyſ. q.* 4. *Toletum* 1. *de Gen. q.* 13.

Probatur Concluſio quia omne Agens naturale ideò agit, vt aſſimilet ſibi paſſũ, ſeù ſubiectum; ergo ſi paſſum, & ſubiectũ ſit iam ſimile non poteſt Agens amplius agere in ſubiectum, & paſſum, ceſſante enim fine, ceſſat actio. Cõſequẽtia eſt clara.

Probatur Antecedens primò ex *Ariſt. hic t.* 51. 3. *Phyſ. initio* 7. *Phyſ.* 35. 12. *Met.* 13. 7.

33.7.*Met*.30 vbi habet omnem effectum eſſe ab vniuoco, quatenus omne agens intendit,& de facto facit ſubiectum ſibi vniuocum,& ſimile.

Probatur ſecundò Ratione quia: omne Agens ideò agit in ſubiectum, quia producit in illo aliquem gradum qualitatis, quem in ſe habet actu,vel virtute, ſed hoc nihil eſt aliud, quam aſſimilare ſibi paſſum, nam ex *Ariſt. in Prædicam.c.de Adaliquid. Similia ſunt,quorũ vna eſt qualitas.ergo*.

Quòd autem Agens ſit extenſiuè maius paſſo,aut denſius,non iuuet ad hoc,vt poſſit agere in paſſum ſibi aliàs omninò ſimile;Ratio eſt quia,maior iſta extenſio, & denſitas non auget virtutem, & actum formalem agendi, ergo quòd agens ſit maius extenſiuè,aut denſius,nihil confert, aut iuuat ad actionem. Probatur Antecedens quia licèt agens calidum,vt quatuor, ſit maius extenſiuè, aut denſius non proindè eſt calidum, vt quinque, ergo non creſcit eius virtus formalis agendi,ſeù non creſcit id,quod debet Agens dare,& communicare paſſo.

Fateor; Maiorem iſtam extenſionem, & denſitatem Agentis iuuare, & multum conferre ad hoc, vt Agens citius, & velocius; uel in maiorem diſtantiam diffundat actionem;

Probatur quia; ſi agens calidum ſit maius extenſiuè, maior quoque eſt calor extenſiuè,ſed maior iſta extenſio caloris non iuuat ad intenſius operari, ergo iuuat ad operari extenſiùs, & in maiorem diſtantiam;

Similiter, quando Agens calidum eſt denſius,poteſt citiùs, & velociùs agere, nam illa denſitas non iuuat ad intenſionem actionis, ergo iuuat ad eius modum agendi, qui in eo conſiſtit,vt agens citiùs, & celeriùs operetur; aliàs talis denſitas maior eſſet omnino fruſtratoria in agente, quod eſt abſurdum, quia natura nihil fruſtra facit.

Obijcies primò. Vbi eſt minor repugnantia, ibi maior poteſt eſſe actio, ſed minor repugnantia eſt inter ſimilia,quàm inter diſſimilia,vt patet,ergo.

Reſpondeo ad hoc, vt actio ſequatur, non ſolum eſſe attendendam non repugnantiam,ſed maiorem actiuitatem agentis ſuprà paſſum; eſto igitur inter Agens calidum vt quatuor, & paſſum calidum vt quatuor minor ſit repugnantia, imò nulla ſit, vt reuera nulla eſt, repugnantia, ſed tamen in Agente calido non eſt actiuitas maior ſuprà paſſum, cum vtrumque ſupponatur calidum,vt quatuor.

Obijcies ſecundò. plures experientias, quarum prima eſt; Phiala frangit Phialam. Secũda eſt.duo ſpecula eiuſdem omninò perfectionis inter ſe oppoſita agunt producendo ſui ſpecies. Tertia. Flamma maior, & minor habent æquales gradus caloris ex *Ariſt.3. Cæli* 52. & tamen videmus flammam maiorem agere in minorem,nam illam conſumit.

Quarta. lumen augetur ab alio ſimili lumine, & luminoſum ab alio ſimili luminoſo,vt lucerna ab alia lucerna.

Reſpondeo. Et quidem ad primam experientiam. illas phialas agere inuicem, non vt ſimiles, ſed vt diſſimiles, habent enim impulſus contrarios; ideſt,in contrarias partes, etiam ſi ſint æqualis intenſionis. Ad ſecundam de ſpeculis,patet ea ſpecula eſſe inter ſe ſimilia in ratione ſpeculi, hoc modo nõ agũt ad inuicẽ,ſed quatenùs producunt ſpecies intentionales, quæ ſunt diuerſæ & inter ſe, & à ſpeculis, à quibus producuntur.

Ad Tertiam; minorem flammam corrumpi à maiori, quia maior flamma corrumpit, & deſtruit pabulum, quo conſeruatur flamma minor, quæ proptereà extinguitur, non ergo flamma agit in flammam,cui eſt ſimilis,ſed flamma agit in alterius flammæ pabulum,cui eſt diſſimilis; hinc *Ariſt.in Problem. Sect.* 1.q.58. reddit rationem, cur in curatione febris Quartanæ debeat augeri calor,vt, ſcilicet, maior calor conſumat materiam, & pabulum, quo conſeruatur minor,& q.8. docet; ægritudines, quæ ſunt à calore, curari ab humiditate, & quæ ab humiditate curari à calore,quia hic exſiccat humiditatem, & *Sect.*24.q.13.calida magis in Sole,quàm in vmbra infrigidari, quia minor calor à maiori abſumitur.

Eodem modo docet; Ignem minorem à maiori extingui; & hunc modum extinctionis, ſeù corruptionis *lib de Iuuentute,& Senectute c.*2.appellat corruptionem per marcorem, ex quo oritur Senectus, & mors animalium,quia,ſcilicet,calor naturalis rarefaciens humidum radicale facit illud euaporare, euaporato autem humido, quo calor naturalis depaſcitur, niſi aliud humidum ſubintret vi nutritionis, extinguitur calor,& cùm calore vita.

Ad quartam experientiam dico; lucernas æquè luminoſas non intendere, aut auge-

Digitized by Google

augere lumen,ſed conſeruare, nè ab aere circumfuſo,& agitato extinguatur; non ergo vna lucerna æquè luminoſa, ac altera producit lumen in alteram. Simili ratione, qua dixi *Diſp.2.Lect.19.* duas manus calidas mutuò ſe calefacere, non quia calorem in ſeipſas producant, ſed quia mutuò ſe conſeruant, reſiſtendo contrariæ qualitati.

Obijcies tertiò. Agens remiſſius,& minùs intenſum agit in paſſum intenſius, & illud intendit,ergo multò magis æquale poterit intendere æquale,ſi enim actio poteſt oriri à proportione minoris inæqualitatis, ergo etiam poteſt oriri à proportione æquali, effectus enim perfectio plus excedit virtutem primi agentis, quàm ſecundi, Probatur Antecedens in congelatione Aquæ, quæ fit ab Aere, & tamen Aqua eſt frigidior Aere.

Reſpondeo in primis, congelationem non fieri ab aere, ſed ab ipſa forma Aquæ quæ expulſis partibus, ſeù exhalationibus calidis,auget natiuam ſui frigiditatem.

Reſpondēt Alij, glaciem non eſſe frigidiorem Aqua, ſed ſentiri frigidiorem ob maiorem denſitatem,quæ eſt in glacie, & non in Aqua.

Obijcies quartò: *Virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa.* Axioma eſt communiter receptum, & ſumitur ex *Ariſt.1.Meteor.c.12.* at virtus addenſata eſt magis vnita,ergo fortior, & actiuior ad agendum, ergo ſi Agens ſimile paſſo ſit denſius, poterit agere in paſſum. Confirmatur quia,virtus, & actiuitas agendi fundatur in entitate, ergo ſi entitas Agentis addenſatione fiat maior,maior erit actiuitas,& virtus agendi, ergo non obſtante ſimilitudine cùm paſſo, adhùc Agens, ſi denſius ſit,poterit agere in paſſum ſibi ſimile.

Reſpondeo, Axioma illud ſic eſſe intelligendum,vt virtus vnita ſit fortior,quia citius,& celeriùs exit in actum,& quia magis reſiſtit contrario,hinc eſt,quòd licèt in carbonibus accenſis, & in flammis eadem ſit virtus vrendi, & idem calor, adhuc tamen magis calefaciunt carbones, quàm flammæ,quia carbones ſunt flammis denſiores.in niue,& aqua congelata magis ſētitur frigus,quàm in aere, & fluida aqua, quia nix,& aqua congelata ſunt corpora magis denſa.

Ad Confirmationem dico,actiuitatem fundari quidem in entitate tanquam in ſubiecto, non tamen ad augmentum entitatis actiuitatem creſcere intenſiuè, & formaliter; dico intenſiuè,& formaliter ideſt, quòad vim agendi, quia materialiter creſcit,quatenùs in maius ſpatium, & maiorem ſphæram poteſt ſe extēdere Agens, quando ſupponitur eſſe auctum, quòad entitatem.

Obijcies quintò: Plus poteſt agens multiplicatum, quàm agens non multiplicatum, ergo ſi Agens ſit calidum, vt quatuor,& ſit multiplicatum,plus poteſt, quàm ſi non eſſet multiplicatum, ſed ſi non eſſet multiplicatum,non poſſet agere in calidum,vt quatuor,ergo ſi ſit multiplicatum,debet poſſe agere in calidum vt quatuor.

Reſpondeo. Agens multiplicatum plus poſſe materialiter, quia in ampliorem ſe ſphæram extendit,non poſſe plus formaliter, & intenſiuè; & ſanè quando non eſt multiplicatum, æquè poteſt agere intenſiuè, & quando eſt multiplicatum; niſi fortè ſupponamus in Agente non multiplicato, non eſſe applicationē ad agendum, ſeù non eſſe diſpoſitum; contingere enim poteſt, quòd duo Agētia æqualis virtutis, putà æquè calida, vnum agat,& aliud non agat, quia vnum ſe applicat, & aliud non ſe applicat ad agendum, & ità etiam poteſt vnum magis agere, & magis exire in actum ſecundum, quàm aliud eiuſdem virtutis cùm illo,quia nimirùm magis ſe applicat, vel magis ſe diſponit; vel denique maiorem inuenit in Subiecto diſpoſitionem; hinc eſt, quòd plures guttæ aquæ, quamuis ſint eiuſdem grauitatis, ac eſt vna gutta, excauent lapidem, non ſic vna tantùm gutta.

LECTIO VI.

An Agens naturale operari, & agere poſſit in diſtans.

Agens non operari in diſtans,ſeù debere Agens eſſe approximatum, ſiuè præſens paſſo, & ſubiecto, in quod debet agere,& operari, concedunt communiter omnes, qui proindè diſtinguūt, dupliciter Agens poſſe eſſe præſens paſſo,ſeù ſubiecto; nempè præſentia ſuppoſiti,& præſentia virtutis; Tunc Agens eſt præſens paſſo præſentia ſuppoſiti,quando inter entitatem Agentis,& entitatem paſſi nihil mediat; tunc verò eſt præſens præſentia virtutis,quando Agens inter,& paſ-

Digitized by Google

paſſum mediat ſpatium, per quod tamen Agens diffundit ſui virtutem, aut qualitatem aliquam, quam deindè paſſo,& ſubiecto tribuit,& communicat.

Vlterius cuicunque Agenti naturali Schola communis tribuit ſphæram finitæ,& limitatæ actiuitatis; nam deſignato circulo, ſeù ſphæra, concipiunt Philoſophi, Agens eſſe veluti in medio, & Centro, & quaquà verſus, ſeù circum circà diffundere, & extendere actionem ſuam vſque ad circumferentiam, ſeù peripheriam deſignatæ ſphæræ, ſeù circuli,& nō vltrà, quia limitata, & finita virtus, ſeù actiuitas Agentis vlterius non extenditur; hæc autem ſphæra maior eſt, & amplior, ſeù etiam minor,& magis limitata, prout maior, & amplior, ſeù etiam minor,& magis limitata eſt virtus, ſeù actiuitas agentis; non enim omnia Agentia habent eandem actiuitatis ſphæram.

Res ità ſe habet de facto, An de poſſibili eodem modo philoſophandum ſit, diuerſæ ſunt Scholaſticorum Opiniones,& Sententiæ. Et quidem quando dico de poſſibili, non intelligo de abſoluta Dei potentia,& ſupernaturaliter, quia nullus ambigit, ſupernaturaliter, & de abſoluta Dei potentia poſſe agens agere in diſtãs, ſicuti & Humanitas Chriſti Domini plura miracula operata eſt in locis maximè à ſe diſtantibus, & Ignis inferni torquet Dæmones in hoc aere exiſtentes.

De poſſibili igitur, ſiſtendo intrà ordinem, & ſtatum rerum naturalem, ſeù intrà vires, & facultatem naturalis potētiæ, quæritur; An poſſit Agens virtute naturali agere, & operari in ſubiectum à ſe longè diſtans,& remotum, abſque eo, quòd prius agat in medium, ſeù abſque eo, quòd prius communicet qualitatem transfundendam,& paſſo communicandam medio; quod agens inter & paſſum ſupponitur interiacere, Neque enim Agens debet eſſe, ne de facto quidem approximatum paſſo, ſeù ſubiecto, approximatione, ſeù præſentia ſuppoſiti; quod etiam certum eſt,& communiter admiſſum.

Primò ergo maior pars Nobilium Philoſophorum negat, poſſe agens naturale diffundere, ſeù communicare aliquã qualitatem ſubiecto à ſe diſtanti diſtantia ſuppoſiti, niſi prius vel illam eandem qualitatem, vel aliam communicet medio, poſito agens inter, & ſubiectum, ſeù paſſum.

Ità *Capreolus in 1. d. 37. ibidem Ric. art. 1. Ferrarien. 3. contrà gentes. Bannes 1. de Gen. cap. 6. q. 1. Venetus in ſumma de Gen. cap. 22.* Ex Recentioribus *Suarez diſput. 18 ſect. 8 num. 10. Areſius diſp. 5. q. 4. 1. Rubius 2. de Gen. cap. 6. cap. 1. q. 10. Morandus 1. de Gen. tract. 3. concluſ. 3. Spinula 1. de Gen. diſt. 4. ſect. 5. Hurtad. diſput. 9. Sect. 6. Ouied. Contr. 18. punct. 1.*

Secūdò *Subtilis Doctor in 1. d. 37. q. 1. §. Reſpondeo.* concedit, poſſe agens naturale agere, & operari in ſubiectum à ſe diſtans,& remotum abſque eo, quòd prius agat in medium interiacens; dummodo tamen paſſum, ſeù ſubiectum ſit intrà ſphæram actiuitatis, & virtutis Agentis naturalis. Ità *Scotus* vbi ſuprà. *Scotum* ſequuntur non modo eius diſcipuli; ſed etiam Schola Nominalium; *Gabriel, Baſſolius, & Maironius eadem diſt. 37. Guilielmus Ocham in 2. d. 18. & in 1. diſt. 37. Guilielmus de Rub. q. 2.* ex Antiquis ità ſunt philoſophati *Alex. apud Auer. 2. Cæli Com. 42. Auicenna 1. de Anima p. 4. cap. 4. Simplicius 1. Cæli 42.* Ex Thomiſtis videntur hanc Sententiam ſequi *Durandus, & Heruæus diſt. 47.* quos citat, & ſequitur *Amicus 2. de Gen. tract. 5. q. 4. dub. 4. art. 2.*

Ex Recentioribus, tenentur hanc Sententiam tueri omnes illi, qui volunt ſubſtantiam eſſe immediatè actiuam, & non agere mediantibus accidentibus, ſeù qualitatibus, ſi philoſophari velint, conſequenter, vt benè notat *Amicus vbi ſuprà art. 3. num. 20.*

Arriaga diſp. 7. ſect. 6. ſubſect. 2. concedit Agens agere in diſtans, quando medium eſt ſimile Agenti.

Concluſio. Agens naturale poteſt agere in paſſum, ſeù ſubiectum à ſe diſtans, poſitum tamen intrà ſphæram actiuitatis ſuæ.

Probatur Concluſio pluribus, & manifeſtis experientijs, quibus probatur de facto agens naturale agere, & operari in ſubiectum à ſe longè diſtãs, non agendo, & operando prius in medium; ergo à fortiori poteſt exercendo omnem ſui naturalem vim, & virtutem Agens operari in ſubiectum à ſe diſtans; & longè remotū non operando prius in mediū.

Prima experientia eſt, Torpedo ſtupefacit manum piſcatoris, & non rete. Secunda, Magnes trahit ferrum, & non medium. Tertia. Sol generat mineralia in viſceribus terræ, & in medium nihil producit,

ducit, aut generat. Quarta. Sol trahit vapores ex Terra, & non trahit medium. Quinta. obiecta cauſant ſenſationem in ſenſibus, quam tamen non cauſant in medio. Sexta. Imaginatiua alterat membrum diſtans, & non intermedium. Septima. oculus menſtratæ inficit ſpeculum, & nó aerem intermedium. Octaua. vetula faſcinat puerum, & non aerem. Nona. Lupi aſpectus raucedinem cauſat, Baſiliſci aſpectus mortem aſpicientibus infert. Decima, in Apulia naſcitur Stellionis genus, quod ad ſaltum certis anni temporibus mouet, quos ſemel momorderit. Vndecima. Ignis inflammat ſtuppam, & non inflammat aerem intermedium.

Huic Argumento deducto ex allatis experientijs non multum fido, quia facilè ſe expedient Aduerſarij, dicendo; hæc agētia per aliquas ſui qualitates ſenſibiles, vel occultas priùs agere, & operari in mediū, deindè in ſubiectum diſtans, & remotum.

Et quidem Torpedo in rete, & Magnes in medium occultas qualitates prius tranſmittunt. Sol in medium, ſeù aerem diffundit prius lumen, quàm calorem in viſceribus terræ producat. Et ſimiliter trahit vapores, tranſmittendo priùs lumen per aerem, ſeù medium. Obiecta cauſant ſenſationes tranſmittendo ſpecies ſēſibiles ad ſenſus. Similiter & Imaginatiua per ſpecies intentionales alterat membrū intermedium prius, quam alteret per ſpecies ſenſibiles membrum aliud à ſe diſtās. Oculus menſtruatæ, Vetula, Lupi, & Baſiliſci malignos, & mortiferos ſpiritus tranſmittunt; denique Stellio vicariam ſui qualitatem in membris eorum, quos momorderit, relinquit.

Sed neque experientia vltimo loco adducta conuincit intentum, quia facilè quis reſpondebit; aerem inflammari, ſed ob ſui tenuitatem non videri inflammatum: vel etiam, aerem non inflammari, non quia per illum non tranſeant exhalationes calidæ, quibus ſtuppa inflammatur, ſed quia caret ſiccitate neceſſariò requiſita ad concipiendam flammam, quæ tamen ſiccitas reperitur in ſtuppa.

Probatur igitur efficaciter primò quia. Sol actione reflexa magis calefacit partem inferiorem aeris, à ſe longè diſtantem, quam partem ſuperiorem, & ſibi magis propinquam, ergo etiam ſi nullum calorem produceret in parte, & regione ſuperiori aeris ſibi propinqua, poſſet calorem in parte inferiori à ſe longè diſtanti, producere; ſi enim poteſt maiorem calorem in parte remota producere, calore nō producto in propinqua, quare non poteſt calorem ſimpliciter in parte remota producere eo nōn producto in parte ſibi vicina, & propinqua? imò in media regione aeris nullum producit calorem, quem tamen producit in infima.

Probatur ſecundò quia: Paſſum, & ſubiectum ſupponitur eſſe iam intrà ſphæram actiuitatis agentis naturalis, & ex alia parte calor productus in parte remota ab agente non dependet à calore producto in parte propinqua, & Agenti vicina, ergo non eſt ratio, cur denegetur Agenti virtus operandi in partem remotam, caſu, quo aliquo impedimento detineatur, nè agat in partem paſſi ſibi vicinā, & propinquam.

Probatur tertiò quia: Ideò Agens naturale non poteſt agere in diſtans, quia eſt finitæ, & limitatæ virtutis, ſeù actiuitatis, ſed poſito paſſo intrà ſphæram actiuitatis, & virtutis eiuſdem agentis; iam agens naturale non excederet fines limitatæ ſuæ virtutis, & actiuitatis, quando ageret in partem remotam, & non in proximam, & ſibi vicinam, ergo.

Obijcies primò. Agens, & paſſum debent eſſe ſimul ex *Ariſt. 7. Phyſ.* & hic à *t. 43. vſque ad 46. & 4. Phyſ. t. 46.* Confirmatur ex *2. de Anima t. 74* vbi agens contra Empedoclem admittentem Vacuum, habet; ſi daretur vacuum inter duo corpora, non futuram actionem inter illa, ergo nō poteſt dari actio in diſtans.

Reſpondeo, Ariſtotelem loqui caſu, quo paſſum non ſit intrà ſphæram actiuitatis agentis naturalis; cæterum ſi poſito vacuo, adhùc paſſū ſupponatur eſſe intrà ſphærā actiuitatis Agētis naturalis, non eſt ratio, cur agens naturale nequeat in paſſum à ſe remotum, & diſtans operari etiam interpoſito vacuo; Vel etiam Ariſt. loqui de agente naturali virtutis ità finitæ, & limitatæ, vt non poſſit in partem à ſe remotiore agere, & operari producendo formā perfectiorem, niſi in partem ſibi vicina producat formam imperfectiorem; qua etiam ratione agens naturale non poteſt generare, niſi prius inducat alterationem, vt benè notat *Scotus* vbi ſupra. Neque enim Concluſio poſita eſt Vniuerſalis, ſed indefinita, quæ æquiualet particulari, ideòque ad verificationem eius ſufficit, ſi aliquod

quod

Digitized by Google

quòd Agens naturale poſſit extendere actionem ſuam ad ſubiectum à ſe longè diſtans,& remotum; ſi nimirum ſupponatur eſſe perfectum, & habere perfectiorem quandam actiuitatem,& virtutem.

Obijcies ſecundò:Si Agens poſſet agere in paſſum etiam interpoſito vacuo, ſequeretur poſſe agere in ſubiectum à ſe diſtans in quacunque diſtantia,iam enim medium non requireretur ad agendum; ergo in quocunque loco etiam maximè diſtanti, paſſum ponatur, poterit agẽs in illud agere,& operari.

Reſpondeo. non omne agens habere eandem vim,& virtutem operandi,& agẽdi; neque cuiuſcunque agentis eadem eſt actiuitatis ſphæra, ſicuti enim vnum agẽs naturale eſt alio perfectius in entitate, ità & in actiuitate; hinc agens calidum eſt magis actiuum, quàm frigidum;plura poteſt Angelus,quàm Homo.eſto igitur medium aliquando non requiratur ad agendum, indè non ſequitur,poſſe actionem agentis ſe extendere ad quancunque diſtantiam, ſed ſolum ad eam, ad quam poteſt attenta ſui limitata virtute, & actiuitate.

Obijcies tertiò.medium ſe habet,vt vinculum connectens agens cum paſſo,ergo ſi paſſum diſtet ab agente, debet prius actio recipi in medio,deinde in paſſo.

Reſpondeo. de facto, & regulariter ità contingere,& per medium connecti,& vniri agens cum paſſo,at hoc non obſtat, quò minus poſſit dari agens amplioris, & perfectioris virtutis,quod ſe extendat,in maiorem, & longiorem diſtantiam, abſque eo,quòd indigeat medio, tanquam vinculo connectente ipſum cùm paſſo.

LECTIO VII.

An detur Reactio.

SEnſus eſt, an agens agendo in paſſum, aliquid à paſſo patiatur, quatenus paſſum reagat in agens, verbi gratia, ſi agens calidum applicetur ſubiecto frigido, & agat in frigidum calefaciendo; iterum paſſum frigidum reagat in agens calidum frigefaciendo.

In qua actione,& Reactione plura interueniunt;Interuenit primò Agens principale,illud nimirum, quod eſt maioris virtutis.Secundò interuenit paſſum Principale, illud,ſcilicet, quod opponitur agenti principali. Tertiò agẽs minus principale,quod, nimirum,eſt minoris virtutis, cui opponitur paſſum minus principale. Et quia agẽs principale non ſemper agit in totum paſſum, ſed in vnam eius partem ſibi debitè approximatam agit,in aliam,vtpotè à ſe longè remotam,non agit,ideò pars,in quã agit,dicitur repaſſa; illa,in quam non agit, dicitur pars non repaſſa.

Porrò ad hoc vt agens repatiatur à paſſo, tres omninò conditiones requiruntur.

Prima eſt,vt agens,& paſſum communicent in ſubiecto,ſeù in materia prima affecta contrarijs qualitatibus,aliàs non ſequitur Reactio,hinc Sol agit in Terram, ſed à Terra non repatitur; Angelus mouet lapidem,ſed à lapide non repatitur, ideòque benè monuit Philoſophus 1. *de Gen. t.54. neceſſe eſt Agens,& Paſſum genere quidem ſimile eſſe, & idem, ſpecie autem diſſimile.*

Secũda Cõditio eſt,vt reactio fiat à proportione maioris inæqualitatis; quod tũc accidit,quando vis actiua maior eſt,quàm ſit reſiſtentia; ſi enim vis actiua eſſet maior,aut æqualis cùm reſiſtentia paſſi,non ſequeretur actio; nam commune eſt dictum,*actio ſequitur ex victoria Agentis ſuprà paſſum*.hinc ſi gutta aquæ decidat in fornacem Ignis,non dabitur Reactio,quia gutta aquæ ob ſui exiguitatem, & actiuitatem minorem non poteſt reagere in Ignem,ſed ab illo ſtatim abſumitur.

Tertia conditio eſt, vt agens, & paſſum habeant debitam approximationem, quæ enim longè adinuicem diſtant, non poſſunt inuicem agere,& reagere; & quidem ſi paſſum ſecundum vnam ſui partem ſit approximatum agenti,ſecundum alteram non;poteſt pati, & reagere ſecundum partem approximatam, & non ſecundum alteram.

Noto autem, quòd ſicuti in agente, vt agat,attenditur eius virtus actiua; ità in paſſo;vt patiatur,plus, minuſuè, attenditur eius reſiſtentia; quæ duplex eſt; formalis, & effectiua;formalis reſiſtentia eſt ipſamet adhereſcentia, ſeù tenacitas formæ in ſubiecto,qua fit, vt quàm difficillimè poſſit expelli;accipe exemplum in lumine, & calore;lumen paruam, vel nullam habet reſiſtentiam,ſtatim enim,& facilè à ſubiecto expellitur;non ſic calor, qui firmiùs inhæret ſubiecto, à quo propterea difficillimè expellitur.Reſiſtẽtia effectiua eſt actio,qua impeditur,nè cõtraria qualitas in ſubiectũ introducatur, ità calor præexiſtens in ſubiecto agit in agens frigidum, & impedit,

Digitized by Google

nè ſubingrediatur frigus.

Natura igitur, vt ſequeretur actio, & reactio inter qualitates contrarias, res ità diſpoſuit, vt non omnes eſſent æqualiter actiuæ, aut æqualiter reſiſtitiuæ; & quidem quòad actiuitatem hic ordo ſeruatur; Primò Calor eſt maximè actiuus, deindè frigus, tum humiditas, denique ſiccitas; Quòad reſiſtentiam verò, ſiccitas eſt maximè reſiſtitiua, deindè humiditas, tum frigus; Denique calor.

Concluſio. Datur Actio, & Reactio, & omne agens agendo repatitur.

Hæc Doctrina communis eſt in vtraque Schola Medicorum, ſcilicet, & Philoſophorum.

Ità ex Antiquis *Simplicius, Themiſtius, 3. lib. Phyſ. t. 8. & alij interpetres Ariſt. Galenus lib. 3. de cauſis Simptom. cap. 2. D. Thomas 1. de Gen Lect. 10* Ex Recentioribus *Suarez Diſp. 47. Met. Sect. 2. Amicus 2. de Gen Diſp. 2. q. 3. dub. 1. num. 4. Ruuius 1. de Gen. cap. 9. quæſt. 9. Auerſa, Toletus, & Conimb.*

Contrà *Nominales in 1. diſt. 17.* vbi omnem prorſus reactionem negant; citantur à *Ruuio 1. de Gen. cap. 9. q. 9.*

Contra *Riccardum Suiſeth, qui ob ingenij excellentiam dictus eſt Calculator, tract. 7. de Reactione. Gulielm. Henſiberum in vlt. Sophiſm Niphum 1. de Gen. Com. 195. d. 2. Nobilium 1. de Gen. cap 7. q. 11.* Hi negant reactionem ſecundum eandem qualitatem, volunt enim calorem agere in frigus, repati non à frigore, ſed ab humiditate.

Probatur Concluſio Primò Auctoritate *Ariſt. 1. de Gen. t. 53. & t. 87. 4. de Gen. Animalium cap.* 3. non longè à principio vbi habet. *omne agens patitur à patiente, vt quod ſecatur, hebetatur ab eo, quod ſecatur, quod calefacit, refrigeratur, denique quodcunque mouet excepto primo, mutuò mouetur aliquo motu; & interdum etiam ità fit, vt quod agit, magis patiatur, quàm agat, & refrigeretur, quod calefacit, et caleſcat, quod frigefacit.*

Probatur ſecundò Experientia, patet. n. ad ſenſũ, quòd ſi manus calida tangat frigidam, eam calefacit, & à frigore eius calor temperatur. Si pruna accenſa niuem tangat, nix ipſa liqueſcit, & pruna ex parte infrigidatur, ferrum candens immerſus in aquam, infrigidatur, & aqua incaleſcit.

Probatur tertio Ratione à priori, quia; ſi applicentur duo agentia habentia qualitates contrarias, habent vim, & virtutem agendi, & nil eſt, quod eorum actiones mutuas impediat, ergo inuicem agunt, & reagunt, cauſæ enim naturales debitè applicatæ, & non impeditæ ad agendum, non poſſunt non agere; ergo.

Probatur quartò à poſteriori quia; niſi admittantur actio, & reactio Elementorum adinuicem, non fieret mixtum; mixtum enim fit, & reſultat ex mutua actione, & reactione, ex pugna mutua Elementorum adinuicem, ergo omninò debet admitti actio, & reactio.

Obijcies primò. Actio, & Reactio non ſequitur, niſi adſit victoria Agentis ſuprà paſſum, ſed talis Victoria non eſt in paſſo principali, ergo Paſſum principale non poteſt reagere. Probatur minor quia paſſum principale eſt minus Agente principali quòad virtutem actiuam, & quòad reſiſtentiam, ergo non habet Victoriam ſuprà Agens, frigus enim ſicuti in actiuitate ſuperatur à calore, ità etiam in reſiſtentia, calor enim ſecundum totam actiuitatem, quam habet, reſiſtit contrariæ qualitati, & frigori, ergo ſi in actiuitate ſuperat frigus, ſuperat etiam quòad reſiſtentiam, quæ ab actiuitate oritur, & cum actiuitate commenſuratur.

Reſpondeo. Frigus ſuprà calorem habere victoriam quòad reſiſtentiam formalem, licèt enim Ignis effectiuè magis reſiſtat, quàm frigus, quia magis eſt actiuus, non tamen reſiſtit magis formaliter, quia firmiùs, & tenacius ſubiecto adhæret frigus, quàm calor.

Ex quo ſoluitur alia obiectio, qua dicitur: ſi daretur reactio, idem vinceret, & vinceretur; vinceret enim quatenus reageret, vinceretur quatenus pateretur ab agente principali, ergo idem vinceret, & vinceretur, Soluitur, inquam, hoc argumẽtum; quia idem vinceret ſecundum reſiſtentiam, & vinceretur ſecundum actiuitatem;

Dices; actio, ſicuti & reactio ſequitur ex victoria Agentis ſuprà paſſum quòad actiuitatem, at paſſum frigidum nunquã in actiuitate vincit calidum, ergo non poteſt in calidum vnquam reagere; eſto frigus calorẽ illud ſuperet, & vincat quòad reſiſtentiam.

Reſpondeo, quòd reſiſtentia maior, quæ eſt in frigore ſuprà calorem; retundit, & minuit actiuitatem caloris nõ quidem in actu primo, ſed in actu ſecundo, & indè fit, vt poſita maiori reſiſtentia poſſit frigus reagere in calorem, cuius vir-

Digitized by Google

virtus ſupponitur imminuta per reſiſtētiam frigoris.

Obijcies ſecundò: ſi daretur actio, & reactio, idem moueretur motibus contrarijs, & idem ſimùl calefieret, & frigefieret, at hoc eſt abſurdum, ergo. Sequela probatur quia. ſi agens calidum ageret in ſubiectum frigidum diſtans ab agente calido per vnum palmum loci, aer intermedius ab agente calido reciperet calorem tranſmittendum in ſubiectum frigidum, & ſimul reciperet frigus tranſmittēdum in agens calidum; neque enim agēs calidum poteſt agere in ſubiectum frigidum, non tranſmittendo calorem per aerem intermedium, aliàs daretur actio in diſtans.

Reſpondeo, non eſſe abſurdum, idem moueri motibus contrarijs, quando contrarietas non ſit in ſummo, ſed in remiſſo gradu, ſicuti non eſt abſurdum, qualitates contrarias eſſe ſimul in gradu remiſſo, vt patet in aqua tepida, quæ ſimul eſt calida, & frigida.

Obijcies tertiò: ſi daretur reactio, eadem qualitas ſimul intenderetur, & remitteretur, quod eſt omninò impoſſibile, ergo.

Probatur Sequela, quia ſit agens calidum quadripalmare, & agat in paſſum frigidum, certè non repatitur ſecundum omnes quatuor palmos, ſed ſecundum quartum tantum, qui propterea ſolus eſt pars repaſſa; quo dato, calor in tali parte remittitur, & minuitur per reactionem paſſi frigidi, & intenditur per actionem Agentis calidi, quod non ageret in paſſum frigidum, niſi tranſmittendo calorē per quartum ſui palmum, quæ eſt pars repaſſa, in qua iam intenderetur calor, ergo iam in tali parte ſimùl intenderetur, & remitteretur calor.

Reſpondeo in tali caſu: Agens calidum non tranſmittere calorem per partem repaſſam, ſeù per quartum ſui palmum, quia occupatum cùm hoſte externo, & in expulſione frigoris, non curat diſpendium, & diminutionem caloris in parte repaſſa, quia non poteſt ſimùl ad duo attendere; nec indè ſequitur dari actionem in diſtans, quia licèt Agens non tranſmitteret calorem per partem repaſſam, & quartum ſui palmum, adhuc tamen non eſſet diſtans à paſſo, quia eſſet illi approximatum per aliquam ſui partem, nempè per partem illam repaſſam. Addo non eſſe abſurdum, Agens agere in ſubiectum diſtans, ſi tamen ſit intrà ſphæram actiuitatis.

LECTIO VIII.

An Qualitates Contrariæ poſſint eſſe ſimùl.

COmmunis Sententia docet duo. Primum eſt naturaliter, & de facto qualitates contrarias nō poſſe eſſe ſimul in gradu intenſo; ſed poſſe eſſe ſimul, & in eodem ſubiecto in gradu remiſſo. Secundum, quod docet, communis Sententia, eſt. Supernaturaliter, & de abſoluta Dei potentia poſſe eſſe ſimul duas contrarias qualitates etiam in ſummo gradu, calorem, vt octo, & frigus, vt octo.

Hac communi doctrina poſita. Moueo duas difficultates; Prima eſt, vndè oriatur contrarietas harum qualitatum, an ex entitate, & natura earum, an verò ex limitata ſubiecti, in quo eſſe ſupponuntur, capacitate. Secunda eſt; quid addat Deus, aut quid auferat ab his qualitatibus contrarijs, quando eas ſimul ponit in ſubiecto, in quo ſimul eſſe nequeūt naturaliter; & ſanè, (vt mox patebit,) ſolutio huius ſecundæ Difficultatis dependet ex ſolutione primæ.

Arriaga igitur diſp. 5. Met. Sect. 2. ſub ſect. 1. Aueiſa tom. 1. q. 39. Sect. 3. ponunt contrarietatem qualitatum, & conſequēter earum naturalem incompoſſibilitatem oriri non ex earundem entitate, aut natura, ſed ex ſubiecti limitata capacitate, quæ octo tantum gradus qualitatis poteſt in ſe admittere, non plures;

Sed contrà eſt quia. Subiectum poteſt in ſe admittere octo gradus caloris, & ſimul octo gradus ſiccitatis, imò etiam octo gradus lucis, & octo gradus albedinis, ergo ſubiecti limitata capacitas non obſtat, quò minus in ſe admittat ſimul octo gradus caloris, & octo gradus frigoris.

Reſpondebis. Subiecti capacitatem eſſe limitatam relatiuè ad qualitates contrarias, nō relatiuè ad qualitates nō contrarias, & diſparatas, vti ſunt calor, & lux, ſiccitas, albedo, & aliæ huiuſmodi.

Sed contrà eſt quia. iam non limitata capacitas ſubiecti, ſed contrarietas qualitatum, obſtat, quominus in eodem ſubiecto ſint calor, & frigus, vt octo; nam in illo ſubiecto benè poſſunt eſſe calor, ſic-

Digitized by Google

ſiccitas,lux,albedo,& omnes vt octo,omnes in gradu intenſo,quia in ijs non adeſt vlla contrarietas.

Reſpondebis adhùc;illam incompoſſibilitatem oriri ſimul ex contrarietate Qualitatum, & ex limitata ſubiecti capacitate.

Optimè, ſed iam præciſa limitata capacitate ſubiecti, aliqua eſt contrarietas in ipſis Qualitatibus.

Reſpondebis cum *Barth. Amico 2. de Gen.tract.5.q.4.dub.11. num. 4.* vbi varijs adductis, & refutatis reſponſionibus docet, In qualitatibus ipſis eſſe repugnantiam,& contrarietatem in actu primo, & radicaliter; non in actu ſecundo, & formaliter;repugnantia enim, & contrarietas in actu ſecundo, & formaliter eſt ab intenſione graduali octo graduum;

Sed contrà quia: gradus iſti ſunt homogenei inter ſe, & cum qualitatis entitate; ergo ſi hi gradus habent repugnãtiã formalẽ,& in actu ſecũdo; eadẽ repugnãtia, & contrarietas debet poni in entitate Qualitatis, in qua proindè non ſufficit ponere ſolam repugnantiam, & contrarietatem radicalem,& in actu primo.

Replicabis cùm eodem *Amico.num.5.* in graduali latitudine eſſe repugnantiam, quia formæ Elementorum,& mixtorum, ad quas ordinantur contrariæ qualitates à natura,nõ exigũt illas in ſũmo gradu, nam formæ Elementorum, vnam qualitatem exigunt in ſummo gradu, alteram in remiſſo.formæ verò mixtorum exigunt habere qualitates refractas,& remiſſas.

Sed contrà eſt quia. iam ergo radicalis repugnantia,& contrarietas in actu primo harum qualitatum non eſt ab entitate qualitatum, ſed ab entitate formarum ſubſtantialium Elementorum, & mixtorum contrà id, quod *Amicus* docuerat n. 4. Imò tota contrarietas Qualitatum refundenda eſſet in ſubiecti incapacitatem, vt ponunt *Arriaga,& Auerſa* vbi ſuprà.

His difficultatibus preſſi, & conuicti *Paludanus in 3.d.15.q.2.Sotus in 4.d.10.q.1.art.5.Aſtudillo 2.de Gen.q.25.* poſuerũt, Qualitates non eſſe contrarias neque in gradibus intenſis,vt octo;

Sed contrà eſt quia.Communis Sententia eſt in oppoſitum.

Deindè, quando qualitates contrariæ ſunt in gradu remiſſo, pugnant adinuicem, & actu exercentes natiuam contrarietatem,nituntur ſe ſe ab eodem ſubiecto expellere, & deſtruere, ergo à fortiori, ſi eſſent in gradu ſummo, & intenſo ſe ſe ab eodem ſubiecto expellerent,& deſtruerent, eſſent ergo contrariæ,nam contraria ſunt, quæ ſe ab eodem ſubiecto extrudunt ex *Ariſt.*vbi ſuprà,& ex communi omnium conceptu,& ſenſu.

Preſſi,& conuicti ijſdem difficultatibus *Arim.in 1.diſt.17. quæſt. 3.art.2. Soncin.5. Met.q.2. Durand in Prol.q.1.d.30.q.1.art.5.Adam in 1.Prol. cap.2.* poſuerunt qualitates eſſe oppoſitas, & contrarias ex propria earum ratione formali, neque vnquã poſſe eſſe ſimùl ſiuè in gradu intenſo, ſiuè in gradu remiſſo; & ſi quando in vno ſubiecto duæ qualitates contrariæ reperiuntur, oritur ex illis tertia qualitas ab illis diuerſa;ſicuti enim ex albo,& nigro oritur rubor, ità ex qualitatibus contrarijs oritur tertia qualitas diuerſa ab ijs, & de facto tepiditas in aqua eſt qualitas quædam tertia,orta ex calore,& frigore.

Sed contrà eſt quia; licèt id, quod primò ponunt hi Auctores omninò approbem,& defendam, nempè qualitates eſſe contrarias ex propria earum formali entitate; non poſſum approbare ſecundum, quod addunt, nempè oriri tertiam qualitatem ex duabus contrarijs; quia poteſt optimè res componi abſque poſitione tertiæ huius qualitatis, vt mox oſtendam, ergo cùm entitates multiplicari non debeant abſque vrgenti neceſſitate, non eſt ponenda tertia iſta qualitas.

His etiam motus *Ioannes Baſſolius lib.1.contrà Ariſt.& lib.de Actione Met.2.* negauit, Qualitates eſſe inuicem contrarias,quia aliàs malè Natura res naturales compoſuiſſet ex qualitatibus contrarijs, & inter ſe inimicitias gerentibus, ſicuti malè eſſet compoſita Reſpublica ex partibus hoſtilibus inter ſe,nam ex pugna, & inimicitia rerum oritur earundem deſtructio,& interitus.

Sed contrà eſt, in primis Communis ſenſus, & Auctoritas Scholaſticorũ. Deindè ipſamet oculata experientia oſtendit oppoſitum; nam videmus calorem, & frigus mutuò ſe ab eodem ſubiecto expellere,ſi enim manus frigida applicetur calori; patet manum calefieri, & frigus expelli.

Neque dicas manum calefieri;non quia in eam introducatur calor de nouo, ſed quia partes eius calidæ foràs extrahuntur.

Contrà enim eſt quia.Senſus tactus au-

ctior

Digitized by Google

ctior eſt, & maior in partibus internis organi, quàm externis, calor autem ſentitur in partibus internis, non ergo calefit manus, quia forâs partes calidæ extrahantur.

Denique Qualitates eſſe contrarias, non ſolum non officit rerum naturalium conſeruationi, ſed etiam ad earũdem ſalutem, & incolumnitatem valdè confert, & iuuat; ex pugna enim, & rixa contrariarum qualitatum oritur rerum naturalium pulchritudo, & viciſſitudo; generãtur enim ex his mixta omnia, tàm animata, quàm inanimata; & dùm alia intereunt, alia de nouo fiunt, & renaſcuntur.

Dices. ſi daretur contrarietas qualitatum, maximè quia illa colligtur ex corruptione, v.g. aqua eſt contraria igni, quia illum extinguit; ſed ex tali corruptione non benè arguitur contrarietas, nam ignis etiam extinguitur vento ſicco, & calido, candela extinguitur fumo calido, & ſicco, ignis maior extinguit minorem, & tamen hæc inuicem non ſunt contraria. ergo.

Præterea non ſemper aqua extinguit ignem, nam calor trahit ſecum, & attollit vapores, quos iterum ſoluit in aquam, non ergo calor ab aqua extinguitur, ergo nec ignis, qui non corrumpitur, niſi prius deſtructo calore. Quando verò aqua extinguit ignem, id fit per accidens; quia aqua obſtruit poros, & meatus ignis, qui cum non poſſit tranſpirare, emoritur, & perit.

Reſpondeo. Ignem à vento calido per accidẽs extingui, quatenus impedit, nè pabulo nutriatur, quo eodẽ modo minor Ignis extinguitur ab igne majori; ab Aqua verò extinguitur Ignis non ſolum per obſtructionem meatuum, ſed etiam per introductionem Qualitatis contrariæ. Cęterum quando Vapor trahitur ſurſum à calore, ideò redit deorſum, & deſcendit, quia eſt ſubſtantialiter aqua, & ideò non poteſt permanere ſimul cum calore.

Dico igitur. Qualitates eſſe contrarias, contrarietate orta ex propria earum entitate, & natura.

Probatur quia. Contraria in omnium Opinione, & ſenſu, illa ſunt, quæ poſita in eodem ſubiecto per mutuã actionẽ, & reactionem ſe excludunt ab illo, nec vnquãſeſt inter illa, quæ contraria ſunt, pax vlla, aut quies, ſed ſemper rixa, & pugnã cõtinuata, & nunquam intermiſſa, ſed qualitates, quæ communiter dicuntur contrariæ, etiã ſi ſint in gradu valdè remiſſo, calor, vt vnum, frigus, vt vnum, ſi in eodem ſubiecto ponantur, ſemper inuicem pugnant, agunt, & reagunt, vt ſe excludant ab illo ſubiecto, & ſe deſtruant, ergo contrarietas omnis earum oritur ex propria earum natura, entitate, & naturali conditione.

Confirmatur quia in communi Sententia; ex mutua Elementorum pugna oritur mixtum, ſed non vtraque qualitas elementaris eſt in ſummo, ſed vna in ſummo gradu, altera in remiſſo, ergo pugnant, & contrariæ ſunt qualitates etiam quando ſunt in gradu remiſſo.

Confirmatur ſecundò, ſenſata, & ſatis nota experientia; patet enim manum etiam frigidam, vt vnum, calefieri ab igne, expellitur ergo frigus vt vnum à calore, vt octo, imò & à calore vt vnum, nam aer calidus vt vnum, adhùc calefaceret manũ frigidam, vt vnum; oritur ergo caloris, & frigoris contrarietas ex propria ipſorum natura, & entitate, nam vt benè notat *Philoſophus 1. de Gen. t. 54. non ſe extrudunt, quæ non contraria, neque ex contrarijs ſunt*.

Hinc oritur Reſolutio ſecundæ Difficultatis; quid, ſcilicet, addat Deus, aut quid auferat ab his formis, & qualitatibus, quando eas ponit ſimul in eodem ſubiecto.

Nam in primis in Sententia Baſſo. Hæc difficultas locum non habet, quia negata qualitatum contrarietate, non eſt ad miracula recurrendum pro earum exiſtentia in eodem ſubiecto.

Qui incompoſſibilitatem harum qualitatum refundunt in limitatam capacitatem ſubiecti, cõſequenter dicunt, Deum ponere duas qualitates contrarias in eodẽ ſubiecto, extendendo, & ampliando capacitatem eiuſdem ſubiecti, ſicuti ſupra dixi, Deum ponere duas formas ſubſtantiales totales extendendo, & ampliando capacitatem materiæ, & ſubiecti.

Ego, qui incompoſſibilitatem formarum, ſeu qualitatum refũdo in propriam, & naturalem earum contrarietatem, & oppoſitionem

Dico. Deum impedire earundem qualitatum mutuam actionem, & reactionem, qua impedita conſiſtunt illæ duæ qualitates adinuicem, & non ſe deſtruunt;

Quod facilè præſtat Deus ſuſpendendo ſuum concurſum generalem, quo cùm omni cauſa naturali concurrit ad productionem cuiuſlibet effectus, & ad quãcunque naturalem, & creatam actionem.

Dices. Si qualitates eſſent contrariæ, con-

Digitized by Google

contrarietate orta ex propria ipſarum entitate, & natura, non poſſent eſſe ſimul naturaliter in gradu remiſſo, at hoc eſt contrà experientiam, ergo.

Reſpondeo. Qualitates contrarias in gradu remiſſo eſſe ſimul in eodem ſubiecto, ſed ſemper cum rixa, & pugna; non pacificè, & quietè, agunt enim, & reagunt adinuicem, & nituntur quantum poſſunt ſe excludere ab eodem ſubiecto, quinimò & ſe deſtruere, & verè vtriuſque deſtructio ſequeretur, niſi omnium parens Natura res ità prouidè diſpoſuiſſet, vt nequeat vna qualitas ſuparari, & vinci ab altera.

Dices ſecundò. Frigus habet naturaliter excludere calorem, ſed naturalis illa excluſio ſupernaturaliter non poteſt impediri, ergo. Minor probatur, quia lux habet naturaliter excludere tenebras, quæ naturalis excluſio à Deo ſupernaturaliter nec impediri, nec ſuſpendi poteſt, ergo.

Reſpondeo. excluſionem tenebrarum eſſe non ſolum naturalem, ſed etiam eſſentialem effectum lucis, ideò non poſſe poni lucem, & non poni excluſionem illam, & negationem tenebrarum; at excluſio caloris, non eſt eſſentialis frigori, ideò poteſt poni frigus in ſubiecto non poſito calore; quòd verò excluſio tenebrarum ſit eſſentialis luci, non ſic excluſio caloris reſpectu frigoris ex eo conuincitur, quia non poteſt intelligi lux abſque excluſione tenebrarum, exercere ſuum effectum formalem primarium; neque enim lux poteſt illuminare, niſi intelligantur excluſæ omninò, & remotæ tenebræ; at benè poteſt frigus exercere ſuum effectum primarium, & infrigidare ſubiectum, etiam ſi in eo ſit aliquis gradus caloris; manus enim frigida ſemper retinet aliquid caloris naturalis, ſicuti & aqua, quando fit calida, retinet aliquid frigoris naturalis.



Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

DE ANIMA IN COMMVNI.

D*Iſputatio hæc aliarum Diſputationum eſt Anima; quia ratione Obiecti, quod ſpeculatur, & tractat, omnium eſt præſtantiſſima, & celeberrima. Plato in* Alcib. 1. *Delphicam illam inſcriptionem,* Noſce te ipſum, *Animæ cognitione, & notitia compleri, declarat exemplo Oculi,* ſicut enim Oculus, cùm ſeipſum viſurus eſt, in oculum reſpicere debet, atque in eum oculi locum, in quo virtus eſt oculi, is autem viſus, atque pupillæ acies eſt; eodem pacto, & Anima, ò Amice Alcibiades, ſi ſeipſam noſcere vult, in Animam intueatur, in eumque præcipuè locum Animæ, in quo ineſt virtus Animæ, Sapientia. *Definitur Anima ab* Ariſt. lib. 2. de Anima t. 6. *quòd ſit* actus Corporis phyſici organici potentia vitam habentis; *ideſt, forma ſubſtantialis dans formaliter Vitam corpori phyſico, ſeù naturali, quo vtitur tanquam Inſtrumento, & organo ad exercendas functiones, ſeù operationes vitæ, ad quam habendam Corpus ipſum naturalem vim habet, & potentiam. Hinc pro eodem ſumitur Anima, & Vita. Clariùs* t. 18. & t. 24. *definitur*, Principium, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; *quibus verbis tres Animarum ſpecies, complectitur; nimirum Vegetatiuam, qua primò viuimus; Senſitiuam, qua ſentimus, & mouemur; Intellectiuam denique, qua cognoſcimus, & intelligimus.*

Productio Animæ definitur, *Origo viuentis à viuente à* prin-

principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ, quia nimirum Anima non producitur, niſi ab Agente viuente, & animato; quod benè dicitur principium coniunctum, quia Viuens aliquam ſui partem ſibi arctè coniunctam, imò & identificatam, debet abſcindere, vt eam tribuat Viuenti, quod generat, & producit, & quidem in ſimilitudinem naturæ, quia Viuens non producitur ſimile alteri viuenti in qualitate, nec in forma ſubſtantiali quacunq; ſed in forma ſubſtantiali, quæ ſit Vita, Vita autẽ antonomaſticè dicitur Natura, quia ipſa perfectius, quàm reliquæ formæ ſubſtantiales, participat Definitionem naturæ, ipſa Anima magis propriè eſt principium motus in ſe, ideoq; benè aduertit Philoſophus 1. de Anima t. 19. Animatum ab inanimato duobus maximè differre videtur, motu, & ſenſu.

LECTIO I.

Quid ſit Vita, vt ſic, & in Communi,

NOn eſt Quæſtio de Vita, ſed de ipſo viuere ſubſtantiali, id enim per Animam, quam diximus iam eſſe actum, ſeù formam ſubſtantialem, quæ dat formaliter vitam, ſeù ipſum viuere corpori, quod informat, & quo vtitur, tanquam Inſtrumento, & organo ad exercendas operationes vitales, non minus, ac Artes vtuntur ſuis Inſtrumentis, exemplum eſt *Ariſt. 1. de Anima t. 53.*

Eſt ergo Quæſtio de Vita, ſeù ipſo viuere accidentali, ſeù de ipſa operatione vitali in communi; Et Quæſtionis ſenſus eſt; quid, & quæ ſit vitalis operatio; & per quid operatio vitalis differat ab operatione non vitali.

Et ſanè communis conceptus, quem omnes habent de vitali operatione, eſt, quod ea viuant, & vitaliter operentur, quæ ſeipſis, & non ab alio mouentur; hinc Argentum viuum vulgò dicimus, quòd ſeipſo, & non ab extrinſeco mouetur; & Animalia tandiù dicimus viuere, quandiù ſe mouent, cùm verò non à ſe, ſed ab alio mouentur, mortua dicimus: & quia ſeipſo moueri, eſt elicere, & recipere motum in ſe, atque adeò immanenter operari, ideò communiter operationem immanentem, vitalem quoque appellamus.

Primò tamen contra hunc communem conceptum eſt quia: Elementa ſeipſis mouentur, & non ab extrinſeco, & tamen non dicuntur viuere, nec eſſe animata; imò vulgò dicimus Aquã vitam, & Aquas viuas, quas tamen conſtat verè non eſſe animatas, & viuentes.

Secundò contrà eſt quia. Ex dictis *diſp. 5. Phyſ. Lect. 5.* Verum eſt in ſenſu explicato Ariſtotelicum axioma illud; *omne quod mouetur, ab alio mouetur*, ergo iam nullũ datur ens, ſeù corpus naturale, quod ſeipſo moueatur & non ab alio, quod ſeipsũ moueat, & immanenter operetur.

Tertiò contrà eſt quia oſtreæ, Conchilia, & alia huius generis zoophita marina inter viuentia numerantur, & tamen non videntur ſe ſe mouere; non ergo ratio vitæ conſiſtit in motu immanenter elicito.

Quartò contrà eſt quia. Omne Corpus naturale conſtat ex duabus naturis, materia, & forma ſubſtantiali, & vtraque eſt Principium motus intrinſecum, illa quidẽ paſſiuũ, hæc actiuum, ergo habere intrinſecum principium motus, non eſt propriũ viuentium, & animatorum; vel ſi motus, inditium eſt vitæ, iam omnia creata viuerent, nàm vt habet Ariſt. 8. *Phyſ. t. 1. motus eſt, vt vita quædam natura exiſtentibus omnibus.*

Quintò contrà eſt quia, in Deo eſt vita, & quidem perfectiſſima, & tamen non ſe ſe mouet nec localiter, nec alio motu; er-

Digitized by Google

go viuere non eſt ſe ſe moueri localiter, aut alio motu.

Sextò contrà eſt quia. partes Animalium abſciſſæ non viuunt, quia carent anima, & vita, & tamen ſe ſe mouent, ergo ſe ſe mouere, non eſt viuere.

Septimò contrà eſt quia. omnis eſſentia immanenter operatur, quia ab eſſentia quacunque emanant proprietates, & paſſiones, & tamen non omnis eſſentia eſt vita, ergo viuere non eſt immanenter operari.

His difficultatibus moti, *Arriaga Diſp. 2. de Anima per varias ſect. Franciſcus Le Reès Diſp 1 de Anima art. vlt. Stephanus Spinula diſp. 1. de Anima art. 1. & ſequentibus.* Ponunt eas eſſe actiones vitales, per quas acquiritur aliquid indebitũ viuenti, quæ doctrina ſatis clara eſt apud *D. Thomam 1 p. q 18 art 1. in reſponſione ad ſecũdum* verba ſunt. *Corporibus grauibus, & leuibus competit moueri ſecundum quod ſunt extrà diſpoſitionem ſuę naturæ vtpotè cùm ſunt extrà proprium locum, cùm enim ſunt in loco proprio, & naturali quieſcunt; ſed plantæ, & aliæ res mouentur motu vitali ſecundum hoc, quòd ſunt in ſua diſpoſitione naturali.*

Quare, vt videtis explicant hi Auctores vitalitatem actuum penes terminum, qui acquiritur ui actionis immanentis, nam quando terminus acquiſitus vi actionis immanentis eſt debitus viuenti, tunc illa

*non actio immanens eſt vitalis. at ſi talis terminus non ſit debitus, tunc illa actio eſt vitalis.

Sed contrà hunc modum explicandi Vitalitatem actus, eſt quia. Nutritio, Augmentatio, & Generatio ſunt veri actus vitales in omnium Sententia, quia ſunt proprij, & naturales actus animæ vegetatiuæ, ſed per tales actus non acquiritur aliquid, quod ſit indebitum Viuenti, imò potiùs aliquid acquiritur omninò, & ità connaturaliter debitum viuenti, vt ſine eo diceretur eſſe in ſtatu violento, ergo. Probatur minor. quia per nutritionem acquiritur noua pars materiæ, & ſubſtantiæ, quæ eſt omninò debita viuenti, aliàs enim viuens eſſet in statu violento, & in præuia diſpoſitione ad corruptionem; per Augmentationem acquiritur noua pars quantitatis, ſinè qua viuens non haberet determinatũ terminum ſuæ magnitudinis; denique per generationem habetur conſeruatio ſpeciei, quæ naturaliter appetitur, & exigitur à quolibet viuente, ergo.

Reſpondebis. Per actus vitales acquiri aliquid indebitum viuenti, ſeù non debitum in ipſo primo inſtanti generationis, ideò enim actus aſſignati nutritionis, augmentationis, & generationis ſunt vitales, quia per eos acquiritur viuenti aliquid, quod licèt ſit ſimpliciter debitum, non tamen eſt debitum in primo inſtanti generationis viuentis, neque enim Viuens in primo inſtãti generationis ſuæ debet nutriri, augmentari, aut generare aliquid ſibi ſimile in ſpecie.

Sed contrà primò eſt quia. non video, quid conferat ad vitalitatem actus aliquid eſſe indebitum in primo inſtanti; vel in alijs inſtantibus, dummodo enim aliquid ſit indebitum viuenti, parum refert, aut ſaltem ad vitalitatem nequicquam conducit, quòd ſit indebitum in primo inſtanti.

Contrà ſecundò quia: Deus, & Angeli verè viuunt, & quidem vita perfectiſſima; & tamen illis debita eſt cognitio in primo inſtanti, ſeù ſtatim, ac ſunt, ità vt ſi nõ cognoſcerẽt, eſsẽt in ſtatu violento; & quidẽ quòd Deus eſſet in ſtatu violẽto, ſi ſtatim, ac eſt, non cognoſceret, certum eſt, quia eius vita eſt formaliſſimè cognitio & intellectio; de Angelo verò, eſto de facto illi nõ ſit debita cognitio in primo inſtãti creationis ſuæ, ſi tamẽ illi eſſet debita, non deſineret eſſe viuens, imò perfectius viueret, ſicuti perfectiſſimè viuit Deus, cui eſt debita cognitio ſtatim, ac eſt.

Replicabis; Deum & Angelos non viuere vita phyſica, ſed vita intentionali, ideſt, vita, quę habetur per cognitionem, ſeù quę conſiſtit in cognitione.

Benè, ſed vita intentionalis habetur formaliter, non obſtante eo, quòd cognitio ſit debita in primo inſtanti viuenti intellectuali, ergo ſaluatur vita phyſica formaliter, etiam ſi viuenti phyſico ſit debitus terminus acquiſitus per motum vitalem, & phyſicum, videtur enim eſſe ęquitas rationis in vtraque Vita.

Alij ergo, vitalitatem actus conati ſunt explicare non ex parte termini acquiſiti per actum, ſed ex parte principij, à quo elicitur talis actus.

Primò ergo Nonnulli cit. ſuppreſſo nomine ab *Arriaga vbi ſuprà*; explicant vitalitatem actus ex parte principij, quatenùs volunt nutritionem v. g. eſſe actum vitalem, quia potentia nutritiua, quà nutritiua, poſitis omnibus requiſitis ad immanenter operandum, non poteſt non operari.

 Sed

Sed cõtrà eſt quia;omnis forma, quamuis non ſit vitalis vllo modo, poſitis omnibus requiſitis ad operandum non poteſt non operari, ergo vitalitas actus non benè explicatur ex parte Principij eo modo.

Secundò Alij,vt *Ouiedus hic Contr. 2.p. 2.§.vlt num.27.* explicant vitalitatem actus ex parte principij ſic; illa operatio eſt vitalis, quæ eſt immanens ex ſuo conceptu eſſentiali, & præter ſui principium paſſiuum, & actiuum ſupponit aliquid aliud in eo,reſpectu cuius immanens dicitur.

Sed contrà eſt quia nulla eſt actio, quæ præter ſui principia actiua, & paſſiua non ſupponat aliquid aliud. omnis enim actio ſiuè immanens ſit, ſiuè tranſiens,ſiuè vitalis ſit,ſiuè non vitalis, ſupponit conditiones requiſitas ad agendum præter virtutem actiuam, & paſſiuam Agentis, ergo non benè explicatur vitalitas actionis vitalis eo modo,quo aſſerit *Ouiedus*.

Quarè puto,ſufficere ad actionem vitalem formaliter, eam eſſe eſſentialiter immanentem, itàut neque de abſoluta Dei potentia,poſſit fieri actio,ſeù actus vitalis, qui non maneat in eo principio, à quo fit.

Et quidem actionem vitalem eſſe eſſentialiter immanentem, aſſeritur ab *Ouiedo vbi ſuprà*: non poſſe, neque de abſoluta Dei potentia actum vitalem non manere in eo principio,à quo fit; clarè defenditur ab *Auerſa tom.2. Philoſ. diſp.* 48. *Sect.*1.4 *Ruuio lib.3.de Anima cap.*4.*&* 5. vbi citatur *D. Thomas* 1.*p.q.*34.*art.*1. vbi habet S. Doctor, *Ipſe autem conceptus cordis,de ratione ſua habet,quòd ab alio procedat,ſcilicet à notitia concipientis*, & clariùs 2.2.*q.* 23. *art.* 1.ubi docet, *actum Caritatis non poſſe eſſe à ſolo* Spiritu Sancto, mouente voluntatem, ità vt voluntas paſſiuè ſe habeat.

Concluſio,actus vitalis in eſſe vitali, vt ſic, & in communi, habetur formaliter ex eo, quòd ſit actus eſſentialiter immanens modo explicato.

Probatur. ſic explicata vitalitate actus contradiſtinguitur formaliter, & adæquatè actus vitalis à non vitali,ergo & eodem modo formaliter conſtituitur,cùm idem formaliter ſit principium diſtinctiuum, & conſtitutiuum; Antecedens probatur, nullus eſt aſſignabilis actus,qui ſit vitalis, & non ſit immanens, aut quòd ſit immanens, & non ſit vitalis, ergo ex eo, quòd actus ſit eſſentialiter immanẽs,cõſtituitur formaliter in eſſe vitali, & contradiſtinguitur formaliter ab omni alio actu non vitali.

Quòd autem nullus ſit actus vitalis, qui non ſit immanens, aut immanens, qui non ſit vitalis;patet ex ſolutione eorum, quæ in contrarium adducta ſunt initio præſentis Lectionis,nam quod dicebatur, Elementa ſeipſis moueri, atque adeò immanenter operari; imò & omnem formam,& naturam,eſſe intrinſecum, & immanẽs principium motus, & denique omnem eſſentiam eſſe principium immanens operationum, & proprietatum à ſe emanantium,facile ſoluitur,dicendo; tales actus eſſe quidem immanentes, ſed non eſſentialiter; hinc Elementa *poſſunt etiam* ab extrinſeco moueri, etiam quando ſunt in ſuo loco naturali, ſicuti de facto ab extrinſeco mouentur, & quando ſunt in loco naturali,& quando ſunt extrà illum; Aqua dicitur vita, & Aquæ dicuntur viuæ per quandam ſimilitudinem, & proportionem,quam habent,cũ vera vita, quæ ſimilitudo,& proportio conſiſtit, uel in efficacia quadã, quæ eſt in aqua uita, uel in motu,ideòq; quando aqua non mouetur, ſed ſtagnat in lacubus,mortua dicitur.

Similiter & motum ità fieri immanenter à Natura, vt poſſit etiam fieri ab extrinſeco; Denique proprietates ab eſſentia de facto *Thomiſtæ* volunt, à generante fieri, non emanare immanenter ab eſſentia.

Ad illud,quod dicebatur, partes abſciſſas à viuente non viuere, quamuis ſe ſe moueant, planum eſt, eas non à ſe immanenter operari,& moueri, ſed à ſpiritibus vitalibus in ijs ad modicum tempus relictis;Oſtreæ,Conchilia,Zoophita marina, quia non ità ſenſibiliter mouentur,dicuntur animalia ancipitis naturæ, vndè & dicuntur Plantanimalia,

Et denique ità verum eſt, omne quod mouetur,ab alio moueri,vt id non officiat principio vitali, dum enim nego, Viuens ab alio moueri, non loquor de primo motore,cui ſicuti viuens eſt ſubordinatum eſſentialiter, ità dependenter ab eo mouetur,& operatur,etiam ſi immanenter operetur.

Quòd denique actus vitalis ſit eſſentialiter immanens,& non poſſit fieri nec de abſolutà Dei potentia abſque principio vitali.

Probatur primò quia. Si actus vitalis, putà intellectio, aut amor fieret à ſolo

Deo

Digitized by Google

Deo, & poneretur in lapide, iam lapis intelligeret, aut amaret, at hoc implicare, cõcedunt communiter omnes; ergo; & ex alia parte, non poteſt dici, quòd intellectio ſit in lapide abſque eo, quòd lapis intelligat, & mortuo modo, quia non poteſt eſſe, aut intelligi cauſa formalis ſine ſuo effectu formali, à quo illa non diſtinguitur, ergo.

Dices. Potentia vitalis ad actum vitalem concurrit effectiuè, ſed quidquid facit cauſa effectiua creata poteſt à ſolo Deo fieri, ergo actus uitalis poteſt à ſolo Deo fieri potentia vitali non concurrente.

Reſpondeo benè poſſe Deum efficere, quidquid facit Cauſa efficiens creata, dummodo non ſit eſſentialis dependentia effectus à tali cauſa, at eſt eſſentialis depẽdentia actus vitalis à potentia vitali, vt patet ex ratione mox adducta, ideò actus vitalis non poteſt à ſolo Deo produci, & in quocunque ſubiecto etiam non vitali poni & conſeruari.

Præterea, actus viſionis etiam effectiuè eſt à potentia viſiua, & tamen de abſoluta Dei potẽtia non põt produci viſio, & poni in potentia auditiua, ità vt aures dicantur videre, ſicuti nec auditio poni in oculo, & oculus dici, & denominari videns, id enim eſſet confundere eſſentias rerum, immutare, atque inuertere, non minus, ac ſi Deus hominem faceret irrationalem, & Brutum rationale, & diſcurſiuum, quæ omnia implicare, negabit profectò Philoſophorum nullus.

LECTIO II.

An Anima Senſitiua indiuiſibilis ſit.

SEnſus eſt, an de Ratione Animæ ſenſitiuæ, vt ſic, & in communi ſit indiuiſibilitas in partes integrantes, ità vt licèt anima ſenſitiua ſit in corpore quanto, & extenſo, ipſa tamen Anima inextenſa, & indiuiſa remaneat, & à corpore extenſo non inficiatur; vt Sol in Luto non inficitur.

Dixi, an de Ratione Animæ ſenſitiuæ, vt ad ſolam hanc Animam difficultatem reſtringerem, cùm aliàs certum ſit apud Modernos Philoſophos, & Animam vegetatiuam Plantarum diuiſibilem eſſe, & Animam Rationalem Hominum eſſe prorſus indiuiſibilem, contrà quod ſentiebant Antiqui, ponentes, omnes Animas, aut diuiſibiles, vt *Gerardus quidam* apud Argentinam in *1. d. 8. q. 2. art. 1.* aut indiuiſibiles, vt *Plato*, quem referunt *Auerſa hic, Ioan. de S. Thoma hic q. 2. art. 1.*

Quare non poſſum probare alium Titulum, quo proponi ſolet iſta Difficultas, videlicet; An Anima ſecundum ſe ſit indiuiſibilis, quia ſub iſta Generalitate, & Vniuerſalitate, videntur in dubium reuocari diuiſibilitas Animæ vegetatiuæ Plantarũ, & indiuiſibilitas Animæ Rationalis Hominum, quam tamen indiuiſibilem eſſe, ſicuti & Animam Plantarum eſſe diuiſibilem, ſupponunt tanquam certum communiter omnes.

Reſtricta igitur Difficultate ad ſolam Animam ſenſitiuam; Duæ ſunt Recentiorum Sententiæ.

Prima defendit, Animam ſenſitiuam perfectorum Animalium indiuiſibilem eſſe; Animalium verò imperfectorum eſſe diuiſibilem.

Ità *Thomiſtæ Bannes 1. p. quæſt. 76. art. 8. ad 2. Complut. hic Diſput. 5.* ubi alios referunt. *Ioan. de S. Thoma q. 1. Art. 1.* Ex Recentioribus *Suarez Diſput. 15. Met. ſect. 1. § 32. Rubius 2. de Anima c. 3. q. 2. Conimb. & alij.*

Altera Sententia ponit, Animam ſenſitiuam ſecundum ſe omninò diuiſibilem, & extenſam in partes integrantes, ſicuti corpus, in quo eſt, extenſum eſt, & diuiſibile in partes integrantes.

Ità ex Antiquis *Auer. 8. Phyſ. Com. 78. & de ſubſtantia Orbis cap. 1. Soncin. 8. met. q. 11. Iauell. quæſt. 4. Scotus in 4. diſtin. 44. quæſt. 1. Durandus, & Aegidius ibidem;* Ex Recentioribus *Toletus 2. de Anima quæſt. 5. Hurt. Diſput. 2. Sect. 4. Auerſa q. 46. Sect. 3.*

Concluſio. Anima ſenſitiua ſecundum ſe diuiſibilis eſt, & extenſa in partes integrantes.

Probatur primò ex *Ariſt. 1. de Anima 93. & 94. & 2 de Anima t. 21.* ubi ſolam Animam rationalem probat, impartibilem eſſe. *De Iuuent. & Seneƈt. cap. 1.* habet, *neceſſe eſt eandem eſſe, & unam particulam, ſecundum quam viuit, & ſecundum quam appellamus ipſum animal.*

Probatur ſecundò quia ſi anima ſenſitiua ſecundum ſe non eſt diuiſibilis, maximè quia Anima perfectorum animalium, putà Leonis, aut equi, uerbi gratia, eſt indiuiſibilis, ut patet, quia abſciſſa aliqua parte à reliquo corpore, hæc ſtatim perit, & non viuit, non ſecus, ac abſciſſum

membrum ab humano corpore, non viuit, contrà quod accidit in Animalibus imperfectis, vt ſunt lucertæ, & ſerpentes, hæc n. ſecta, & diuiſa viuunt; ſed hoc non probat, Animas perfectorum Animalium eſſe indiuiſibiles. ergo. Minor probatur, quia etiam lucertæ, & ſerpentes, ſi per ſpinam dorſi diuidantur, nõ viuunt, in ijs n. ſpina dorſi ſe habet, vt cor in Animalib. pfectis.

Quando autem per alias partes contingit Sectio, & diuiſio, in tantum admittuntur lucertæ, & ſerpentes viuere, in quantum videntur moueri, ſed etiam partes abſciſsæ Animalium perfectorum videntur moueri, & in ſpecie refert *Alb. in Summa de Homine q. 2 art. 3.* detruncatũ caput Hominis, fuiſſe ad breue tempus motum, & tamen *Thomiſtæ* negant, Animas perfectorum animalium, & præcipuè hominis, diuiſibiles eſſe, & hæc animalia perfecta ſecta viuere; ergo quòd Animalia imperfecta ſecta viuant, aut quòd ſecta non viuant, non eſt ſufficiens indicium ad ponendam, aut negandam diuiſibilitatem animæ ſenſitiuæ.

Probatur tertiò quia, excepta Anima Rationali, quæ ponitur ſpiritualis, cæteræ omnes formæ, ſiuè animatæ, ſiuè inanimatæ, corporeæ ſunt, & materiales, ſed eorum materialitas, & corporeitas non aliter explicatur, quàm per extenſionem partium integralium, & per earum diuiſibilitatem, quia, licèt de abſoluta potentia plures Philoſophi ſatis probabiliter defendant, poſſe formam eſſe ſpiritualem, quamuis careat indiuiſibilitate, & poſſe eſſe formã materialem, quamuis careat diuiſibilitate, & extenſione partium; de facto tamẽ nulla eſt forma materialis, quæ non ſit diuiſibilis; nec vlla eſt forma ſpiritualis, quæ nõ ſit indiuiſibilis, ergo cùm anima ſenſitiua in quocunque Animali ſiuè perfecto, ſiuè imperfecto materialis ſit, & corporea, diuiſibilis quoque eſt, & habens partes integrales.

Obijcies primò. ex *Ariſt. 1. de Anima t. 94.* Anima dicitur indiuiſibilis; *in vtraque partium omnes inexiſtunt partes Animæ, & eiuſdem ſpeciei ſunt adinuicem, & toti; adinuicem quidem, tanquam quæ non ſeparabiles ſunt, toti autem animæ tanquam indiuiſibili exiſtere.*

Reſpondeo in primis, ex textu Græco, & vt legit *Ioannes Argyropolus*, non haberi, *indiuiſibili*, ſed potius, *diuiſibili*. Sed præterea, data ea lectione, vt cit. cui, vel cæco nõ patet, Ariſtotelem ibi loqui de Anima Rationali? Qui hanc auctoritatem opponunt, textum Ariſt. non viderunt: igitur *Ariſt. t. 90.* refert Opinionem eorum, qui Animam partibilem eſſe, aſſerebant, *& alia quidem intelligere, alia concupiſcere*; quam opinionem reijcit ibi Philoſophus: *quid igitur cõtinet animam, ſi partibilis eſt natura?* Et denique concludit *t. 94.* citato ab Aduerſ. eã eſſe indiuiſibilem; & ideo hunc locũ Ariſt. adduxi ſuprà ad probandam Concluſionem, quia clarus eſt, & apertus locus pro ſolius animæ Rationalis indiuiſibilitate, cæteris animabus excluſis à priuilegio, & dote indiuiſibilitatis.

Obijcies ſecundò: ex *D. Auguſtino lib. de Immortal. Animæ cap. vlt.* ſi vermis pũgatur in aliqua certa parte, totus commouetur, & per totum corpus ſe contorquet, ergo per totum corpus dolorem ſentit, nõ ſecus, ac homo in capite percuſſus, languentem, & dolorem in cæteris quoque membris experitur, & ſentit, ſed in Homine id accidit ex indiuiſibilitate Animæ Rationalis, ergo etiam Anima ſenſitiua vermium, & à fortiori animalium perfectorum, indiuiſibilis eſt.

Reſpondeo cùm eodem *D. Auguſtino lib. de Quantitate Animæ cap. 31.* haberi, nõ eſſe de ratione animæ in cõmuni indiuiſibilitatem, ad exemplum adductum; dico, eum motum in vermibus, aut etiam ſerpentibus, oriri ex intima connexione, & ſubordinatione partium, quarum vna percuſſa, etiam reliquæ dolorem ſentiunt.

Obijcies tertiò. negata diuiſibilitate animæ ſenſitiuæ in Animalibus perfectis, nõ poſſet reddi ratio, cur eorum partes, & membra abſciſſa non viuerent, ergo aſſerenda eſt earum animarum indiuiſibilitas.

Reſpondet *Zabarell. lib. de partitione Animæ cap. 4.* partes abſciſſas à reliquo Corpore Animalis perfecti non viuere, quia ſeparantur à corde, in quo principaliter conſiſtit vita eorum Animalium.

Reſpondeo ſecundò, Animalia perfecta plura organa, & Inſtrumenta requirere ad eorum ſalutem, & vitam cõſeruandam, quàm animalia imperfecta, ideò hæc ſecta, & diuiſa à reliquo corpore viuunt, non illa.

Obijcies quartò, data ea diuiſibilitate animæ in partes, non poſſet explicari, an hæ partes ſint ætherogeneæ, vel homogeneæ, ergo talis anima diuiſibilis non eſt. Antecedens probatur quia ſi partes animæ dicantur homogeneæ, ergo in omnibus mem-

Digitized by Google

membris, & partibus Corporis requirerẽt eaſdem diſpoſitiones, & organizationes, at hoc eſt apertè falſum, vt patet, ergo.

Si verò partes animę diuiſibilis ponātur eſſe etherogeneę, id videtur gratis omnino dici, & abſq; vlla neceſſitate etherogeneitatem huiuſmodi inducere in rerum natura, nam Anima rationalis, quamuis omninò indiuiſibilis, habet tamen in corpore, quod informat, diuerſas diſpoſitiones, & organizationes, ergo propter diuerſas diſpoſitiones, & organizationes Viuentis, ſiuè perfecti, ſiuè imperfecti, nō eſt neceſſe ponere partium animæ diuiſibilis etherogeneitatem.

Reſpondeo, verè partes animæ diuiſibilis eſſe homogeneas, & ſimilares, quamuis in corpore viuentis ſint diuerſæ ſpecie diſpoſitiones, & organizationes, nam talis diuerſitas vel habetur à formis partialibus, vt nos probauimus Diſp. 9. *Lect. IV.* vel à diuerſis accidentibus non obſtante homogeneitate partium animæ, cùm de facto Anima Rationalis, quāuis omninò homogenea, quia omninò indiuiſibilis, diuerſas in diuerſis partibus corporis exigat diſpoſitiones.

Præterea; ſi partes Elementorum, & nō viuentium ſunt homogeneę, à fortiori partes viuentium ſiuè perfectorum, ſiuè imperfectorum, debent eſſe homogeneæ, & ſimilares; vndè benè probatur in Argumento, gratis & abſque vlla neceſſitate induci partium etherogeneitatem.

LECTIO III.

An Sanguis ſit Animatus.

SVppono in Corpore animato eſſe partes duplicis generis, nempè duras, & ſolidas, vt oſſa; molles, & fluidas, vt ſanguis, & reliqui tres humores, tanquam ſucci per totum corpus diffuſi; videlicet, atra bilis, flaua bilis, & pituita.

Iterum partes corporis aliæ ſunt excrementitiæ, & aliæ ſunt excrementa; hæc ſunt, quæ natura tanquam prorſus inutilia reſpuit, illa ſunt, quæ & ſunt corporis ornamenta, & ad alios quoque vſus inſeruiunt, vel ad ornamentum, vel ad armamentum, vt pili, vngues, cornua, triſtæ, pennæ, ſquamæ, & ſi quæ ſunt alia.

Quæritur; an omnes hæ partes ſint animatæ; præcipua difficultas eſt de Sanguine.

Et quidem tàm pro animatione ſanguinis, quàm pro eiuſdem ſanguinis exanimatione acriter pugnant Recentiores Philoſophi.

Ponunt ergo in primis aliqui ſanguinem eſſe animatum.

Ità *Caiet. 1. p. q. 119. art. 1. & 3. p. q. 53. art. 2. Conrad. 1. 2. q 64. art. 1. Scaliger exercit. 289. Auguſtinus Ruuius in diſp. de ſpiritus vitalis animatione. Toletus de Anima 4. Concluſ. 3. Hurtad. diſput. 1. de Anima Sect. 6.*

Mouētur his fermè Argumētis. Primū eſt, quia anima informat totū, & integrū corpus, ſed ad totalitatem, & integritatem corporis ſpectat in primis ſanguis, reuerà enim ſanguis eſt pars integralis Corporis, ergo. Minor probatur quia, illa eſt pars integralis, ſine qua manet corpus mutilum, & mancum, & tunc ſanè manet mutilum, & mancum, quando remanet inutile ad functiones Corporis, ſed ſine ſanguine remanet Viuens inutile ad functiones vitæ, non ſecus, ac ſine manibus, aut brachijs, quę conſtat eſſe partes integrales corporis, eaque animata, ergo.

Eadem illa minor probatur argumento Theologico, petito ex Authoritate Sacræ Scripturæ, Concilij Tridentini, Epheſini, & Innocentij Papæ III.

Et quidem ex Scripturis habemus, partem Hominis inferiorē ſubdiuidi in Corpus, & Sanguinem, tanquam in duas partes; *Beatus eſt Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in Cęlis eſt. Matth. 16.* Anima nis carnis in Sanguine eſt *Leuit. 17.*

Ex *Trid. ſeſſ. 13. cap. 3.* Semper hæc Fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem, Domini noſtri Corpus, verumque eius Sanguinem ſub panis, & vini ſpecie, vnà cùm ipſius Anima, & Diuinitate exiſtere, ſed Corpus quidem ſub ſpecie panis, & Sanguinē ſub ſpecie vini ex vi verborū, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſāguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus inter ſe copulantur.

Ex Concilio Epheſ. epiſt. ad Neſtorium, vbi habemus. A Verbo eſſe aſſumptam carnem, & Sanguinem, ſed Chriſtus Dominus aſſumpſit naturam Humanam, ergo de integritate eius eſt Sanguis.

Deniquè patet ex Auctoritate Innocentij III. in quadam extrauaganti de Celebra-

bratione Miſſarum, ubi habet Innocentius, Aquam, et Sanguinem fluxiſſe ex latere Chriſti, ut oſtendatur Chriſti Corpus habuiſſe quatuor humores, qui pertinent ad ueram Hominis conſtitutionem.

Secundum Argumentum eius Sententiæ deſumitur ex auctorit. Ariſt. qui 1. *de hiſt. animalium cap* 15. docet; *Sanguinem eſſe animatum*, *& 2. de Partibus animalium c.* 23. enumerat Sanguinem inter partes corporis ſimilares, *& vltim. de Partibus* docet, ſanguinem eſſe præditum ſenſu. ex alia parte conſtat, ſanguinem incontinenter fluere, et ſe ſe per totum corpus mouere, motus autem eſt certiſſimum uitæ inditium, animatum enim ab inanimato in duobus præcipue differt ſenſu, et motu, ex eodem *Ariſt. 1. de Anima t.* 19.

Ponunt ſecundò Alij. Sanguinem non eſſe animatum.

Ità *D. Bonau in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. ad ſecundum, Riccardus art. 1. q. 2. Durandus quæſt. 2. ad ſecundum. Paludanus q. 1. art. 2. num. 28. Capreolus quæſt. 2. art. 3 ad quartum Scoti* Ex Recentioribus *Suarez 1. tom. in 3. p diſp. 16. Sect. 6. Vaſq. ibidem Rubius 2. de Anima cap. 3. Auerſa tom. 2. Philoſ. lib. 1. de Anima q. 45. ſect. 4.* ubi pro ſe citat *Scotum in 4. diſt. 44.* ſed ſanè ibi *Scotus* negat ſolum ſemen eſſe animatum; at de ſanguine nè uerbum quidem facit. Citatur etiam *Scotus in 4. d. 10. q. 1. ar. 1.* à *Complutenſibus* hic, ſed reuerà *Scotus q. 1. art. 1.* non loquitur de animatione ſanguinis Chriſti Domini, ſed de ueritate Corporis eius ſub ſpeciebus panis.

Mouentur his Argumentis. Primum eſt, quia ſanguis eſt alimentum Viuentis, ergo non debet eſſe viuens; aliàs non poſſet conuerti in ſubſtantiam viuentis, alimentum enim debet eſſe diſſimile viuenti, & non debet participare formam viuentis, aliàs ſi iam eſſet viuens, & animatum, non poſſet in viuentis ſubſtantiā conuerti, & tranſmutari.

Secundum Argumentum eſt quia Sanguis non nutritur, quia generatur, & cōcoquitur in epate, vt cibus in ſtomacho, vt aqua in olla; ſed neque augetur, quia creſcit per iuxtapoſitionem alimenti, non per intraſuſceptionem, cum enim ſit intra venas, non poteſt intraſuſcipere alimentum, ergo.

Tertium Argumentum deſumitur ex *authoritate adducta Tridentini*, quia ex vi verborum ponitur ſub ſpeciebus panis corpus, & non ſanguis, ergo iam ſanguis non eſt pars integralis corporis.

Quartum denique Argumentum deſumitur ex *Auctorit. Ariſt lib. 2. de Partibus animalium c.* 10. vbi docet, ſanguinem non eſſe partem Animalis, nec ſenſu præditum eſſe.

Huic difficultati lucem affert, & ſolutionem *D Thomas quodlibet. 5. art. 5.* vbi diſtinguit, & diuidit Sanguinem, ità vt alius ſit purus, & naturalis, alius vero omninò impurus, & nutrimentalis. Sanguis purus, & naturalis eſt is, qui ſpectat ad integritatem corporis animati: Sanguis verò nutrimentalis, & impurus inſeruit ſolummodò ad nutritionem, & alimentum animati Corporis; dicitur autem impurus, quia eſt parum decoctus, & elaboratus ad differentiam ſanguinis naturalis, qui propterea dicitur purus, quia eſt per maiorem decoctionem, & elaborationem virtutis formatiuæ factus, & efformatus. Verba ſunt. *Quamuis circà ea, quæ ſunt de veritate Humanæ naturæ, ſit diuerſa diuerſorum Opinio, ſecundum quamlibet Opinionem non totus ſanguis nutrimentalis, ideſt, qui ex cibis generatur, pertinet ad veritatem humanæ naturæ.*

Hanc *D. Thomæ* doctrinam ſequuntur Doctiſſimi Thomiſtarum *Caiet. 3. p q 54. art. 2. Silueſter in Roſa aurea q. 33 Nazarius 3 p. q. 5. art. 2 Controu vnica Ban. 1. de Gen. cap. 4. q. 8 art. 5. Notab. 2. Aluarez diſput. 28. de Incarn. Complut. diſp. 6. §. 2.*

Concluſio. Sanguis purus, & naturalis eſt animatus; Sanguis impurus, & nutrimētalis non eſt animatus.

Probatur quia data hac Concluſione, facilè conciliantur duæ extremæ Sententiæ ſuprà relatæ; nam Argumenta Primæ Sententiæ procedunt de ſanguine puro, & naturali. Argumenta verò ſecundæ Sententiæ procedunt de ſanguine nutrimentali. Conciliantur loca Conciliorum, quibus vtraque Sententia vtebatur in ſui Confirmationē; Conciliantur etiam loca Ariſtotelis, quæ aliàs difficilè ſaluabis à manifeſta contradictione, nam affirmat ſanguinem eſſe animatum, & negat eſſe animatum; affirmat in ſanguine eſſe motum, & ſenſum; negat in ſanguine motum eſſe, & ſenſum; & ſanè poſita diſtinctione, & diuiſione ſanguinis in naturalem, & nutrimentalem, omnis contradictio tollitur, & ſaluatur; ſanguis enim nutrimentalis non eſt præditus ſenſu, & motu, & ideò non eſt animatus, ſanguis verò naturalis, & purus præ-

prædictus eſt ſenſu,& motu,& ideò eſt animatus.

Probatur ſecundò quia,Sicuti varijs diſpoſitionibus,& formis etiam ſubſtantialibus imperfectioribus diſponitur, & præparatur materia, antequam recipiat formam totius, & formam perfectam;ità antequam alimentum recipiat formam viuentis, & in viuentis ſubſtantiam conuertatur, debet prius in ſanguinem inpuriorem conuerti, vt deindè in ſanguinem puriorem poſſit transmutari,& conuerti,cõſueuit enim Natura ab imperfectis ad perfectiora procedere.

Obijcies primò. hoc quod eſt, vnum ſanguinem eſſe puriorem altero, non arguit diſtinctionem eſſentialem, ſed accidentalem, ergo non debet dici vnus ſanguis animatus, alter non animatus. Confirmatur quia,totus ſanguis eſt vnus continuus, vt ex ſanguine effuſo è venis patet ad ſenſum,& ideò totus erit viuus,& eiuſdem ſpeciei, ergo vel totus animatus, vel totus inanimatus.

Reſpondeo. quòd ſicuti ſemen, ſpecies quædam ſanguinis, eſt ſubſtantialiter diuerſũ à ſanguine, ità ſanguis naturalis eſt ſpecie diuerſus à ſanguine nutrimentali, quia efficaciſſima quadam decoctione formatus, ſpecificam ſuperinduit diuerſitatem.

Ad Confirmationem dico;ſanguinem reuerà eſſe potiùs contiguum, quàm continuum,ſed quia fluidus eſt,continuus apparet,ſicuti ſi aqua, & vinum permiſceantur,apparent eſſe quid continuum, reuerà tamen continuitatem non habent, quia ètherogenea ſunt, & diuerſæ ſpeciei, ſed contiguitatem.

Obijcies ſecundò. Sanguis impurus, & parum decoctus inſeruit ad nutritionem, ergo à fortiori ad eandem nutritionem inſeruit ſanguis purus, & magis decoctus.

Reſpondeo,negando conſequentiam, quia ſanguis, quò magis purus, & decoctus, eſt magis ſimilis ſubſtantiæ viuenti, non eſt ergo magis, ſed minus aptus nutritioni,quæ in contrarium, & in omninò diſſimile viuenti agit, vt illud conuertat, & transmutet in ſubſtantiã viuentis,ideòquè benè ait Philoſophus 2. *de Anima t. 43. contrarium contrario alitur.*

Obijcies tertiò.Sanguis naturalis,& purus non exercet operationes vitæ,& quidẽ in Homine non cognoſcit, aut intelligit, ergo non viuit vita Hominis.

Reſpondeo. indè ſequi, ſanguinem non viuere vita rationali,& intellectiua; at non ſequi,non viuere vita vegetatiua, quia nutritur ex *Ariſt. lib. 3. de hiſt. animalium c. 19.* vita ſenſitiua, quia mouetur ex eodem Ariſt. ibidem. *Palpitat intrà venas Sanguis animalium omnium, pulſuſque ſimul vndique mouetur, ſoluſque omnium humorum ſparſus per totum corpus animalium, & ſemper quandiù vita ſeruatur, ſanguis vnus animatur,& feruet.*

Ex his patet, quid dicendum ſit de Animatione aliarum partium viuentis, quæ vel ſunt excrementa, vel excrementitiæ partes ad ornatum, aut ad armamentum aptæ natæ;nam in primis excrementa nullatenùs viuunt, vndè Natura reijcit illa omninò, & à ſe tanquam extranea repellit;partes verò excrementitiæ,quia sũt ad ornatum, vel armamentum; vtique non ſunt ad exercendas operationes vitales ordinatæ,non ergo viuunt.

Excipio Semen, quod eſſe animatum anima vegetatiua, & ſenſitiua,ex eo mihi videtur eſſe ſatis probabile, quia abſente, vel etiam mortuo generante,cauſat,& generat viuens vtraque vita vegetatiua, & ſenſitiua;at nemo dat,quod non habet,viuit ergo ſemen vtraque illa vita. Præterea animal ex emiſſione Seminis debilitatur, non ſecus, ac ex emiſſione ſanguinis, imò magis ex Seminis emiſſione, adeò vt ſi talis emiſſio crebior ſit,& immoderata, mortem animalis cauſat, & interitum, quod non accidit ex imminutione, aut deperditione capillorum,dentium,vnguiũ, ſquamarum,aut cornium, ergo ſemen ſubſtantia viua eſt,non mortua.

Confirmatur ex *Ariſt. lib. 2. de Gener. animalium c. 1. Semen habere animam, & eſſe potentia, palam eſt.* Vide plura apud *Sennertum hic cap. 6. & ſeq.* vbi fusè probat ſemen viuere, & apud *Epiphanium Ferdinandum Theor lib. 2. 35.*

LECTIO V.

An Potentiæ ab Anima, & inter ſe realiter diſtinguantur.

SVppono, quòd ſicuti Anima alia eſt materialis,& diuiſibilis, vt vegetatiua, & ſẽſitiua;alia eſt ſpiritualis,& indiuiſibilis,vt Anima Rationalis; ità Potentiæ duplicis ſunt generis; aliæ ſunt materiales;nempè vegetatiuæ,ut ſunt,generatiua, augmẽtatiua,nutritiua,Senſitiuæ uerò loco motiua,& potentiæ ſenſitiuæ,ſeù ſenſus quin-

Digitized by Google

quinque interni, & quinque externi. Aliæ ſunt potentiæ ſpirituales, nempè Intellectiua, Volitiua, & Memoratiua.

De omnibus his Potentijs eodem modo philoſophandum eſt, quia eadem de omnibus militat ratio; idcò omninò reijciendæ ſunt Sententiæ mediæ eorum Auctorum, qui volunt aliquas ex his diſtingui realiter ab Anima, alias non diſtingui realiter, ſed ratione, & per intellectum; ità *Durandus in 1. diſt. 3. q. 2.* ponit potentias uegetatiuas non diſtingui realiter ab Anima; ſenſitiuas uerò, & Rationales diſtingui realiter. *Suarez 2. de Anima cap. 9.* Solam potentiam nutritiuam non diſtinguit ab Anima. His ergo Sentētijs medijs omninò reiectis, ad extremas deuenio.

Prima eſt *Thomiſtarum* uniuerſaliter affirmantium. Potentias ab anima, et inter ſe realiter diſtingui.

Ità *Caiet. par. 1. q. 77. art. 1. Capreol. in 1. d. 3. q. 4. Sotus in 4. diſt. 9 q. 2. art. 5. Ferrarien. 5. contrà gentes cap. 65. Herueus Natalis quodlibet. 1. q. 9. Ioan. à S. Thoma 1 de Anima q. 2. art. 2.* et plures alij, quos citāt, et ſequuntur *Compluten. 8. lib. Phyſ. Diſp. 10. Auerſa tom. 2. Phyloſ. q 47 ſect. 1.* Ex Recentioribus, qui hanc Sententiam defendunt *Conimb. c. 3. q 4 Toletus q. 9. Fonſeca 5. Met. cap. 5. q. 1. ſect. 5. Suarez lib. 2. de Anima cap. 1.*

Secunda Sententia eſt negantium, Potētias ab Anima, et inter ſe realiter diſtingui; ſed huius Sententiæ Auctores diuiſi ſunt inter ſe; *Nominales* enim ponunt potentias ab Anima; et inter ſe diſtingui ratione ratiocinata, ità *Greg. in 2. d 16. Gabriel ibidem, Ocham. in 2. q. 24. Marſilius q. 16. & 22.*

Sed meliùs, et omninò probabiliùs *Scotus in 2. diſt. 16. q. 1.* per totam, et in *4. d. 12. q. 5.* ponit Potentias ab Anima diſtingui realiter formaliter, ſeù quidditatiuè.

Scotum ſequuntur, non modo Scotiſtæ, ſed etiam *D. Bonau. in 1. d. 3. q. 3. Thomas de Garuio in ſumma tract. 5. quæſt 2. art. 3. Franciſcus Le Reès de Anima diſp. 1. art. 8. § 1. Morandus 1. de Anima. q. 13. Marcellus in lib de Anima c. 75.*

Concluſio Potentiæ ab Anima, et inter ſe formaliter, et quidditatiuè diſtinguuntur, nōn realiter.

Probatur primò; et quidem, quòd diſtinguantur formaliter, et quidditatiuè, quia Potentiæ nullo intellectu cogitante, uel fluunt, et emanant ab Anima, uel generantur, et producuntur à generante, et producente Animam, ſed in ſigno poſteriori ad Animam, iuxtà illud, *qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*. potentiæ ergo in tantum uel emanant ab anima, uel à generante animam generantur, in quantum ad animam conſequuntur, ſed et quæ uel emanant ab anima, uel ad animam conſequuntur ante omnem operationem Intellectus, debent ab illa pluſquam ſola ratione diſtingui, et ex alia parte non poſſunt diſtingui realiter, ut mox oſtendam, ergo diſtinguuntur ex natura rei, ſeù formaliter, et quidditatiuè.

Probatur ſecundò quia. Anima dicitur conſtituere formaliter Viuens, non Intellectus; Intellectus dicitur intelligere, & cognoſcere, non uoluntas; de qua etiam dicitur, quòd uelit, non de intellectu; & id antè omnem cogitationem Intellectus, ergo Potentiæ ab anima, & inuicem pluſquam ratione, ſeù ex natura rei formaliter diſtinguuntur. Confirmatur quia; diuerſæ ſunt quidditates, & formalitates animæ, & potentiarum, nec non earundem potentiarum adinuicem, ut patet ex earum diuerſis definitionibus; ergo diſtinguuntur formaliter quidditatiuè, & ex natura rei.

Quod uerò iſtæ potentiæ non diſtinguantur realiter.

Probatur quia. Ad multiplicandas entitates non ſufficit qualiſcumque neceſſitas, & congruentia, ſed neceſſitas talis, quæ nos cogat entitates multiplicare, & diſtinguere, ſed nulla eſt neceſſitas, quæ nos cogat, admittere huiuſmodi diſtinctionem realem Potentiarum, ut ex ſolutione argumentotum in oppoſitum patebit. ergo.

Probatur quartò: quia illud eſt ponendum in natura, quod eſt melius, ſi ſit poſſibile; ut patet ex *2. de Gen. t. 50. 8. Phyſ. textu 35. 48 50. id, quod eſt melius deſiderat natura ſemper.* Sed eſt poſſibile, quòd ab una Anima ſint plures actus abſque diſtinctione potentiarum, ſicuti ab una potentia ſunt plures actus abſque eo, quòd ea potentia dicatur multiplex. et ex alia parte melius eſt ab una anima eos plures actus produci, ut patet, quia ens nobiliſſimum, uti eſt Deus, per unicam ſui eſſentiam omnia, eaque quamuis innumerabilia producit, ergo.

Confirmatur quia. ordinatum ad finem, quanto immediatius attingit finem, tanto maioris probitatis, et perfectionis eſt,

Digitized by Google

eſt, ſed anima ordinatur ad actus, ergo quantò illos immediatius,& ſeipſa, & non per potentias attingit,nobiliùs, meliùs,& perfectius attingit; hinc eſt, quòd Deus immediatè ſeipſo omnes effectus creatos attingit,atque producit.

Probatur quintò quia.ſequeretur, quòd Anima non eſſet capax meriti, vel demeriti, & conſequenter etiam beatitudinis, niſi per accidens; quia illa non eſt perfectio,vel imperfectio propria alicuius,quæ in illo non recipitur, niſi prius recipiatur in alio realiter diuerſo,in quo etiam reciperetur,ſi eſſet ab illo ſeparatum,v.g.calor non eſt perfectio propria ſubſtantiæ corporeæ, quia non recipitur in illa, niſi mediante quantitate, quæ realiter diſtinguitur ab illa, & reciperetur in quantitate etiam ſeparata à ſubſtantia,ideò ſubſtantia eſt colorata per accidẽs, ſed meritum, & demeritum non recipiuntur in anima, niſi mediante Voluntatè, quæ realiter diſtinguitur ab Anima,& in qua etiam realiter ſeparata eſſent meritum, & demeritum; Similiter viſio beatifica reciperetur in Intellectu realiter diſtincto ab anima, & in quo reciperetur etiam ſeparato ab anima, ergo iam anima per accidens eſſet capax meriti, & demeriti, viſionis beatificæ,& gloriæ,non ergo ipſa anima eſſet ſãcta,& beata, ſed Voluntas eſſet ſancta,Intellectus eſſet beatus.

Imò ſimpliciter Anima non deberet dici ſancta,aut beata, quæ enim ſunt talia per accidens, ſimpliciter non ſunt talia; neque enim Homo dicitur ſimpliciter albus,aut niger, ſed benè dicitur ſimpliciter rationalis, quia eſſe album, eſt accidens, eſſe rationale eſt eſſentia reſpectu Hominis. Imò ſequeretur, operationes Animæ non eſſe vitales, quia pro ſui principio non haberent vitã,ſeu Animã; eſſent enim immediatè à potentijs,quæ non ſunt vita.

Probatur primò. Auctoritate *D. Auguſtini in Serm. de Imagine*, *& lib.* 10. *de Trin.c.*11.& *lib.de Spiritu,& Littera cap.* 4.*&* 13.vbi docet; Animam ſecundum diuerſas ſui functiones,& operationes ſortiri diuerſa nomina; verba ſunt. ***Dicitur anima,dum vegetat,Spiritus,dum contemplatur:ſenſus dum ſentit, animus dum ſapit; dum intelligit mens, dum diſcernit ratio,dum recordatur memoria;dum vult voluntas;iſta tamen non differunt in ſubſtantia, quẽadmodum in nominibus, quoniam omnia iſta vna anima eſt,proprietates quidem diuerſa,ſed eſſentia vna.*** Eodem modo loquuntur *D.Iſidorus lib.*11.*Aethimol. & D.Bernardus ſerm.*11.*in Cantica,& de interiori Domo cap.*67.

Probatur ſecundò. Auctoritate *Ariſt.*1. *de Anima* 65. vbi Intellectum vocat ſubſtantiam,*& lib.*2.*t.*21. Intellectum,& ſpeculatiuam potentiam ait,eſſe genus animæ.Denique definit, animam eſſe principium,quo viuimus, mouemur, & intelligimus,ergo non habet potentias à ſe diſtinctas, quibus aſſignatas operationes exerceat,ergo. Imò 1.*de anima t.*23. approbat dictum Democriti aſſerentis,***idem eſſe animum,& Intellectum.***

Obijcies primò: Auctoritatem *D. Auguſtini lib.*15.*de Trin.cap.*17. vbi cum dixiſſet,in Eſſentia, & tribus potentijs inueniri Imaginem Trinitatis, ſubdit differentiam, quia Perſonæ Diuinæ non differunt à Diuina Eſſentia,at potentiæ noſtræ differunt ab Eſſentia animæ. Confirmatur quia ex communi Theologorum Sententia,Intellectus, & Voluntas ſola ratione diſtinguuntur in Deo, ergo in Creaturis debent diſtingui pluſquam ratione, ideſt, realiter.

Reſpondeo. Velle ibi *D. Auguſtinum*, quòd ſicuti Diuinæ Perſonæ non diſtinguuntur diſtinctione formali abſoluta, quia conſtituuntur formaliter per Diuinas Relationes;ità noſtræ potentiæ diſtinguuntur ab anima diſtinctione formali abſoluta, non relatiua,contrà nonnullos, qui ponebant potentias realiter diſtingui inter ſe,& ab anima vi relationis, quam dicunt ad actus,& ad obiecta, realiter,aut formaliter diuerſa. Alij Sancti Patres, & Doctores,ſi quando aſſerunt potentias ab anima diſtingui,intelligendi, & piè explicandi ſunt de diſtinctione formali,non de diſtinctione reali ſimpliciter.

Obijcies ſecundò.ex *Ariſt.lib.de Memoria,& Reminiſcentia cap.*10.Memoriam vocauit paſſionem,& habitum,ſed habitus eſt qualitas,non ſubſtantia, ergo. Confirmatur quia 1.*de anima t.*64.habet, *dicere autem animam iraſci ſimile eſt, ac ſi quis dicat, animam texere,aut ædificare*; non ergo eſt anima,quæ iraſcitur, ſed potentia iraſcibilis,ac proptereà anima,& potentia realiter diſtinguuntur.

Reſpondeo.primo loco,Ariſt.nomine memoriæ intelligere memoriam actualem,& obiecta memorabilia, vndè & ſubdit,*primum igitur accipiendum eſt, qualia ſunt memorabilia*, *ſæpè enim decipit hoc.* Et noto,citata verba non haberi *c.*10. Sed

Digitized by Google

cap.1. quia liber iſte de Memoria quatuor Capitibus concluditur.

Ad ſecundum locum dico; denotari ab Ariſt. ea locutione, animam non denominari operari, ſed ipſum totum, quo eodem ſenſu dixit *1. de Anima t.64. non ambulat Humanitas, ſed Socrates*

Obijcies tertiò. omnia mixta, imò & elementa operantur medijs qualitatibus, quibus vtuntur, tanquam inſtrumentis, ergo etiam anima operatur medijs potentijs à ſe diſtinctis realiter. Confirmatur quia. dantur quædam potentiæ omninò materiales, & organicæ, quæ certis organis affixæ ſunt, ſed hæ non poſſunt eſſe idem cum anima ſaltem Rationali, quæ ſpiritualis eſt, imò & actus eliciti ab his potentijs ſunt omninò materiales, ac proindè non poſſunt recipi in ſubiecto ſpirituali; quale eſt Anima Rationalis, ergo immediatè recipiuntur in potentijs materialibus, à quibus eliciuntur, ergo.

Reſpondeo. Ex illa paritate Mixtorum, & Elementorum, argui duntaxat, eſſe quandam congruentiam ad ponendas ſimiles qualitates in anima, ſed non argui neceſſitatem; quæ cogat; aut, illa non eſt ratio efficax, quæ perſuadeat; imò poteſt retorqueri argumentum; Mixta, & Elemēta indigent qualitatibus, vt operentur, ergo anima, quæ eſt forma omninò perfectior, qualitatibus non indiget, vti non indiget Inſtrumentis Deus, qui eſt perfectiſſimum agens.

Ad Confirmationem dico, falsò ſupponi, materialitatem harum potentiarum, nam anima eſt, quæ illis organis vtitur tāquam Inſtrumentis; concedo tamen actus, qui deindè eliciuntur, eſſe materiales, ſed recipi tùm in materia, tùm in Anima Rationali, tanquam in duobus ſubiectis inadæquatis, neque enim eſt abſurdum, entitatem materialem recipi in ſubiecto ſpirituali, ſicuti & entitas ſpiritualis recipitur in materia, vt patet de Anima Rationali; imò neceſſarium eſt omninò, ſenſationes materiales recipi in anima, aliàs anima non poſſet denominari, ſentire, videre, audire, & tamen reuerà anima denominationes huiuſmodi habet, vndè *1. de Anima* benè ait *Ariſt. Si ſenex haberet oculum Iuuenis, videret vt Iuuenis.*

Obijcies quartò. actus, & potentia pertinent ad idem genus, ſed actus eſt accidens, ergo & potentia debet eſſe accidentalis. Confirmatur quia. Anima eſt actus, ſi ergo potentia non diſtinguitur ab Anima, Potentia eſſet actus, & ſemper eſſet in actu, atque adeò ſemper operaretur.

Præpereà, potentiæ ſunt diuerſæ iuxtà diuerſitatem actuum, ſed in anima non eſt vlla diuerſitas, ergo.

Reſpondeo. actum, & potentiam pertinere ad idem genus in hoc ſenſu, quia nimirum idem ens, quod prius eſt in potentia, deindè eſt in actu, nam idem homo eſt, qui potens eſt currere, & qui actu currit; non verò ſenſus eius propoſitionis eſt, quòd actus, & potentia debeant eſſe, aut vtrumque ſubſtantia, aut vtrumque accidens, nam vt benè aduertit *Scotus hic*, potentiæ realiter diſtinctæ in Sententia *Thomiſtarum*, recipiuntur in ſubſtantia Animæ, tanquam in principio paſſiuo, ſeù paſſiua potentia, & tamen non ſunt eiuſdem generis.

Ad Confirmationem dico. Animam eſſe actum, & ſemper eſſe in actu eſſendi, non tamen eſſe actum, & ſemper eſſe in actu operandi, nam in quantum Anima eſt actus eſſendi, ſe habet, vt cauſa formalis, quæ non eſt ſine ſuo effectu formali; at in quantum eſt principium operandi, ſe habet, vt cauſa efficiens, quę benè poteſt eſſe ſine ſuo effectu, non enim efficiens ſemper actu operatur.

Ad Vltimum, quod additur, dico, non debere eſſe tantam diſtinctionem in potentijs, quanta eſt in actibus, licèt aliqua ſit diuerſitas, nam vna potentia viſiua eſt plurium colorum, & data potentia realiter diſtincta ab Anima, nunquid tot ſunt potentiæ Intellectiuæ, quot ſunt intellectiones?

Obijcies quintò, *ea diſtinguuntur formaliter ex natura rei*, quæ comparantur adinuicem, tanquam gradus eſſentiales inferiores, & ſuperiores; vti ſunt in Homine animal, & Rationale, ſed hæ potentiæ non ità ſe habent reſpectu Animæ, ergo.

Reſpondeo. *Scotum*, qui Auctor fuit, & Inuentor diſtinctionis formalis ex natura rei, talem diſtinctionem ponere non ſolum in ijs, quæ dicto modo, vt gradus eſſentiales ſuperiores, & inferiores comparantur, ſed etiam in ijs, quæ vt poſteriora, & vt proprietates in vna entitate vnitiuè ſe habent, & ità docet vbi ſuprà, paſſiones entis diſtingui formaliter ex natura rei ab ente; eodem ergo modo diſtinguuntur Potentiæ Animæ, non vt gradus ſuperiores, & inferiores, ſed vt poſteriores proprietates ad Animam, in qua ineſiſtant vni-

Digitized by Google

vnitiuè,ideſt,in qua ſimul vniuntur ad faciendam vnam rem, ſeù entitatem phyſicam.

LECTIO VI.

A quo Potentiæ,& Actus ſpecificentur.

QVamuis Potentiæ non ſint diuerſæ res, ſed diuerſæ formalitates, tamen in eo, quòd formaliter diſtinguuntur, Videamus,vndè earum formalis, & quidditatiua diuerſitas deſumatur; & quidem certum eſt,earum intrinſecam diuerſitatem ſumi ex propria earundem formalitate; verum quia potentiæ dicunt ordinem eſſentialem ad quædam ſibi aliàs extrinſeca, putà ad actus,ad obiecta,& ad proprias eſſentias,à quibus fluũt, incertum eſt, & controuerſum in Scholis, vndè, & ex quo extrinſeco deſumenda ſit potentiarum formalis, & ſpecifica diuerſitas.

Quoad potentias igitur.Sẽtẽtia communis docet,Potentias ſpecificari ab actibus.

Sed contrà eſt quia:Intellectus Angeli, & Intellectus Hominis formaliter quidditatiuè diſtinguuntur, ſed non diſtinguuntur penès actus ſpecie diuerſos,quia iidem actus elicibiles ab Intellectu humano, sũt etiam elicibiles ab Intellectu Angelico, & è contrà, ergo aliundè petenda eſt eorum ſpecifica diſtinctio.

Alij ergo ponunt. Potentias diſtingui ratione eſſentiæ, à qua fluunt, & ideò Intellectum Hominis diſtingui ab Intellectu Angeli, quia Intellectus Hominis fluit à Natura humana, Intellectus verò Angeli fluit à Natura Angelica.

Sed contrà eſt quia. Potentia comedẽdi paleas eadem ſpecie eſt in equo, & boue,& tamen fluit à natura equina, & bouina,quæ differunt ſpecie; lux eadem ſpecie eſt,ſiuè à Sole,ſiuè ab Igne fluat,& oriatur; & in re Theologica, idem ſpecie lumen gloriæ eſt,ſiuè exigatur à Gratia ſanctificante habituali, ſiuè ab Vnione hypoſtatica,quę tamen ſunt inter ſe diuerſa ſpecie, ergo neque ab eſsẽtia,& à principio,à quo fluunt, ſufficienter deſumitur diuerſitas ſpecifica potentiarum.

Alij igitur ponunt, potentias differre ſpecie, quia vna eſt ab altera notabiliter diſſimilis,& notabiliter diuerſa.

Sed contrà eſt,quia hoc eſt, quod quæritur,vndè habeatur notabilis diuerſitas, & diſſimilitudo vnius potentiæ ab altera;ab actibus, quos producunt,an ab eſſentia,& natura, à qua fluunt, an ex aliquo alio capite.

Reſpondebis, id eſſe iudicandum iuxtà arbitrium prudentis viri; nam duo differre ſpecie,non conſiſtit in aliquó indiuiſibili, ſed patitur latitudinem aliquam.

Sed contrà quia; iſta Reſponſio rem alioquin merè phyſicam reducit ad morale iudicium prudentis viri, ſanè iudicium, & arbitrium viri prudentis locum habet in re morali,non in re phyſica.

Puto dicendum; Potentias ſpecificari ſimul ab actibus, quos eliciunt, & ab eſſentijs, à quibus fluunt.

Probatur quia: Potentiæ non ſpecificantur ſolùm ab actibus,neque ab eſſentijs ſolùm,vt inſtantiæ adductæ conuincunt,ergo ſpecificantur ab actibus,& potentijs ſimul, nam ex nullo alio capite videtur poſſe deſumi potentiarum ſpecifica diuerſitas.

Hinc Intellectus Angeli, & Intellectus Hominis ſpecie diſtinguuntur, quia non ſolùm ſunt à diuerſis naturis, ſed etiam quia non omnes actus elicibiles ab Humano Intellectu,ſunt elicibiles ab Angelico,nam Angelus vel omninò non elicit diſcurſum, vel merè per accidens eſt, quòd diſcurrat; è contrà Intellectus humanus eſſentialiter exigit, eſſe diſcurſiuum. Cæterùm virtus comedendi paleas eſt quidem in diuerſis eſſentijs, ſed vnum habet actum. de calore verò,& lumine gloriæ eſt alia ratio, quia non ſe habent,vt actus.

Hinc etiam ab eadem potentia poſſunt eſſe actus ſpecie diuerſi, quia illa potentia fluit ab eadẽ Eſſentia, ſeù eſt in eodẽ ſuppoſito, & principio, à quo fluit.

Quoad ſecundum de actibus Communis Doctrina ponit, actum ſpecificari ab obiecto formali.

Sed contrà eſt,quia: eſt aſſignare duos actus tendentes ad idem obiectum, nedũ materiale,ſed etiam formale,qui tamen actus ſunt inter ſe ſpecie diuerſi, & in re quidem Theologica plures nobiles Theologi defendunt,ſuppoſita reuelatione myſteriorum Fidei, poſſe Intellectum humanum credere illa myſteria ob motiuum ſupernaturale Diuinæ Reuelationis actu merè naturali, & actu ſupernaturali.

Imò actus, quo quis largitur eleemoſinam propter amorem Dei, & actus, quo quis vitam profundit propter amorem Dei, ſpecie diſtinguuntur, & tamen habent idem obiectum formale, & idem motiuum; ergo ab obiecto formali actus non ſpecificantur.

Alij ergo ponunt; Actus ſpecificari à potentijs, à quibus fluunt.

Sed contrà eſt quia. Simplex apprehenſio eadem ſpecie eſt, ſiuè eliciatur ab intellectu Angelico, ſiuè ab intellectu Humano, ergo actus non ſpecificantur à potentijs.

Puto dicendum. Actus ſpecificari ſimul ab obiecto formali, & à potentia, ſeù principio, à quo fluunt; ſeù, ut alij loquuntur. actus ſpecificantur non ſolum à ratione formali, quæ ſe tenente ex parte obiecti, ſed etiam ex ratione formali ſub qua, ſe tenente ex parte potentiæ. Itaque adæquatum ſpecificatiuum actus ſimul eſt obiectum formale, & potentia.

Probatur quia. Actus non ſpecificantur ſolum ab obiecto formali, nec ſolum à potentia, ergo ab vtroque ſimul, nullum enim aliud reſtat principium, ex quo poſſit eorum ſpecifica diuerſitas deſumi. Confirmatur quia actus dicit eſſentialem ordinem ad vtrumque, ſcilicèt, ad potentiam, & ad obiectum formale, ergo ab vtroque deſumit ſuam ſpecificationem.

Verum quidem eſt, quod (, vt alibi notaui;) ad hoc vt actus ſit vnus ſpecie, requiritur vnitas vtriuſque, potentiæ, ſcilicet, & obiecti formalis; vt ſit diuerſus ſpecie, ſufficit diuerſitas vel potentiæ, vel obiecti formalis, ratio eſt, quia vnitas comparatur bono, diuerſitas malo; bonum autem eſt ex integra cauſa, malum eſt ex vnico defectu.

Dices. Potentiæ non ſunt ſpecie diſtinctæ ex ſola diſtinctione potentiarum, à quibus fluunt, aut ex ſola diſtinctione ſpecifica actuum, ergo actus non ſunt diſtincti ſpecie ex ſola diſtinctione potentiarum, aut ex ſola diſtinctione obiecti formalis.

Reſpondeo, negando conſequentiam; Diſparitas eſt quia, inſtantiæ adductæ ad diſtinctionem potentiarum probandam, conuincunt, non ſufficere diſtinctionem ſpecificam, vel eſſentiarum à quibus illæ fluunt, vel actuum, quos producunt; ſed vtrumque requiri; è contrà verò non habetur inſtantia, qua probetur, ad diſtinctionem ſpecificam actuum requiri diſtinctionem ſpecificam tùm potentiarum, tùm obiecti formalis, ſed potiùs inſtantiæ adductæ conuincunt vnam, vel alteram diſtinctionem ſufficere.

Dices ſecundò. Actus dicit eſſentialem ordinem non minus ad obiectum formale, quàm ad obiectum materiale, ergo non minùs ab vno, quàm ab altero ſpecificatur. Confirmatur quia in actibus ſupra aſſignatis de largitione eleemoſinæ, & profuſione Vitæ, pro amore Dei, adeſt ſpecifica diuerſitas, non aliundè petita, quàm ex obiecto materiali, illi enim ſunt ab eadem potentia, & habent idem obiectum formale, quia uterque fit propter amorem Dei, ergo.

Reſpondeo, tàm principali Argumento, quàm eius Confirmatione, probari, obiectum materiale eſſe ſpecificatiuum actus inadæquatum, non adæquatum, quod eſt mihi ſatis probabile, ſicuti enim Compoſitum naturale non ſolum diuerſum ſpecie eſt ratione diuerſæ formæ, ſed etiam ratione diuerſæ materiæ, ità actus ſpecie diuerſificatur, & ratione obiecti formalis, & etiam ratione obiecti materialis.

DI-

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

DE ANIMA VEGETATIVA.

ANimarum prima, *Vegetatiua eſt; vt habet* Ariſt. 2. de Anima t. 34. Vegetatiua Anima, & alijs ineſt, & prima, & maximè communis potentia eſt Animæ, ſecundum quam ineſt ipſum viuere omnibus, cuius ſunt opera, generare, & alimento vti. *Hac Anima viuunt Arbores, & Plantæ. Tres ſunt Potentiæ Animæ Vegetatiuæ, Generatiua alterius ſibi ſimilis in ſpecie, Nutritiua, & Augmentatiua ſuipſius; His Potentijs correſpondent tres actus; Generatio, Nutritio, & Augmentatio. Et quidem primus, & præcipuus actus eſt Generatio, ità docet Ariſt. loco cit.* Naturaliſſimum operum, quę in Viuentibus quæcunque perfecta, & non mutilata ſunt, aut generationem ſpontaneam habent, & facere aliud, quale ipſum, Animal quidem Animal, Planta autem Plantam. *Neceſſitas ponendi tres iſtas Potentias in quolibet Viuente eſt quia; Vita, & ſalus Viuentium in humido, & calido naturali conſiſtit, At calidum, & humidum inuicem agunt, & reagunt in propriam perniciem, & deſtructionem; & ſanè deſtruerentur tandem, niſi per alimẽtum repararetur, quidquid calidi, aut humidi ex illa pugna deperditur; id autem fit per potentiam nutritiuam, & nutritionem. Verum quia ab initio ortus ſui non habet Viuens omnẽ illam molẽ, & magnitudinẽ, quæ illi eſt debita, data eſt illi à Natura potentia Augmentatiua. Deniq; Viuens deberet aliquando interire, quia ex contrarijs compoſitũ, & quia non ſemper reparatur totũ id, quod deperditur vi caloris naturalis per alimentũ, ideò Viuẽs, vt ſe cõ-*

ſeruet ſecundũ ſui eſſe ſpecificum (cũ ſe cõſeruari nõ poſſit ſecũdũ eſſe indiuiduale, & numericũ (data eſt illi Potẽtia generatiua, & vis producendi, quale ipſum, vt ſpecies conſeruaretur.

LECTIO I.

An Mater ad Generationem concurrat actiuè.

DE Potentia Generatiua nil eſt, quòd ſpeciale poſcat examen; Verùm de eius actu, qui eſt generatio, quæritur, an ad illum mater actiuè concurrat; & quidem Quæſtio procedit de Viuentibus, quę generantur virtute ſeminis, & per ſeminis emiſſionem, vt Leo, Equus, Homo; non de ijs Viuentibus, & Animalibus, quæ ex putri materia generantur, vt Anguillæ de quibus *Ariſt. 6. de Hiſt. Anim cap. 17.* aut de ijs, quæ quandoque ex ſemine, & partu, quandoque ex putri generantur, vt mures, & Veſpæ, de quibus etiã Ariſt. loc. cit.

Et ſanè idem eſt quærere, an mater ad generationem concurrat actiuè, ac quærere, an mater emittat ſemen, ſicuti è contrà concurrere ad generationem paſſiuè, nihil aliud eſt, quàm concurrere recipiendo ſemen.

Porrò denominatio Patris, & Matris ex uſu, & phraſi ſcholaſtica, non attribuitur niſi Viuentibus vita Rationali, ſicuti etiam denominatio filij, neque enim Schola appellat plantam, aut equum generantem patrem, & equum genitum, filium, vt patet ex communi modo loquendi; & ideò propoſita difficultas præcipuè militat de generatione Hominis.

Quòd igitur ſpectat ad huius Difficultatis ſolutionem; quia certum eſt, Patrem concurrere actiuè, Difficultas reſtringitur ad matrem.

Thomiſtæ cùm primis ponunt matrem ad generationem concurrere paſſiuè, recipiendo ſemen à viro, non emittendo. Ità colligunt ex *D. Thoma 3. par. q 72. ar. 4.* & volunt hanc Sententiam eſſe Ariſtotelis, & communem Philoſophorum.

Scotus in 3. d. 2. q. 2. per totũ, & Medicorum Schola communiter docent, etiam matrem concurrere actiuè, emittendo ſemen; Pro hac Sententia ſtare Ariſtotelẽ, mox oſtendam; An verò Sententia oppoſita ſit Communis inter Philoſophos, mihi eſt valdè incertum; Apud Recentiores Quæſtio iſta vel omittitur omninò, vel quam breuiſſimè expeditur. *Scoti* Sententiã ſequuntur Medici omnes, quibus in re propria maior Fides eſt adhibenda, & non modo *Scotiſtæ*, ſed plures ex Recentioribus, *Franciſcus Le Reès de Anima diſput. 1. Sect. vltima art. 2. Conimb. 1. de Gen. q. 27. art. 1. Hurtad de Gen. diſp 2 ſect. 6. Morandus 2. de Anima tract. 2. q. 12. num. 240. Ouied. de Gen. Cont. 2. puncto 7. nu 4* & plures Theologi apud *Suarez t. 2. in 3. p. diſp. 10 Sect. 2. §. hæ rationes. Arriaga 1 de Gen. diſp. 1. ſect. 6 num 66.*

Concluſio. Mater ad Generationem cõcurrit actiuè, emittendo ſemen.

Probatur primò ex *Ariſt. 1 de Hiſt. animalium cap 3 num 50. Quæ modò gignere animal poſſint, aut in ſeipſa ſemen prolificum mittunt, aut in alterum; Fœmina quod in ſe mittit; appellatur mas, quod in alterum. & cap. 19 nu. 30.* docet fœminas teſtes intus habere, & à maribus ſolo vtero differre. *& 1. de Gen. animalium cap. 2. nu. 50. & 60.* loquens de ſemine; *id autem quemadmodum ex mare, & fœmina prodeat nequaquam latere oportet*, & paucis interiectis, *Marem namque id animal dicimus, quod in alio gignit. Fœminam, quod in ſeipſa.* ergo ex mente Ariſtotelis fœminæ quoque emittunt ſemen.

Probatur ſecundò, ex Anatome, quia fœminæ habent eadem Vaſa ſeminis deferentia, coquentia, & ſeruantia; non ſecus, ac viri; conſtat enim ex Anatome fœminas, quæ diù ſe à Venere abſtinuerunt, multo ſemine redundare, ſecus verò quibus familiaris eſt Venus.

Probatur tertiò experientia, quia fœminæ etiam ſine congreſſu cùm maribus ſemen emittunt, & eo emiſſo refrigerãtur, non ſecus, ac viri, ergo.

Probatur Quartò quia. Non minus pater, quàm mater dicitur generare, ſed generare importat actionẽ n. ergo non magis pater, quàm mater actiuè ad generationem concurrit. Confirmatur quia generatio eſt actio aſſimilatiua, ſed ſæpè filius magis aſſimilatur matri, quàm patri, imò ſemper mater magis diligit filios quàm pater, vnuſquiſque enim naturaliter diligit opus ſuum, quàm è contrà, vnde & benefaciens plus afficitur beneficiato, quàm è contrà. ex 8. *Ætb. cap. 8. & 12.* ergo ſi non magis, ſaltem æquè actiuè cõcur-

currit mater, ac concurrat pater. tenet cõſequentia, quia principium actiuum eſt principium diſtinguendi, & aſſimilandi, & magis ea, quæ facimus nos, quàm ea, quæ patimur, amamus, atque diligimus; ergo.

Probatur quintò quia, fœmina, & mas ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo habere debent eaſdem potentias actiuas, ergo vtrumque habet uim actiuam generandi.

Probatur ſextò Argumentis petitis è re Theologica.

Primum eſt. Solet eſſe Quæſtio inter Theologos morales, & Sũmiſtas, an maritatæ poſt congreſſum maritalem poſſint ſe prouocare ad emittendum ſemen; & qui Sententiam affirmatiuam ſequuntur, vt *Bonac. de matrim. q. 4. pun. 6. Prop. 2. nu. 15.* mouentur eo fundamento, quia putant, ſemen mulieris eſſe neceſſarium ad generationem prolis;

Secundum deſumitur ex materia Incarnationis, quia ſi Beata Virgo ad temporalem generationem Chriſti Domini paſſiuè tantummodo ſe habuiſſet, & ſolam materiam miniſtraſſet, non eſſet vera mater Chriſti Domini, quia ſe habuiſſet, vt Terra, & minera in generatione auri; ſe habuiſſet, vt pinus, ex quo fit ignis, ſed neque terra, aut minera dicitur producere aurum, nec pinus dicitur producere ignẽ; imò Chriſtus Dominus natus eſſet ex Deipara, æquè, ac Anguillæ, & veſpæ ex putri materia; ſolũ eſſet differentia, quia Anguillæ, & veſpæ non ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed hæc patet eſſe abſurda, & hucuſque inaudita; ergo. Confirmatur ex auct. *D. Damaſcen. 48. virtutem tribuens ſuſceptiuam, ſimul autem & generatiuam*; at ſi Beata Virgo ſolùm ſuſcepiſſet à Spiritu Sancto materiam congregatam, actiuè autem non concurriſſet, non tribuiſſet virtutem generatiuam, ergo. Vide *Hurt. diſput. 2. de Gen. & Corrupt. ſubſect. 3.*

Dices, emitti à muliere non ſemen, ſed humorem quẽdam flaccidũ, aut emitti ſemen, ſed infæcundum.

Contrà eſt quia. Semen à fœmina emiſſum in Colore, & alijs accidentibus non eſt diſſimile à ſemine maſculi, ergò gratis negatur, non eſſe ſemen, vel non eſſe fæcundum, ſicuti eſt ſemẽ maſculi; Imò ſi eſt infæcundum, ergo eſſet ſuperfluè datum à natura, quod eſt abſurdum.

Obijcies primò. Fœminæ ſunt ſimiles pueris voce, & inpubertate, at pueri ſemen non emittunt, ergo. Cõfirmatur quia. Fœminæ ſunt ſimiles ſpadonibus voce, & pilis, ergo ſunt infæcundæ, vt illi.

Reſpondeo, negando conſequentiam, nam etiam fœminæ ſunt ſimiles puellis, at hæ ſunt infæcundæ, non ſic autem fœminæ adultæ ætatis; Dico igitur, eam ſimilitudinem inter pueros, ſpadones, & fœminas non oriri ex defectu ſeminis, aut infæcunditate, ſed aliundè. Adde, plures eſſe viſas fœminas viris ſimiles Barba, Voce, & robore.

Obijcies ſecundò. Fœminæ ſæpè cõgrediuntur cùm viris ſine voluptate, ergo ſemen non emittunt, quia in emiſſione ſeminis voluptas eſt. Confirmatur quia fœminæ vſu Veneris non macreſcunt, nec elanguent, vt viri, qui ſemen emittunt, ergo.

Reſpondeo; ſæpiùs fœminæ, quando cõgrediuntur, voluptatem ſentiunt, ergo ſemen emittunt. Cæterum quando voluptatem non ſentiunt, id non oritur ex eo, quòd ſemen non emittant, ſed ex eo, quòd vel ſunt ægræ, vel ob immoderatam Venerem, ſenſus temperamentum amittunt. Ad Confirmationem dico. Fœminas emittere, & ſimul recipere ſemen propriũ, & virile; at viri ſemen emittunt, ſed non recipiunt nec proprium, nec fœmineum.

Obijcies tertiò. In omni actione dari debet principium actiuum, & paſſiuum, ergo in generatione, fœmina, quæ tota eſt ad patiendum, erit principium paſſiuum; mas, qui totus eſt ad agendum, debet eſſe principium actiuum, aliàs confunderentur munera vtriuſque parentis, quia vterque actiuè concurreret.

Reſpondeo. Fœminam eſſe quidem principium paſſiuum, ſed non ſolùm paſſiuum, imò etiam actiuum; neque officia confunduntur, quia Pater ſolum actiuè, Mater actiuè ſimul, & paſſiuè concurreret.

Obijcies quartò. Auctoritatem Ariſt. 1. *de Gen. Animalium cap. 1.* vbi negat Philoſophus, à fœminis ſemen emitti. *& 4. lib. c. 1.* ponit, ſemẽ mulieris infæcundũ eſſe ad generationẽ, ergo quia ex Ariſt. Fœminæ, vel ſemen non emittunt, vel ſi emittunt, illud eſt infæcundum, manifeſtè concluditur, fœminas non concurrere actiuè ad generationem.

Reſpondeo. reuerà ſemen à fœminis non emitti, quia extrà vterum non egreditur, vt ſemen maris; clara ſunt verba tex. *Indicio etiam eſt ſemen non emitti à fœmina, quòd cum per coitum ſeminis voluptas contrectatione loci eiuſdem, atque maribus veniant, tamen humor ille non hic emit-*

emittitur; patet ergo ſemen fœmineum nõ emitti è loco, vbi effunditur; Et ad alium tex. Dico; Semen fœminarum infœcundum eſſe, quia ſe ſolo non poteſt, partum edere, & generare.

Obijcies quintò. Ex myſterio Incarnationis. Chriſtus Dominus dicitur natus ex Virgine, at ſi Beata Virgo concepiſſet ſemen, & facta fuiſſet eiuſdem ſeminis reſolutio, imminuta fuiſſet eius Virginitas, minuitur enim Virginitas ex quacunque ſeminis reſolutione, & effuſione, licèt non ſit ex coitu cùm viro, ſicuti & in viro minuitur Virginitas ex ſola ſeminis effuſione, licèt non ſit cum fœmina, ergo. Confirmatur quia, canit Eccleſia de Chriſto Domino; *procedens homo ſine ſemine*. Denique *D. Auguſtinus t. 3. lib. 10. de Gen. ad Litt. cap. 20.* docet. Chriſtum Dominum non fuiſſe in lumbis Adæ ſecundum rationem ſeminis, ſed ſecundum ſubſtantiam Corporis.

Reſpondeo. Beatam Virginem fuiſſe perfectè Virginem Spiritu, & Corpore: Spiritu quidem, quia non ſolum nunquam appetijt honeſtos viri congreſſus, ſed eos etiam Voto recuſauit, & ideò in ea ſemper fuit habitus Virginitatis. Corpore quidē, quia Virginitas Corporis non amittitur, niſi per ruptionem vteri, aut genitalium per congreſſum cùm viro, neutrum accidit in Beata Virgine, quia Chriſtus Dominus eius vterum penetrauit, ſicuti & Cœlos; ſemen Virginis abſque vllo prorſus ſenſu voluptatis conſtitutum eſt miraculoſè, & ſubitò in eius vtero, quin deferretur per conſuetos naturæ meatus. In viris, ſicuti & in fœminis, corrumpitur Virginitas effuſione ſeminis ratione voluptatis, & delectationis, at ſi delectatio deſit, & inuoluntaria ſit ſeminis effuſio, nullo modo Virginitas læditur. Denique *D. Auguſtinus* loquitur de ſemine viri, non de ſemine mulieris.

LECTIO II.

De Potentia Nutritiua, & eius Actu.

Quia Calor naturalis continuò abſumit humidum radicale; quo tamen abſumpto, Viuens marceſceret, & interiret; ideò data eſt Animæ vegetatiuæ à natura vis, & facultas reparandi humidum radicale per ſumptionem Cibi, & Potus, extimulante viuens ad talem ſumptionem Fame, & Siti. Porrò vis iſta reparandi humidum radicale, dicitur potentia nutritiua: eſt autem fames ex *Ariſt. 1. de Anima t. 28.* appetitus calidi, & ſicci; ſicuti è contrà ſitis, eſt appetitus frigidi, & humidi; non ità tamen fames dicitur eſſe appetitus ſicci; quaſi neceſſe ſit, cibum eſſe notabiliter ſiccum, vita enim ſeruatur humido, ſed quia debet eſſe calidus, & conſequenter moderatè ſiccus, vt ità diſtinguatur à potu. Similiter fames eſt appetitus calidi, non quia cibus non poſſit eſſe frigidus, ſed quia valdè frigida offendunt ventriculum, nec poſſunt concoqui. Sitis verò eſt appetitus frigidi, & humidi, vt temperetur calor naturalis, vndè potus non debet eſſe nimis frigidus, aliàs calor naturalis omninò extingueretur, & tamen vita etiam moderato calido ſeruatur. Fames, & ſitis, cauſantur à quodam doloris ſenſu, qui excitatur in orificio ventriculi ex diuulſione partium eius in ſe inuicem concidentium propter inanitatem, quia exinanitæ partes diuellunt, trahuntque ventriculum ratione caloris cibum, & potum poſtulantis.

Quęritur modo, quid ſit potentia nutritiua, quæ per famem, & ſitim extimulata Cibum quærit, & Potum, in beneficium, & conſeruationem viuentis.

Primò Nonnulli, ponunt Potentiam nutritiuam non diſtingui à calore naturali. Ità *Auer. 4. Met. cap. 2. Zimara Theor. 73.* & Recentiores aliqui, quos ſuppreſſo nomine citant, *Ruuius lib. 2. de Anima tract. de Pot. Ani. q 1. num. 12. Compluten. diſp. 8. q. 4. §. 1.*

Sed contrà eſt quia. Actus potentiæ nutritiuæ eſt nutritio, ideſt, conuerſio alimēti in ſubſtantiam viuentis, at talis conuerſio non poteſt fieri à ſolo calore naturali; talis enim Conuerſio conſiſtit in eo, quòd in alimento producatur ſubſtantia, & forma viuentis, at ſubſtantia non poteſt ab accidente produci, vt patet, ergo. Confirmatur ex *Ariſt. 2. de Anima t 41. Ignis cõcauſa quidem quodammodo eſt, non tamen ſimpliciter cauſa, ſed magis Anima.*

Alij ponunt, potentiam nutritiuam non diſtingui à temperamento, & combinatione primarum Qualitatum. Ità *Suarez 2. tom. Theol tract. 3 lib. 2. c. 9. apud Compluten. vbi ſuprà.*

Sed contrà eſt quia. Temperamentum, & combinatio primarum Qualitatum accidens eſt, ſed accidens non poteſt producere

Digitized by Google

cere ſubſtantiam neque vt Inſtrumentũ, vt cũ *Scoto* probauimus *diſp.* 12.*Lect.* 1. ergo

Thomiſtæ ponunt; Potentiam nutritiuam eſſe realiter diſtinctam ab Anima vegetatiua, vt patet ex generali eorum doctrina diſtinguente realiter omnes potentias ab Anima, tùm ex *Runio*, & *Complute. locis cit.*

Sed contrà hanc Sentẽtiam facit quia. hæc Potentia nutritiua debet conuertere alimentum in ſubſtantiam aliti, atque adeò debet producere formam ſubſtantialem viuentis in materia alimenti, ſed Accidens nõ poteſt propria virtute producere ſubſtantiam, *vt Lect. cit.* probauimus. ergo

Concluſio ſit. Potentia nutritiua ab Anima non diſtinguitur realiter, ſed formaliter, ſeu quidditatiuè.

Probatur quia: ità ſaluatur, in alimento produci Animã ab Anima, ſicut Ignis ab Igne, homo producitur ab Homine; & ex alia parte, aliud eſt, Animam vegetatiuam conſtituere viuens vegetatiuum, & aliud ſanè eſt, inducere formam vegetatiuam in alimẽtum, ergo aliqua diſtinctio formalis, & quidditatiua eſt inter Animam vegetatiuam, quæ conſtituit viuens vegetatiuum, & Potentiam nutritiuam, quæ inducit formam vegetatiuam in alimentum.

Colligite ex his primò: eodem modo potentiam Generatiuam, & Augmentatiuam non diſtingui realiter ab Anima, diſtingui vero formaliter, & quidditatiuè.

Colligite ſecundò: omne viuens indigere alimento, ſi tamen ſanum ſit. Ratio eſt quia. omne viuens conſtat ex humido radicali, & calore naturali abſumente humidum, quod propterea debet continuò, & inceſſanter per nutritionem reparari. Hinc miraculo adſcribitur, quòd Chriſtus Dominus, Moyſes, & Elias per 40. dies cibo abſtinuerint, nam, vt benè notat *Hypocrates*, inedia per Hebdomadam Homini lethalis eſt.

Dixi, ſi tamen ſanum ſit; nam ſi demus Hominem pigrum, ſomnolentum, pituita craſſa, viſcidaquè refertum, non dubito, illum dici poſſe viuere ſinè cibo, & potu. Refert enim *Albertus*, fœminam per 30. dies cibo abſtinuiſſe; & quidem patet, Animalia imperfecta diù viuere ſinè cibo, vt glires, & aliqui mures tota hyeme cibo abſtinent, & ſomno pingueſcunt.

An poſſit eſſe nutritio ex Elemento puro. Docet *Galenus lib.* 3. *de ratione victus c.* 17. ordinarium alimentum viuẽtis eſſe aliquod mixtum, licèt aliquando quædam Animalia nutriantur elemento puro, ità Camaleon Aere, ſerpentes Terra, Piſces Aqua, Salamandra Igne, viuunt. *Ariſt.* 2. *de Gen. t.* 52. & *lib de ſenſu, & ſenſili cap.* 5. negat, Animalia poſſe nutriri odore, contrà quod ſentiebant Pythagorici.

LECTIO III.

De Potentia Augmentatiua, & eius Actu.

DVæ Quæſtiones ſunt hic breuiter Reſoluendæ. Prima eſt, An potentia Augmentatiua diſtinguatur à nutritiua. Secunda eſt, an Actus Augmentationis ſit continuus, & non interruptus per morulas, ſeù vt alij loquuntur, per inſtantia interpolata.

Quoad Primam Quæſtionem.

Poſuerunt Aliqui. Potentiam Augmẽtatiuam non diſtingui à nutritiua; *Ità Durandus in* 1 *d.* 3.*q.*2.*nu.*19.*Conimb. lib.*2.*de An.c.*4 *art.* 2. *Suarez* 2. *de Anima q.*9.*Toletus q.*10.

Thomiſtæ ponunt; diſtingui realiter. Ità *Iandunus* 2 *de Anima q.*13. *Iauellus q.*18. & *Alij* 1.*p.q* 78 *art.*2. *Albertus* 2. *de Anima tract.* 2. *Apoll. q.* 9. *Paulus Ven. circa t.*50.

Sentio cùm *Scoto* vniuerſaliter aſſerente, Potentias Animæ, tàm ab Anima, quàm adinuicem diſtingui formaliter, & quidditatiuè, nutritiuam, & Augmentatiuam; & quò ad iſtas duas Potentias cùm *Scoto* ſentiunt *Marſilius* 1. *de Gen. q.* 10. *Conimb. Toletus, Durandus locis mox cit.*

Concluſio. Potentia Augmentatiua, & nutritiua non diſtinguuntur realiter, ſed formaliter quidditatiuè.

Quòd nõ diſtinguantur realiter; patet, tùm quia non poſſunt ſeparari, neque enim datur poſſe augmentari, & non poſſe nutriri, aut è contrà. & ex alia parte nulla eſt neceſſitas multiplicandi potentias realiter diſtinctas, cùm ſufficiat, eas formaliter, & quidditatiuè diſtinguere; & hoc iam probo; quia Potentia augmentatiua tendit in acquiſitionem Quantitatis; nutritiua verò in acquiſitionem ſub-

Digitized by Google

ſtantiæ,ergo iam diuerſa eſt quidditas;& formalitas potentiæ augmentatiuę,& nutritiuæ, & conſequenter formaliter quidditatiuè diſtinguuntur. Confirmatur ex *Ariſt.1.de Gen.t.41 differunt nutrimentum & Augmentatio ratione*, ideſt,quidditate.

Quoad Secundam Quæſtionem.

An Augmentatio ſit motus continuus, an verò diſcretus,& momentaneus, ideſt per momenta, ſeù inſtãcia interpolata,& per morulas interruptus.

Ponunt aliqui; Augmentationem fieri per morulas,quatenùs in vno inſtanti,ſeù momento producitur aliquid quantitatis totum ſimul;deindè ceſſat Augmentatio per aliquod tempus,ſeù momentum;quo elapſo iterum fit augmentatio,& acquiſitio quantitatis,& ſic deinceps. Ità diſcurrunt *Auer.3 Phyſ.com.8.Albertus 8 Phyſ. circà t.23 Ferrarien.q.6. Soncinas 8.met.q. 21.Pomponatius lib.1.de nutrit.& Augmẽt. c.9.Tol.lib.1 de Gen.q.11.*

At Augmentationem eſſe motum continuum, & ſucceſſiuum, ponunt. *Burlæus 3. Phyſ circà tex.6 Caiet. Thiennenſis 5. Phyſ q.3. Sotus item q.3. Iandunus lib.8.& alij*, quos citat,& ſequitur *Aueiſa de Anima q.50.ſect.7.*

Concluſio.Augmentatio fit ſucceſſiuè, & continuò,itàut non interrumpatur per morulas,aut inſtantia interpolata.

Probatur quia. quantitas, & quælibet eius pars eſt diuiſibilis,ergo non poteſt in momento tota ſimul introduci, ſed potius debet introduci ſucceſſiuè,& per partes poſt partes,aliàs non diſtingueretur à generatione,quæ eſt inſtantanea,& fit tota ſimul. Ex alia parte non eſt, cur ſemel incepta augmentatione, debeat Anima motum interrumpere, & morari, iam enim eſt debitè applicata materiæ præparatæ iam, & diſpoſitæ, ergo continuabit inceptam actionem, & non interrumpet per morulas, Agens enim naturale applicatum paſſo diſpoſito, & à fortiori, ſi cepta ſit actio,non poteſt nõ continuare; ſimili ratione, qua ſi igni applicetur puluis ſulphureus longo tramite deductus, vtique Ignis continua, & non interrupta actione, & combuſtione ſibi materiam illam aggregabit,& in ſe conuertet.

Fateor, Augmentationem non eſſe continuam, quia non fit toto tempore vitæ, quia non ſemper viuens augetur; datur enim ſtatus conſiſtentiæ, & ſtatus decrementi,vt alibi ex *Ariſt.* adnotaui.

Similiter non eſſe continuam, quia nõ fit ſimul in omni parte viuentis,ſed prius in vna parte,deindè in alijs,prout Alimẽtum priùs in vna, deindè in alijs diffunditur.

Dices primò;ex *Ariſt.8 Phyſ.23. neque augeri, neque minui poſſibile eſt continuè, ſed eſt medium.*

Reſpondeo. Augmentationem non fieri continuè; ideſt, ſemper,& toto tempore vitæ,dantur enim ex *Ariſt.* & in omnium Sententia ſtatus conſiſtentiæ,& decrementi.

Dices ſecundò: Dantur in quolibet viuente minima naturalia, ideſt, partes ità minimæ,vt minores eſſe nequeant, ſed in ijs Alimentum, & conſequenter etiam Quantitas ponitur tota ſimul, ergo augmentatio fit in inſtanti. Rurſus illa minima naturalia ità ſe habent, vt quælibet ſit intrà ſuum porum incluſa,at pori non ſunt continuati,quia diuerſæ rationis,ergo augmentatio in ijs nõ põt fieri continuatiuè,ſed neceſſariò debet interrumpi, quando augmentatio tranſit de vno poro ad alium.

Reſpondeo in primis, non dari ea minima naturalia, ſeù indiuiſibilia, quia omnia indiuiſibilia fusè alibi impugnauimus. Deindè dico. Poros illos,& cauitates eſſe continuatas, non interruptas; aliàs viuentis partes eſſent diſcontinuatæ,ac in fruſta conciſæ;& ſanè qui nuda oſſa diligenter obſeruauerit, plures in ijs cauitates inueniet, non interruptas, ſed continuatas.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

DE ANIMA SENSITIVA.

HAc Anima conſtituitur Animal, vt ſic, quod eſt Principium ſentiendi vt ſic, & in genere, commune Bruto, & Homini, non Arboribus, aut Plantis. Tres Potentiæ huic Animæ conueniunt. Senſitiua, quæ aſſimilatur Intellectui. Appetitiua, quæ aſſimilatur Voluntati. Denique locomotiua, de qua eſt dubium, an conueniat Animæ Rationali.

Subdiuiditur Potentia locomotiua in Perfectam, qua Anima ſecundum ſe tota mouetur de loco ad locum; & Imperfectam, qua mouetur ſecundum aliquam partem intrà ſuum locum. Potentia Appetitiua ſubdiuiditur in Iraſcibilem, & Concupiſcibilem; hæc eſt, qua Brutum tendit in bonum ſub ratione Boni ſimpliciter; Illa eſt, qua Brutum tendit in bonum ſub ratione ardui, & difficilis, quia nimirum tendit ad tollendas difficultates, & impedimenta, quæ occurrunt, in ratione boni concupiti. Plures actus Potentiæ vtriuſq; enumerare, & explicare, non ad naturalem, ſed ad moralem Philoſophum ſpectat.

Deniq; Potentia ſenſitiua diuiditur in Externam, & Internam; externa ſunt quinq; ſenſus notiſſimi, Viſus, Auditus, Odoratus, Guſtus, & Tactus, qui quidem ſenſus dicuntur externi, quia habent organa exteriùs apparentia, vt ſunt Oculi, Nares, Aures. Interna habet organa intrinſecùs latentia, & occulta. Hæc etiam ſubdiuiditur in quinq;, nimirum ſenſum communem, Imaginatiuam, AEſtimatiuam, ſeù Cogitatiuã, Phantaſiam, & Memoriam.

Has potentias diſtingui formaliter ex natura rei, mihi ex eo

Digitized by Google

redditur probabile, quia ſi Anatomiſtis fides eſt, diſtincta organa pro his Potentijs notata, & diligenter obſeruata ſunt; & prætereà habent diſtincta munera, & officia. Senſus enim communis habet, ſpiritus animales tranſmittere ad ſenſus externos, vt ſenſatio fiat; & rurſus recipere ſpecies à ſenſibus externis. Imaginatiua habet, ſpecies iſtas ſenſatas conſeruare. Cogitatiua, ſeù æſtimatiua habet apprehendere ſpecies non ſenſatas, ſic ouis videt lupum, & fugit, apprehendit enim illum eſſe ſibi inimicum, inimicitia autem eſt ſpecies non ſenſata.

Phantaſia habet ſpecies iſtas ſiuè ſenſatas, ſiuè inſensatas coniungere. Memoria denique habet species non ſensatas retinere.

Et ſanè tanta eſt ſimilitudo, intèr Potentiam ſenſitiuam Brutorum, & Intellectum Hominis, vt plures ex Antiquis Philoſophis non dubitauerint, rationem, & Intellectum Brutis concedere, vt refert Ariſt. 2. Phyſ. 30. *In ſenſibus Internis non immoror, quia de illis graues difficultates non occurrunt.*

LECTIO I.

De obiecto Senſibili,

OBiectum, vt ſit ſenſibile, debet in primis eſſe corporeum, incorporea enim, vt Anima Rationalis, Angelus, Deus, ſenſibilia non ſunt. Secundò debet eſſe reale, non entia enim, negationes, & priuationes rerum haud ſenſibus percipiuntur. Tertiò debet eſſe ſingulare, quia Vniuerſalia abſtrahunt à ſenſibus; deniq; debet eſſe Accidens, ſubſtantia enim latet ſub Accidentibus, & ideò non niſi mediatè, mediantibus, ſcilicet, accidentibus, innoteſcit.

Diuiditur obiectum ſenſibile, ità vt aliud ſit ſenſibile Proprium, & aliud ſenſibile commune. Senſibile Proprium eſt, quod vno ſenſu percipitur, vt albedo, quę ſolo viſu percipitur. Senſibile Commune duobus, aut pluribus ſenſibus percipitur, ſic Roſæ magnitudo percipitur viſu, & tactu; ſenſibilia communia enumerantur quinque. Quies, motus, numerus, figura, & magnitudo. Ad motum reducitur Vbi, Actio, & Paſſio. Ad figuram reducitur ſitus, aſperitas, lenitas, mollities, durities; denique ad magnitudinem reducuntur Denſitas, & Raritas.

Iterum aliud eſt ſenſibile per ſe, & aliud eſt ſenſibile per Accidens. Senſibile per ſe eſt illud, quod per propriam ſui ſpeciem, & Imaginem repræſentatur, ſenſibile per Accidens, quod per imaginem, & ſpeciem alterius innoteſcit, vt patet.

Solet eſſe Quæſtio. An ſenſibile commune propriam ſui ſpeciem, & Imaginē habeat, in qua repræſentetur. Tres ſunt in hac Quæſtione Opiniones diuerſæ.

Prima defendit. Senſibile commune ſentiri per Imaginem ſenſibilis Proprij, non per propriam ſui Imaginem, & ſpeciem. Ità *Ferra. 2. de Anima. q. 11. Caiet. & Palatius ibidem cap 6 Fonſeca lib. 2 cap. 2.*

Sed contrà eſt; quia ſi ſenſibile commune propriam ſui imaginem non haberet, non diſtingueretur à ſenſibili per Accidens, quod ex *Ariſt. 2. de Anima t. 6.* non habet propriam ſui ſpeciem, ſed ſentitur per ſpeciem, & Imaginem alterius.

Secunda opinio ponit; ſenſibile Proprium repræſentare ſenſibile commune, ſeù eſſe id, quo ſentitur ſenſibile commune, & conſequenter ſenſibile Proprium eſſe obiectum primarium, & formale

ſenſi-

ſenſibile verò commune eſſe ſenſibile ſecundarium, & materiale; hinc eſt, vt non videatur albedo, vt ſic, ſed albedo talis; ideſt, tanta, & tanta.

Ità *Ruuius 2. de Anima c. 6 q. 11. & pro ſe affert D. Thomam 2. de Anima lect. 13. Ban. Philop. Thiennenſem, Paulum Venetũ c. 11 lib. 2. de Anima. Toletum q. 14.*

Sed contrà eſt, quia licèt de facto non videatur albedo, niſi quanta, nec videatur quantitas, niſi colorata; quæ tamen repugnantia eſt in hoc, quòd videatur albedo, abſque eo, quòd videatur quanta, & ſentiatur Quantitas abſque eo, quòd videatur albedo? Albedo enim eſt color, ergo eſt de ſe viſibilis præciſa quantitate, quia color de ſe eſt formale obiectum viſus, neque enim eſt viſibilis ratione quantitatis; eſto de facto, & naturaliter non ſit, niſi in quantitate. ex alia parte quantitas eſt ſenſibile commune, ergo ſe ſola, & præciſo colore poteſt videri, & tãgi, quãuis de facto, & naturaliter non ſit quantitas, niſi colorata. non ergo color eſt obiectum primarium, & formale, Quantitas obiectum ſecundarium, & materiale, ſed vtrumque eſt obiectum primarium, vtrũque eſt obiectum formale ſenſationis.

Quòd autem poſſit ſentiri ſenſibile Proprium abſque ſenſibili communi; ſanè hoc eſſe poſſibile naturaliter, & præcipuè Corpus Chriſti Domini Sacramẽtatũ, quamuis extenſione locali nudatũ, poſſe naturaliter videri, docent *Ocham in 4. d. 10. q. 5. ar. 2. Maior q. 5. Gab. lect. 45. in Canone miſſæ*; & de abſoluta potentia id eſſe poſſibile, & præcipuè Corpus Chriſti Domini poſſe videri ab oculo glorioſo, docent cùm *D. Thoma in 4. d. 10. q. 4. art. vlt. Thomiſtæ* communiter, & ibidem cum *Scoto* eius diſcipuli. imò *Scotus q. 9.* docet, quòd ſi Lux eſſet punctalis, adhuc eſſet viſibilis, & videretur. Ratio eſt, quia color eſt obiectum formale viſus, ergo vt videatur, non dependet per ſe à quantitate, aut alio ſenſibili communi.

Confirmatur quia; per Aduerſarios ſenſibile proprium eſt obiectum primarium ſenſus, quantitas eſt obiectum ſecundarium, & obiectum primarium non dependet à ſecundario quoàd ſentiri, vel non ſentiri, ergò.

Ex alia parte, etiam ſenſibile commune poteſt ſentiri ſinè ſenſibili proprio, quia ſi ſenſibile commune non poteſt ſentiri, niſi tunc, & in eo caſu, quo ſentitur ſenſibile proprium, ſequeretur ſenſibile commune ſentiri per accidens, ideſt, ſentiri, quatenùs eſt accidens ſenſibilis proprij, atqui falſum eſt omninò, vel ipſis Aduerſarijs vltrò fatentibus, ſenſibile commune eſſe ſenſibile per Accidens, ergò.

Confirmatur quia; poteſt quis manu tãgere Cælum, in quo eſt ſola Quantitas, & nullum ſenſibile Proprium, nullam enim habet Cælum qualitatem tangibilem, ſeù contrariam, quia cùm incorruptibile ſit, caret contrarijs, ergo ſolum ſentitur eius magnitudo, & quantitas.

Denique redditur ratio à priori, quia ſenſibile commune eſt obiectum formale plurium ſenſuum, non minus, ac color eſt obiectum formale vnius ſenſus, ideſt, viſus, ergo æquè poteſt ſolùm videri ſenſibile commune, ac poſſit ſolùm videri ſenſibile Proprium.

Tertia denique Sententia ponit; ſenſibile commune tranſmittere propriam ſui ſpeciem contradiſtinctam à ſpecie ſẽſibilis Proprij. Ità *Scotus in 4 d. 10. q. 9. Hẽricus de Gandauo lib. 2. de Anima qu. 17. AEgidius eodem lib. ad t. 65. dub. 2. Ianduinus q. 18. & alij.*

Probatur primò quia, ſi ſenſibile commune non tranſmitteret propriam ſui ſpeciem, eſſet ſenſibile per Accidens, at hoc eſt abſurdum, ergo.

Probatur ſecundò quia: ſenſibile commune eſt diuerſæ omninò entitatis à ſenſibili Proprio, ergò non poteſt repræſentari per ſpeciem ſenſibilis Proprij, ſicuti per ſpeciem, & imaginem Petri non poteſt repræſentari Paulus, aut equus, vel Angelus, ergò per ſpeciem ſenſibilis proprij non poteſt ſentiri, & percipi ſenſibile commune.

Probatur tertiò quia; ex dictis poteſt ſentiri ſenſibile commune, & non ſenſibile Proprium, ergo ſaltem tunc, & in eo caſu non poteſt ſentiri ſenſibile commune per ſpeciem ſenſibilis Proprij.

Probatur quartò quia; ſepè accidit ſenſibile proprium videri per propriam ſpeciem, & variari ſenſibile commune, cum quo ſimul videbatur, vt ſi videatur album ſub figura triangulari, & hæc poſteà fiat quadrangularis; tunc, vel eſt mutata ſpecies, qua videbatur album, vel non eſt mutata; ſi talis ſpecies eſt mutata, cum ſupponatur eſſe mutata figura, & nõ albedo, iam figura tranſmittit propriam ſpeciem: ſi ſpecies non eſt mutata, ergo non videtur figura quadrangularis, non enim poteſt eadem ſpecies vtramque figuram, & triangularem,

Digitized by Google

larem,& quadrangularem repræſentare.

Probatur quintò quia; ſenſus dicuntur decipi circà ſenſibile commune, & non decipi circà ſenſibile proprium,ergo non eadem ſpecie vtrumque videtur, aliàs circà vtrumque contingeret error, aut circà neutrum.

Dices primò; non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ergo non eſt,cur pro ſenſibili communi, debeat poni ſpecies diſtincta, poteſt enim repræſentari per eandē ſpeciem ſenſibilis proprij.

Reſpondeo,neceſſitatem oſtendi ex Rationibus adductis ad probandam Concluſionem, præſertim verò ex illa, quia per imaginem vnius entitatis non poteſt alia entitas omninò diſtincta, & diuerſa repræſentari.

Dices ſecundò: ſi ſenſibile commune tranſmitteret propriam ſui ſpeciem, de facto poſſet videri ſenſibile commune ſine ſenſibili proprio,hoc videtur abſurdum,ergo. probatur ſequela, quia ſit Carta nigro colore depicta,deindè intendatur nigredo; ſanè nigredo magis intenſa longiùs videbitur,quàm antea, quando erat remiſſa, ergo longiùs videbitur, quàm Carta,videbitur ergo ſenſibile proprium abſque ſenſibili communi.

Reſpondeo,caſum adductum fauere Cōcluſioni poſitæ, nam plures ex Auctoribus pro ea Concluſione volunt,de facto videri eminus Turrim, verbi gratia,non viſo aliquo eius colore, & conſequenter de facto videri,& ſentiri ſenſibile commune, figurā, & magnitudinem Turris, non viſo ſenſibili proprio; ergo etiam facilè concedent illi Auctores,poſſe videri ſenſibile proprium non viſo ſenſibili communi in aliquo caſu, licèt regulariter,& vt plurimum vtrumque ſimul ſentiatur, quia adeſt naturalis connexio inter ſenſibile proprium,& cōmune.

LECTIO II.

Aliæ Quæſtiones Reſoluuntur.

Prima quæſtio ſolet eſſe. An ſenſus errent circà obiectum ſenſibile.

Academici ex Antiquis putarunt,Senſus ſemper falli, & ſemper indigere, vt corrigantur ab intellectu.

Epicurei aſſerebant,Senſus nunquam falli & nefas eſſe, dubitare de eorum fidelitate. Ità referunt *Tullius in q. Acad. D. Auguſtinus lib.8.de Ciuit.Dei c.7.*

Ariſtoteles, & cum eo Philoſophi communiter omnes media via, & cum diſtinctione procedunt, nimirum, Senſus circà ſenſibile proprium vel nunquam, vel rarò decipi; at circà ſenſibile Commune, aut etiam ſenſibile per accidens frequenter decipi,verba ſunt 2.*de Anima t.*161.*ſenſus propriorum quidem eſt verus, aut quàm pauciſſimum habens falſum,ſecundò autem eius, cui accidunt, & hæc, vt hic iam contingit, vt falſus ſit.* & paucis interiectis. *Tertio autem communium, & conſequentiū ea,quæ accidunt iis, quibus inſunt propria, dico autem, vt motus, & magnitudo, quæ accidunt ſenſibilibus,circà quę maximè iam eſt decipi ſecundum ſenſum.*

Hanc *Ariſtotelis* Doctrinam confirmat experientia; in primis enim circà magnitudinem contingit error in viſu, quando propter diſtantiam res magnæ apparent paruæ, & exiguæ, ità Stellæ apparent minores Terra, cum tamen quælibet vel minima Stella ſit maior Terra. ſecundò circà figuram.nam Turris quadrata eminùs apparet rotunda.tertiò circà motum,& quietem, vt cum ſoluentibus è portu litora videntur moueri, cum enim non deprehendant motum, quo ipſi rapiuntur, putant litora ipſa moueri; è contrà Planetæ quāuis citiſſimo motu ferantur, nobis videntur ſtare,& quieſcere.denique circà numerum contingit error, quando ſpeciei reflexione in ſpeculo diuiſo, vel polygono repræſentatur obiectum,vt multiplex.

Dices.experientia quoque patet,ſenſum decipi circà ſenſibile proprium, nam ægris dulcia videntur amara;Similiter manus,verbi gratia, ſi per vitrum rubrum videatur, apparet rubra; denique, ſi obiectū viſus nimium diſtet,repræſentatur, ac ſi eſſet fuſcum,vel nigrum, quamuis reuerà ſit album.

Reſpondeo.ſenſum non decipi circà ſenſibile proprium, dummodò concurrant tres conditiones;prima eſt, vt organum non ſit prauè diſpoſitum:defectu huius cōditionis,& quia ægri lingua infecta eſt humore bilioſo,dulcia videntur amara.ſecunda eſt,vt medium ſit ſincerum,& extraneis qualitatibus minimè obnoxium, defectu cuius conditionis manus viſa per medium rubrum,apparet rubra. tertia, vt adſit proportionata diſtantia,defectu cuius conditionis facies eminùs fuſca apparet.

Replicabis. ſi adſint tres aſſignatæ conditiones, ſenſus non poteſt errare neque circà ſenſibile commune, ergo eodem

Digitized by Google

modo ſe habet ſenſus circà ſenſibile commune,ac circà ſenſibile proprium.

Reſpondeo. Defectum earum conditionum frequentiùs accidere circà ſenſibile commune, quàm circà ſenſibile proprium, ideò frequentius errat ſenſus circà ſenſibile commune,quàm circà ſenſibile propriũ.

Quæſtio ſecunda ſolet eſſe,an verum ſit commune dictum, *Senſus læditur à vehementi ſenſibili*.nam in primis videtur tale dictum non verificari, quia ſenſus naturaliter inclinat ad obiectum ſenſibile, nõ ergo poteſt ab eo lædi, nulla enim Potentia inclinat naturalitèr ad id, à quo damnum patitur,& læditur.Imò quemadmodum intellectus à nobiliori obiecto potiùs perficitur, quam lædatur, ità & ſenſus à vehementiori obiecto non læditur,imò potiùs perficitur.

Experientia autem ſuadet oppoſitum; nam intuẽtes Solem ob nimiam lucem excæcantur; oculi niuem intuentium maximè læduntur;ob nimium ſtrepitum, & vehementem ſonitum aures obſurdeſcunt,ob nimiùm acutos odores maximè offenditur odoratus. & Ratio huius experientiæ eſt quia; vehemens ſenſibile lædit ſenſorium, ideſt, organum, in quo exercetur ſenſatio, læſo autem organo, intelligitur quoque, & ſenſus læſus,ideoque benè ait *Galenus lib. 1. Aphoriſm. 20. omnis exceſſus deijcit actũ propriȩ uirtutis*.

Ad rationes in oppoſitum, dico, per accidens eſſe, quòd à ſuo obiecto lædatur, & offendatur ſenſus, *ob exuperantiam* vt lõquitur *Ariſtoteles 2. de Anima t. 123. manifeſtum autem ex his, & propter quid ſenſibilium exuperantiæ corrumpunt ſenſoria*, de intellectu longè diuerſa eſt ratio, quia intellectio non fit per aliquod organum, aut corporeum Inſtrumentum, ideoque quia excellens obiectum non habet organum,quod lædat, neque lædit intellectum.

Quæſtio Tertia ſolet eſſe. an ipſa ſenſatio ſentiatur,& ſit obiectum ſenſus.

Reſpondetur communiter, proprium eſſe intellectus, poſſe reflectere ſuprà ſuos actus, & ſuas cognitiones cognoſcere, & Ratio eſt quia. intellectus habet pro obiecto omne ens, at ipſa eius cognitio, & intellectio eſt ens, ideò per actum reflexum ab intellectu cognoſcitur, & intelligitur;at ſenſus non poteſt ſuprà ſeipſum reflectere, quia non poteſt attingere omne ens, ſed tale ens determinatum, quòd ſit coloratũ, ſonabile,& huiuſmodi,quæ formales rationes propriæ obiectorũ cuiuſque ſenſus.non conueniunt ſenſationi; ideò ſenſatio ipſa nequit eſſe obiectum ſenſus. deindè patet experientia, nemo enim videt ſuam viſionem,aut ſuam auditionem exaudit.

LECTIO III.

An Dentur Species.

VTraquæ Schola Philoſophorum, ſcilicèt, & Theologorum tres nouit ſpecies; nempè impreſſam, quam appellat ſenſibilem, ſi ponatur in ſenſu externo; appellatintentionalem,ſi ponatur in ſenſu interno; intelligibilem, ſi ponatur in intellectu.alia ſpecies,quam Schola nouit,& aſſignat, eſt ſpecies obiectiua;denique eſt ſpecies expreſſa.

Nomine ſpeciei impręſſæ, ſiue intelligibilis dicatur, ſiue ſenſibilis, venit quædam qualitas producta ab obiecto intelligibili, vel ſenſibili, & ad potentiam ſiuè intellectiuam, ſiuè ſenſitiuam tranſmiſſa, eo fine, vt ſimùl cum potentia concurrat ad eliciendam intellectionem, vel ſenſationem; vult enim Schola, potẽtiam ſe ſola non eſſe ſufficiens principium productiuum intellectionis,ſeù ſenſationis, ideò requirere,vt adiuuetur ab obiecto, ab eoque compleatur in ratione principij; & quia obiectum eſt abſens, loco ſui tranſmittit ſpeciem, tanquam ſui vicariam, quæ præſtet id ipſum,quod aliàs præſtaret obiectum,ſi eſſet præſens, & ideò talis ſpecies dicitur etiam ſemen obiecti,quia eſt quoddam veluti Inſtrumentum obiecti, vt ſemen in Animali eſt inſtrumentũ generationis alterius Animalis,& viuentis.

Nomine ſpeciei obiectiuæ venit Idolum quoddam;ſeù quædam imago, quæ viſa, & cognita ducit nos in viſionem,& cognitionem obiecti, ſicuti Imago Cæſaris in carta, vel tabella varijs coloribus depicta, & expreſſa, eſt ſpecies obiectiua Cæſaris, quia ipſa viſa facit nos uidere Cæſarem.

Nomine denique ſpeciei expreſſæ venit ipſa formalis repræſentatio obiecti, quæ formalis repræſentatio, vel eſt ipſa formalis ſenſatio,aut intellectio,vel terminus ipſius ſenſationis iuxtà varias Sententias.

In præſenti non eſt ſermo de ſpecie expreſſa,neque de ſpecie obiectiua, nam de his infrà cum de intellectione ſermo erit, & diſputatio.

Reſtringitur difficultas ad ſolam ſpeciem impreſſam,quæ abſolutè, & ſimplici-

Digitized by Google

ter venit nomine ſpeciei. De ſpecie igitur iſta impreſſa communis Sententia tria potiſſimum docet;& quidem

Docet primò:Hanc ſpeciem impreſſam dari in ſenſibus externis, & internis reſpectu obiecti ſenſibilis, & in intellectu reſpectu obiecti intelligibilis.

Docet ſecundò:Hanc ſpeciem,tanquam Vicariam, & ſemen obiecti ab ipſo obiecto produci, & tranſmitti ad potentiam, in qua ſpecies præſtat duos effectus; Primus eſt vnire, ſeu approximare cum potentia obiectum, quod eſt longe diſtans à potentia; Alter effectus eſt,complere potentiam, & ſimul cum illa concurrere ad formalem expreſſionem, ſeu repræſentationem obiecti, quæ formalis repræſentatio in ſenſu dicitur ſenſatio,& in intellectu,dicitur intellectio.

Docet tertiò:Hãc ſpeciem impreſſam appellari imaginem repræſentatiuam obiecti,quia ſimul cum potentia concurrit ad repræſentandum, & exprimendũ obiectũ.

Sed contrà hanc communem Sententiam, & doctrinam primò facit; quia ſpecies impreſſa non videtur poſſe dici, & appellari imago obiecti, nam imago eſt,quæ cognita, & viſa ducit nos in cognitionem, & viſionem obiecti, denominatio enim imaginis deſumpta eſt ex analogia ad imaginem externã; v.g.ſtatua Cæſaris eſt imago Cæſaris, quia ipſa viſa ducit nos in viſionem Cæſaris, at ſpecies impreſſa non ità ſe habet,vt ipſa viſa ducat nos in viſionem obiecti, ergo non meretur nomen imaginis.

Reſpondebis,eſſe imaginẽ non quidem obiectiuam, ſed effectiuã, quia ipſa effectiuè concurrit ad ſenſationem, quæ eſt expreſſa,& formalis imago obiecti.

Sed contra eſt,etiam potentia concurrit ad expreſſam, & formalem repræſentationem obiecti, & tamen non dicitur imago obiecti, ergo concurſus effectiuus,quem exercet potentia in ordine ad eliciendam ſenſationem, non ſufficit ad dandam denominationem imaginis.

Replicabis adhuc; diſparitatem eſſe, quia ſpecies ſe tenet ex parte obiecti, & ideò poteſt dici eius imago; at potentia non ſe tenet ex parte obiecti, ideò non poteſt dici eius imago.

Sed contra eſt quia.Speciem ſe tenere ex parte obiecti,nihil eſt aliud,quàm effici ab obiecto,tanquam à cauſa; at non omne, quod ab alio efficitur, eſt imago reſpectu illius, neque enim calor eſt imago ignis, quamuis ab igne fiat; Filius eſt, & dicitur imago Patris, non quia fiat quomodocunque à Patre, ſed quia eſt illi ſimilis in natura,& ſæpè etiam in externis lineamentis, aut etiam in temperie,& complexione naturali. Hinc filius apud Hyſpanos dicitur ijos,quod Græcis eſt imago.

Secundò principaliter cõtra hanc communem doctrinam facit; quia non poteſt adduci ratio,quæ efficaciter probet,neceſſitatem harum ſpecierum, & quæ earum exiſtentiam conuincat, ergo non eſt, cur huiuſmodi ſpecies multiplicentur, non enim ſinè vrgenti neceſſitate debent entia multiplicari.

Nam in primis, ſi quæ ratio probaret, dandas eſſe ſpecies, eſſet quia ad producendam ſenſationem non ſolum debet concurrere potentia, ſed etiam obiectum iuxta illud *D. Auguſt. lib. 9. de Trinit. cap. 12. ex obiecto, & potentia paritur notitia*.

Sed obiectum ſæpè eſt abſens, ſæpè etiã eſt improportionatum potentiæ, conſequenter non poteſt ſeipſo concurrere,concurrit ergo media ſui ſpecie, quæ proptereà dicitur Vicaria,& ſemen obiecti.

At hæc ratio non ſuadet, dandas eſſe ſpecies, cur enim debet concurrere obiectum ad ſui ſenſationem, vel notitiam? nonnè Voluntas ſeipſa, & non per aliquam ſpeciem concurrit ad amandum obiectum ſuum, ergo eodem modo intellectus ſeipſo, & non per ſpeciem obiecti concurrit ad cognoſcendum obiectum ſuum.

Reſpõdebis. Obiectum fieri præſens Voluntati per actum intellectus proponentis tale obiectum;at obiectum eſt longè diſtãs ab intellectu, ideò debet illi fieri præſens per ſpeciem.

Sed contrà eſt quia non poteſt produci ſpecies ab obiecto, niſi iam præſupponatur præſens, ſpecies enim producitur ab obiecto in potentia, comparantur ergo obiectum, & potentia, tanquam agens,& paſſum;at hæc debent eſſe approximata, & inuicem præſentia, vt agant, ergo vt ab obiecto intelligatur produci ſpecies, debet præintelligi obiectum iam præſens.

Neque enim ſpecies ab obiecto producitur, & per motum localem tranſmittitur ad potentiam,aliàs migraret accidens de ſubiecto in ſubiectum, produceretur enim ſpecies ab obiecto in parte aeris,ſeu medij ſibi vicina, & ex iſta ſpecies illa migraret in aliam,& aliam, quouſquè perueniret ad potentiam,& ſic ſpecies migraret de ſubie-

cto

Digitized by Google

ĉto in ſubiectum; producitur ergo ſpecies ab obiecto, & immediatè imprimitur potentiæ, ergo iam obiectum præſupponitur præſens, aliàs daretur actio, & productio ſpeciei in diſtans.

Reſpondebis. Species debere poni ad determinandam potentiam, vt feratur potius in hoc obiectum, quàm in aliud; de ſe enim potentia indifferens eſt ad percipiendum ſiue hoc, ſiuè illud obiectum.

Sed contrà eſt quia. Hi, qui ponunt causam ſecundam ad hunc numero effectū potius producendum, quàm alium, determinari à Deo, & cauſa prima, cohærenter Philoſophantes, refundunt talem determinationem potentiæ ad percipiendum hoc potiùs obiectum, quàm aliud in Deum, & cauſam primam. In mea Sententia, quia pono cauſam ſecundam de ſui natura eſſe determinatam ad hunc potiùs numero effectum, quàm alium, refunditur talis determinatio potentiæ in eius naturam, & conditionem.

At probabilius poſſet dici; potentiam determinari ad hoc potius obiectum percipiendum, quàm aliud ab eodem ipſo obiecto, quod illi occurrit, & fit præſens, quàm ad aliud, quod illi non occurrit, nec eſt præſens, hæc enim differentia ponitur ex communi Sententia inter cauſam; ſeu potentiam neceſſariam, & liberam, quòd libera non ab obiecto, ſed ſeipſa determinatur ad operandum, at verò cauſa, & potentia neceſſaria determinatur ab obiecto; non eſt ergo recurrendum ad ſpecies pro illa determinatione potentiæ ad percipiendum hoc potius numero obiectum, quàm aliud.

Deniq; datis etiam ſpeciebus, adhùc illa indifferētia, & determinatio potentiæ non tolleretur, quia in eadem potentia eſſent plures ſpecies ſolo numero diuerſæ, non eſſet ergo maior ratio, cur potentia potiùs vna earum ſpecierum vteretur, & non alia, ergo per admiſſionem ſpecierum non tollitur illa indifferentia, & indeterminatio potentiæ.

Reſpondebis. ſpecies requiri ad eliciendam ſenſationem; quia nimirum ſenſatio habet duo; & quòd ſit vitalis, & id habet à potentia vitali, & quòd ſit imago, & repræſentatio obiecti, & id habet à ſpecie, tanquam vicaria, & ſemine obiecti, nam de ratione imaginis eſt oriri, & naſci ab eo, cuius eſt imago, ſenſatio ergo, quòd ſit imago obiecti, non habet à potentia, ſed nec ab obiecto immediatè, ergo à ſpecie; quòd autem imago debeat oriri ab eo, cuius eſt imago; patet, quia tàm in Diuinis, quàm in creatis, ideò filius eſt imago Patris, quia oritur, & naſcitur à Patre.

Sed contrà hanc reſponſionem eſt quia: cognitio Dei, qua Deus cognoſcit creaturas, eſt imago creaturarum repræſentatiua, ſed illa cognitio non producitur à creaturis, ergo.

Præterea ſcientia, & cognitio infuſa, quam habuerunt Chriſtus Dominus, & Adam, de obiectis naturalibus, non fuit producta ab obiectis, ſed fuit immediatè producta à ſolo Deo, & tamen illa cognitio eſt formalis obiectorum naturalium repræſentatio.

Denique ſpecies productæ ab obiecto, ſunt qualitates, & mera accidentia; non ergo poſſunt concurrere ad repræſentanda ſubſtantialia, & quidditatiua obiecti, imò ſpecies ipſæ obiecti non habent cum illo maiorem ſimilitudinem, quā habeat aliud quodcumque obiectum omninò diuerſum, verbi gratia, ſpecies equi non habet maiorem ſimilitudinem cum equo, quàm habeat, homo v. g., ſed homo non concurrit ad repræſentandum equum, ergo ſpecies equi non concurrit ad repræſentandum equum; ſanè probabiliùs poneremus, equū immediatè ſeipſo ſimul cum potentia concurrere ad ſeipſum repræſentandum, quàm ponere, quòd obiectum concurrat mediante aliqua qualitate, ſeù ſpecie.

Reſpondebis demum cum *Arriaga diſp. 4. de Anima ſect. 3. ſubſect. 6.* Species eſſe ponendas, vt reuelent, & manifeſtent formalitates obiecti potentiæ, cui ſunt occultæ, & prorſus abſconditæ; debet ergo vel obiectum concurrere, quod habet in ſe tales formalitates; vel ſpecies, quæ loco obiecti, & veluti ſemen illius continet illas formalitates.

Sed contrà eſt quia. Species ſunt accidētia, ergo non poſſunt formaliter continere formalitates obiecti, quæ ſunt ſubſtantiales; ſed neque poſſunt continere virtualiter, quia continentia virtualis eſt perfectior continentia formali, ſi ergo, vt *Arriaga* vltrò concedit, ſpecies formaliter non continent formalitates obiecti, multò minùs continent virtualiter.

Deinde in caſu, quo intellectus, verbi gratia, habet pro obiecto cognitionem ſuā directam, aut reflexam, quæ formalitas eſt in tali cognitione, quæ ſit occulta, & abſcōdita intellectui, quæ proindè debeat illi reuelari, & manifeſtari à ſpeciebus? fortaſſe in-

intellectus adeò cæcus eſt, vt non videat formalitates eius cognitionis, quã ipſemet elicuit, & in ſinu ſuo quodammodo fouet, & tenet? at eiuſdem conditionis ſunt ſpecies intelligibiles reſpectu intellectus, & ſpecies ſenſibiles reſpectu ſenſus, ergo neque intelligibiles, neque ſenſibiles ſpecies debent admitti ad reuelandas formalitates obiecti.

LECTIO IV.

Aliæ Rationes pro Speciebus refutantur.

SVperſunt duæ aliæ rationes, ſeù argumenta, quibus conantur ſpecierum impreſſarum Aſſertores, earum exiſtentiã euincere, & demonſtrare.

Et primum quidem argumentum deſumitur ex auctoritate Ariſtotelis, qui varijs ſuæ doctrinæ locis, videtur ſpecies huiuſmodi apertè concedere; in primis 7. *Phyſ. t.12. ipſi ſenſus alterantur, patiuntur enim, vetus enim ipſorum motus eſt per corpus, patiente aliquid ſenſu.* & 2. *de Anima t.121. ſenſus eſt id, quod eſt ſuſceptiuũ formarum ſine materia, ſicuti Cera recipit in ſe figurã annuli aurei, vel ferrei,* & *t.138. vnumquodque ſenſorium ſuſceptiuum eſt ſenſibilis ſine materia.* Denique *lib. de Mem. & Reminiſc. c. 2. manifeſtum eſt, factam eſſe per ipſum ſenſum in Anima, & in parte corporis habente ipſam paſſionem, velut picturam quandam; factus enim motus imprimit veluti figurã ſenſibilis, ſicuti ſigillantis anuli.*

Sed contrà eſt primò quia nec in tex. cit. nec in alijs, quamuis ſemel, & iterum Ariſtotelis volumina euoluerim, inueni iſtum terminum formalem *ſpeciem ſenſibilem, aut intelligibilem* ideò tex. citati facilè poſſunt explicari de ſpecie obiectiua, quæ viſa ducit nos in viſionem obiecti; & fauet tum exemplum, quod adducit de Cera, quæ eſt ſpecies, & repræſentatio obiectiua anuli aurei, vel ferrei, tùm etiã exemplũ, quod adducit de pictura externa, quę, & ipſa eſt repræſentatio obiectiua, & poteſt tota hæc doctrina valdè confirmari tertio exemplo, quod adducit 3. *meteor c.3.* de quodam Homine, qui antè ſe præferebat ſuimet ipſius ſimulacrum, & obiectiuã imaginem, verba ſunt; *accidit cuidam paſſio debiliter, & non acutè videnti, ſemper enim ſimulacrum videbatur præcedere ambulantem ipſum ex oppoſito reſpiciens ad ipſum.*

Vel etiam facilè explicari poteſt Ariſtoteles de ſpetie formali, & ſenſatione ipſa, quam recipiẽdo potentia ſenſitiua patitur, & immutatur.

Secundò ſolet afferri auctoritas *D. Auguſtini 11. de Trinit. c.5. viſionis, quæ fit in ſenſu cernentis, quaſi parens quædam eſt ſpecies corporis, ex qua fit, ſed parens non propriè, & verè, vndè nec iſta vera proles eſt, ſed quaſi proles.* & 12. *de Trinit. c. 2.* nẽ dubitare quidem permittit de ſpeciebus.

Sed eodẽ modo facilè explicari poteſt. D. Auguſtinus de ſpecie, vel obiectiua, vel formali, ſeù expreſſa, neque enim D. Auguſtinus ſpeciem impreſſam nominauit, vt patet ex *lib. 9. de Trinit. c.12.* & *lib. 11. c. 2.* quibus locis ſolùm ait, *à cognoſcente, & cognito paritur notitia, ex viſibili, & vidente gignitur viſio.*

Tertiò ſolet adduci auctoritas *Commentatoris 3. de Anima t.5.* vbi aſſeritur, *ex obiecto, & potentia fieri magis vnum, quàm ex materia, & forma.* quæ verba cæteroqui metaphoricè prolata ſic rigorosè nonnulli *Thomiſtarum* accipiunt, & intelligunt, vt velint omninò fieri magis vnum ex obiecto, ſeù ſpecie impreſſa, & potentia, quàm ex materia, & forma: quod ſanè ex eo deprehenditur falſum, quia ex potentia, & ſpecie non poteſt fieri, niſi vnum accidentale, quod eſt omninò minùs vnũ eo, quod eſt vnum ſubſtantiale ex materia, & forma; debet ergo *Cõmentator* intelligi, & explicari, vt explicauimus Ariſtotelis verba mox adducta.

Alterum argumentum deſumitur ex varijs experientijs

Et prima quidem eſt quia; patet, nos videre in ſpeculo ea, quæ verè ibi non ſunt, tamen ibi repræſentantur, & conſpiciuntur, ſed id non aliter accidit, niſi ex reflexione ſpecierum, quæ fit in ſpeculo, vndè ex ſpeculo redit ſpecies, & reflectitur ad oculum videntis, ideòque videtur in ſpeculo obiectum ratione ſpeciei.

Sed contrà hanc experientiam eſt quia plures ex illis, qui ſpecies impreſſas concedunt, ponunt in iſto caſu ſpecies obiectiuas, quæ viſæ ducũt nos in viſionẽ obiecti.

Ità *Auerroes lib. de ſenſu, & ſenſili c.1. Iãdunus eodem lib. q.9. Capreolus in 1. d.35. q.2. art.1. Caietanus 1. p q.56. art.3.* & quod caput eſt, vel ipſe *D. Thomas q. 8. de verit. art.5. & 15. Scotus in 2. d.13. q 1.* & fauere etiã D. Auguſtinum *lib. 15. de Trinit. c. 8.* teſtatur *Auerſa t.2. q.53. ſect.7.* ergo adducta experientia, quæ ſanè eſt omnium maxima,

Digitized by Google

xima, & efficacior omnium, quæ ſolent adduci pro ſpeciebus, non probat exiſtentiam ſpecierum impreſſarum. quare in Speculo ideò videntur obiecta, quæ ibi non ſunt, quia adſunt ibi ſpecies obiectiuæ eorum obiectorum, quæ viſæ faciunt nos videre ea obiecta; vt ſuprà etiam retulimus ex Ariſt. Hominem, qui ſemper antè ſe proprium ſimulacrum, & ſpeciem obiectiuam aſpiciebat.

Et confirmatur quia; quando intuemur obiectum in ſpeculo, non tàm videmus illud prout eſt in ſe, quàm potiùs iuxtà diſpoſitionem ſpeculi, nempè, vel magnum, vel paruum: item multiplex in diuerſis partibus ſpeculi fracti; inſuper eo colore imbutum, quo fortè vitrum ſpeculi inuenitur affectum; & in ſpeculo concauo apparet obiectum inuerſum, ergo iam in ſpeculo videtur imago, idolum, & ſimulacrum obiecti, ſeù ſpecies obiectiua, quam etiam ſuprà ab *Ariſt.* oſtendimus appellari picturam, quæ viſa facit videre obiecta depicta, & delineata, quò etiam ſpectat famoſum illud *Ariſt.* dictum, intellectum Hominis ſimilē eſſe tabulæ rasæ, in qua nihil eſt depictum 3. *de Anima c.* 2.

Alia experientia eſt de Inſpicillis, qui enim viſus debilitate laborant, vtuntur inſpicillis, quibus ſanè eorum viſus itá iuuatur, vt meliùs obiecta videant, vel vt videant, quæ anteà nullo modo videbant, non niſi quia inſpicillis vniuntur ſpecies impreſsæ, & ſic viſus iuuatur.

Sed contrà eſt quia, viſio in tali caſu nō iuuatur, quia vniūtur ſpecies ſenſibiles impreſsæ, ſed quia inſpicillis vnitur virtus viſiua, & non diſpergitur, ſeù diſtrahitur, ergo adducta experientia ſpecies non probat.

Tertia experientia eſt, quia poſito corpore opaco, & denſo inter viſum, & obiectum, non fit viſio, non niſi quia ab obiecto non poſſunt eiaculari ſpecies, quæ corpus opacum permeent, & peruadant.

Sed contrà eſt quia, viſio in tali caſu nō fit, quia impediente corpore opaco, & denſo viſus non poteſt ſe vltrà illud extendere, deberet enim parietem, aut aliud corpus opacum interiacens penetrare, quod cum impoſſibile ſit, non fit viſio.

Quartà experientia. in magna diſtantia obiecta non videntur, quia ſpecies nō poſſunt ab obiecto emitti.

Sed contrà eſt, quia ea obiecta non videntur, quia viſio non poteſt in obiecta nimis remota ſe extendere ob limitatam ſui virtutem, & actiuitatem, quam habet.

Quinta experientia. cùm diuſculè inſpexerimus aliqua luminaria, ſi oculos claudamus, adhùc lucidos quoſdam colores intuemur, ergo eorum luminarium ſpecies remanſerunt.

Sed contrà eſt quia iſta experientia adducta à *D. Auguſtino* 11. *de Trinit. c.* 2. maniſeſtè probat ſpecies obiectiuas, quæ remanent remoto obiecto, at ſpecies ſenſibiles cum in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari ab obiecto dependeant, remoto obiecto non remanent, vndè qui ſpecies impreſſas admittunt, & negāt obiectiuas, volunt in hoc caſu, ſenſus illudi, & negant talia obiecta videri per ſpecies.

LECTIO V.

Quæſtio de Speciebus Reſoluitur.

Difficultates propoſitæ, & hoc modo ſuperioribus Lectionibus explanatæ, mouerunt plures tùm ex Antiquis, tùm ex Recentioribus Philoſophis ad negandas ſpecies impreſſas.

Et quidem ex Antiquis ſpecies negarūt *Porphirius lib. de ſenſu, & ſenſili. Plotinus enneade 4. lib 5. Galenus lib 7. de Hipocr. & Platonis Decr. Plato in ſenſu viſus loco ſpecierum poſuit radium viſualem. Durandus in 2. d. 3. q 6. Gab. q. 2. Ocham in 2. q. 14. & q. 17.* ex Recentioribus *Hieronymus Prouenzalis lib de ſenſibus p. 1. c. 7. Thomas Gianninus in diſput. de Lumine c. 27. Dandinus 2. de Anima digres. 31. Baſſonus lib. de viſu Intent. 2. Thomas de Garbo lib. 1. q. 63. Arriaga diſp. 4. de Anima ſect. 1. ſubſect.* 5. concedit ſpecies in viſu, & Auditu, negat in reliquis ſenſibus externis.

Sententiam meam duabus Concluſionibus aperio.

Concluſio prima. non dantur ſpecies impreſſæ, quæ, vel compleant potentiam in ratione principij, vel determinent ad percipiendum hoc potiùs obiectum, quàm aliud.

Probatur communi, & familiari Nominalium argumento, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſed nulla eſt neceſſitas ponendi ſpecies, quæ compleant potentiam in ratione principij efficientis ſenſationē, quia ipsa ſe ſola eſt ſufficiens, neque, quæ determinet potentiā ad percipiendū hoc potiùs obiectū, quā aliud, quia determinatur à præsētia obiecti, ergo.

Digitized by Google

Concluſio Secunda. Dantur ſpecies obiectiuæ, quæ nimirum viſæ, & perceptæ ducunt nos in viſionem, & perceptionem obiecti.

Probatur Concluſio quia; experientia illa notiſſima, & ſenſibiliſſima de Speculo manifeſtè conuincit, dari ſpeciem, quæ viſa ducat nos in viſionem obiecti, ergo negata ſpecie impreſſa, non poteſt negari ſpecies, quæ viſa ducat nos in viſionem obiecti; an verò talis ſpecies debeat dici ſpecies formalis, vel ſpecies obiectiua, Quęſtio eſt de nomine; puto tamē, potius dicēdam eſſe obiectiuam, quam formalem, quia in Quæſtionibus de nomine ſtandum eſt communi acceptioni, & locutioni, vt prudenter monet *Ariſt. 2. Top. 2. vt quod nuncupationibus quidē res appellare oportet quemadmodum multi, quæ autem res tales ſint, vel non tales, non amplius tribuendum multis.* Sed communiter, & in communi phraſi Scholaſticorum ſpecies, quæ viſa ducit nos in viſionem obiecti, appellatur ſpecies obiectiua, ergo.

Confirmatur quia, ſi appellaretur ſpecies formalis, non diſtingueretur à ſenſatione, quæ eſt formalis repræſentatio, & imago obiecti, ideòque etiam ſolet dici ſpecies formalis, vt ergo diſtinctè loquamur, & cōfuſio omnis tollatur, ſpecies hæc, quæ viſa ducit nos in viſionem obiecti, debet dici ſpecies obiectiua.

D. ſpecies iſta obiectiua eſt accidens, & inferioris omninò conditionis, & ordinis, ac ſit obiectum, ergo non poteſt ipſa viſa ducere in viſionem obiecti, ſpecies enim obiectiua debet eſſe eiuſdem conditionis, & perfectionis cum obiecto.

Reſpondeo: ſtatuam Cæſaris eſſe longè inferioris conditionis, ac ſit Cæſar, & tamen eſt eius ſpecies, & imago obiectiua; creaturæ ſunt imago Dei iuxtà illud Apoſtoli 1. *Corinth. 3. videmus nunc per ſpeculū in ęnigmate*, & tamen creaturæ ſunt inferioris omninò conditionis, non ergo ad ſpeciē obiectiuam requiritur, quòd ſit eiuſdem conditionis, & perfectionis cùm obiecto, à ſe repręſentato.

Dices ſecundò non poteſt aſſignari, à quo ſpecies iſtæ producantur, & conſeruentur, ergo. Antecedens probatur, quia iſtę ſpecies non producuntur, nec conſeruantur ab obiectis, ſæpè enim obiecta non ſunt, & adſunt ſpecies repræſentantes obiecta, ſed neque producuntur, aut conſeruantur à potentia, quia imago debet produci ab imaginato, ergo.

Reſpondeo ſpecies obiectiuas in ſuo quidem produci dependere ab obiecto, at in conſeruari, ſi ſit ſpecies ſenſus externi, conſeruatur in ſenſu illo externo, ad quem ſpecies eſt directa, & tranſmiſſa; ſi ſit ſpecies ſenſibilis interior, cōſeruatur in memoria ſenſitiua, quæ eſt ſpecierum conſeruatorium; denique ſi ſit ſpecies intelligibilis, conſeruatur in memoria intellectiua, quæ eſt earum ſpecierum receptaculum ad id à natura deſtinatum, & ordinatum.

Dices tertiò, iſtæ ſpecies neque ſunt diuiſibiles, neque indiuiſibiles, ergo non dantur; & quidem non ſunt indiuiſibiles, quia obiecta, à quibus fiūt, & quę repræſentant, ſunt diuiſibilia, & extenſa; ſed neque ſunt diuiſibiles, quia indiuiſibiliter, & totum ſimul obiectum repræſentant, ergo.

Reſpondeo has ſpecies eſſe diuiſibiles in eſſendo, quia non ſolum, vt benè probat argumentum, prodeunt ab obiecto materiali, & extenſo, ſed etiam quia recipiuntur in ſubiecto materiali, ideſt, in potentia materiali; eſſe tamen indiuiſibiles in repręſentando, patet enim in pupilla, quæ minima pars eſt Oculi, repræſentari totum obiectum, quamuis valdè magnum, & ingens, vt eſſet, verbi gratia, magnus aliquis Mōs, quod non aliter contingeret, niſi quia ſpecies repræſentatiua montis eſt indiuiſibilis in repræſentando.

LECTIO VI.

Potentia viſiua, eius Obiectum, & Organum.

POtentia viſiua aliarum potentiarum, & externorum ſenſuum nobilior eſt; eius actus proprius, nempè viſio, adeò certior eſt actibus aliorum ſenſuum, vt vel ipſamet intellectio, & cognitio in vtraque Schola, Philoſophorum, ſcilicèt, & Theologorum, ſæpè nomen, & vocabulum viſionis vſurpet. De obiecto huius potentiæ.

Communis doctrina duo docet. Primū eſt; lumen, & colorem eſſe ex ęquo formale obiectum potentiæ viſiuæ. ſecundum eſt; lumen videri abſque colore, at non videri colorem abſque lumine; patet hoc experientia, quia noctu, & in tenebris colores non videntur; videntur Aſtra, & cæleſtia corpora, quia lucida, licèt colorata nō ſint.

Hæc duo mihi non videntur cohærere, nam ſi, vt experientia docet, lumen ſe ipſo videtur, & non per colorem, color autem non

non videtur, niſi per lumen, & mediante lumine, manifeſtè ſequitur, lumen, eſſe obiectum formale, colorem verò obiectum materiale; in communi enim conceptu, & ſenſu, id, quod attingitur ratione alterius dicitur obiectum materiale, & id ratione cuius aliud attingitur, dicitur obiectum formale; ità obiectum formale Phyſicæ eſt naturalitas, hæc enim ratione ſui attingitur à Phyſicâ, nam cætera, quæ à Phyſica conſiderantur, & attinguntur, attinguntur ratione illius, & ſub formalitate naturalitatis; in re Theologica Myſteria credita ſunt obiectum materiale, Diuina Reuelatio eſt obiectum formale, quia nimirum Myſteria creduntur ratione Diuinæ Reuelationis, ſeù quia reuelata ſunt, quia ergo color videtur ratione luminis, lumen ſe habebit vt ratio formalis, color vt ratio materialis.

Denique quia ignis non calefacit, niſi ſit approximatus, approximatio ſe habet, vt conditio ſine qua non, ipſa verò virtus ignis, vt ratio formalis agendi, ergo quia color non videtur, niſi adſit lumen, color erit ratio formalis, lumen non eſt ratio formalis, ſed potiùs vt conditio ſine qua non, vt eſt approximatio reſpectu ignis.

Quare aut color eſt obiectum materiale, & lumen obiectum formale viſus; aut ſi mauis, colorem ponere obiectum formale, profectò lumen erit conditio ſine qua non, & ità quodcumque ponas, & dicas, non ex æquo lumen, & color ſunt obiectum viſus.

Dices; lumen videtur ſine colore, at approximatio non calefacit ſine igne; lata eſt ergo diſparitas inter approximationem reſpectu calefactionis, & lumen reſpectu viſionis.

Reſpondeo. lumen ſine aliquo colore ſaltem apparenti non videri, Aſtra enim, & corpora cæleſtia videntur, non quia lucida, ſed quia colorata, & alba, non albedine, & colore reali, ſed albedine, & colore apparenti.

Replicabis. colores apparentes non differre à luce, lux enim prout diuerſimodè reflectitur, & refrangitur, eſt in cauſa, vt varij colores appareant, vt patet in Iride, & collo columbæ.

Benè, ergo iam aſtra videntur, quia lucida, idem enim eſt, aſtra eſſe lucida, & colorata colore apparenti, & conſequenter iam habeo, lumen eſſe rationem formalem videndi, colorem vero rationem materialē, non ergo ex æquo lumen, & color ſunt obiectum viſionis, ſed vnum ex duobus dicēdum eſt, aut colorem eſſe obiectum materiale, & lumen rationem formalem, aut colorem eſſe obiectum formale, & lumen cōditionem ſine qua non.

Verùm quid ſint lux, & color, non eſt vna omnium Philoſophorum ſententia, & concors opinio.

Opinati ſunt antiqui, lucem, ſeù lumen eſſe corpus. Ità *Empedocles apud Ariſtotelem 2. de Anima t. 70. Lucretius lib. 4. de rerum natura, Simplicius 2. cæli com. 79.* & nuper *Sebaſtianus Baſſonus lib. 2. de cælo intent. 2.*

Sed contrà eſt quia, lumen eſt in eodem loco cum aere, ergo non eſt corpus, aliàs duo corpora, nempè lumen, & aer eſſent in eodem loco, & conſequenter naturaliter daretur corporum penetratio.

Alij opinati ſunt, lucem eſſe ſubſtantiam ſpiritualem. Ità *Balianus tract. de Paſtilentia n. 14.*

Sed contrà eſt quia, ſubſtantiæ ſpirituales effugiunt ſenſum, at verò lux, & eſt viſibilis, & eſt ratio, cur alia videantur, & ſentiantur.

Alij apud *D. Thomam 1. p. q. 67. art. 3.* dixerunt, lucem eſſe formam ſubſtantialē.

Sed contrà eſt quia: lux de facto, & naturaliter producitur in aere, ſimul eſt ergo cum forma aeris in eiuſdē aeris materia, at in eadem materia naturaliter non poſſunt eſſe duæ formæ ſubſtantiales, ergo lux non eſt forma ſubſtantialis.

Opinati ſunt alij, lucem eſſe formam accidentalem, non quidem realem, ſed intentionalem, & quodammodo ſpiritualem, Ità *AEgid. 2. de Anima circà tex 76. Thien. circà tex. 71. Buridanū q. 17. Scaliger exercit.* 298. citatur etiam pro hac Sententia *Scotus in 2. d. 13.*

Sed contrà eſt, quia lux videtur, & ſentitur, nō ergo eſt qualitas ſpiritualis. verum à *Scoto* appellatur qualitas intentionalis, quia non ſolum lux ipſa videtur, ſed eſt ratio, et intentio, cur alia videantur, ità explicat, et intelligit *Scotum Laurentius Faſanus lib. 5. Arcanorum Scoti.*

Gaſpar Aragonius in Enchiridio. poſuit, lucem eſſe calorem vnitum, vndè vbi calor magis vnitur, ibi maior eſt lux; vnitur autē magis calor, vbi eſt maior reflexio.

Sed contrà eſt quia, lux eſt qualitas carens contrario, eſt enim qualitas perfectiua, non corruptiua, at calor habet contrarium, non ergo lux eſt calor vnitus.

Communis ergo, et vera Sētentia docet, lucem eſſe qualitatem realem, et materialem.

Pro-

Digitized by Google

Probatur ex *Ariſt. 2. de Anima t. 6.* vbi Lux definitur, actus perſpicui; ideſt, forma accidentalis conſtituens perſpicuum, & diaphanum actu perſpicuum, & diaphanum, nam ſine luce corpora quidem diaphana ſunt, & perſpicua, ſed in potentia, quia poſſunt permeari à luce, at quando à luce actu permeantur, tunc ſunt actu perſpicua, & actu diaphana.

Patet autem definitionem iſtam, ſeù potius deſcriptionem lucis, traditam eſſe per effectum formalem ſecundarium, nã eius effectus primarius eſt, reddere corpus, ſeù ſubiectum, in quo eſt, formaliter lucidum.

Quòad Colorem.

Antiqui, vt *Plato in Timæo, Auicenna*, cæterique Arabes poſuerunt, colorem à lumine non diſtingui. ſequuntur hanc Sẽtentiam ex Modernioribus *Capr. in 2. d. 14 q. 1. ad 1. Albertus in ſum. de Homine q. de ſubſtantia coloris*, *Andræas Cæſalpinus lib. 5. Perip. quæſt. q. 7. Scaliger exercit. 325. art. 5. Vidus Antonius Scarmilionus lib. 1. de coloribus art. 5.* omnium nouiſſimus *Thomas Campanella in Atheiſm. c. 8. n. 7.*

Communis Sententia, ponit duo colorum genera, nam alios docet, eſſe colores apparentes, alios veros, & reales. & quidẽ colores apparentes non diſtinguit à luce, nam ſecundum diuerſam incidentiam, reflexionem, ac refractionem lucis, & corporum, in quibus lux ipſa recipitur, varij fiunt, & oriuntur colores; tales ſunt colores in Iride, & collo columbæ.

Color verò realis is eſt, qui ex varia temperie, & craſi primarum qualitatum fit, & oritur. Color realis manet remoto lumine, licèt ob defectum luminis non videatur; color apparens remoto lumine perit, & euaneſcit.

Probatur communis hæc Sententia quia, veri colores ſemper eodem modo conſpiciuntur in ſuis ſubiectis, quamuis lux diuerſo modo ſe habeat, & varietur, ergo veri colores diſtinguuntur à luce, & ſunt qualitates reales, & permanentes.

Dices primò. Ablata luce nullus videtur color, ergo color non differt à luce.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam ablata approximatione non eſt calefactio, & tamen calefactio non eſt idem cùm approximatione; dico igitur, colores in videri dependere à luce, qua ablata nõ auferuntur colores, ſed abſconduntur, & cælantur.

Dices ſecundò: ex *Ariſt. 2. de Anima t. 73.* color eſt motiuum perſpicui ſecundum actum, actus autem perſpicui lumen eſt, ſed idem eſſe videtur motiuum perſpicui, & actus perſpicui, ergo color, & lumen idem ſunt.

Reſpondeo hanc coloris definitionem, ſeù veriùs deſcriptionem traditam eſſe per effectum eius ſecundarium, nam effectus primarius coloris eſt reddere ſubiectum, vel etiam medium diaphanum, & perſpicuum coloratum; ex hoc autem ſequitur, quòd moueat, ſeù immutet perſpicuum, & medium diaphanum, vel dãdo illi eſſe coloratum, vel immittendo, ſeù tranſmittendo per illud ſpeciem obiectiuam; qua data doctrina non ſequitur, idem eſſe colorem, & lucẽ, diuerſo enim modo mouetur, ſeù immutatur perſpicuum, ſeù medium diaphanum per lucẽ, & per colorem; nam per lumen, ſeù lucem immutatur, quatenùs fit actu diaphanum, & perſpicuum; per colorem verò immutatur recipiendo colores, vel ſpeciem obiectiuam à colore immiſſam.

Senſorium, ſeù Organum Potentiæ Viſiuæ eſt Oculus, cuius miram fabricam, & ſtructuram deſcribunt Anatomiſtæ; ſufficiat Philoſopho naturali ſcire, in Pupilla, ſeù Humore chryſtallino præcipuè fieri, & exerceri actum Viſionis. Ità docent *Ariſt lib. 1. de Gen Animalium cap. 5. & de hiſt. Animal. c. 9. Galenus lib. 8 de vſu partium c. 6. & lib. 10. c. 1.* Hos ſequuntur cõmuniter Philoſophi, & Medici omnes.

LECTIO VII.

Potentia Auditiua, eius Obiectum, & Organum.

OBiectũ potentiæ Auditiuæ eſt Sonus, de quo sũt tres Difficultates. Prima eſt, quid ſit ſonus. ſecunda, quodnam ſit ſubiectum ſonus. Tertia demum, quid requiratur in corporibus, vt ſonantia ſint, & ſonum edant.

Quòad primam Difficultatem.

Sonum eſſe motum corporum ſe percutientium, vel collidentium, aſſeruerunt ex Antiquis *Themiſtius*, & alij Græci Interpretes. ex Recentioribus *Toletus hic q. 19. Morandus 2. de Anima diſp. vltim. q. 79. concluſ. 5.*

At communis Sententia ponit, Sonum eſſe qualitatem productam ex percuſſione, & colliſione corporum, quæ colliſio, &

Digitized by Google

Percuſſio non fit ſine motu aliquo locali corporum ſe collidentium,& percutientiũ: mouētur ergo localiter corpora prius,tùm ſe percutiunt,& collidunt, denique percuſſio ipſa , & corporum colliſio ſonum producit,& edit.

Ratio eſt quia . motus localis non eſt productiuus,niſi vbi , ergo Sonus non à motu locali , ſed ab alia actione producitur,quæ actio benè poteſt dici alteratio,& quidem perfectiua,non corruptiua,quia eſt motus ad qualitatem carentem contrario.

Dices *Ariſtoteles hic t.78.* ſonum vocat ictum,& percuſſionem.*t 85.& lib.de ſenſu, & ſenſili* ſonum,ait,eſſe motum,vel motionem eius,quod poteſt moueri.

Reſpondeo.*Ariſt.* cit locis loqui in ſenſu cauſali, non formali ; verè enim ſonus non cauſatur , niſi localis motus interueniat corporum ſe collidentium,& percutientiũ; ſicuti etiam definiri ſolet Eclipſis, interpoſitio Terræ inter Solem , & Lunam, ideſt, obumbratio Lunæ ex illa interpoſitione prouenieñs, ità Sonus definitur eſſe colliſio, & percuſſio corporum.

Quoad Secundam Difficultatem.

Certum eſt,ad ſonum requiri ad minùs tria corpora , quorum duo ſe verberent, percutiant, & collidant; tertium vero ſonũ excipiat, & in ſe recipiat ; clara ſunt verba *Ariſt. t.* 78. fit autem ſecundum actum ſonus ſemper alicuius ad aliquid,& in aliquo.

Dices;ex ſola ſcutica in aere percuſſa patet,ſonum fieri,ergo.

Reſpondeo . fieri percuſſionem aeris ab vna parte ſcuticæ in aliam eiuſdẽ partem.

Cæterum,vt corpora ſe percutiant , & ſonum edant ;quinque conditiones potiſſimum requiruntur. Prima eſt, vt ſint dura, & ſolida,qualia ſunt ferrum, æs,talia non ſunt lana,& ſpongia . Secũda,vt ſint polita, & plana. Tertia,vt ſint rara. Quarta,vt ſint apta tremiſcere , hinc enim fit,vt Cãpana ſuſpenſa melius efficiat ſonum , quam ſi humi iaceret . Quinta,vt corpora ſe percutientia ſint aerea,cum aliqua tamen ſiccitate,hinc argentum melius ſonat , quàm plumbũ, pariterque fagus, quàm quercus.

Corpus tertium,quod excipit, & recipit in ſe ſonum , communiter deputatur aer, qui propterea dicitur Dominus ſoni, & ab Antiquis vacuum dicebatur audiendi dominus ; quia nomine vacui aerem intelligebant.

An aqua ſonum excipiat, res eſt controuerſa. *Hurtad.diſp.*17 *ſect.*2. *Conimb.c.*8.*q.*2.*art.*1.negant,aquam eſſe ſoni capacem. *Arriaga hic,Ouiedus, Antonius Scaynus,Le Reès* cum communi Sẽtentia,docent,aquã eſſe ſoni capacem,ſed tamen minùs , quàm aerem.

Probatur primò ex *Ariſt.*2. *de Anima t.* 78.amplius auditur in aere, & in aqua, ſed minùs in aqua.

Probatur ſecundò ratione quia ; illud corpus eſt receptiuũ ſoni,quod eſt fluidum, friabile, quodque compreſſum, & attritum per colliſionem corporum ſolidorum aptum eſt reſilire, ſed hæ omnes conditiones ſunt in aqua,ergo.

Probatur tertiò experientia,nam ſi quis in fluuium ſe demittat,illicque collidat lapides,ſanè ea lapidum colliſione aqua compreſſa ſonitum quendam edet , licèt obtuſum;Piſces ad ſtrepitum in ripa fluuij , vel litore maris factum,diffugiunt ,& ideò refert *Ariſt.*4. *de hiſt. Animalium c.*8. dum Piſcatores retia piſcibus tendunt, altum ſilentium ſibi , & adſtantibus imponunt , & demum inſidijs aptè compoſitis, ſtrepitu magno piſces in retia compellere nituntur; vidi ſæpius in hoc noſtro mari Neapolitano,Piſcatores haſta longa marinas aquas percutere,& verberare; interrogati,cur ità marinas aquas percuterent,& verberarent, reſponderunt, piſces illo ſtrepitu , & ſonitu aquarum verberatarum à ſomno excitari, & exurgere , atque ità facilè deindè retibus capi.

Hinc *Franciſcus Le Reès hic ſect.*4.*art* 1. docet, etiam Ignem , & Terram eſſe ſubiecta ſoni capacia,ſed omnium maximè ſoni capax eſt aer ob ſummam eius humiditatem cum friabilitate coniunctam.

Senſorium,ſeù Organum potentiæ auditiuæ ſunt Aures, in quibus aptè natura tot cauitates poſuit , & anfractus, quia in concauo aptiùs redditur ſonus . Auditio præcipuè fit in aere quodam congenito , & innato,ideſt, ſubſtãtia quadam tenui ad modum aeris in aurium cauitatibus incluſa, vt clarè docet *Ariſt.hic t.*83.*& de partibus Animal.c* 10.& ratio eſt , quia ideò natura talem ſubſtantiam tot cauitatibus incluſit, tot anfractibus prouidè obuallauit, quia de Organo Auditus valdè erat ſollicita.

LECTIO VIII.

Alia Potentia Senſitiua externa.

OBiectum potẽtiæ olfactiuæ eſt odor; de hoc eſt controuerſia , an ſit ſubſtantia

ſtantia exhalata, an potiùs Qualitas.

Odorem eſſe ſubſtantiam exhalatam, ſeù fumidam exhalationem opinati ſunt aliqui apud *Conimb. hic q.1.c.9.* & antiqui apud *Ariſt. lib. de ſenſu & ſenſili c.5.*

Opinio communis,& vera ponit, odorē eſſe qualitatem, non ſubſtantiā. probatur, quia, in ſpeciebus Sacramentalibus remanet odor panis, & non remanet ſubſtantia, ſubſtantia enim ſenſibilis non eſt,ergo. Cōfirmatur quia;odor eſt obiectum ſenſus olfactus,ſed obiectum ſenſus non eſt ſubſtantia,ſubſtantia enim ſenſibilis non eſt,ergo. cæterum odor eſt ſecunda qualitas, quæ oritur ex certa craſi,& temperiē primarum prædominante calore,& ſiccitate, vndè videmus omnia calida eſſe quoque odorifera,non ſic frigida, frigus enim odorem impedit.

Dices;odor nutrit,& ſuſtentat,at id non poteſt prouenire ab accidente, ergo odor non eſt accidens, ſed ſubſtantia; Maior probatur,quia Indi,vt referunt *Plinius*, & alij Auctores,ſolo odore carpto ex quibuſdam fructibus,& pomis nutriuntur,ergo.

Reſpondent *Conimb.* Hiſtoriam de Indis non eſſe infallibilis veritatis;ſed tamen, data ea hiſtoria;dico,etiam accidentia nutrire, licèt non æquè conferant ad nutritionem,ac conferat ſubſtantia, nam & ſpecies Sacramentales aliquantulum nutriūt. Denique dico, ex illis pomis, & fructibus non ſolùm odorem exhalaſſe, ſed etiam ſpiritus ſubſtantiales, quibus tribuenda eſt Indorum illa nutritio,non odoribus.

Organum olfactus ſunt duæ tuberculæ in figuram mamillæ efformatæ, quæ proptereà tuberculæ mamillares appellantur, & reſident in ſuperiori parte narium iuxta cerebrum; antè has volunt *Anatomiſtæ* eſſe os quoddam bipartitum,habens aliqua foramina minora in cribri figuram, per quæ ingreditur odor.

Verum quia teſtatur *Ariſtoteles* hic, in Animalibus reſpirantibus os illud tectum eſſe quodam tenui operculo, oportet, vt ad ſentiendum odorem, detur reſpiratio, qua eleuetur operculum, & pateat aditus odori.

Guſtus obiectum ſapor eſt: & quidem ſapor ſecunda qualitas eſt orta ex temperie primarum, prædominante tamen humiditate: organum Guſtus lingua eſt, & Palatum;præcipuè verò cuſpis linguæ, ità docet experientia cum *Ariſt. 1. de hiſt. Animal. c.1.* & ratio eſt,quia in cuſpide linguæ nerui ſunt molliores & magis vniti; quod ſapienter à natura factum eſt, vt vel ſtatim reſpueretur alimentum, ſi prauum eſſet, vel admitteretur,ſi adiuuaret.

Voluerunt Aliqui,guſtum ſpecie non diſtingui à tactu, moti fortaſſe Auctoritate *Ariſtotelis 2. de Anima c.6.* vbi ait; guſtum eſſe quandam ſpeciem Tactus, ſed sanè Ariſtoteles ijs verbis, nihil aliud voluit ſignificare, niſi affinitatem quandam, & cognationem eſſe inter guſtum,& tactū, quia nimirum vbicunque eſt guſtus, eſt etiam tactus, licèt non è contrà, in lingua, enim eſt guſtus, & eſt etiam tactus, in reliquis corporis partibus eſt tactus, ſed non eſt guſtus. hinc *lib. de ſenſu, & ſenſibilibus* docet, quòd guſtus, & tactus inſequitur omnia animalia neceſſariò.

Reuerà tamen valdè differunt guſtus, & tactus,vt patet ex obiecto, nam obiectum guſtus eſt ſapor, qui eſt ſecunda qualitas, obiectum tactus ſunt omnes primæ quatuor qualitates, quæ ob id dicuntur qualitates tangibiles, patet etiam talis diuerſitas ex diuerſitate organi, quia organum guſtus eſt lingua, organum tactus eſt totū corpus,caro, ſcilicèt, & nerui per totum corpus animalis diſperſi, atque diffuſi.

Tactus ergo vltimus omnium ſenſuum exteriorum dignitate, primus eſt neceſſitate,quia maximè neceſſarius eſt ad vitam Animalis tuendam, & noxia declinanda, quia per ipſam ſentitur læſio, qua primarum qualitatum temperamentum, quod maximè vitam ſeruat,diſſoluitur.

Docet *Arriaga hic diſp.5. ſect. 5. n.63.* hoc ſenſu homines excellere cætera Animantia:ſed hæc doctrina non eſt vniuerſaliter vera, aranea enim vincit hominem quoàd ſenſum hunc tactus, ſicuti Simia guſtu,vultur odoratu, aper auditu, Lynx viſu,vndè illud

Nos aper auditu,nos vincit aranea tactu; vultur odoratu, Lynx viſu,ſimia guſtu.

DISPV-

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

DE ANIMA RATIONALI.

ANima Rationalis, ſeù Intellectiua forma eſt Hominis eſſentialiter conſtitutiua, & ea aſſimilatur Homo Angelis, & Deo; propterea cæterarum omnium formarum nobiliſſima eſt; ſpiritualis enim eſt, & à Materia prima fæce ſemota, vt potè immediatè à Deo creata, & corpori ſimùl infuſa, vt eo tanquam Inſtrumento vteretur, & tanquam Organo ad aliquas ſui operationes inferioris generis exercendas. Id quod ſe primò, & præcipuè offert ſpeculandum, & contemplandum, eſt eius Immortalitas, de qua ſit.

LECTIO I.

Immortalitas Animæ Probatur Fide, Ratione naturali, & Morali.

ANimam Rationalem incorruptibilem eſſe, & immortalem, atque adeò corrupto, & deſtructo corpore incolumem ſeruari, & incorruptam, eſt vnus ex præcipuis Articulis Catholicæ noſtræ Religionis, & Fidei. & quidem argumentis ex ipſa Fide Diuina petitis

Probatur primò, quia, vt habetur *Matth.* 22. arguens Chriſtus Dominus contrà Sadducæos, negantes Animæ immortalitatem, aſſumit illud *Exod.* 3. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*, at Deus non eſt Deus Mortuorum tantum, ſed etiam Viuorum, ergo iam Abraham, Iſaac, & Iacob viuunt, atqui certum erat, Sãctos illos Patriarchas multo iam tempore fuiſſe mortuos quòad corpus, viuebant ergò quòad Animam, atque adeo eorum, tanquam viuorum Deus, dicebatur Deus.

Confirmatur primò, ex illo eiuſdem *Matth.* 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem nõ poſſunt occidere*, & ex illo *Ioan.* 10. *qui odit Animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*; eadem veritas clarè habetur *Iob.* 21. *Luca* 16. *Apocalyp.* 6. 1 *ad Corinth.* 15. *Eccleſ.* 12. *Sap. c.* 2. *vſque ad* 5.

Cõfirmatur ſecũdò quia, vt habetur ex *Apoſt.* 1. *ad Corint. ſi in hoc mũdo tm̃ ſperãtes eſſemus, miſerabiliores cunctis hominibus eſſemus*. Incarnatio, & mors Chriſti nobis nõ proficerẽt, quia Lege, & Fide Chriſtiana iubemur ſpernere præſentia, & ſperare futura, quibus ſola Anima frui poteſt, nõ corpus, quod corrumpitur.

Probatur Secundò ex definitionibus Conciliorum. & in primis in *Concilio Lateran.* 3. *ſeſ.* 8. *ſub Leone X.* habetur expreſsè hoc Decretum. *Damnamus, & reprobamus omnes, aſſerentes Animam intellectiuã mortalem eſſe, & hoc in dubium vertentes, cum illa non ſolum verè per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verum & immortalis, quod manifeſtè conſtat ex Euangelio.*

 Con-

Digitized by Google

Confirmatur primò ex *Concilio Tridentino ſeſ. 25. in Decreto de Purgatorio*, vbi habetur; *Animas Fidelium ibi detineri, & iuuari Orationibus viuorum.* & in Decreto de Inuocatione Sanctorum ſancitũ eſt; *Sanctorum Animas in Cælo vnà cum Chriſto Domino viuere, & regnare.*

Confirmatur ſecundò ex Bulla *Leonis X. edita anno 1613.* in publica ſeſſione in Lateran. Baſilica celebrata, vbi definitum eſt; Animam Rationalem immortalem eſſe, atque incorruptibilem, & contrarium docentes damnantur tanquam deteſtabiles, & abominabiles hæretici, & infideles, atque ità denunciantur, vt vitandi, & omnino puniendi. Denique hoc ipſum definitum, & decretum eſt in *Concilio Vienn. ſub Clemente V.* vt patet in *Clementina* 1. *de ſumma Trinit. & fide Catholica.*

Antequam ad Rationes naturales veniam, ſuppono, immortalitatem Animæ Rationalis poſſe, & debere probari Ratione naturali, nam in cit. *Bulla Leonis X.* præcipitur omnibus Philoſophis in vniuerſitatibus ſtudiorum, & alibi publicè legentibus hanc veritatem Catholicam de Animæ Immortalitate docere, explanare, & ſoluere argumenta in cõtrarium, quia verè ſolubilia ſunt, cum enim verum vero minimè contradicat, ſi Fides, quæ omninò vera eſt, docet Animæ immortalitatem, ergo lumine, & ratione naturali, quæ etiam ad verum tendit, non poteſt oppoſitum oſtendi, & demonſtrari. difficultas eſt in aſſignanda ratione ſpeciali, qua immortalitas, & incorruptibilitas Animæ Rationalis, probetur.

Prima ergo Ratio, quæ ſolet afferri, eſt, quia Anima Rationalis eſt ſpiritualis, & independens à corpore, ergo immortalis, & incorruptibilis, ideò enim Brutorũ Animæ mortales ſunt, & corruptibiles, quia ſunt materiales, & corporeæ; ergò quia Anima Rationalis immaterialis, & ſpiritualis eſt, immortalis quoque eſt.

Reſpondebis primò: intellectio eſt res ſpiritualis, & immaterialis, & tamen non eſt incorruptibilis, ergo ex Animæ immaterialitate, & ſpiritualitate non licet inferre eius Immortalitatem.

Sed contrà eſt quia, intellectio eſt accidens, at nullam inuenies ſubſtantiam, quę ſit ſpiritualis, & immaterialis, quæ tamen ſit corruptibilis, & mortalis.

Reſpondebis ſecundò: Verè Anima Rationalis dependet à corpore, & materia, non enim poteſt operari, & intelligere, niſi dependenter à corpore, & materia, cum commune ſit dictum, *oportet Intelligentem phantaſmata ſpeculari.* Si ergo nobiliſſima Animę rationalis operatio, quæ eſt intellectio dependet à corpore, etiam ipſa Anima dependet à corpore quòad eſſe, nam *modus operandi ſequitur modum eſſendi.*

Sed contrà eſt, quia intellectio licèt, vt plurimum à phantaſmate, & ſpeciebus dependeat, ſæpè tamen fit intellectio phantaſmatibus, & ſpeciebus non concurrentibus, quando enim intellectus intelligit ſeipſum, vel propriam intellectionem, non præhabet ſpecies, aut phantaſmata, ergo verè intellectio independens eſt à corpore, & phãtaſmate; tum ſic, *modus operandi ſequitur modum eſſendi*, Sed operatio animę, quæ eſt intellectio, eſt independens à corpore, ergo & ipſa anima eſt independens à corpore.

Quinimò dato etiam, quòd eſſet à corpore inſeparabilis, non proindè ſequeretur, eam eſſe corruptibilem, & mortalem, nam etiã forma Cæli eſt à materia Cæli inſeparabilis, & tamen nõ eſt corruptibilis, & mortalis, ſed immortalis, & incorruptibilis.

Secunda ratio naturalis eſt. *Quidquid corrumpitur à contrario corrumpitur*, ideò enim cœleſte corpus ponitur incorruptibile, quià caret contrarijs, ſed Anima rationalis caret contrarijs, non enim componitur ex qualitatibus contrarijs, neque eſt illorum temperies, vt falsò aliqui exiſtimarunt, ergo.

Sed contrà eſt, quia multæ ſunt qualitates, quæ non habent contrarium, & tamen corrumpuntur, ità ſunt lux, ſonus, & aliæ ſimiles; ergo ex eo, quòd anima caret contrarijs qualitatibus, non benè arguitur eius immortalitas.

Verũ hæc nõ obſtãt, quia, lux, ſonus, ſunt qualitates, at nullam inuenies ſubſtantiã non affectam contrarijs qualitatibus, quæ ſit corruptibilis, ergo ratio adducta manet in ſuo robore.

Tertia ratio deſumitur ex innato appetitu immortalitatis, quem omnes habemus, fruſtrà enim eſſet talis appetitus, niſi poſſet exſatiari animæ immortalitate.

Reſpondebis, ſæpè nos appetere impoſſibilia, & quæ nulla ratione conſequi poſſumus, ergo ex appetitu immortalitatis, nõ benè deducitur, talem appetitũ eſſe ſatiandũ, & explendũ animæ immortalitate.

Sed contrà eſt quia, appetitus, qui fertur in impoſſibilia non eſt innatus, & naturalis, ſed elicitus; non eſt rationabilis, ſed irrationabilis, ideò benè ex appetitu

inna-

innato immortalitatis deducitur Animæ Rationalis immortalitas.

Quarta Ratio deſumitur ex eo quia; Anima Rationalis attingit ſpiritualia,incorruptibilia, & immortalia per actum ſuæ intellectionis,ergo ipſa eſt eiuſdem naturæ, & conditionis, nulla enim cauſa poteſt eleuari ſuprà effectum ſuum; vndè eleganter *Seneca lib.1.nat.q.Hoc habet argumentum Diuinitatis ſua,quia illam Diuina delectant.*

Reſpondebis. Animam cognoſcere infinita,& tamen non benè ex hoc deduces, eam eſſe infinitam. Prætereà in Sententia *Thomiſtarum* accidens producit ſubſtantiam, ergo iam cauſa eleuatur ſuprà effectum ſuum.

Sed contrà eſt quia, ideò Anima non eſt infinita, quamuis infinita cognoſcat, quia aliundè habemus infinitatem illi aut repugnare, aut naturaliter nõ conuenire, at ex nullo capite probari poteſt, Animæ Rationali aut repugnare, aut non conuenire immortalitatem, ideò lata eſt diſparitas. Prætereà Anima cognoſcit infinitum modo finito, ideòque indè non deducitur, eam eſſe infinitam. ad id, quod affertur ex Sententia *Thomiſtarum* reſpõdebunt hi, accidens producere ſubſtantiam non virtute propria, ſed virtute ſubſtantiæ

Quinta Ratio naturalis deſumitur ex Auctoritate, & probato teſtimonio Sapientum, quia omnes omnium Claſſium Doctores,Philoſophi, ac Theologi, Antiqui, & Recentiores, Barbaræ omnes nationes,Populorum,& Gentium omnium Senſus, & Opinio Animam Rationalem poſuerunt immortalem, ergò verè illa immortalis eſt.

Reſpondebis, veritatem non eſſe diiudicandã ex pluralitate, aut paucitate Auctorum,ſed ex ipſa rei ratione intrinſeca, & natura, niſi fortaſsè quæſtio ſit de nomine, monitum eſt *Ariſt 2. Top.2. quod nuncupationibus quidem appellare oportet, quemadmodum multi, quæ autem res tales ſint,vel non tales non ampliùs tribuendum multis,vti ſalubre quidem, quia eſt effectiuum ſanitatis.*

Sed contrà eſt,quia non ſola Auctoritate probatur talis Immortalitas, ſed Auctoritate fulcita rationibus; Prætereà ex eodẽ *Ariſt.1.Top.8.id eſt probabile, quod videtur vel omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus,* ergo cùm Animæ immortalitas videatur omnibus, certum eſt omninò,eam immortalem eſſe.

Venio tandem ad Rationes Morales. Quarum Prima deducitur ex Diuina Prouidentia, & Iuſtitia; videmus enim Iuſtos, & probos viros tribulationibus vexari, infortunijs,& miſerijs eſſe ſubiectos;ſceleſtos, verò, & impios abundare opibus,proſperitatibus triũphare, ergo ad Diuinam Iuſtitiam,& Prouidentiam ſpectat,tempus aſſignare,quo Iuſtis bona, tanquam præmia, & Sceleſtis mala, tanquam pęnæ diſtribuãtur,at hoc Tempus aliud non eſt, quàm altera vita,qua mortuo,& deſtructo corpore viuat Anima, ergo. Hoc argumentum ſub forma huius breuiſſimi Enthymematis redoxit olim D.Petrus,vt habetur apud Clementem lib.3.Recog. *Deus iuſtus eſt, ergo Anima eſt immortalis.*

Reſpondebis. ſufficiens præmium dari Iuſtis,ſufficiẽtes pænas Sceleſtis,ſi poſt hãc vitam corporalem, quæ uix ad octoginta annos extenditur,& protrahitur,iuſtis præmia,ſceleſtis pęnę per mille annos taxẽtur, & aſſignentur,ergo non eſt, cùr ex illo Argumento inferatur æternitas, & Immortalitas Animæ Rationalis.

Sed contrà eſt quia, dato ſemel, quòd Anima per aliquod tẽpus ſeparata ſit à corpore,non eſt,cur debeat poſteà interire, & non ità in æternum conſeruari, atque durare. Adde,quòd Iuſtorum boni mores, et mali Sceleſtorum duraturi erant per æternitatem,ſi tandiù vixiſſent, ergo Deus, qui Cor,et futura intuetur, ſicut præſentia,debet æterna præmia Iuſtis, æterna ſupplicia ſceleſtis deputare.

Altera Ratio moralis eſt; quia Hi, qui Animam poſuerunt Immortalem,ſunt numero plures,probitate illuſtres,ſapientia,& doctrina inſignes;at è contrà, qui Animam poſuerunt mortalem, fuere pauci, & hi vel impij,vt apud Græcos *Diagoras*, apud Romanos C*aius Imperator*,vel ignaui, & molles,vt *Sardanapalus & Epicurus*,vel inſani, vt *Lucretius,et Auerroes* ex Iudæo Chriſtanus, ex Chriſtiano mahumetanus,ergo.

LECTIO II.

Argumenta in contrarium ſoluuntur.

EX Scripturis,& ex naturali lumine quędam eruuntur Argumẽta,quæ videntur Animæ immortalitatem infringere, ac labefactare,adducamus ergo, & ſoluamus,

Ex ſcripturis igitur.

Obijcies primò; Eccleſiaſtici 3. idem eſt

interitus hominum, & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio, ergo Anima Rationalis eſt mortalis, ſicuti mortales ſunt Animæ Brutorum. Confirmatur quia, in 6. *Synodo Generali in epiſt. Sophronii*, intellectualia, & inuiſibilia dicuntur incorruptibilia per gratiam Dei, ergo Anima Rationalis non eſt immortalis ex natura ſua.

Reſpondeo: eundem eſſe interitum hominum, & iumentorum quòad diſſolutionem corporis, nō quòad mortalitatem formæ. Ad Cōfirmationem dico, eo argumento probari etiam Angelos non eſſe immortales, & incorruptibiles ex ſui natura: explicandus eſt igitur locus ille de gratia Dei, prout eſt donum naturale, quo ſenſu etiam creatio, & conſeruatio ſolent apud Theologos non modo, ſed & in communi, & familiari phraſi loquendi, appellari gratia Dei; non ergo accipitur ibi gratia Dei pro dono aliquo ſupernaturali.

Obijcies ſecundò: ex *Apoſtolo 1. ad Timoth. 6.* dicitur de Deo, *qui ſolus habet immortalitatem*; ergo Anima Rationalis non eſt immortalis.

Reſpondeo; in primis eo argumento deduci neque Angelos eſſe immortales, ſolus enim Deus eſt immortalis. prætereà ſolum Deum dici immortalem immortalitate independente ab alio, tanquam à principio effectiuo, in quo ſenſu etiam ſolus Deus dicitur bonus; nemo bonus, niſi ſolus Deus, *Lucæ cap.* 18. at non dici ſolum Deum immortalem, quaſi dependenter à Deo, tāquam à cauſa effectiua non poſſit aliquis dici formaliter, & intrinſecè immortalis, vti de facto dicitur Anima Rationalis.

Obijcies tertiò: Sapientiæ 2. ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tanquam non fuerimus, & 1. Eccleſiaſt. 2. ſignificatur nihil amplius ſupereſſe homini poſt mortem de labore ſuo, quo laborat ſub ſole, ergò.

Reſpondeo. ea verba dici in perſona Sceleſtorum, qui loqui ibi introducuntur; vel etiam dico, nihil de labore ſuo remanere homini poſt mortem, quia nihil remanet commodi, aut vtilitatis, & iucunditatis temporalis, non quia præmium iuſtis, pęna impijs poſt mortem non remaneat, aliàs non eſſet iuſtus Deus.

Ex Lumine naturali.

Obijcies quartò: Anima Rationalis pendet à corpore non minus, ac Animæ Brutorum, ſed hæ ſunt corruptibiles, & mortales, ergo & illa; Antecedēs probatur, quia intellectio, quæ eſt præcipua hominis operatio, dependet à corpore, tanquam ab organo, vndè læſo cerebro non elicitur intellectio, ergò.

Reſpondeo intellectionem pēdere à corpore per accidens, & ratione vnionis, quam habet cum corpore, ideòque læſo cerebro non fit intellectio; non ſimpliciter, & per ſe.

Obijcies quintò; Anima eſt eſſentialiter forma informans, ergò eſſentialiter petit vniri corpori, & corpus informare, adeò vt etiam quando eſt ſeparata à corpore, petat eſſentialiter vniri corpori, ergo ſi ratione vnionis pendet à corpore, per ſe, & eſſentialiter pendet à corpore.

Reſpondeo in primis, quòd ſicuti forma Cęli licèt ſit eſſentialiter vnita materiæ Cœli, adhùc tamen eſt incorruptibilis, ità quāuis Anima Rationalis eſſet eſſentialiter vnita corpori, adhùc tamen incorruptibilis, & immortalis eſt.

Reſpondeo ſecundò. ità eſſentialiter in actu primo Animam Rationalem petere vnionem cum corpore, vt petat etiam poſſe à corpore ſeparari, & ità eſſe eſſentialiter formam informantem, vt tamen adhùc ſit forma per ſe ſubſiſtens, & ideò non ita pendet à corpore, vt ſi ab illo ſeparetur, intereat, & deſtruatur.

Obijcies ſextò: morientes tenui madore perfunduntur, ergo Anima tunc in vapores reſoluitur, & tandem euaneſcit.

Reſpondeo. madorem illum non ab Anima Rationali, ſed à corpore proficiſci, vt patet, quia nemo dicit, ſudorem hominis oriri ab Anima, quæ in illum humorem reſoluatur, & non à corpore.

LECTIO III.

Probatur Animæ Rationalis immortalitas Auctoritate Ariſtotelis.

Ariſtotelem pro Animarum mortalitate ſtetiſſe plerique exiſtimant; ſed maior, & melior pars Philoſphorum mordicus, & conſtantiſſimè defendit, clarum eſſe in Ariſtotelis doctrina, Animam fore incorruptibilem, & immortalem.

Ita ex antiquis *Theophraſtus*, Ariſtotelis præcipuus, & diuturno tempore auditor; *Themiſtius* 1. *Simplic. Ammonius, Philoponus, Olimpiodorus. Auerroes*; ex modernioribus, *Albertus Magnus, AEgidius, D. Thomas, Durandus, Ferrarienſis, Eugubinus.* ex Nouiſſimis *Conimbricen. Martinez, Dandinus, Suarez, Leſſius, Petrus Nicolaus Faventinus, Iacobus Antonius Marta, Bartholomaus*

Digitized by Google

lomaus de Spina; & alij plures, quarum nōmina, & locos cit. *Auerſa hic q.57.ſect.5.*

Imò plures ex Philoſophis compoſuere tractatus peculiares, quibus ex profeſſo probant Ariſtotelis doctrinam eſſe pro Animæ immortalitate.

Itá *Thomas Gianinus, Iulius Vincentius, Hieronymus Pontanus, Antonius Gratarol. Andraas Camutius, Petrus Duodotus, Ambroſius Lemoſenis, Piccolomineus, quos citat Auerſa vbi ſupra*, & ſequitur inſtituendo peculiarem diſputationem de mente Ariſt. quam oſtendit, eſſe pro Animæ immortalitate.

Addo. *Claudium Boucardum in tract. peripat. de Anima Rationali, Card. Oregium in tract. de Angelis, Honorium Thotum in ſua Theolog. ſenſata. Honufrium Romanum in tract. de Anima, Antonium Scaynum in q. Miſcellaneis.*

Hinc benè Philoponus 1. *de Anima circà t.65. & 66.* Calumniatores Ariſtotelis, & dementes vocauit eos, qui ſuſpicantur, illum feciſſe Animam mortalem.

Concluſio. Ariſtoteles Animam eſſe immortalem agnouit, & aſſeruit. Poſſent innumeri Ariſtotelici textus adduci, ſed eligam clariores.

Primus ſit. 1. *de Anima t.32.* refert, & approbat dictum Antiquiſſimi Philoſophi Alcmæonis, aſſerentis Animam eſſe Immortalem. *Alcmaon dicit, Animam immortalem eſſe, propterea quod aſſimilatur immortalibus, hoc autem ineſſe ipſi, tanquam ſemper motæ. & t. 34.* approbat dictum Anaxagoræ: *Anaxagoras autem ſolus impaſſibilem eſſe dicit Intellectum, & nihil cōmune vlli aliorum habere.*

Secundus ſit. 1. *de Anima t 65. Intellectus videtur innaſci, ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi. & t.66. ipſum igitur intelligere, & ſpeculari marceſcit alio quodam interius corrupto, ipſum autem impaſſibile eſt.* & rurſus. *Intellectus autem fortaſſis Diuinum quid, & impaſſibile eſt.*

Tertius ſit. 2. *de Anima t.21. & 22. de Intellectu autem, & ſpeculatiua potentia nihil adhùc manifeſtū eſt, ſed videtur genus aliud Animæ eſſe, & hoc ſolum poſſe ſeparari, ſicuti perpetuum à corruptibili, reliquæ autē ſpecies Animæ manifeſtum eſt ex his, quòd ſeparabiles non ſunt.*

Quartus ſit. 3. *de Anima t. 4. neceſſe eſt* (Intellectum nimirum) *quia omnia intelligit, immixtum eſſe. & t.19. & hic Intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſſibilis. & t.20. & hoc ſolum immortale eſt, atque perpetuum.*

Obijcies primò. Ariſtoteles poſuit Mundum ab æterno, & ex alia parte negauit Infinitū actu, ergo nō poſuit Animas Hominum immortales, quia ſi hæ forent immortales, iam actu daretur infinita earum multitudo, niſi velis dicere, Ariſtotelem, vnicam Animam in Hominibus omnibus poſuiſſe; quod eſt damnatum in citata Bulla *Leonis X.* aut poſuiſſe Animarū tranſmigrationem cùm *Pythagora*, quod ſanè omninò alienum eſt ab Ariſtotelis mente.

Reſpondeo, vel cùm *Auerſa*, minus malum eſſe, admittere, Ariſtotelem locutum fuiſſe inconſequenter, & non cohærenter ad ſua principia, nam ponens, Mundū eſſe ab æterno, non poterat infinitum actu negare, quàm illi imponere, quòd animā poſuerit mortalem. Vel dico; Ariſtotelem negaſſe infinitum actu in rebus ſucceſſiuis, non in rebus permanentibus, vt ſunt animæ Rationales.

Denique dico. Poſito Mundo ab æterno, non ſequitur neceſſario fore infinitum numerum animarum, quia de facto non eſt anima ſine materia, at non eſt poſſibilis infinita materia, ergo nec eſſent infinitæ animæ. Adde, animas liberè eſſe à Deo, ſi ergo repugnat infinitum, Deus tale Infinitum non crearet.

Obijcies ſecundò: 3. *de Anima t.30. & 39.* docet *Ariſt. oportet intelligentē phantaſmata ſpeculari*; atque adeò operationem nobiliſſimam animæ eſſe dependentem à corpore, nam *modus operandi ſequitur modum eſſendi.*

Reſpondeo, Ariſtotelem ibi loqui de intelligente prout vnito corpori, & ſenſibus externis, non de intelligente in ſtatu ſeparationis. Vel etiam dico cùm eruditiſſimo *Toleto hic q. 21.* non ſemper animam in ſtatu vnionis cùm corpore indigere phantaſmatibus, quando enim anima eleuatur ad contemplationem rerum ſublimium, ſuſpenditur omnis operatio ſenſuum.

Obijcies tertiò: 3. *de Anima t.20.* docet, Intellectum paſſiuum corruptibilem eſſe, ſed Intellectus non diſtinguitur realiter ab anima, ergo.

Reſpondent Auerroes, & D. Thomas, nomine Intellectus ibi, ſenſum internum intellexiſſe, nam eodem libro t.48. Imaginationem vocat Intellectum. en verba, *ſi quis Imaginationem ponat, vt intellectionē quandam, multa enim præter ſcientiam ſequuntur imaginationes.*

LE-

pore Anima, de ſe cæteroqui immortalis, & quòad ſuum eſſe ſimpliciter omninò independens à corpore.

LECTIO V.

Faciliora quædam de Potentijs Animæ Rationalis expediuntur.

TRes enumerantur potentiæ, ſeù facultates Animæ Rationalis, Intellectus, Voluntas, & Memoria, quas cohærenter ad ea, quæ de alijs potentijs dicta ſunt, pono ab anima Rationali, & adinuicem nec realiter, nec ſola ratione diſtingui, ſed potius quidditatiuè, & formaliter.

Obiectum materiale intellectus eſt ens ſiuè reale, & poſitiuum, ſiuè rationis, & negatiuum: obiectū verò formale eſt verum, aut falſum iuxtà duplicem actum, quē habet intellectus, nempè actum aſſenſus, & actum diſſenſus, nam per actum aſſenſus intellectus fertur in verum tanquam in obiectum formale, & per actum diſſenſus intellectus fertur in falſum, tanquam in ſuū formale obiectum.

Recipio communem diſtinctionem intellectus in eum qui dicitur Agens, & in eū qui dicitur intellectus paſſibilis. qui ſpecies impreſſas admittunt, nomine intellectus agentis intelligunt eum, qui depurando phantaſmata, eaque à craſſitie, & materialitate abſtrahendo, ſpecies intelligibiles, & ſpirituales producit; ſicuti nomine intellectus paſſibilis intelligunt eum, qui ſpecies recipit impreſſas.

Qui verò ſpecies impreſſas negant, nomine intellectus agentis, neceſsè eſt, intelligant eam potentiam, quæ dicit actum cognitionis, & intellectionis; è contrà nomine intellectus paſſibilis intelligunt eam potentiam, quæ recipit ſpeciem obiectiuam, & actum intellectionis.

Quodnam ſit primo cognitum, acriter pugnant Scotiſtæ cum Thomiſtis; volunt hi primò cognitum eſſe vniuerſale; contendunt illi; primò cognitum eſſe ſingulare, & indiuiduum. Cōciliari facilè poſſunt poſita diſtinctione duplicis cognitionis, confuſæ, ſcilicèt, & diſtinctæ; & quidem cognitione confuſa primò cognoſcitur vniuerſale, nam à longè videntes Petrum, verbi gratia, primò cognoſcimus eſſe ens, deindè eſſe Hominem, demum eſſe Petrum, at cognitione diſtincta, & clara primò cognoſcimus Petrum, tum de Petro cognoſcimus eſſe Hominem, Animal, ens.

Memoria eſt facultas, & potentia, quæ eſt conſeruatorium ſpecierum obiectiuarū, vndè fit, vt intellectus obiecta iam præterita intelligat, & cognoſcat, atque adeò Anima dicatur recordari, & præteritorum reminiſci.

Voluntas, ſeù appetitus Rationalis ſequitur ad cognitionem, & ad actum intellectus, ſicuti appetitus ſenſitiuus ſequitur ad cognitionem ſenſitiuam.

Obiectum materiale Voluntatis eſt ens: formale aut eſt bonum, aut malum; bonum quidem eſt obiectum formale voluntatis quòad actum amoris, & proſecutionis; malum eſt obiectum voluntatis quòad actū odij, & fugæ; ſicuti enim proſequitur, & amat bonum, ità odit, & fugit malum.

Voluntas Rationalis libera eſt; ità eſt certum ex Fide Catholica, & prætereà patet tum experientia, tum ex communi Sēſu, tàm AEthnicorū, quàm Catholicorum Philoſophorum. eſt autem libertas duplex; nempè libertas in actu primo, & libertas in actu ſecundo. libertas in actu primo eſt ipſamet potentia libera. libertas in actu ſecundo eſt actualis operatio liberè elicita. libertas in actu primo definitur, quæ poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi ad agendum, adhùc poteſt agere, & non agere; hæc libertas dicitur libertas contradictionis, ſeu exercitij; ſicuti è contrà libertas contrarietatis, ſeù ſpecificationis eſt, cum poſitis omnibus requiſitis ad agendum, voluntas poteſt agere, ſiuè hoc, ſiuè illud, elicere ſiuè hunc, ſiuè illum actum.

Plura de libertate voluntatis perſequi nō eſt Philoſophi, ſed Theologi, plura enim, & fusè de ea tractantur, in materia de actibus humanis, & in celebri Controuerſia de efficacia Diuinæ Gratiæ.

Vtra potentia, intellectus, an voluntas ſit nobilior, Acerrimè pugnant Scotiſtæ, & Thomiſtæ inuicem.

Thomiſtæ in primis cum D. Thoma 1. *p.q.82.art.3.& 1.2.q.3. art.4.* ponunt intellectum eſſe nobiliorem voluntate. Ex Recentioribus hanc Sententiam ſequuntur *Suarez lib.5 de Anima c.9. Conimb. lib 3 c. 13.q.2. Morand.3. de Anima q. 13.concl.3. Vaſq. t. 2. diſp. 11. Complut. hic diſp. vlt. q 4.§.2.*

Scotus in 4. d. 49.q.4. & 5. ponit voluntatem eſſe perfectiorem intellectu; quam Sententiam docuerant priùs *Alenſis 3.p.q. 80. Memb.1. Henricus quodlib. 1.q.14. Albertus in 1.d.1.q.14.* & ſequitur *Bonau. in 4. d.49.*

Pro-

Probant excellentiam voluntatis ſuprà intellectum hæ fermè rationes. voluntas eſt libera: mouet alias potentias, quibus tãquam domina, & Regina dominatur, & imperat: Habet pro obiecto ſuo bonum abſolutè, & adæquatè ſumptum, & à tali bono homo denominatur ſimpliciter bonus. ponitur in voluntate habitus, & virtus omnium perfectiſſima, quæ eſt Caritas, vndè & dicitur actus Caritatis omnium perfectiſſimus; huic actui ex aduerſo opponitur actus odij ergà Deum, qui actus eſt omnium peſſimus. Denique ſupremus Angelorum Chorus eſt Seraphim, quibus attribuitur Amor, & hic eſt actus voluntatis.

Probant excellentiam Intellectus ſuprà voluntatem hæ fermè Rationes; intellectus dirigit, & illuminat voluntatem, quæ aliàs de ſe eſt potentia cæca: intellectus trahit ad ſe obiectum, at voluntas ab obiecto trahitur, & quodammodo extrà ſe exit. intellectus habet pro obiecto verum, quod eſt magis abſtractum ab exiſtentia, quàm ſit bonum. Denique habitus intellectus eſt lumen gloriæ, à quo adiutus intellectus, & eleuatus elicit actum beatificæ viſionis omnium perfectiſſimum, cũ ſit noſtrum ſummum bonum, & eius priuatio eſt ſumma miſeria, ergo.

Diuus Auguſtinus lib. 10. *de Trin. c.* 11. omnes huiuſmodi Rationes expendens, relatas Sententias cæteroqui oppoſitas concordat, atque cõciliat, ponens Memoriam, Intellectum, & Volũtatem eſſe potentias in perfectione ſimpliciter æquales, quamuis vna alteram ſecundum quid, & ex parte vincat, & ſuperet.

Huic deciſioni, & reſolutioni *D. Auguſtini* ſubſcribo cum doctiſſimo *Auerſa q.* 58. *ſect.* 7.

LECTIO VI.

Quid ſit Intellectio, & de verbo mentis.

CElebris, & notabilis difficultas eſt, quid formaliter intellectio ſit, & cognitio, actionè productiua alicuius termini, quod dicatur verbum mentis, ducta ſimilitudine à verbo exterius prolato, quo cum alio loquimur, & ſecreta manifeſtamus, videtur enim ſibimet loqui intellectus, dum elicit intellectionem productiuam verbi, quo manifeſtatur, & innoteſcit obiectum: an verò potiùs intellectio qualitas quædam ſit formaliter expreſſiua, & repræſentatiua obiecti.

Prima Sententia ponit, Intellectionem formaliter eſſe actionem productiuam Termini diſtincti, qui ſit formalis imago expreſſiua, & repræſentatiua obiecti.

Ità *Caietan. & Bagnez* 1. *p. q.* 27. *art.* 1. *& q.* 34. *art. Ferrarienſ.* 4. *contr. gent. cap.* 11. *Monteſinus* 1. 2. *diſp.* 3. *q.* 5. *Fonſec.* 5. *met. c.* 15. *q.* 10. *ſect* 2. *Gonzales* 1 *p. q.* 12. *art.* 2. *d.* 25. *ſect.* 4. *Compluten. hic d.* 21. *q.* 1. §. 11. *& q.* 2. §. 2.

Secunda Sententia ponit. intellectionem formaliter conſiſtere in qualitate, quæ ſit formaliter repræſentatiua, & expreſſiua obiecti, ideòque à verbo mentis non diſtinguitur.

Ità *Scotus in* 1. *d.* 3. *q.* 6. § *hic ſunt, & inferius ad argumenta principalia ad* 1. *&* 3. *& ibidem q.* 7. §. *ad argumenta opinionum lit. O.* cum *Scoto* ſentiunt *Durandus in* 1. *d.* 27. *q.* 4. *Nominales Ocham et Grabiel. ibidē q.* 2. Recentiores *Vaſq.* 1. *p. diſp.* 38. *c.* 2. *Suarez in met. diſp.* 42. *ſect.* 5. *Ægidius Luſitanus* 1. 2. *lib.* 4. *de Beatit q.* 2. *art.* 4.

Imò hæc videtur expreſſa Sententia *D. Thomæ in* 1. *d.* 8. *q.* 4. *& p* 1. *q.* 18. *art.* 1. D. Thomam ſequuntur *Complut. loc. cit.* vbi alios plures Thomiſtas adducunt. diſtinguunt enim duplex genus actionis, vnum quod eſt propriè actio, & ſpectat ad prædicamentum actionis; alterum, quod eſt actio ſolùm grammaticaliter, & quòad ſonum vocis, reuerà tamen eſt qualitas ſpectans ad primam ſpeciem, nempè ad diſpoſitionem; & hæc qualitas dicitur operatio, ſeù etiam diſpoſitio; volunt ergo D. Thomam, intellectionem formaliter ponere in prima ſpecie qualitatis, quæ ſit diſpoſitio, ſeù operatio.

Mihi quidem duo videntur eſſe certa, & neceſſariò concedenda. Primum eſt, intellectionem formaliter, eſſe qualitatem formaliter expreſſiuam, & repræſentatiuam obiecti, atque adeo non diſtingui à verbo mentis. Secũdum eſt, hanc qualitatem produci per aliquam actionem; quarè intellectio de formali qualitatem importat, de cauſali, ſeù materiali actionem, ſic enim videntur poſſe conciliari relatæ Sententiæ cæteroqui oppoſitæ. *Conimb. hic c.* 8. *q.* 3. *art.* 3. § *ſunt. qui aliam.*

Concluſio Prima. intellectio non eſt formaliter actio. Probatur quia; ſi intellectio eſſet formaliter actio, vel iſta actio eſſet productiua termini, vel non; non poteſt dici primum, quia inintelligibilis eſt actio, quæ non ſit termini productio, actio

enim

Digitized by Google

enim eſt ipſum fieri termini. Si verò actio iſta ponatur eiſe productio termini, vel iſte terminus eſt imago, & expreſſa repræſentatio obiecti, vel non; ſi ſecundum, ergo non pertinet ad intellectionem, hæc enim eſt formalis imago, & expreſsa repræſentatio obiecti. quòd ſi talis terminus ponatur eſſe expreſſa repræſentatio obiecti, omninò ſuperfluè ponitur talis terminus, quia ipſa actio poteſt eſſe expreſſa repræſentatio, & imago obiecti, ergo nõ eſt, cur ſine neceſſitate terminus iſte multiplicetur.

Concluſio Secunda. Intellectio formaliter eſt qualitas eſſentialiter, & formaliter repræſentatiua obiecti, ità tamen vt qualitas iſta per actionem producatur.

Probatur Concluſio quia: intellectio vel eſt formaliter actio, vel eſt formaliter qualitas, ſed non eſt actio, vt patet ex prima Concluſione, ergo eſt qualitas.

Reſpondebis. intellectionem formaliter eſſe actionem, ſeù operationem immanentem, hęc enim non eſt productiua termini, & ex alia parte eſt formalis repræſentatio obiecti, ergo intellectio formaliter non eſt qualitas.

Sed contra eſt quia. nomine actionis, vt ſic, & in genere venit productio, & ipſum fieri termini, ergo ſtatim, ac dicis actionẽ, debes dicere terminũ productum vi actionis, quarè ſi operatio immanens continetur ſub generica ratione actionis, verè debet eſſe productiua termini, & aſſignari debet terminus productus vi talis actionis; quòd ſi operatio immanens aſſignetur ſine termino, iam non eſt actio, & productio, ſed aliquid aliud, non niſi qualitas, ergò.

Hinc benè, & ſubtiliter more ſuo *Scotus loc. cit. §. ſed intellectio*, ex eo probat, intellectionem non eſſe actionem, aut paſſionem, ſed potiùs qualitatem, quia actio, & paſſio ſunt alicuius termini accipientis eſſe per ipſas, ſed operationes immanentes ſunt vltimi termini, quibus nihil eſt aſſignare, quod accipiat eſſe, non Anima, nec obiectũ, ergò eſt de genere qualitatis.

Quòd autẽ iſta qualitas producatur per actionem, probatur quia; ſola actio ſe ipſa fit, & non per actionem, ergo cum iſta qualitas verè ſit qualitas, & non actio, non fit ſeipſa, ſed per actionem.

Maneat ergo, quòd ſicuti manus, verbi gratia, fit formaliter calida per calorem, qui tamen calor producitur per calefactionem, ità Anima fit formaliter intelligens per intellectionem, quæ eſt qualitas producta per actionem.

Colligite ex his; verbum mentis non eſſe quid diſtinctum, & diuerſum ab intellectione ipſa, & à qualitate formaliter repræſentatiua obiecti, nam nomine verbi mentis, ſeù verbi mentalis nil aliud intelligitur, quàm manifeſtatio interna obiecti, ſicuti verbum vocale eſt externa manifeſtatio conceptus, & obiecti interni.

Obijcies primò: vel tota eſſentia intellectionis ſaluatur in ſola qualitate vnita intellectui ſinè actione, vel non; ſi primum, ergo non eſt, cur præter qualitatem ponamus actionem concurrere ad intellectionem; ſi tota eſſentia intellectionis non eſt in ſola qualitate, ergò actio ſpectat formaliter, non cauſaliter, aut materialiter ad intellectionem.

Reſpõdeo: totam eſſentiam intellectionis conſiſtere in ſola qualitate, requiri verò actionem, non quia actio ſpectet ad formalitatem intellectionis, ſed quia qualitas illa, quæ eſt tota formalitas intellectionis, poteſt ſeipſa prodire, aut oriri ab intellectu; debet ergo dari actio, per quam fiat, & producatur illa qualitas.

Obijcies ſecundò. intellectus communiter dicitur cauſa, & principium intellectionis; intellectio ipſa communiter dicitur operatio, & actio immanens, ergò verè intellectio formaliter in actione aliqua conſiſtit.

Reſpondeo. intellectionem eſſe actionem non phyſicam, ſed intentionalem; vel intellectionem dici actionem merè grammaticaliter, & quòad ſonum vocis, non philoſophicè; vel denique cum *D. Thomæ loco vbi ſupra*, dico: actionem immanentem eſſe de genere qualitatis.

Obijcies tertiò: ſi qualitas iſta, in qua formaliter conſiſtit intellectio, poneretur in intellectu, verè intellectus denominaretur intelligens, ergo actio nullo modo requiritur ad intellectionem.

Antecedens probatur quia; ſicuti ſi calor poneretur in manu abſque calefactione, adhùc manus diceretur calida, ità ſi intellectio poneretur in intellectu, adhùc intellectus denominaretur intelligens.

Reſpondeo in primis, negando Antecedens, lata enim diſparitas eſt inter denominationem manus calidæ, & intellectus intelligentis, quia manus non fit calida vitaliter, ſeù vitali modo, at intellectus eſt, & denominatur intelligens vitali modo; ideòque intellectio debet fieri à principio in-

trinſeco, & per aliquam intrinſecam actionem; ſi ergo ab extrinſeco, & deforis aduenias intellectio, non denominabitur intelligens, eſto manus à calore extrinſecùs, & deforis aduenientе, denominetur calida.

Prætereà dico; ex hoc argumento ſequi actionem non ſpectare formaliter ad intellectionem, quod vltrò concedo, ſed non probari, non requiri actionem, tanquam id, quo fiat, & cauſetur intellectio, ſeù qualitas, in qua conſiſtit formaliter intellectio.

LECTIO VII.

An in Potentijs Animæ Rationalis dentur Habitus.

NOmine Habitus hic venit qualitas acquiſita ex frequentatis actibus adiuuans potentiam ad facilius, & promptius operandum. Et quidem dari habitum huiuſmodi in potentijs Animæ Rationalis, intellectu, nimirum, & voluntate, eſt Sententia in vtraque Schola, Philoſophica, & Theologica adeò communis, vt eam eſſe extrà controuerſiam, aſſerat *Suarez. diſp* 44. *Met. ſect.* 1. et in Theologia habere peculiarem certitudinem ex habitibus infuſis.

Arriaga *hic diſp.* 9. *ſect.* 3. *ſubſect.* 1. duos tantum, vel tres Recentiores huic communi doctrinæ cõtradicere, teſtatur; omnium Nouiſſimi negant habitus *Ouiedus hic Cõtr.* 14. *p.* 3. *§.* 2. *Spinula hic diſp.* 3. *ſect.* 3.

Sed antè hos Recentiores negarunt Habitus ex Nominalibus *Ioannes Maior. in* 4. *d.* 1. *q.* 1. *prop.* 1. *ad* 1. *contrà* 1. *concluſ.* Ex Thomiſtis, *Soncinas* 6. *Met. q.* 9. *Aureolus apud Cap. in* 1. *diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 2. Hi loco habituum ponunt ſpecies confirmatas, & coordinatas, atque ad id mouentur Auctoritate *D. Thomæ q.* 24. *de verit. art.* 4. *ad* 9. vbi docet, habitum intellectus eſſe habitum ordinationis ſpecierum. & 1. 2. *q.* 50 *art.* 2. videtur ſupponere habitus nihil aliud eſſe, quàm ſpecies intelligibiles, ideòque in voluntate ponit habitus, quia in ea ſunt aliqua habentia analogiam cùm ſpeciebus.

Denique *Ioannes Salas* 1. 2. *tract.* 10 *diſp.* 1. *ſect.* 1 docet, non eſſe rationem, quæ conuincat dari habitum, ſed tamen ſentiendum eſſe, & loquendum eſſe cum doctis, & indoctis, qui omnes ponunt habitus.

Vetus eſt ergo Opinio eforbitans à communi Sententia, aſſerente habitus, cum qua

Concluſio eſt. verè dantur Habitus in potentijs Animæ Rationalis, intellectu, ſcilicet, & voluntate. dixi in potentijs Animæ Rationalis; quia in alijs potentijs ſenſitiuis, & vegetatiuis tàm hominum, quàm Brutorum eadem communis Sententia negat habitus.

Probatur Concluſio primò; experientia ſenſata apparet, & quilibet in ſeipſo experitur poſt frequentatos actus facilitatem quandam in eliciendis actibus ſimilibus, ità qui frequẽter ſe in diſputationibus exercet, in conficiendis, & ſoluendis argumentis, ſentit ſe prõptum, & expeditum ad diſputandum, experitur ſe facilè, & magna cum alacritate proponere, & ſoluere argumenta, ſed talis alacritas, facilitas, & promptitudo non niſi à qualitate habituali acquiſita per frequentatos actus poteſt oriri. & originari, ergo datur habitus,

Reſpondebis; eam facilitatem, & alacritatem oriri ex ſpeciebus coordinatis, et confirmatis, vt loquuntur *Thomiſta*, vel à ſpeciebus clarioribus, et intenſioribus, vt volunt *Recentiores.*

Sed contrà eſt quia. ſi talis facilitas, et alacritas, quam communis Sententia tribuit habitui, prouenirent à ſpeciebus, ſiuè coordinatis, ſiuè clarioribus; non eſſet ratio, cur in potentijs ſenſitiuis ſiuè brutorum, ſiuè hominum non ponerentur habitus, nam etiam in ijs dantur ſpecies ſenſibiles, quæ poſſunt coordinari, et confirmari, aut reddi clariores, et intenſiores; ſed hi Auctores, contrà quos agimus, in potentijs ſenſitiuis negant habitum cum communi Sententia, ergo cum eadem communi Sententia negare debent, ſpecies eſſe ſubſtitutas, et ſubrogatas loco habituum, et ab ijs oriri eum effectum facilitatis, et promptitudinis, quem oriri ab habitu, docet communis Sententia.

Contrà ſecundo quia; aliud eſt ſimpliciter apprehendere terminos, et aliud eſt ferre iudicium de terminis, nam aliqui ſunt ad apprehendendum valdè arguti, et perſpicaces, qui tamen non pollent iudicio; eſto facilitas, et promptitudo ad apprehendendos terminos habeatur à ſpeciebus, vel coordinatis, vel clarioribus, ſed facilitas, quam experimur, in ferendo iudicio, et in eliciendis argumentationibus non erit à ſpeciebus, ſed ab habitu.

Contrà tertiò quia. ſæpè habemus facilitatem circà aliqua obiecta, de quibus nullas habemus ſpecies, nam quando intellectus cognoſcit ſeipſum, vel reflectit ſuprà ſuas cognitiones, non præhabet de ſeipſo, aut de ſuis cognitionibus aliquas ſpecies, et tamen qui ſæpius, et frequentiùs reflectens ſuprà ſuos actus ſibi comparaſſet conſuetudinem refle-

reflectendi ſuprà proprios actus, ſentiret facilitatem,& promptitudinẽ quandam in ſuis reflexionibus,ergo talis facilitas non poteſt refundi in ſpecies quomodocunque explicatas.

Contrà quartò quia.in intellectu Angeli ſunt clariores ſpecies, quam in intellectu hominis,& in intellectu Theologi ſunt clariores, & intenſiores ſpecies myſteriorum Fidei,& rerum Fide Diuina credendarum, quàm in intellectu ruſtici, & tamen in vtroq; intellectu idem eſt habitus Fidei, nam *vnus Dominus*, *vna Fides vnum Baptiſma ad Epheſ.* 4. non ergo ſpecies ſunt habitus; imò reſpectu myſteriorum Fidei præter ſpecies omninò debent admitti habitus ſupernaturales,ergo etiam circà obiecta naturalia præter ſpecies admitti debent habitus;conſequentia videtur tenere ab æquitate rationis.

Contrà quintò eſt quia.vt eruditè notat *Suarez loco cit.* Habitus non ponitur,quaſi neceſſarius ſimpliciter ad actum, aliàs non diſtingueretur à potentia; ſed ponitur ad meliùs eſſe; vel non ponitur habitus ad ſubſtantiam actus, ſed ad modum actus, ideſt,ad habendam illam facilitatem, alacritatem,& promptitudinem,quam,vel inuiti experimur in nobis poſt frequentatos actus, at ſpecies ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad actus, & omninò requiruntur ad ſubſtantiam actus; non ergo ille effectus facilitatis, & promptitudinis refundi debet in ſpecies quomodocunque explicatas, quia etiam quando ſunt coordinatæ, & confirmatæ, vel clariores,& intenſiores concurrunt ad ſubſtantiam actus, & non ad modum actus, tardiora enim ingenia, niſi habeant ſpecies clariores,& inteſiores, quàm de iiſdem obiectis habent ingenia perſpicaciora,nullo modo elicient actus cognoſcitiuos circà talia obiecta; ergo ſpecies etiam quando ponuntur clariores,& intenſiores,neceſſariæ ſunt ſimpliciter,& ad ſubſtantiam actus.

Probatur ſecundò Concluſio Auctoritate *Ariſt.9.met c.5.& 8.* vbi aſſignat quaſdam potentias, quæ non poſſunt haberi, niſi per actus, & exemplum ponit in arte; & c. cit. 8. docet *actum priorem eſſe potentia, & generatione, & tempore*; quod ſanè non poteſt intelligi,niſi de habitu; nam potentia ſimpliciter, quia cauſa eſt actus, prior eſt actu,& generatione, & natura, & tempore.Imò non ſolum in naturalibus, ſed in moralibus nihil frequentius apud Ariſtotelem,& alios Philoſophos, & Naturales,& Morales,quàm mentio de habitibus bonis, aut malis, quibus ad virtutes, aut ad vitia inclinamur.

Obijcies primò; non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, at nulla neceſſitas eſt ponendi qualitates habituales, facilitas enim,et alacritas ad operandũ optimè poteſt ſaluari per ſpecies,ergo.

Reſpondeo; oſtendiſſe nos ſuprà neceſſitatem ponendi,& adſtruendi has qualitates habituales;& dato etiam, quòd per ſpecies, ſiuè confirmatas,ſiuè clariores, & intenſiores ſaluetur aliquo modo illa facilitas,quam poſt frequentatos actus in nobis ipſis experimur, tamen meliùs ſaluatur per habitus,hi enim ſe tenent ex parte potentiæ, in qua eſt facilitas illa, & alacritas ad operandum, ſpecies ſe tenent potiùs ex parte obiecti, in quo non eſt alacritas illa, & facilitas; at id, quod eſt melius, & congruentius, aſſerendum eſt à naturali Philoſopho;id enim *quod eſt melius,deſiderat natura ſemper.ex Ariſt.2.de Gen.t.9.*

Obijcies ſecundò, facilitas, & alacritas ad operandum, quam oſtendit experientia in potentijs ſenſitiuis Brutorum, & Hominum, ſaluatur per ſolas ſpecies ordinatas, confirmatas, aut etiam clariores, & intenſiores; ergo facilitas, quam oſtendit experientia in alijs potentijs,intellectiua, ſcilicet; & volitiua ſimili modo ſaluatur per ſpecies.

Reſpondeo. Potentiam volitiuam, & intellectiuam eſſe ex genere ſuo magis perfectas,ideo exigere naturaliter modum operandi meliorem, & perfectiorem,at modus operandi alacriter,& facilè,melius, & perfectius habetur per habitũ, quàm per ſpecies,ideò communis Sententia ponit habitum in potentia intellectiua,& volitiua,negat in alijs potentijs ſenſitiuis, ſiuè hominum, ſiuè Brutorum.

Præterea, potentia ſenſitiua non eſt capax habitus, cuius tamen capax eſt potentia,tùm intellectiua, tùm volitiua; probatur ex eo quia,habitus ſupernaturales ponuntur in intellectiua,& volitiua; at non ponuntur in potentijs ſenſitiuis, ergo ſignum eſt euidens, potentiam intellectiuam capacem eſſe habitus; incapaces eſſe eiuſdem habitus potentias ſenſitiuas.

Obijcies tertiò, ſi daretur habitus in ordine ad habendam iſtam facilitatem, & alacritatem, vel habitus daret iſtam facilitatem effectiuè,vel formaliter; non formaliter,quia aliàs ſemper,& etiam nobis dormientibus experiremur eam facilitatem,ſi-

cuti planum eſt,nos eſſe albos etiam dormientes, quia ſumus albi formaliter ab albedine,cauſa enim formalis,ſi vnita ſit ſubiecto,ſemper, & omni tempore tribuit illi ſuum effectum formalem.ſed neque poteſt dare iſtam facilitatem effectiuè,quia totus actus,tota entitas actus eſt à potentia, neque enim,quia habitus concurrit,potentia minus concurrit,ergo.

Reſpondeo in primis hoc argumentum poſſe applicari ſpeciebus clarioribus,& intenſioribus, atque adeò retorqueri poſſe facilè in Aduerſ. nam vel ſpecies clariores & intenſiores concurrunt ad illam facilitatem(,quam experientia conuicti admiptimus omnes;)formaliter,vel effectiuè; non formaliter, quia ſequitur idem abſurdum, quod infertur ex poſitione habitus; vel cõcurrunt effectiuè, & hoc etiam non poteſt dici, quia tota entitas actus eſt à potentia, neque enim quia Species concurrunt, ipſa minus concurrit, ergo;idem argumentum poteſt inſtari de actu viſionis beatificæ, qui totus eſt à lumine, & tamen ad eundẽ actum concurrit etiam intellectus, Ità *Henricus quodlib.4.q.21.*

Dico igitur, ſecundum Aliquos,habitus facilitatem illam, & promptitudinem eſſe quendam modum, qui à ſolo habitu producitur, & ità non concurrit ad ſubſtantiam actus, ſed tantum ad illum modum; Verùm dato,eam facilitatem non eſſe modum diſtinctum à ſubſtantia actus; Dico, totam entitatem actus,totam ſubſtantiam actus,eſſe,& ab habitu,& à potentia, ſicuti actus viſionis beatificæ totus eſt à lumine gloriæ,& totus eſt ab intellectu, & ſicuti in Sententia Auctorum, contrà quos agimus, totus actus eſt à potentia, & totus à ſpeciebus quomodocunque explicatis, & quomodocunque poſitis, ſiuè confirmatis, ſiuè clarioribus,& intenſioribus;ità tamen res ſe haberet,vt ſine potentia nequeat elici actus, poſſit tamen elici ſine habitu.

LECTIO VIII.

Habituum Productio, & Deſtructio.

HAbitum naturalem produci, & non innaſci, aut infundi potentiæ æquè certum eſt,ac ſit certum,habitum ſupernaturalem infundi potentiæ.

A quo producatur, à potentia ipſa, vel ab actibus,& quomodo; variæ ſunt Sẽtentiæ Philoſophorum.

Primò *Durandus in 3. d.34. q. 2.* ponit, habitum produci à potentia, quæ tamen prius ſit diſpoſita per actus, atque adeò actus eſſe diſpoſitionem præuiam ad habitum.

Sed contrà eſt quia; ſi actus eſſent præuia diſpoſitio ad productionem habitus, tranſacto actu nõ remaneret habitus, nam diſpoſitio requiſita ad introducendam formam in ſubiecto, eſt etiam neceſſaria ad conſeruationem eiuſdem formæ, ideòque recedente illa diſpoſitione, forma deſineret eſſe in ſubiecto,ſic recedente calore,deſinit forma ignis, quia calor eſt diſpoſitio ad introducendam formam ignis in ſubiecto, & conſequenter eſt etiam diſpoſitio ad conſeruandam eãdem formam; at patet experientia,tranſacto actu, remanere habitum, eſt enim habitus qualitas in ſubiecto firmiter radicata.ergò.

Secundò alij, vt *Burid.2. AEth.q.3.* ponunt habitum produci à potentia per actũ, tanquam per actionem, & cauſalitatem.

Sed contrà eſt quia.actio, quæ eſt cauſalitas reſpectu effectus, et termini producendi, non poteſt eſſe ſine termino,actio enim eſt ipſum fieri termini; at eſt actus ſinè habitu,vt patet, non ergo actus eſt actio, per quam producatur habitus.

Scotus in 1.d.17.q.2.& in 4.d.49.q.2. ponit habitum produci ab actibus, tanquam ab vnicã, et vera cauſa effectiua. Scotum ſequuntur non modo Scotiſtæ,ſed doctiſſimi Recentiores *Suarez diſp. 44. met. ſect. 8. Vaſq.1.2. diſp.79 c.9. Auerſa hic q.49. ſect. 5.* et alij plures.

Probatur primò ex Ariſt. qui paſſim ſupponit habitum ab actibus in hoc genere cauſæ effici, et produci;et quidem apertè id aſſerit.2. *AEth c.1.* vbi habet; *vt vno verbo dicam,ex ſimilibus operationibus habitus fiunt*. hinc factum eſt commune dictum ab omnibus receptum; *ex frequentatis actibus fit habitus.*

Probatur ſecundò,quia; ſi habitus non efficeretur ab actibus,maximè quia efficeretur à potentia; ſed etiam ſi à potentia ponatur effici habitus, adhùc ipſi actus debent concurrere, tanquam concauſa, et comprincipium effectiuum; patet enim à ſola potentia non produci habitum. ergò.

Dices. actus non eſt perfectior habitu, neque eſt æquè perfectus, ergo neque eſt cauſa æquiuoca,neque vniuoca reſpectu habitus; quòd non ſit perfectior patet, quia aliàs habitus non poſſet actus conſequentes producere, hi enim ſunt ſimiles in ſpecifi-

cifica perfectione ijs, à quibus ipſe eſt productus; quòd non ſit æquè perfectus, patet, quia habitus ordinatur ad actus tanquam imperfectius ad perfectius; actus enim eſt finis habitus, & non è contrà, ergo.

Reſpondeo: eſto habitus ſit imperfectior actu; tamen non ipſe ſolus producit actus conſequentes; hi enim producuntur ſimul ab habitu, & à potentia; remanet ergo actũ eſſe perfectiorem habitu, & conſequenter eſſe eius cauſam æquiuocam.

Verum quidem eſt, quòd regulariter ad producendum habitum requiruntur plures, & frequentati actus, iuxtà illud, *ex frequentatis actibus fit habitus*. dixi regulariter, quia ſi ponamus in aliquo caſu particulari fieri actum adeò intenſum, qui æquiualeat pluribus, tunc per vnum actum fiet habitus.

Colligite ex his, etiam per actum intenſiorem intendi, & augeri habitum; ſicuti enim habitus ſimpliciter producitur per actum, ita per actũ perfectiorẽ, & intẽſiorẽ, intenditur, perficitur, & augetur habitus.

Quoad ad habitus deſtructionem.

Hi, qui ponunt habitum in ſuo conſeruari, dependere ab actibus, conſequenter docent, per abſentiam, aut per meram ceſſationem ab actibus, habitum paulatim minui, & tandem corrumpi. Ità *Ocham. in 4. q.12. ad primum. Gab. in 3. d.23. q.1. art.3. dub.6. Salas p.2. tract.10 d.6. ſect.3.*

At hi, qui ponunt habitum in ſuo conſeruari non dependere ab actibus, vt reuerà non dependet, quia ſæpè eſt inuenire habitum ſinè actibus; negant, habitum deſtrui per ceſſationem ab actibus. Ità D. *Thomas 1.2. q.53. art.3.* quem ſequuntur Thomiſtæ; & prætereà *Suarez d.44. Met ſect.12. Hurtad. d.16. de Anima ſect 6. & alij plures.*

Hi ponunt, habitum deſtrui formaliter per alium habitum oppoſitum; Ratio eſt quia, *quidquid corrumpitur à contrario corrumpitur*, ſed vni habitui alter habitus opponitur, v.g. habitus temperantiæ opponitur habitui temperantiæ, ergo iam vnus habitus corrumpitur per alium habitum ſibi oppoſitum, & contrarium.

Dices primò: habitui non ſolum opponitur alter habitus contrarius, ſed etiam actus, verbi gratia, temperantiæ, non ſolùm opponitur habitus intemperantiæ, ſed etiã opponitur actus intemperantiæ, ergo à tali actu corrumpitur, & deſtruitur.

Reſpondeo, actum eſſe contrarium habitui non formaliter, & immediatè, ſed effectiuè, quatenus efficit alium habitum contrarium; aliàs ſi habitui eſſet contrarius actus, cum non poſſit negari, eſſe illi contrarium etiam habitum, iam vni duo eſſent contraria, quod eſſe contrà rectum naturæ ordinem probat *Ariſt. 1. Cœli t. 33.*

Dices ſecundò. Per ceſſationem ab actibus, patet experientia, paulatim minui, & tandem corrumpi habitum, ſi quis enim acquiſito habitu Logicæ, non ſe exerceat frequenter in diſputationibus, amittit facilitatem diſputandi, quam iam acquiſierat, ergo.

Reſpondeo: per ceſſationem ab actibus corrumpi habitum per accidens, quia qui ceſſat ab actibus, dat aditum, vt eliciantur actus contrarij, vt producatur habitus contrarius, à quo deindè expellitur formaliter habitus; vel etiam dico, per ceſſationem ab actibus, euaneſcere ſpecies obiectorum, circà quæ verſatur habitus, indè ſequi corruptionem, & abolitionem habitus, qui ſinè ſuo obiecto nequit conſeruari.

Dices tertiò. impetus impreſſus mobili, ſeipſo euaneſcit, & perit, abſque eo, quòd à contrario ponatur deſtrui, & corrumpi, quamuis diù permanſerit in potentia.

Reſpondeo; in primis virtutem impreſſã lapidi, verbi gratia, vt ſe moueat ſurſum, corrumpi à grauitate, quæ eſt illi contraria, & eſt naturalis proprietas lapidis. deindè dico; diſparitatem eſſe, quia virtus impreſſa non eſt qualitas firmiter in ſubiecto radicata, qualis eſt habitus, ideò euaneſcit illa, poſtquam aliquandiù permanſerit in mobili; nõ ſic habitus, qui eſt qualitas firmiter in ſubiecto radicata.

LECTIO IX.

An Anima ſeparata diſtinguatur ab Angelo

SEntentia Communis ponit Animam Rationalem ſeparatam ſpecie differre ab Angelo, & videtur clarè deduci ex Scripturis, præſertim ex illo D. *Pauli. Angelos non apprehendit, ſemen Abrahæ apprehendit ad Hebr. 2.* et ex illo *Pſal. 8. minuiſti eum paulominus ab Angelis*, ſi ergo homo minor eſt Angelo, ſinè dubio eius Anima ſeparata diſtinguitur ab Angelo, ſed

Primò huic communi doctrinæ videntur contradicere Nonnulli ex Sanctis Patribus; & quidem D. *Auguſtinus lib. de lib. Arbitrio c. 3.* manifeſtè habet, *Angelus, & Anima ſunt natura pares, officio verò impares.*

res. D. *Bernardus lib.* de conſiderat. ad Eugenium Papã; *optimum Tui, & Angeli Ratio eſt*, ſed nomine optimi, venit natura ſpecifica, ergo. denique D. Gregorius Homilia 29. in Euangelia, *omnis Creaturæ aliquid habet homo, habet enim commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum Animalibus, intelligere cum Angelis.*

Secundò Communi Doctrinæ opponitur: non poſſe aſſignari, ex quo capite oriatur ſpecifica differentia, atque diuerſitas inter Animam ſeparatam, & Angelum, æquè enim Anima Rationalis, ac Angelus eſt creatura rationalis, & ſpiritualis, prædita intellectu, & voluntate, ergo nulla videtur eſſe ſpecifica differentia inter Animam ſeparatam, & Angelum.

Reſpõdet aliqui cũ D. *Bonau. in* 2. *d.* 1. *q.* 2. differentiam inter Angelum, & Animam ſeparatam eſſe, quia Anima licet ſeparata eſt vnibilis corpori, & apta nata facere quid vnum cum illo, at Angelus non eſt vnibilis corpori, neque eſt aptus natus facere quid vnum cum corpore.

Sed contrà eſt quia: eſſe vnibilem, vel nõ vnibilem, eſt quid poſterius ad eſſe, & naturam, ergo prius eſt, eſſe Animam Rationalem, aut Angelum; quàm ſit, Animam eſſe vnibilem, vel non vnibilem; prius quid eſt, Animam ſeparatam eſſe talis, vel talis naturæ, quàm ſit eam eſſe vnibilem, vel non vnibilem; at differentia ſpecifica, vtpotè eſſentialis, conſiſtit in priori, non in aliquo prædicato poſteriori ad eſſe, & naturã rei, ergo non benè aſſignatur differentia ſpecifica Animæ Rationalis ab Angelo per eſſe vnibilem, vel non vnibilem.

Contrà ſecundò quia: etiam Angelus poteſt vniri corpori, quod ſæpè aſſumit, & quo vtitur tanquam inſtrumento, & organo ad exercendas plures operationes vitales, videmus enim Angelos in corporibus aſſumptis ambulare, loqui, comedere, & bibere, vt planum eſt in Angelo, qui Tobiæ filio comes fuit in itinere, & peregrinatione.

Præterea ſæpè vidimus, homines arreptos, rudes cæteroqui, & ignauos, latinè, & grecè loqui, quæ ſanè locutio non poteſt eſſe ab Anima eorum hominum, ſed à malignis ſpiritibus, & malis Angelis, à quibus ſupponuntur eſſe arrepti, ſæpè etiam ab arreptis hominibus auſus ſunt, qui humanas vires exuperant, ac proindè à ſpiritibus, qui vel eorum corpora informant, vel ijs aſſiſtunt, & localiter præſentes ſunt, tales auſus proueniunt, ergo Angelus non ſecus, ac Anima corpori vnitur, & corpore vtitur, tanquam inſtrumento ad exercendas operationes vitales.

Reſpondebis: Angelum per accidens aſſumere corpora, vel corpora arripere; at Animæ ſeparatæ de ſua natura petit vniri corpori, & per accidens eſt, quòd aliquando ſeparetur, et ſeparata exiſtat.

Sed contrà eſt quia: Anima non ità petit de ſua natura corpori vniri, vt ſi ab illo ſeparetur, dicatur eſſe in ſtatu violento, æquè enim Anima connaturaliter exigit ſtatum vnionis; ac exigat ſtatum ſeparationis. Ità defendunt doctiſſimi Philoſophi *Ouied. hic Contron.* 16. *pũct.* 2. *Ruuius tract. de Anima ſeparata q.* 6. *n.* 81. *Scotus in* 4. *d.* 46. *q.* 2. docet, magis eſſe connaturalem Animæ ſtatum ſeparationis, quàm ſit ſtatus coniunctionis; & ratio eſt quia; Anima eſt per ſe ſubſiſtens, & immortalis æquè, ac ſit forma informans, ſed quà immortalis, & per ſe ſubſiſtens exigit ſtatum ſeparationis à corpore, ergo æquè connaturaliter exigit vniri corpori, quia forma informans, ac exigat, & petat ſeparari, quia immortalis, & per ſe ſubſiſtens.

Denique aliqui ex grauiſſimis Theologis, vt *Caietanus in illa verba D. Pauli II. ad Epheſ. principem poteſtatis aeris huius. Auguſtinus Eugubinus in illud Pſal.* 103. *qui facit Angelos ſuos Spiritus.* & *lib.* 8. *de perenni Philoſophia c.* 27. D. *Dionyſius Areopagita c.* 4. *de diuinis nominibus*, cuius auctoritas tanta eſt in hac materia, vt inſtar omnium cenſeri debeat; docent, Angelum conſtare ex corpore tenui, & ſubtili, ergo data ea Sententia etiam Angelus eſt vnibilis corpori, non ſecus ac Anima ſeparata.

Reſpondent alij cum *Alex. de Aleſ.* 1. 2. *collat. de ſubſtantia Angeli. q.* 2. *Henrico quodlib.* 1 2. *quodlib.* 8. *D. Thoma p.* 1. *q.* 76. *art.* 7. differre Animam ſeparatam ab Angelo, quia Anima ſeparata eſt diſcurſiua, non ſic Angelus, qui ſimplici intuitu attingit obiectum, ſicut enim in ente ſenſitiuo; quia ſunt diuerſi gradus ſentiendi, conſtituuntur diuerſæ ſpecies Brutorum, Leo, nimirum, & equus; ità quia in eſſe intellectiuo ſunt diuerſi gradus intelligendi, nempè per diſcurſum, & ſinè diſcurſu, ideò conſtituuntur diuerſæ ſpecies creaturarum intellectiuarum; nimirum, Anima ſeparata, & Angelus.

Sed contrà eſt quia. Anima ſeparata æquè apprehendit obiecta ſimplici intuitu, ac apprehendat Angelus, ea enim obiecta,

quæ

Digitized by Google

quæ in ſe clara ſunt, & euidentia, ſola terminorum ſimplici apprehensione innoteſcunt Animæ ſeparatæ æquè, ac Angelo; quæ autem obſcura ſunt, & difficilia non poſſunt, niſi per diſcurſum attingi æquè ab anima ſeparata, ac ab Angelo, qui ſanè ſecreta cordis, & futura etiam cognitione coniecturali nō attingit, niſi per diſcurſum. Præterea in Anima deberent aſſignari duę intellectualitates ſpecie diuerſæ, quia circà aliqua obiecta diſcurrit, circà alia non; & denique etiam Beatifica Viſio Hominis, & Angeli deberet eſſe ſpecie diuerſa, atque diſtincta, quia ab intellectu ſpecie diuerſo, atque diſtincto eliceretur.

Reſpondebis adhùc contrà principalem impugnationem; plura eſſe obiecta, quæ ſimplici intuitu attingit Angelus, quàm ſint ea, quæ attingit anima ſeparata; nam ſi ſecreta cordis, & futura excipias, cætera omnia obiecta Angelus attingit ſimplici intuitu; non ſic Anima ſeparata, quæ ſolùm pauca quædam prima principia ſimplici intuitu attingit, cætera omnia per diſcurſum.

Sed contrà eſt, quia eſſe pauciora, vel plura obiecta; quæ attingantur ſimplici apprehensione, aut diſcurſu, non inducit differentiam ſpecificam, ſed numericam; nam Animæ Rationales, quamuis omnes vnius ſpeciei, quamuis omnes ſint eiuſdem perfectionis ſpecificæ, ſunt tamen diuerſæ perfectionis indiuidualis, & vna perfectiùs alteram cognoſcit, vti de facto videmus, vnum hominem pollere perſpicaciori ingenio, quàm polleat alius, ergo eſſe plurà obiecta, quæ attingat Angelus ſimplici intuitu, quàm ſint ea, quæ attingat Anima Rationalis, non ſufficit ad aſſerendam ſpecificam diuerſitatem Angeli, & Animæ ſeparatæ.

Contrà Reſponſionem *D. Bonauenturæ* ſecundò principaliter eſt quia; etiam ſi ponatur in Anima, & Angelo eadem intellectualitas; ſeu idem gradus, & modus intelligendi, adhùc aliundè poſſet peti diſtinctio ſpecifica Animæ ſeparatæ ab Angelo, nam eadem eſt potentia viſiua Leonis, & Equi, & tamen Leo, & Equus differunt ſpecie. Præterea Lumen gloriæ æquè eſt debitum gratiæ habituali, ac ſit debitum vnioni hypoſtaticæ, & tamen gratia habitualis, & vnio hypoſtatica differunt ſpecie, ergo eadem intellectualitas poteſt eſſe in Anima ſeparata, & Angelo abſque eo, quòd indè arguatur identitas ſpecifica vtriuſque, atque adeò ſicuti ex identitate ſpecifica intellectualitatis non arguitur identitas ſpecifica animæ ſeparatæ, ità neque ex diuerſa intellectualitate poteſt, aut debet argui diuerſitas ſpecifica Animæ ſeparatæ, & Angeli.

Contrà tertiò principaliter eſt quia; ex eodem principio poſſunt oriri diuerſæ operationes, vt ex intellectu actus aſſenſus, & diſſenſus; ex voluntate Amor, & odium. ex eadem Anima diuerſæ potentiæ: ex eadem eſſentia diuerſæ proprietates, ergo cùm diuerſa intellectualitate in Angelo, & Anima ſeparata poteſt ſtare identitas ſpecifica Angeli, & animæ ſeparatæ.

His tamen non obſtantibus à Communi Sententia non eſt recedendum, & omninò aſſerendum eſt, Angelum ſpecie differre ab Anima ſeparata, licèt enim aſſignatæ hucuſque differentiæ non ſint traditæ per conceptus priores, & per rationes primò diſtinctiuas, ſunt tamen ſigna, quæ à poſteriori ſpecificam diuerſitatem Angeli, & animę ſeparatę ſatis probabiliter ſuadēt.

Differunt ergo anima ſeparata, & Angelus, tanquam per conceptus priores, & rationes primò diſtinctiuas, per proprias eorum eſſentias, & naturas, alia enim eſt quidditas, & eſſentia animæ ſeparatæ, & alia eſt quidditas, & eſſentia Angeli.

Ex hac diſtinctione omnium prima, omnium priori, oritur deindè quòd anima ſeparata ſit vnibilis ad corpus, non item Angelus; quòd anima ſeparata ſit principium intellectionis diuerſæ, ac in Angelus; ſimili ratione, qua Sol habet virtutem generandi plantam, & alia mixta, at planta talem virtututem non habet,

Si autem quæras, per quid differat Sol à Planta, non benè aſſignabis pro tali differentia, quia ſol habet virtutem generandi Plantam; nam ſi hæc virtus diuinitùs Plantæ communicaretur, & poſſet Planta generare alteram Plantam, adhùc ſpecie differret Sol à Planta; prima ergo diſtinctio, per quam Sol à Planta diſtinguitur eſt, quia forma Solis eſt talis forma, & forma Plantæ eſt talis, & ad hoc ſequitur, quòd talis forma poſſit eſſe principium talium operationum, & alia non; Ità in caſu noſtro Angelus, & anima ſeparata diſtinguuntur ſpecie, quia Angelus eſt talis naturæ ad ſe, & anima ſeparata eſt talis naturæ ad ſe; indè oritur, quòd hæc ſit vnibilis, ille non; hæc ſit principium harum operationum, ille aliarum, & omninò diuerſarum.

Ità ſubtiliſſimè diſcurrit *Scotus in 2. d. 1. q. 5.* quem ſequuntur Scotiſtæ communiter,

Digitized by Google

ter, omnium Nouiſſimè *Faſanus lib.2. Arcanorum Scoti.*

Ad Auctoritates SS. Patrum facilè reſpondetur, & in primis ad illud *D. Auguſtini*, dico, homines, & Angelos eſſe pares in natura generica intellectiua, non in natura ſpecifica; vel eſſe natura pares, quia vterq; homo, videlicet, & Angelus non poſſunt, niſi in obiecto infinito quietari.

Ad Auctoritatem *D. Gregorij* dico hominem communicare cum Angelo in hoc, quod eſt intelligere, tanquam in ratione, & gradu generico, qui etiam dici poteſt quid optimum in homine, & in Angelo comparatiuè ad alias creaturas, quæ carent vita rationail, & intellectiua; atque ità manent etiam ſoluta, & explicata verba D. *Bernardi*, quæ videbantur probare hominem, & Angelum ſpecie non differre



LE

Digitized by Google

LECTIONES METAPHYSICAE

AVCTORE

R. P. AVGVSTINO DE ANGELIS

CONGREGATIONIS SOMASCHÆ.

PROOEMIVM.

Metaphyſica,quæ Græcis eſt μετὰ τὰ φυσικά, hoc eſt vltrà Phyſicam,ſeù poſt Phyſicam , quia nimirum poſt Phyſicam addiſcebatur ; Antiquis Sapientibus erat loco Chriſtianæ Theologiæ,vndè eam Ariſt.Theologiam appellat, 11. *Met. c.6.t.* 50. *Patet igitur tria eſſe genera Scientiarum Speculatiuarum*, *Phyſicam* , *Mathematicam*, *& Theologiam* . Et meritò quidem appellata eſt Theologia,quia cùm eius Obiectum,nimirũ, Ens reale,vt ens reale eſt,comprehendat Deum,de Deo ipſo, quantum cognoſcibilis eſt vi luminis naturalis,fusè tractabant Antiqui Sapientes,& Theologi. Nos hic ea omnia,quæ ad Deum ſpectant,Diuinæ,ac veræ Theologiæ reſeruantes, difficiliores quaſdam Quæſtiones Vniuerſaliſſimas de Ente, Paſſionibus,& Partibus eius perſequemur.

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA.

DE NATVRA, ET FORMALITATE ENTIS.

Metaphyſica, quia Scietia omninò Speculatiua, munus eſt; Naturam in primis obiecti ſui, tùm Paſſiones, Denique Partes ſpeculari: Prima igitur hæc Diſputatio ea omnia, quæ ad Naturam, & Formalitatem entis realis, (quod certum eſt, eſſe Obiectum huius Scientiæ) cognoſcendam ſpectant, complectitur.

LECTIO I.

An Ratio entis ſit Analoga reſpectu ſuorum Inferiorum.

INferiora entis ſunt Deus, creatura, ſubſtantia, accidens, vnico verbo, omnia entia in particulari; quæritur, an ratio entis vt ſic, & in communi ſit analoga, an verò ſit vniuoca reſpectu ſuorum inferiorum. idem eſt, quòd quærunt alij ſub alijs terminis, an poſſit dari vnus conceptus obiectiuus entis vniuocè communis ad ſua inferiora.

Pono autem dupliciter poſſe conſiderari vnum conceptum communem entis reſpectu ſuorum inferiorum: primò quidem perfectè præciſum à ſuis inferioribus, ſecundò imperfectè præciſum: tunc, & in eo caſu datur conceptus communis perfectè præciſus à ſuis inferioribus, quando ſua inferiora non includit, nec explicitè, nec implicitè; ſic animal perfectè præſcindit à Rationali, & Irrationali, quæ ſunt eius inferiora, quia nec explicitè, nec implicitè in ſuo formali conceptu includit rationale, aut irrationale. Tunc verò, & in eo caſu conceptus communis eſt imperfectè præciſus à ſuis inferioribus, quãdo aliquo modo. ſaltem implicitè conceptus communis includit inferiora, ità ſi concipiatur ens vniuerſaliſſimè, & vt quid trãſcendens, quia eſt imbibitum in ſuis inferioribus, habebitur entis conceptus imperfectè præciſus à ſuis inferioribus.

De conceptu igitur entis duæ ſunt Sententiæ.

Prima Sententia ponit, conceptum entis eſſe vniuocum ad ſua inferiora, atque adeò ens perfectè, & obiectiuè præſcindere à ſuis inferioribus.

Ità Nominales, *Ocham in 1.d.2.q.4. Gab. ibidem Greg.q.4. Arriaga diſp.11.log.ſect.4. Oxied. Contr. 11. met. p.* 8. & quam plures Recentiores, qui pro ſe citant *Scotum in 1. d.3 q.1.&* 3. & alios de Schola Scoti; an benè, mox videbimus.

Secunda Sententia ponit, conceptum entis eſſe *A*nalogum ad ſua inferiora, atque adeò ens imperfectè præſcindere à ſuis inferioribus.

Ità *Caietanus Opuſc. de Analogia nominum c.4.& 6. Heruæus quodlib.2.q 7 Soncinas 4.met.q.2.* Ex Recentioribus *Hurtad. diſp. 9. met. ſect.4. ſubſect.* 4. *Mazziotta in Diſp.Select.diſp.*15. *reſp. ad Argum.n.*109.

Puto Scotum loco cit. §. quantum ad primum etiam ſtare pro hac Sententia, & immeritò pro contraria citari. Moueor primò, quia Scotus manifeſtè docet, ens nõ

eſſe

eſſe vniuocum reſpectu paſſionum eius, & reſpectu differentiarum vltimarum; imò hoc ipſum ex profeſſo probat ibi; verba ſunt. *Quantum ad primum dico, quòd ens non eſt vniuocum dictum in quid de omnibus intelligibilibus, quia non de differentijs vltimis, nec proprijs paſſionibus entis, ergo iam ens non eſt vniuocum reſpectu omnium inferiorum eius.*

Moueor ſecundò quia reddẽs rationem, cur ponat ens eſſe vniuocum reſpectu Dei, & creaturarum §. *ad quaeſtionem* habet, *ſi ens ponatur aequiuocum creato, & increato, ſubſtantiae, & accidenti, cum omnia iſta ſint per ſe intelligibilia à nobis, nullum videtur poſſe poni primum obiectum intellectus noſtri, ſed ponendo illam poſitionem, quam poſui in prima quaeſtione huius diſtinctionis de vniuocatione entis, poteſt aliquo modo ſaluari, aliquod eſſe primum obiectum intellectus noſtri*; ergo ponit ens eſſe vniuocum, prout vniuocum opponitur aequiuoco, non prout opponitur analogo.

Concluſio. ens à ſuis inferioribus imperfectè praeſcindit, & conſequenter ratio entis analoga eſt, non vniuoca.

Probatur prima Pars Concluſionis, (in qua difficultas tota poſita eſt) quia; ens priùs participatur à Deo, quàm à Creaturis, priùs à ſubſtantia, quàm ab accidentibus, ratio enim entis participatur à Creaturis cum dependentia à Deo, ab accidentibus cum dependentia à ſubſtantia, ergo ratio entis analoga eſt, non vniuoca.

Sed contrà hanc rationem videtur eſſe, quia: ratio entis, vt ſic praeciſa, formaliter non dicit illam prioritatem, ſeù dependentiam, quia vt ſic praeciſa ratione noſtra, eſt indifferens vt contrahatur à Deo, vel à Creaturis, imò illa eadem ratio entis, quae contrahitur à Creaturis, poteſt ratione noſtra contrahi ad Deum, ergo ratio illa entis de ſe formaliter non dicit illam dependentiam, aut prioritatem, aliàs non poſſet contrahi à Deo.

Praetereà, dato etiam, quòd ratio entis dicat formaliter illam prioritatem, & dependentiam, id ſanè ſicuti non officit vniuocationi, ità nequicquam prodeſt ad analogiam; quòd enim inferiora participent inaequaliter gradum ſuperiorem, non inducit analogiam in illo gradu, nec tollit vniuocationem, aliàs etiam animal, quia inaequaliter participatur ab homine, & equo, non eſſet vniuocum, ſed analogum reſpectu hominis, & Equi; perfectiùs enim animal participatur ab homine, quàm participetur ab Equo, & perfectius ab equo, quàm à formica.

Probatur ergo, & efficacius Concluſio quia: conceptus obiectiuus entis vt ſic, & in communi, eſt conceptus adaequatus eiuſdem entis, dum enim dicimus ens vt ſic, & in communi, dicimus ens in tota ſui latitudine, abſque vlla reſtrictione, quae tunc accidit, quandò ad inferiora reſtringitur, & contrahitur, ſed conceptus adaequatus entis ſumpti in tota ſui latitudine, implicitè, & in confuſo dicit, Deum, Creaturas, Subſtantiam, & Accidens, quia ſic acceptus dicit omne ens, ergo imperfectè praeſcindit à ſuis inferioribus; & conſequenter non eſt conceptus vniuocus, cõceptus enim vniuocus debet eſſe perfectè vnus, & omnem multitudinem tàm implicitè, & in confuſo, quàm clarè, & explicitè debet excludere, ergo.

Confirmatur quia; animal eſt vniuocum reſpectu Rationalis, & Irrationalis, quia tàm in ſuo formali, quàm in ſuo obiectiuo conceptu nec implicitè, nec explicitè includit rationale, aut irrationale, ergo ens debet eſſe analogum, & ſaltem implicitè includere inferiora, aliàs inter animal, & ens nulla eſſet differentia; quod eſt abſurdum, nam inferiora animalis non ſunt eſſentialiter animal; inferiora vero entis ſũt eſſentialiter, & formaliter entia, ergo non eodem modo ſe habent animal, & ens reſpectu ſuorum inferiorum.

Quia ergo ens eſſentialiter includitur, & formaliter imbibitur in ſuis inferioribus, ſeù, propter ſui trãſcendentiam, quae in illa eſſentiali incluſione poſita eſt, non poteſt eſſe quid vniuocum reſpectu ſuorum inferiorum.

Oijcies primò. ens eſt primum, quod intelligimus, commune enim, & vniuerſale priùs eſt intelligibile, at quod eſt primũ in aliquo, eſt vnum, & non plura, ergo ens eſt vnum, & non dicit plura in ſuo conceptu ſiuè formali, ſiuè obiectiuo. Confirmatur quia: ens eſt obiectum tum potentiae intellectiuae, tum ſcientiae, ſed potentia intellectiua, & ſcientia eſt vna, & talis vnitas ſumitur ab obiecto, à quo vtraque, ſcientia, videlicèt, & intellectiua potentia ſpecificãtur, ergo.

Reſpondeo: tàm principali argumento, quàm eius Confirmatione probari, ens eſſe vnum vnitate imperfecta, quae confuſè, & implicitè dicit plura; non verò eſſe vnum vnitate perfecta, quae omninò pluralitatem excludat, vel etiã eſſe vnum vnitate oppo-

Ddd 2 ſita

Digitized by Google

ſita æquiuocationi, non eſſe vnum vnitate oppoſita analogiæ.

Obijcies ſecundò. ſi ens diceret implicitè, & in confuſo multa, non eſſet contradictorium nihilo, ſicuti hæ duæ propoſitiones, canis latrat, & canis non latrat, non sũt contradictoriæ, quia *τὸ canis*, dicit multa, & ad vnum ipſorum, ideſt, ad canem terreſtrem refertur latratus, ad Marinum refertur non latratus.

Confirmatur quia. vnitas eſt notiſſima paſſio entis, ergo ens non poteſt formaliter, & intrinſecè dicere plura, & multitudinem, aliàs quomodo ad ens conſequeretur, tanquam paſſio, vnitas?

Reſpondeo. ens quamuis imperfectè vnum, opponi contradictoriè nihilo, quia quodlibet vel minimum ens, contradictoriè opponitur nihilo; non ſic accidit in latratu, & non latratu, quia non latratus ab aliquo quidem cane, nempè à cane marino excluditur, ſed non ab omni alio cane.

Ad Confirmationem dico; nõ vnitatem perfectam, ſed vnitatem imperfectam eſſe paſſionem entis.

Obijcies tertiò. conceptus adæquatus entis non dicit intrinſecè differentias, ſubſtantiam, aut perſeitatem, quæ eſt eius modus; accidens, aut inaleitatem, quæ eſt eius modus, ergo præſcindit perfectè ab illis, non ſecus ac animal, quod quia intrinſecè, & formaliter non dicit Rationale, & irrationale, præſcindit perfectè ab illis. Conſequentia, & clara, & plana eſt.

Antecedens multipliciter probatur. primò quia, conceptus dubius diſtinguitur, & præſcindit à conceptu certo, ſed poteſt quis eſſe certus, quòd aliquid ſit ens, & eſſe dubius an ſit ſubſtantia, vel accidens. Secundò quia. ſi ens formaliter diceret differentias, vbicunque eſſet ens, ibi eſſent & differentiæ, ſed in accidente eſt ens, ergo in accidente eſſet quoque ſubſtantia, imò & Deus. Tertiò. ſi ens non præſcinderet ab inferioribus, ſenſus huius propoſitionis; *ſubſtantia eſt ens*; eſſet, *ſubſtantia eſt accidens*; quod eſſe falſum, planum eſt. Quartò. vltimæ rerum differentiæ ſunt inferiora entis, & tamen non ſunt entia, quia vltimæ rerum differentiæ ſe totis, & adæquatè differunt, ſeù ſunt primò diuerſæ, ergo non ſunt entia, aliàs conuenirent in ratione entis, & ità non ſe totis, & adæquatè differrent, non eſſent primò diuerſæ.

Reſpondeo; falſum eſſe Antecedens, ens enim in tota ſua latitudine, & adæquatè ſumptum, includit intrinſecè, & formaliter omnia entia, & conſequenter omnia inferiora; quæ ſicuti intrinſecè, & formaliter ſunt entia, ità ens intrinſecè, & formaliter eſt ſua inferiora.

Ad primam probationem dico. non poſſe haberi certum conceptum de ente, niſi ſciat quis, ens inuoluere ſua inferiora; eſto neſciat, an ſit determinatè ſubſtantia, vel accidens; Deus, an creatura. Ad ſecundam. in accidente non reperiri ens in tota ſua latitudine, & adæquatè, ſed duntaxat reperiri tale ens in particulari, & determinatè, ideò in accidente licèt ſit ens, non eſt tamen ſubſtantia, aut Deus. ſimiliter & ad tertiam probationẽ dico. quòd illius Propoſitionis; *ſubſtantia eſt ens*; ſenſus eſt. *ſubſtantia eſt tale ens determinatum*; ideò non valet inferre, ſenſum illius Propoſitionis eſſe: *ſubſtantia eſt accidens*.

Denique ad quartam probationem dico; quòd ſi nomine vltimarum differentiarum intelligantur negationes illæ, quæ ad rationes differentiales cuiuſcunque rei cõſequuntur, quælibet enim res, ſeu entitas, eſt proprium ſuum genus, & differentia; & prætereà eſt negatio omnis eius, quod non eſt ipſa; ſi, inquam, nomine vltimæ differentiæ, iſta negatio intelligatur; do vltrò, ens à non ente, & à negationibus perfectè præſcindere; ſed præſens doctrina non procedit de his inferioribus, & vltimis differentijs negatiuis, ſed de poſitiuis, quæ formaliter entia cum ſint, includũtur formaliter in conceptu entis adæquato, & in tota ſui latitudine accepti.

Replicabis. ens eſſentialiter diſtinguitur à non ente, ergo eſſentialiter dicit negationem non entis, ſeu nihili, ergo non præſcindit à negatione.

Reſpondeo. diſtinguendo conſequens, ergo eſſentialiter non prǽſcindit à negatione ſui propria, & à ſe importata; ſeù à negatione quadam vniuerſali, concedo cõſequentiam; non prǽſcindit à negatione particulari, & propria ſuorum inferiorum, nego conſequentiam; ens enim non includitur in negatione, quam dicit ſubſtantia omnis eius, quod non eſt ipſa, quia talis negatio non eſt eſſentialiter ens, & eſt oppoſita enti in tota ſui latitudine accepto.

Replicabis adhuc. ens non prǽſcindit à ſubſtantia; ſubſtantia dicit negationem omnis eius, quod non eſt ipſa, ergo ens etiam dicit illam negationem, ac proindè ab illa negatione particulari non prǽſcindit.

Reſpondeo. illam negationem particularem

Digitized by Google

rem importari à ſubſtantia non formaliter, ſed conſecutiuè; eſto igitur ens nõ præſcindat à ſubſtantia, præſcindit tamen ab eo, quod conſequitur ad ſubſtantiam, vt talis eſt, quia negatio omnis eius, quod nõ eſt ſubſtantia, opponitur enti accepto in tota ſui latitudine, quia ens ſic acceptum ità includit ſubſtantiam, vt non excludat cætera entia, & alia inferiora, ſed implicitè, & in confuſo dicit omnia ſua inferiora.

Obijcies tertiò. Ens contrahitur à ſuis differentijs, & inferioribus, ergo diſtinguitur, & præſcindit ab illis, omne enim, quod ab alio contrahitur, diſtinguitur, & præſcindit ab illo, à quo contrahitur, ſic animal diſtinguitur, & præſcindit à Rationali.

Reſpondeo. Ens à ſuis inferioribus non contrahi contractione propria, & perfecta, ſed contractione quadam imperfecta, & minus propria, quia ens à ſuis inferioribus diſtinguitur penes conceptum magis, vel minus explicitum, ſubſtantia enim nihil aliud formaliter eſt, niſi ens, ſed magis expreſsè, & explicitè dictum; at animal perfectè contrahitur à Rationali, quia Rationale formaliter non eſt animal, & animal formaliter non eſt Rationale, vt patet ex vtriuſque definitione.

Replicabis. in definitione entis, non includitur ſubſtantia, quamuis in definitione ſubſtantiæ includatur ens, ergo ens præſcindit à ſubſtantia, eſto ſubſtantia nõn præſcindat ab ente. Probatur Antecedens quia ens definitur illud, quod exiſtit, in qua definitione nulla omninò mentio fit de ſubſtantia.

Reſpondeo. per definitionem illam haberi conceptum entis valdè confuſum, & obſcurum; at ſi ens acceptum in tota ſui latitudine explicaretur ea claritate, quæ in omni bona definitione requiritur, deberet ſic explicari, ens eſt illud, quod ſimul eſt ſubſtantia, Accidens, Deus, Creatura.

Obijcies quartò. Datur ſubſtantia, quæ cum traſcendẽtaliter includatur in ſuis inferioribus, non eſt vniuoca, talis eſt ſubſtantia communis ad omnem ſubſtantiam, ſiuè creatam, ſiuè increatam, ſiuè finitã, ſiuè infinitam: & prætereà datur ſubſtantia vniuoca, quæ conſtituit peculiare prædicamentum, & talis eſt ſubſtantia finita, corporea, ſpiritualis prout præcisè eſt principium exigitiuum ſubſiſtentię, ergo licèt cõceptus entis, vt ſic, & in communi traſcendentaliter includatur in ſuis inferioribus, ac proindè reſpectu eorum non ſit vniuocus, ſed analogus, adhùc tamen poteſt dari aliquis conceptus, qui ſit vniuocus, & perfectè præſcindens ab inferioribus, puta ens vt eſt completum principium exigitiuum exiſtentiæ.

Reſpondeo. latam, & claram diſparitatẽ eſſe, quia id, quod ponitur principium exigitiuum ſubſiſtentiæ, præſcindit à ſubſtantia, ſeu non eſt formaliter ſubſtantia, nam in primis finitum, quà finitum non dicit formaliter ſubſtantiam: corporeum, quà corporeum, non dicit formaliter ſubſtantiam, ſed trinam dimenſionem. Spirituale, quà ſpirituale, non dicit formaliter ſubſtantiam, ſed carentiam dimenſionis. At non poteſt aſſignari aliquod ens, quod non ſit formaliter exigitiuũ exiſtentiæ, quid enim eſt eſſe ens formaliter, niſi formaliter exigere exiſtentiam? patet ergo inferiora entis, eſſe formaliter entia, non ſic inferiora ſubſtantiæ, quę participant ſubſtantiam, quam formaliter nõ habent, niſi poſtquam illam participauerint.

LECTIO II.

Quid ſit Eſſentia ſecundum eſſe Poſſibile, variæ Sententiæ referuntur.

Ens, vt ſic, & in communi ex eſſentia, & exiſtentia, tanquam ex potentia, & actu, & tanquã ex ſuis partibus, ſeu principijs intrinſecè componentibus coaleſcit, & ſanè eſſentia, antequam habeat exiſtentiam, intelligitur, vt purè poſſibilis; verum quid ſit, eſſẽtiam eſſe purè poſſibilem, quid iſta poſſibilitas importet, non eodem modo omnes Philoſophi explicant, & declarant.

Primò Nonnulli ponunt, eſſentias eſſe poſſibiles, quia poſſũt produci ab Omnipotentia Dei, atque adeò eſſe poſſibiles, ponũt eſſe denominationem extrinſecam ab Omnipotentia Dei, quæ poteſt illas producere, ſicuti parietem eſſe viſibilem eſt denominatio extrinſeca à potentia viſiua, quæ poteſt parietem videre, & per actum viſionis attingere. Ità *Hurtad diſp. 8. ſect. 1. Franciſcus Le Rées diſp. 1. met. art. 7. §. 2. Spinula in met. diſp. 1. ſect. 2.* & alij Recentiores, quos ſuppreſſo nomine citat *Mazziotta in quæſt. Sel. q. 15. n. 404.*

Sed contrà hanc Sententiam eſt quia licèt veriſſimum ſit, ab Omnipotentia, & virtute productiua Dei, lapidem, verbi gratia, denominari extrinſecè poſſibilem, ſicu-

Digitized by Google

ſicuti denominatur extrinſecè viſibilis à potentia viſiua, tamen quia lapis eſt etiã intrinſecè, & formaliter poſſibilis, cuiuſmodi non eſt Chymæra, aut purum nihil, non ſufficit denominatio illa merè extrinſeca ad conſtituendum lapidem, verbi gratia, in eſſe poſſibili, nam quantum eſt ex parte Diuinæ Omnipotentiæ, & uirtutis potentis omnia creare, atque producere, æquè poſſibilis eſt Chymæra, ac lapis, Omnipotentia enim, & virtus Dei ad omnia ſe poteſt extendere, quantum eſt ex ſe, quia infinita, & illimitata eſt, neque vllum agnoſcit ſuæ virtutis, aut efficacitatis terminum; quare in tantum nõ poteſt fieri à Deo, in quantum illud in ſe poſſibile non eſt; aſſignetur ergo per quid formaliter conſtituatur Creatura poſſibilis in eſſe poſſibili, quod tamen non ſit ipſa Omnipotentia, aut virtus Dei extrinſeca enti creato poſſibili, vt poſſibili.

Secundò alij Recentiores, vt huic difficultati ſatisfaciant, ponunt eſſe poſſibile in negatione dualitatis, poſſibile enim opponitur impoſſibili, at impoſſibile illud eſt, quo poſito ſequuntur duo prædicata contradictoria, ergo poſſibile illud eſt formaliter, quod habet negationem dualitatis horum prædicatorum. In idem recidit, quod alij dicunt; poſſibilitatem rerum conſiſtere in negatione repugnantię ad exiſtendum, ità vt illud dicatur poſſibile, quod non habet repugnantiam ad exiſtendum.

Si quæras vlterius ab his Auctoribus, quid ſit iſta non repugnantia; Reſpondẽt, explicari per hanc conditionalem; ſi lapis, verbi gratia, exiſteret, non ſequerẽtur duo contradictoria; è contrà Chymæra habet repugnantiam ad exiſtendum, quia ea data ſequerentur duo contradictoria; hinc eſt, quòd lapis ſit, & dicatur eſſe poſſibilis, Chymæra verò impoſſibilis. Ità *Ouied. hic Contr. 2. p. 1. §. 2. Arriaga diſp. 2. ſect. 1. Suarez diſp. 31. ſect. 2. vbi pro ſe citat Capreol. in 2. d. 1. q. 2. art. 3. ad quartum Argumentum Aureoli.*

Sed contrà hanc Sententiam eſt quia: poſſibilitas rei eſt prædicatum reale, & poſitiuum, non ergo benè explicatur per negationem repugnantiæ, aut impoſſibilitatis; nam vlterius debet aſſignari fundamentum talis negationis, omnis enim negatio debet in aliquo poſitiuo fundari.

Prætereà ipſa repugnantia, & impoſſibilitas negatio quædam eſt, ergo negatio repugnantiæ, & impoſſibilitatis eſt quædam negatio negationis; at duæ negationes affirmant, & ſunt quid omnino poſitiuum, aut ſupponunt, ergo per ſolam nõ repugnantiam, non benè explicatur rei poſſibilitas.

Tertiò alij ponunt, Eſſentias rerum habere eſſe reale actuale ſibi intrinſecum, atque adeò earum poſſibilitatem eſſe quid reale actuale, & quia eſſe poſſibile Creaturarum eſt antè earum exiſtentiam temporalem, atque adeò eſt ab æterno, volunt etiam eſſe reale actuale creaturarum eſſe ab æterno.

Hinc eſt, quòd propoſitiones conſtantes ex terminis, & prędicatis eſſentialibus, dicantur propoſitiones æternę veritatis, ſeù ab æterno veræ, tales ſunt, homo eſt Animal Rationale, Brutum eſt animal irrationale; neque enim iſtæ propoſitiones eſſent æternæ veritatis, & ab æterno veræ, niſi eorum termini, qui ſunt prædicata eſſentialia, ſeù eſſentiæ rerum haberent eſſe reale ab ęterno, nam, vt benè 1. *Perib. 1.* habetur, *ex eo, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera, vel falſa.*

Ità diſcurrunt *Caiet de ente, & eſſentia c. 5. q. 11. in reſp ad primum* vbi pro ſe citat *Alpharabium, Auicẽnam, Algazelem aliosque Veteres, Henricus in ſumma art. 2. q. 25. & quodlib. 9. q. 1. quodlib 11. q. 3. AEgidius Opuſc. de ente, & eſſentia, Albertus lib. de Cauſis c. 8. hanc* ſequuntur omnes Thomiſtę citantes pro ſe *D. Thom. tũ in 1. d. 33. q. 1. Concl. 1.* ex Recentioribus, Hanc Sententiam ſequuntur *Albertinus t. 2. Coroll diſp. 1. q. 1. Concl. 1. Mazziotta in q. Sel. q. 15. num. 413.*

Sed contrà hanc Sententiã primò facit, quòd grauiſſimi Theologi conſtantiſſimè aſſerant; certum eſſe ſecundum Fidem, Creaturam de ſe, & pręciſo eſſe exiſtentię, non eſſe rem aliquam, ſed eſſe omninò nihil; vndè *Vualdenſis lib. 1. Doct. Fidei Antiq. c. 8.* meritò ponit inter errores *Vuiclephi*, quòd dixerit, *Creaturas habere ab æterno aliq. eſſe reale diſtinctum ab eſſe Dei* formalia verba *Suarez vbi ſuprà.* ſimile quid habet *Ouied. loco cit n. 3. et n. 12.* ſed omnium clariſſimè, & apertiſſimè loquitur *Rees.* Audiant Thomiſtę, & eorũ fautores. *Quoſdam his temporibus habet fautores iſta Sententia, quos mitto, prodeſt enim illos non appellare pro ea Sẽtẽtia, quam plerique Auctores grauiſſimi cẽſent eſſe damnatã in Cõcilio Conſtantienſi inter errores Vuiclephi,* cuius hęc erat propoſitio, *Creaturæ ab æter-*

æterno habuerunt aliquod eſſe diſtinctum ab eſſe Dei.

Contrà ſecundò quia: ſi eſſentiæ rerum, vt poſſibiles haberent eſſe reale actuale ab æterno, iam per exiſtentiam, cui vniuntur in tempore, non reciperent aliquod eſſe actuale; ad quid ergo cum exiſtentia vnirentur? Aut etiam dicamus oportet, quòd eſſentię habeant duplex eſſe actuale, vnum ab æterno, alterum in tempore, & non poſſet Deus deſtruere lapidem v. g. quin retineat lapis aliquod eſſe actuale, quæ omnia videntur abſurda, difficilia, & durè ſatis excogitata.

Quartò Alij probabilius defendunt, eſſentias eſſe poſſibiles importare ens quoddam diminutum medium inter ens rationis, & ens reale, non quidem extrà Deum, ſed in intellectu Diuino, à quo tale eſſe producitur, & hoc ab æterno; ſiquidem intellectus Diuinus ab æterno intelligens ſuam eſſentiam, per ſuum actum intellectionis videt eſſentiam ſuam, tanquam exemplar Creaturarum, & quoniam per talem actum ſunt termini talis eſſentiæ, tanquam exemplaris, ipſæ creaturæ, ideò fiunt intelligibiles; anteà enim, quia erant prorſus nihil, nō erant intelligibiles. rurſum, quia omne intelligibile eſt reale, & omne reale debet poſſe exiſtere, ideò per talem actum Diuini intellectus creaturæ ſunt intrinſecè, & formaliter poſſibiles; denique quia intellectus non habet quidquam producere extrà ſe, ideò tale eſſe poſſibile, & diminutum, tale eſſe intelligibile creaturarum eſt intrà Diuinum intellectum.

Ità diſcurrunt *Lichettus in 1. d. 35. & 36. quæſt. vnica Tataretus ſequētes Scotum in 1. d. 30. q. 2. & diſt. 35. q. 1. & d. 36. itē q. 1.* vbi quærens; *An in Deo ſint Relationes æternæ ad omnia ſcibilia, vt quidditatiuè cognita;* reſpondet affirmatiuè, & § *contrà ſecundam,* ponit, has Relationes præcisè ſecundum eſſe diminutum eſſe in intellectu Diuino, comparāte eſſentiam Diuinam ad creaturas ſub ratione, & formalitate imitabilitatis, ſeù exemplaris.

Hanc Doctrinam eſſe omninò alienam à mente *Scoti* conantur perſuadere *Vaſq. 1. p. d. 114. c. 2. n. 9. Suarez. loco cit.* imò, & Recentiores aliquot Scotiſtæ, quos ſuppreſſo nomine cit. *Mazziotta q 15. n. 406.*

Reuerà tamen apertiſſimè doctrina illa traditur à *Scoto* locis cit. vt patet ex eius verbis mox adducendis; & vt ex Recentioribus fatetur *Albertinus* loco vbi ſuprà.

Prætereà non videtur vlla ex Recenſitis ſuprà Opinionibus de rerum poſſibilitate, poſſe *Scoto* attribui; & ex alia parte, non videtur eſſe admittendum, difficultatem hanc de rerum poſſibilitate fuiſſe à *Scoto* vel omiſſam, vel ignoratam, ergo omninò dicendum eſt, quòd hæc Sententia de eſſe diminuto creaturarum ab æterno, Scotum habeat Auctorem.

LECTIO III.

Probatur Sententia Scoti, & Argumenta in contrarium ſoluuntur.

Scoti Sententia ex eo mihi videtur poſſe facilè ſuaderi, quia eſſe poſſibile creaturarum non poteſt conſiſtere formaliter in extrinſeca denominatione, quę à Diuina virtute, ſeù Omnipotentia proueniat; nec poteſt conſiſtere in non repugnantia; denique non poteſt conſiſtere in eſſe reali actuali, propter rationes ſuprà adductas, remanet ergo, quòd conſiſtat in eſſe diminuto, ſeù in eſſe intelligibili, & exemplato à Diuina Eſſentia tanquam proto typo, & primo exemplari.

Probatur ſecundò quia lapis, verbi gratia, eſt poſſibilis; *Chymæra* eſt impoſſibilis, ſed lapis non eſt poſſibilis à ſe, quia quod non eſt à Deo, nihil eſt, vt paſſim habetur ex Sanctis Patribus; ergo habet eā poſſibilitatem à Deo; at non poteſt habere eam poſſibilitatem à Deo vt cauſa effectiua, quia hæc habet pro termino exiſtentiam, non poſſibilitatem; ergo habet eam poſſibilitatem à Deo, vt exemplatum ab exemplari, vt idæatum ab Idæa, non enim eſt excogitabilis alius modus, quo habeat eam poſſibilitatem, & quia ex alia parte non habentur exemplar, ſeù Idæa, & exemplatum, ſeù idæatum, niſi per actum intellectus comparantis exemplar cum exemplato, ideò per actum Diuini intellectus intelligentis Diuinam eſſentiam, vt exemplar creaturarum, & comparantis illam, vt exēplar cum creaturis, vt exemplatis, ſeù vt intelligentis eſſentiam Diuinam, vt imitabilem vt à creaturis, dat creaturis eſſe poſſibile, eſſe intelligibile exemplatum, & idæatum, ſeù eſſe diminutum, cum ante talem electionem, & comparationem, creaturæ eſſent omninò nihil, non ſecus ac eſt Chymæra.

Hinc benè notat *Scotus* in 1. d. 35. q. 1. §. *contra ſecundam.* loquens de Relationibus exemplaris, & exemplati; ideæ, & idæati, quòd

quòd ſi per impoſſibile eſſent duo Dij, eſſent in intellectu huius Dei comparante alterum Deum ad Creaturas,& non in altero Deo in ſe.

Probatur tertiò quia. ſi non fuiſſet ab æterno eſſe creaturarum à Diuino intellectu comparante diuinam eſſentiam, vt exemplar ad creaturas,Deus ab æterno nō vidiſſet creaturas in ſe, at hoc non poteſt dici, aliàs caruiſſet Deus cognitione creaturarum in ſe, & ſecundum proprium earū eſſe ab æterno,ergo. Confirmatur ex illo *D. Auguſtini* 5.*ſuper.Gen.c.7.omnia in Deo ſunt vita*, & idē videtur dicere ſuper Ioan. *c.1. omnia in ipſo vita erant,non vita æterna creata, ſed creatrix*, at hoc non poteſt verificari de ipſis obiectis in ſe formaliter, ergo verificatur de ipſis, vt cognoſcuntur exemplata, & facta à diuino exemplari.

Obijcies primò: ſi eſſentia creata haberet eſſe reale ab æterno, non eſſet eſſentia creata,ſed increata,non eſſet creatura, ſed Deus, conſequens eſt abſurdum, vt patet, ergo.Neque dicas;eſſentiam creatam habere eſſe reale poſſibile,non eſſe reale exiſtēs, & ideò adhùc eam eſſentiam eſſe creatam, non increatam; nam tale eſſe reale poſſibile non diſtinguitur ab exiſtentia, & ex alia parte eſſet quid neceſſarium non ſecus, ac eſt Deus, ergo verè eſſentia illa eſſet increata.

Reſpondeo. eſſentiam creatam ſecundum eſſe ſui poſſibile,eſſe quid reale diminutum, & ſecundum quid, non reale ſimpliciter, at eſſentia Diuina eſt quid reale ſimpliciter; iterum tale eſſe diminutum,& ſecundum quid, habetur dependenter ab eſſentia Diuina intellecta,& comparata,vt exemplari creaturarum, quæ proindè ſecundum quod intelliguntur eſſe termini eſſentiæ diuinæ intellectæ, vt exemplaris, habent illud eſſe diminutum, exemplatum, & intelligibile dependenter à Diuina intellectione, & à diuina eſſentia, vt exemplari; quæ ſanè non conueniunt Diuinæ eſſentiæ, patet ergo, latam eſſe diſparitatem inter eſſe reale,quod habent creaturæ ab æterno, & inter eſſe reale eſſentiæ diuinæ.

Neq;eſt mirū,quòd eſsētiæ creatæ ſecūdū tale eſſe ſint neceſſariò, nam ſicuti eſſentia diuina neceſſariò eſt exemplar, & neceſſariò debet intelligi,vt exemplar,ità neceſſariò debet eſſe aliquod exemplatum, & neceſſariò debet intelligi aliquod, vt exemplatum,exemplar enim, & exemplatum, idæa, & idæatum connexa ſunt inter ſe, & non poteſt vnū ab alio diſiungi,& ſeparari.

Hoc argumentum efficaciorem vim habet in Sententia Thomiſtarum,qui ponunt eſſentias ab æterno habere eſſe reale actuale, & quidem formaliter,intrinſecè, & omninò extrà Deum; *Scotus* non admittit tale eſſe reale diminutum creaturarum, habere actualitatem, aut eſſe extrà Deum, ſed tale eſſe reale diminutum ponit eſſe in Diuino intellectu.

Obijcies ſecundò.Eſſentia Diuina non fit intelligibilis per actum Diuini intellectus, ſed ſupponitur intelligibilis, neque enim actus intellectus tribuit intelligibilitatem obiecto,ſed ſupponit,ergo eſſentiæ creatæ vel ſupponuntur intelligibiles ratione connexionis,quam habent cum diuina eſſentia antè actum diuini intellectus, vel certè per talem actum non fiunt intelligibiles.

Reſpondeo. aliud eſſe loqui de diuina eſſentia ſimpliciter, & abſolutè conſiderata, & aliud eſſe loqui de diuina eſſentia, vt exemplari,& Idæa; concedo vltrò, diuinam eſſentiam ſecundum ſe, & abſolutè, quia entitas realis eſt, habere intelligibilitatem intrinſecam, & omninò independenter à diuino intellectu, & *vt exemplar* eſt,vt idæa eſt Creaturarum, non fit intelligibilis, niſi per actum diuini intellectus comparantis eſſentiam, vt imitabilem à creaturis, & attingentis creaturas, vt imitatiuas diuini exemplaris, in quo ſtatu creaturæ iam accipiunt eſſe intelligibile, & diminutum,quia incipiunt eſſe quid exemplatum,& idæatum.

Obijcies tertiò.Diuinus intellectus æquè cognoſcit ab æterno lapidem,ac cognoſcat Chymæram, ergo non eſt ratio, cur dicamus intellectum diuinum tribuere eſſe intelligibile,& diminutum lapidi, & nō Chymæræ, neque enim dici poteſt, id prouenire ex defectu diuinæ eſſentiæ, quaſi diuina eſſentia ſit exemplar diminutum, ideſt, imitabile ab hoc ente, & non ab alio;ergo neceſſariò debent reſpondere Scotiſtæ, rationem talis diuerſitatis deſumendam eſſe ex parte lapidis,& Chymæræ,quia nimirū lapis eſt talis naturæ,vt ſit imitatiua,& exēplatiua diuini exemplaris,non ſic Chymæra,ergo iam lapis ex ſe habet tale eſſe reale,quod non habet Chymæra.

Reſpondeo.Hoc argumentum ab omnibus eſſe ſoluendum; nam ſimilitèr quæro à *Thomiſtis*, & ab Auctoribus aliarum Sententiarum, (quos non puto negare, creaturas dependere ab eſſentia diuina, tanquam ab exemplari, & Idæa); quare lapis eſt

eſt talis eſſentiæ, vt ſit imitatiua Diuini exemplaris, & non Chymæra; quare lapis habet eſſe reale actuale ab æterno, & non Chymæra; quare repugnat lapis ab æterno, & non repugnat Chymæra, quare denique, quando apprehenditur lapis, non apprehēditur vt illatiuus duorum prædicatorum contradictionem includētium, & quando apprehenditur Chymæra, apprehenditur, vt illatiua prædicatorum includentium contradictionem, & ſimiliter quare Diuina Omnipotentia poteſt producere lapidem, & dare illi extrinſecam denominationem poſſibilis, & non poteſt producere Chymæram, & dare illi denominationem poſſibilis.

Huic ergo argumento dupliciter, & ſubtiliſſimè de more reſpondet *Scotus in 1. d.36.q.1.§ prima igitur ratio.* vbi quærens, cur homini non repugnet eſſe, & chymæræ repugnet eſſe; reſpondet primò, *quia homo formaliter eſt homo, & hoc ſiuè in re realiter, ſiuè in intellectu conceptibiliter, & prima ratio, quare Chymara repugnet eſſe, eſt, Chymara in quantum Chymara.* Reſpondet ſecundò, *quòd ab homine remouetur tantū illud eſſe, & non aliquid conſequens ad eſſe, quod eſt poſsibile eſſe, à Chymara autem remouetur eſſe, & ſuum conſequens,* quod eſt eſſe poſſibile. Similiter reſpondendum eſſet ab omnibus, ſi quis quæreret, quare homo ſit animal Rationale, & non lapis; reſpondendum, inquam, eſſet, quia homo eſt homo, & lapis eſt lapis, ſeù vt loquitur *Scotus* loco cit. *quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud.*

Dices; ergo iam independenter ab intellectu Diuino, & à Diuina eſſentia, vt exemplari, lapis habet eſſe reale, Chymæra non habet eſſe reale.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia totum eſſe reale lapidis formale, & intrinſecum, non eſt in lapide cum independentia à Diuino intellectu, comparante diuinam eſſentiam cum tali eſſe lapidis tanquam exemplar cum exemplato, quomodo à Diuino intellectu nō comparatur Diuina eſſentia cum eſſe Chymæræ; & ſicuti licèt homo ſit intrinſecè animal Rationale, id tamen non habet independenter à Deo, tanquam à cauſa effectiua, ità licèt lapis intrinſecè ſit imitatiuus Diuinæ eſſentiæ, id tamen non habet independenter ab eſſentia, tanquam à cauſa exemplari, & idæa à ſe imitabili; & ratio eſt quia: quando deuenimus ad rationes formales, non poſſumus vlterius progredi, & priores alias rationes aſſignare, quia, illæ ſunt priores in ſuo genere, imò omnium primæ.

LECTIO IV.

Diſtinctio Eſſentia ab Exiſtentia.

Eſſentiam rei ab exiſtentia diſtingui omnes communiter admittant, neceſsè eſt; nam eſſentiam concedimus eſſe ab æterno, ſiuè realiter actualiter, vt volunt Thomiſtæ, ſiuè ſecundum eſſe diminutum, vt ponit Scotus cum ſuis, ſiuè ſecundum non repugnantiam, aut per extrinſecam denominationem ab Omnipotētia, & virtute Dei, vt ponunt communiter Recentiores; exiſtentiam autem eſſe temporalem, & quodammodo aduenire eſſentiæ, etiam omnes admittūt; aliqua ergo ex Communi omnium Sententia admittatur, neceſsè eſt, diſtinctio inter eſſentiam, & exiſtentiam, ſed quæ, & qualis ſit iſta diſtinctio, variant inter ſe Auctores.

Et quidem nomine eſſentiæ communiter intelligitur quidditas, ſeù formalitas, ſeù primum rei alicuius prædicatum, quod ab Ariſt. innumeris ſuæ doctrinæ locis, dicitur ratio ipſius quod quid erat eſſe, & ſanè per tale prædicatum, quidditatem, ſeù formalitatem contradiſtinguitur res à puro nihilo; at nomine exiſtentiæ intelligitur actualitas quædam impreſſa eſſentijs, per quam actualitatem ſit, vt res ſit actu, ideſt, poſita extrà ſui cauſas, ſicuti enim per quātitatem, res ſit extenſa, ità per exiſtentiam, & actualitatem iſtam, eſſentia ſit actu, ſeù actualis, vndè ſit, vt præciſa exiſtentia, intelligatur eſſentia ſub conceptu entis purè, & merè poſſibilis, ſeù potentialis. Quibus poſitis.

Prima Sententia celebris Thomiſtarum eſt; Hi ponunt eſſentiam ab exiſtentia omninò realiter diſtingui, tanquam rem, & rem, vti diſtinguuntur in Phyſicis Materia, & Forma; & ſicuti non obſtante reali diſtinctione, quam communiter agnoſcimus omnes inter materiam, & formam, adhùc concedimus Materiam, & Formam vniri ad faciendum vnum compoſitum Phyſicum; ità nō obſtante reali diſtinctione eſſentiæ, & exiſtentiæ, adhùc ſuſtinent Thomiſtæ, eſſentiam, & exiſtentiam realiter concurrere, & vniri ad faciendum vnum per ſe Metaphyſicum.

Ità *Ægidius quodlib.1.q.71. Caiet. 1.p. q.3 art.4. & c.5. de ente, & eſſentia q.11.* & alij plures, quos cit. *Mazziotta q.15.n.353.* Ex Antiquis pro hac Sententia citantur.

Auicenna 5.Met.c.1.& 2.Phyſic.ult. Algazeles in Logica. Boatius lib.de Hebdomatibus. Ex Recentioribus *Fonſ.4. met.c.2.q.4. Pererius lib.8.Phyſ c.14.Mazziotta loc.cit.*

Secunda Sentẽtia ponit, inter eſſentiam, & exiſtentiam ſolam diſtinctionem rationis ratiocinatæ. Hanc defendunt communiter Recentiores omnes *Suarez tom.2. met.diſp.31.ſect.1.n.3. Arriaga, Ouiedus. Auerſa, Morandus, Pererius, Franciſcus Le Reès, Zaccarias Paſqualigus, & alij plures*; Ex Antiquis pro hac Sententia enumerantur à *Suarez* vbi ſuprà *Alenſis, Aureolus, Henriquez, Godefridus, Durãdus, Gabriel, Herueus, Gregorius*, denique *Nominales* omnes.

Tertia Sententia ponit, eſſentiam ab exiſtentia diſtingui formaliter ex natura rei, *Ità Scotus in 3.d.6.q.1.* & cum eo non modo Scotiſtæ omnes, ſed etiam *Henricus quodlib.1.q.9 Fonſeca lib.4.met.c.2.q.4.ſect.4. Molina, & alij plures apud Zaccariam Paſqualigum diſp.82.ſect.3.* Verum *Fonſeca* ponit, exiſtentiam eſſe modum intrinſecum eſſentiæ, *Henricus* verò ponit, exiſtentiam eſſe relationem quandam, qua res exiſtens terminet ad cauſam efficientem.

Concluſio, Exiſtentia, & eſſentia creata diſtinguuntur formaliter ex natura rei.

Dixi, eſſentia creata, quia eſſentia increata, & Diuina habet pro ſui eſſentiali prædicato exiſtentiam, iuxtà illud *Exodi 1.ego ſum, qui ſum*, ideoque nè concipi quidem poteſt eſſentia Diuina abſque exiſtentia. & ideò ab exiſtentia non poteſt diſtingui formaliter ex natura rei; diſtinctio enim formalis, & ex natura rei ponitur inter ea, quorum vnum non includitur in formali, & eſſentiali conceptu alterius.

Probatur modò Concluſio primò Auctoritate *Ariſt 3. de Anima c. 4.* vbi habet; aliud eſſe magnitudinis eſſe, aliud vero magnitudinis eſſentiam, ſed *τὸ aliud, & aliud*, importat differentiam in ratione eſſentiali, ſeù in formalitate, vt dictum eſt *Diſp.2. Log.Lect.14.* ergo ex mente Ariſtotelis ponenda eſt diſtinctio formalis ex natura rei inter eſſentiam, & exiſtentiam.

Probatur ſecundò Concluſio quia: duo diſtingui formaliter ex natura rei, nil aliud importat, quàm in definitione, & formali conceptu vnius aliud non includi nec explicitè, nec implicitè, ſed in definitione eſſentiæ hominis, verbi gratia, nec implicitè, nec explicitè includitur exiſtentia. ſi enim concipiatur, aut per definitionem aſſignetur eſſentia hominis, non aliud aſſignabitur, niſi animal, & rationale. ſed dum dico, animal, & rationale, non dico exiſtentiam vllo modo nec explicitè, nec implicitè, ergo iam in conceptu formali, ſeù eſſentiali hominis non includitur exiſtentia, quæ præcisè dicit actualitatem conſtitutiuam eſſentiæ extrà cauſas.

Reſpondebis. in conceptu formali hominis includi implicitè exiſtentiam, homo enim non eſt animal rationale quodcunque, ſeù quomodocunque, ſed eſt animal rationale exiſtẽs à parte rei, ergo iam quando concipitur Animal Rationale, ſaltem implicitè, & in confuſo concipitur etiam exiſtentia, quæ proindè ab eſſentia differat ſolummodo ſecundum conceptum implicitum, & explicitum, vti differt Ens à ſuis inferioribus.

Sed contrà eſt quia, aliud eſt concipi animal rationale, quod exiſtit à parte rei, & aliud eſt, concipi animal rationale prout exiſtẽs; Fateor per talem conceptũ concipi, & apprehendi animal Rationale, quod exiſtit à parte rei, ſicuti etiam concipitur animal rationale, quod eſt ſingulare, & vnũ numero, ſed nego, concipi animal rationale vt exiſtens, ſicuti neque concipitur vt ſingulare, & vnum numero eſt, aliàs; neque poſſet concipi vna natura ſpecifica per intellectum, atque adeò natura non fieret vniuerſalis per intellectum; imò ſicuti concipitur animal, nullo modo concepto rationali, ità concipitur eſſentia nullo modo cõcepta exiſtentia; inſtantia allata de ente non concludit, quia ens non poteſt in tota ſua latitudine, & adæquatè ſumi, niſi includat inferiora; at eſſentia hominis, verbi gratia, adæquatè intelligitur, abſque eo, quòd exiſtentiam includat; nam etiam ſi eſſentia hominis non exiſteret, adhùc adæquatè conciperetur, aliàs exiſtentia eſſet de adæquato formali conceptu Hominis, non ſecus, ac exiſtentia eſt de adæquato formali conceptu Dei, quo nihil abſurdius.

Probatur Tertiò quia, de Antichriſto, modo eſt verum dicere, Antichriſtus eſt, at non eſt verum dicere, Antichriſtus exiſtit, & hoc ante omnem negotiationem intellectus, ergo aliud eſt eſſe, ſeù eſſentia, & aliud eſt exiſtere, ſeù exiſtẽtia; ergo iã aliquo modo diſtinguũtur à parte rei, ſed non diſtinguuntur realiter, tanquã duæ res, neq; modaliter, vt res, & modus, ergo diſtinguuntur formaliter ex natura rei, nullo enim alio modo poſſumus imaginari, quòd diſtinguantur, & ſanè, quod diſtinguantur, tan-

Digitized by Google

tanquam duæ res, ex eo conuincitur, quia ea diſtinguuntur, tanquam duæ res, quorũ vnum ſeparatur,vel poteſt ſeparari,& ſeparatim ab alio exiſtere,vt admittimus communiter omnes,at non ità ſe habent eſſentia,& exiſtentia, licèt enim ſit eſſentia, & non exiſtentia, non tamen è contrà, neque enim reperies exiſtentiam ſinè eſſentia.

Nec propterea ſequitur, exiſtentiam eſſe modum intrinſecum eſſentiæ, quia modus non producitur per veram, & realem actionem, ſeù modus non eſt terminus veræ,& propriæ actionis; at exiſtentia eſt verus,imò vnicus terminus actionis, ſiuè generatiuæ, ſiuè creatiuæ, vt planum,& certũ eſt,ergo.Præterea de eſſentiali ratione modi,vt ſic,eſt actualis inhærentia, vt oſtendã, *Diſp.2.infrà*.Sed exiſtentia non habet actu inhærere, exiſtẽtia enim ſubſtantiæ, tãtũ abeſt, quòd habeat inhærere, imò potiùs habet per ſe ſubſiſtere,ergo non eſt modus intrinſecus,vt ponit *Fonſeca loco cit.*

Obijcies primò:ea diſtinguuntur formaliter ex natura rei, quæ vel ſe habent vt rationes ſuperiores, & inferiores, vti ſe habent animal, & rationale; vel ſe habent, vt rationes, ſiuè proprietates conſequentes ad eſſentiam. vti ſe habent potentiæ reſpectu Animæ,ſed eſſentia,& exiſtentia neque ſe habent vt rationes ſuperiores,& inferiores, neque vt proprietates,ergo.

Reſpõdeo; in primis,eſſentiam ſe habere, vt rationem ſuperiorem,& veluti genericam reſpectu exiſtentiæ, quia eſſentia ſe habet vt potentia, quæ actuatur per exiſtentiam, tanquam per formam, & actum. Præterea non ſolum proprietates inter ſe, ſed etiam proprietates, & eſſentia diſtinguuntur formaliter ex natura rei, ideòque non ſolum Potentiæ inter ſe, ſed ipſæmet Potentiæ ab anima diſtinguuntur formaliter ex natura rei; ſi ergo comparetur exiſtentia cum eſſentia, quia ſe habet, vt quid conſequens, & poſterius, atque adeò veluti proprietas reſpectu eſſentiæ, benè poteſt ab illa formaliter, & ex natura rei diſtingui,vt reuerà diſtinguitur.

Obijcies ſecũdò.Eſſentia rei eſt ab æterno, exiſtentia eſt in tempore; ſeparatur ergo realiter eſſentia ab exiſtentia, ſed quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur, ergo eſſentia ab exiſtentia nedum formaliter ex natura rei,ſed etiam realiter, tanquã res à re,diſtinguuntur.

Reſpondeo. etiam Animal ſeparari à Rationali, & tamen ab illo non diſtingui realiter, patet autem, Animal à Rationali ſeparari,quia in Bruto eſt Animal, & non eſt rationale. Illa ergo regula vniuerſalis, quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur,quamuis veriſſima ſit, nõ tamen ità eſt vniuerſaliter vera, vt aliquam exceptionem, & limitationem non admittat; limitatur ergo illa regula, & intelligenda eſt de ijs, quæ non ſe habent,vt rationes ſuperiores, & inferiores; aut vt rationes priores, & poſteriores, nã ea,quę vel ſe habẽt vt rationes ſuperiores,& inferiores,vel vt rationes priores,& poſteriores, ſicuti ſunt veræ formalitates, & non res, ità diſtinguuntur formaliter ex natura rei,non realiter.

Obijcies tertiò. ſi eſſentia diſtingueretur ab exiſtentia, deberent deindè vniri ad faciendum vnum exiſtens, ſeù vnum ens, at non poſſunt vniri, niſi ponantur eſſe identificata, ergo. Minor probatur quia: non poſſunt duo vniri, niſi ſupponantur actualia, ergo eſſentia,antequam habeat exiſtentiã, deberet intelligi actualis, at eſt actualis per exiſtentiam, ergo iam antè exiſtentiam, eſt exiſtens,& conſequenter habet ſibi exiſtentiam identificatam. Confirmatur quia eſſentia eſt veluti ſubiectum, & cauſa materialis formæ, ſed cauſa debet eſſe actu antè effectum ſuum, ergo iam eſſentia ſupponitur actu, ſeù actualis, & exiſtens antèquam intelligatur aduenire illi exiſtentia, ergo habet actualitatem, & exiſtentiam ſibi identificatam.

Reſpondeo. tunc, & in eo caſu partes componentes ſupponi actuales, quandò non componuntur in ordine ad habendam actualitatem, ſeù quando ipſarum vnio, & compoſitio non eſt via ad dandam partibus actualitatem,ſecus quandò ipſa vnio, & compoſitio eſt via ad dandam actualitatem, vti eſt in caſu noſtro, vnitur enim eſſentia cum exiſtentia,ad hoc vt ſit actualis, cum aliàs de ſe actualis non ſit,ſed merè poſſibilis; quarè non benè *Morandus* vbi ſuprà, explicans titulum,ſeù punctum præſentis difficultatis,ponit,quæſtionem hanc de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia, procedere de eſſentia actuali; per quid enim eſſentia eſt actualis,niſi per exiſtentiam? exiſtentia enim eſt actualitas,& ratio formalis dans formaliter actualitatem, non ergo de eſſentia actuali poteſt eſſe difficultas, an diſtinguatur ab exiſtẽtia, iam enim eſſentia, quæ actualis ſupponeretur, eſſet exiſtens, & haberet exiſtentiam ſibi identificatam.

Digitized by Google

Ad Confirmationem dico. Eſſentiam eſſe cauſam veluti materialem, quia eſt receptiua formæ, at non eſt verè cauſa, quia ex ipſa non educitur exiſtentia, ſicuti nec materia prima eſt verè cauſa materialis reſpectu Animæ Rationalis, quia Anima Rationalis ex potentia materiæ primæ non educitur; non ergo prærequiritur actualitas in eſſentia ad recipiẽdam exiſtentiam, & quia non eſt vera illius cauſa materialis, & quia recipit exiſtentiam, illique vnitur, vt exiſtat, & ſit actualis.

Obijcies quartò: ſi eſſentia formaliter ex natura rei diſtingueretur ab exiſtentia, ſequeretur, quòd etiam eſſentia exiſtentiæ diſtingueretur formaliter ex natura rei ab exiſtentia, nam etiam ipſa exiſtentia habet propriam ſui eſſentiam, quæ æquè debet dici eſſe ab æterno, & facere quid vnum cum exiſtentia, vti facit eſſentia cuiuſque rei diuerſæ cum exiſtentia eiuſdem; at hoc eſt abſurdum, & à nullo Philoſophorum adhùc conceſſum, ergò.

Reſpondeo. manifeſtè, & in terminis implicare diſtinctionem inter eſſentiam exiſtentiæ, & exiſtentiam, ſicuti implicat, ponere eſſentiam exiſtentiæ ab æterno, & non ponere exiſtentiam, aut eſſentiam exiſtentiæ componere vnum quid cum exiſtentia; quid enim eſt eſſentia exiſtentiæ, niſi actualitas eſſendi? atqui implicat actualitatem eſſendi eſſe, & non eſſe exiſtentiam; ſicuti implicat in terminis, eſſe album, & non eſſe albedinem, & diſtingui album ab albedine; & ratio eſt quia, quamuis vltrò admittam, etiam exiſtentiam habere ſua prædicata formalia, & quidditatiua; hæc tamen nunquam ſunt, aut concipi poſſunt, vt poſſibilia, quia talia prædicata ſunt eſſentialiter actualitas eſſendi, ideòque non poteſt eſſe ab æterno eſſentia exiſtentiæ, neque componere vnum ens cum illa, eſſentia enim, quæ ponitur ab æterno, & quæ ponitur componere, ponitur vt poſſibilis modo explicato.

Dices. ergo aliqua eſſentia creata non differt ab eſſentia Diuina, vtraque enim habet ſibi identificatam exiſtentiam, eſſẽtia enim exiſtentiæ eſt realiter identificata cum exiſtentia.

Reſpondeo. Hoc argumento probari etiam, bonitatem creatam, verbi gratia, non differre à Bonitate increata, ſicuti .n. bonitas increata eſt eſſentialiter talis, ità bonitas creata eſſẽtialiter eſt bonitas, ſicuti ergo ad hanc inſtantiam, reſpondendum eſſet, bonitatem creatam eſſe eſſentialiter bonitatem, ſed tamen eſſe merum accidens, finitum, limitatum, & dependens à Deo, atque adeo omninò per hæc, & ſimilia prædicata differre à bonitate increata, ità ad inſtantiam de eſſentia exiſtentiæ creatæ dicendum eſt, eſſentiam exiſtentiæ, quamuis illa idem omninò cum exiſtentia ſit, vti eſt eſſentia Diuina cum exiſtentia, tamen eſſentiã exiſtentiæ eſſe merum accidens; ſi non Phyſicum, & realiter diſtinctum ab eſſentijs rerum, ſaltem metaphyſicum; eſſe quid limitatum, finitum, & omninò dependens à Deo, atque adeò per hæc, & ſimilia prædicata differre ab eſſentia, & exiſtentia Diuina.

LECTIO V.

Varia Diſtinctionum Genera aſſignantur, & explicantur.

VNiuerſaliſſimè, & larga quadam phraſi vnum diſtingui ab alio formaliter, eſt vnum non eſſe aliud, Petrus enim diſtinguitur à Paulo, quia Petrus non eſt Paulus; At in rigore, & ſtrictè loquendo, aliud eſt, vnum non eſſe aliud; aliud eſt, vnum diſtingui ab alio; & aliud denique eſt, vnum ab alio diuidi; diuerſa enim ſunt tria hæc; non identitas, diſtinctio, & diuiſio; nam quæ diſtinguuntur, non ſunt idem, ſed nõ è contra, ens enim, & non ens; res, & Chymæra nõ ſunt idem, at non diſtinguuntur, quia cum diſtinctio ſit relatio realis, inter entitates ſolùm poſitiuas locum habet; ſimiliter, quæ diuiduntur, diſtinguuntur, ſed non è contrà, nam ſpiritualia diſtinguuntur, & non diuiduntur, diuiſio enim in materialibus ſolùm habet locum.

Loquentes igitur de diſtinctione, quæ eſt inter duo poſitiua, ſolum enim, quæ poſitiua ſunt, conſiderantur per ſe à Scientijs

Diſtinctio vniuerſaliſſima, & generaliſſima ſui Diuiſione partitur in eam, quæ eſt beneficio intellectus, & alteram, quæ eſt à parte rei independenter ab opere intellectus.

Diſtinctio, quæ eſt opere, & beneficio intellectus, ſubdiuiditur, ità vt altera ſit intellectus, ſeu rationis ratiocinantis, & ſinè fundamento in re; & altera ſit intellectus, ſeu rationis ratiocinatæ, ſiuè cum fun-

fundamento in re. Diſtinctio rationis ratiocinantis non ideò dicitur ſinè fundamento in re,quia nullum prorſus habeat à parte rei fundamentum,& motiuum, id enim eſt omnino impoſſibile, nam intellectus eſt potentia neceſſaria, atque adeò ad operandum moueri debet ab obiecto; non poteſt ergo intellectus, ſeù Ratio diſtinguere,niſi ab obiecto moueatur, niſi aliquod motiuum, & fundamentum habeat à parte rei; dicitur tamen communiter eſſe ſinè fundamento, quia non eſt cum tanto fundamento, cum quanto eſt altera diſtinctio, ſeù quia intellectus habet ad eam faciendam minus fundamentum, & motiuum, quàm habeat ad faciendā alterā,quę propterea dicitur eſſe cū fundamēto in re ipſa, in quā inducitur ea diſtinctio ab intellectu;

Simile quid adnotauimus, *Diſputat. 1. Logic. Lect. VI.* explicantes Ens rationis cum fundamento in re, & ſinè fundamento in re;ſi ergo intellectus concipiat Petrum,verbi gratia, duplici conceptu,& faciat hanc propoſitionem, *Petrus eſt Petrus*,concipit Petrum ſub ratione prædicati, & ſub ratione ſubiecti, ad quem duplicem conceptum faciendum, aut nullum,aut ſatis debile dat fundamētum, occaſionem, ſeù motiuum ipſemet Petrus, qui duplici conceptu illo concipitur, ideòque in tali caſu dicitur intellectus facere diſtinctionem ſinè fundamento,

Altera Diſtinctio rationis cum fundamento, ideò dicitur eſſe cum fundamento,quia agnoſcit ſæpè intellectus,& reperit in vna re, quamuis indiuiſibili,& ſimplici, virtualitatem,& æquiualentiam ad plura;ità quia Eſſentia Diuina, verbi gratia,licèt in ſe ſimpliciſſima ſit,& omninò indiuiſibilis,tantæ perfectionis,& virtutis eſt, vt multis ęquiualeat, vt virtute multiplex ſit,ideò prębet fundamentum, occaſionem, & motiuum intellectui diſtinguendi in ea plures,eoſque diſtinctos cōceptus. Solet hęc diſtinctio dici communiter in Scholis diſtinctio virtualis, & attribuitur hic terminus, *Diſtinctio*. fundamēto ipſi,& motiuo faciēdę diſtinctionis.

Iterum diſtinctio iſta rationis ratiocinatę à *Nominalibus* priùs, tùm à *Modernioribus* Philoſophis ſubdiuiſa eſt in eā, quę eſt ſecūdū cōceptus obiectiuos, & in eā,quæ eſt ſecundū cōceptus formales; & quia diſtinctio idem eſt, ac precìſio, ideò duplex aſſignatur pręciſio, formalis, nimirum, & obiectiua; hinc appellati ſunt Philoſophi pręſcindentes, & non pręſcindentes. Pręſcindentes illi, qui obiectiuas pręciſiones admittunt; non pręſcindentes,qui obiectiuas pręciſiones negant.

Cęterum tunc, & in eo caſu admittitur ſola pręciſio formalis inter duo, puta inter Animal,& Rationale,quando vno cōceptu ità concipitur Animal,& Rationale,vt Animal concipiatur explicitè,& clarè,rationale verò implicitè,& in confuſo, ideòque ad concipiendum clarè,& explicitè rationale, debeat formari alius conceptus,qui cum ſit diuerſus, & diſtinctus à primo cōceptu, indè reſultat diſtinctio, ſeù diuerſitas,& pręciſio conceptuum formalium, ſeù diſtinctio,& pręciſio formalis. Tunc verò, & in eo caſu ponitur diſtinctio,ſeù pręciſio obiectiua,quando ità per vnum conceptum,ſeù cognitionem attingitur Animal, vt non attingatur rationale vllo modo,nec implicitè,& in cōfuſo,nec clarè,& explicitè.

Alterum membrum principale diſtinctionis generaliſſimè, & vniuerſaliſſimè acceptę,eſt,Diſtinctio realis.hęc eſt à parte rei abſque vllo opere, ſeù negotiatione intellectus. & quidem ſubdiuiditur,ità vt alia ſit realis ſimpliciter, alia realis modalis, alia denique realis formalis,ſeù formalis ex natura rei; diſtinctio realis ſimpliciter,quę etiam dicitur rei à re, ponitur inter ea, quę ſunt ęquè res, & vna vel actu ſeparatur, vel poteſt ſaltem diuinitùs ab altera ſeparari, & ſeparatim exiſtere, ità ſe habent Petrus, & Paulus, qui de facto ſeparatim exiſtunt; materia, & forma,quę in probabili,& mea Sentētia, poſſunt ſaltem diuinitùs ſeparari,& ſeparatim exiſtere;patitur tamen hęc generalis Doctrina aliquam exceptionem,nam plura realiter diſtinguuntur, quę tamen realiter non ſeparantur, nec poſſunt ſeparatim exiſtere, ità creaturę realiter diſtinguuntur à Deo, & tamen non poſſunt realiter à Deo ſeparari,aut ſeparatim exiſtere. Diuinę Perſonę realiter diſtinguuntur,& tamen non ſeparantur, nec poſſunt realiter ſeparari, aut ſeparatim exiſtere.

Ponitur quoque realis diſtinctio ſimpliciter inter ea, quorum vnum dependet ab alio, quorum vnum generatur non generato alio, quorum vnum corrumpitur non corrupto alio;quare ex quatuor capitibus, ſeù ſignis agnoſcitur diſtinctio realis rei à re, nimirum ex ſeparatione reali modo explicato,ex dependentia,ex generatio-

Digitized by Google

ratione, & ex corruptione. Identitas realis contrario modo, contrarijs regulis, & ſignis inueſtigatur, & deprehenditur.

Diſtinctio modalis ponitur inter rem, & modum; vbi ſicuti nomine rei venit id, quod habet ratum, & firmum eſſe, itàut poſſit exiſtere, & eſſe ſinè alio, ità nomine modi venit id, quod habet eſſe ità imperfectum, & tenue, vt neque de abſoluta potentia queat exiſtere ab alio ente ſeparatum, atque diſtinctum; ità duratio, & res durans, vbi, & res vbicata; fundamentum, & relatio modaliter diſtinguũtur. ab alijs modus dicitur eſſe is, qui non habet exiſtentiam ſuam ſeparatam, aut ſeparabilem ab exiſtentia rei, cuius eſt modus.

Quòd ſi vlterius quæras; quid ſit, habere eſſe ratum, & firmum; Reſpõdet *Trombetta in tract. de Formalit.* rem accipi tribus modis; primò pro exiſtentia; ſecundò pro ſubſiſtẽtia, tertiò pro eſſentia; ea, quæ exiſtunt, & ſubſiſtunt, ſunt res, & dicuntur habere eſſe ratum, & firmum: ea quæ ſunt eſſentiæ, non habẽt eſſe ratum, & firmum, ſed ſunt formalitates rerum.

Nonnulli diſtinguunt modos, itàut alios dicant eſſe intrinſecos, alios extrinſecos; modos intrinſecos appellant illos, qui ſunt de eſſentia rei, licèt non ſint de primo conceptu, ità ſunt Inaleitas reſpectu Accidentis, Perſeitas reſpectu Subſtantiæ. modos extrinſecos appellant illos, qui non ſunt de rei eſſentia, ità vbi non eſt de eſſentia rei vbicatæ, duratio non eſt de de eſſentia rei durantis.

Hanc doctrinam non approbo, quia ſi modus eſt intrinſecus, & eſt de eſſentia rei, eſt quoque de primo conceptu, nam *eſſentia rei conſiſtit in priori*; vt eſt commune dictum communiter in Scholis receptum, non ergò benè diuiditur modus in extrinſecum, & intrinſecum, ſed omnis modus debet poni, vt quid extrinſecum, & accidentale rei, cuius eſt modus.

Denique diſtinctio realis formalis, ſeù formalis ex natura rei ponitur inter formalitates; vbi nomine formalitatum neque veniunt res, quæ habeant ratum aliquod, & firmum eſſe, quæ propterea capaces ſint realis diſtinctionis, & ſeparationis, neque veniunt entia rationis, inter quæ ponatur diſtinctio rationis, ſed veniunt entitates quædam mediæ inter res, & entia rationis, ità ſunt omnes gradus Metaphyſici, ſeu prædicata eſſentialia rei; verbi gratia, in homine Animal, & rationale, ſunt formalitates eiuſdem hominis, quia ſunt eius prædicata eſſentialia, & gradus Metaphyſici, vt loquitur Schola. Dicitur hæc diſtinctio, *formalis*, ſeù *quidditatiua*; *ex natura rei*, & *Media*. Et quidem dicitur, *formalis*, quia eſt inter formalitates; formalitas ſic dicitur ducta analogia à forma phyſica, hæc enim eſt eſſentialis rei, & cõpoſito phyſico, ità formalitas eſt prædicatum eſſentiale rei, & compoſiti Metaphyſici, quod coaleſcit ex genere, & differentia; dicitur etiam, *quidditatiua*, quia eſſentia rei, & quidditas idem ſunt. dicitur, *ex natura rei*, quia oritur ex ipſa rerum natura, non per aliquam operationem, ſeù negotiationem intellectus; denique dicitur, *media*, quia reuerà media eſt inter diſtinctionem ſimpliciter realem, & inter diſtinctionem rationis ſimpliciter.

Auctor huius diſtinctionis, atque harũ formalitatum Inuētor communiter agnoſcitur Ioannes Duns Scotus, cui acutiſſima plurium quæſtionum, & præcipuè ſubtiliſſima harum formalitatum Inuentio, Doctoris Subtilis agnomẽ peperit, celebre iam, atque famoſum omnes inter Scholaſticos, & omnium Claſſium Doctores.

Hanc diſtinctionem formalem ex natura rei aſſeruit *Scotus in 2 d. 2. q. 7 & in quodlib. q. 2. & 7 Met. q 17. Scotum* ſequuntur omnes ex eius Schola, vno excepto *Herrera 1. tom d. 8. q. 13. & diſp. 14 q. 1.* Ex Recentioribus hanc diſtinctionem agnoſcit, & defendit *Fonſeca 5 Met. c. 6. ſect. 1. AEgid de Præſent. lib. 5 de Viſione Dei q. 5. art. 4 §. 2. n. 35. Molina 1. p. q. 17 art. 2. diſp. 3. 4 5. 6. Barth. Amicus tract. peculiari de diſtinct., & Formalitat. tract. 1. q. 11 art. 2. Concluſ 2 n 4. & q. 14. art. 2. Concluſ. 2.* Nouiſſimè *Bernardinus Mazzotta in ſuis q. Select. q. 15. ſect. 2.* per totam, non minùs fusè, quam eruditè oſtendit, hanc diſtinctionem formalem ex natura rei agnitam eſſe ab *Ariſtotele*, & alijs Antiquiſſimis Philoſophis; defendi etiam, & aſſeri à *Thomiſtis*; clariſſimè, & apertiſſimè traditam eſſe à *D. Thoma 1. p q. 50. art. 2. ad 1. & c. 4. de ente, & eſſentia 7. Met. lect. 4.* quos omnes ipſe ſequitur, & acutiſſimè concludit, eam diſtinctionem dari inter gradus Metaphyſicos.

Ego ſanè ſemper eius fui Opinionis, & Voti, plures, eaſque celebriores quęſtiones tàm Philoſophicas, quàm Theologicas, eas præſertim, quæ de Vniuerſalibus, & de Diuinis Attributis, agitari ſolent, expli-

pli-

Digitized by Google

plicari,& intelligi omninò, & plenè non poſſe, niſi diſputantibus, eaſque quæſtiones ex inſtituto tractãtibus,Scoticæ huius diſtinctionis lumen affulgeat.

Signa, & regulæ agnoſcendi diſtinctionem formalem ex natura rei ſex aſſignantur ab *Antonio Sirecto in t.de form.*& alijs.

Prima eſt, excluſio: quæ enim ità ſe habent, vt vnum non ſit de formali conceptu alterius, formaliter diſtinguuntur. Secunda regula eſt;definitio,nam ea, quæ habent diuerſam definitionem, formaliter diſtinguuntur; Tertia eſt. deſcriptio, nam etiam ea, quæ diuerſas habent deſcriptiones, atque adeò diuerſas proprietates,per quas deſcriptio traditur,formaliter diſtinguuntur. Quarta,eſt demóſtratio,quæ enim ità ſe habent, vt vnum de alio demonſtretur, non ſunt idem formaliter;idem enim formaliter non poteſt de ſeipſo demonſtrari; Quinta regula ex *Mayronio.* eſt reduplicatio, quando enim aliquod prædicatum conuenit cani, vt tali, & non alij, vel non vt tali, illæ taleitates formaliter diſtinguuntur. Sexta regula;fundare prædicata oppoſita,& cõtradictoria à parte rei, nam de eodem omninò, & formaliter non diſtincto,prædicata contradictoria verificari non poſſunt. Identitas formalis contrario modo, contrarijs regulis,& ſignis inueſtigatur,atque deprehenditur.

LECTIO VI.

An detur Diſtinctio, ſeù Præciſio ſecundum conceptus Obiectiuos inter Gradus Metaphyſicos.

GRadus Metaphyſici, ſeù eſſentiales ſunt rationes formales, quidditatiuæ,& eſſentiales ſuperiores, ſeù vniuerſaliores & inferiores,ſeù minùs vniuerſales, aut etiam ſingulares. Dicuntur Gradus ducta ſimilitudine, & analogia à gradibus Scalarum, in quibus alij ſunt ſuperiores, alij inferiores.

Et ſanè certũ eſt, inter huiuſmodi gradus non eſſe diſtinctionem realem rei à re, quia omnes hi gradus ſunt in vna re phyſica, neque eſſe diſtinctionem modi à re, quia nullus horum graduum eſt modus reſpectu alterius. difficultas eſt, an diſtinguantur tàm ratione ratiocinata ſecundum conceptus obiectiuos,quàm etiã ex natura rei: de priori diſtinctione in præſenti, de altera in ſubſequenti Lectione.

Quæritur ergò, an inter gradus huiuſmodi eſſentiales,ſuperiores, & inferiores, inter Animal,& Rationale,verbi gratia, ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ ſecundum conceptus formales tantum, an etiã debeat admitti diſtinctio rationis ſecundum conceptus obiectiuos.

Prima Sententia negans omninò dari hoc alterum membrũ diſtinctionis, quod dicatur rationis ratiocinatæ ſecundum conceptus obiectiuos; docet, gradus Metaphyſicos,& eſſentiales ſuperiores,& inferiores diſtingui ratione ratiocinata ſecundum conceptus formales tantùm.

Ità *Ocham.in 1.d.2 q.3.Gabriel.q.2.Arimin d 6.q.2. art.1.* Ex Recentioribus hanc Sententiam ſequũtur *Hurtad diſp. 6. Met, ſect.6,Arriaga diſp.5 Log.ſect.2.Ouied.Contrau.4.Met.p.8.§.6.n.13.*

Altera Sententia ponit obiectiuas præciſiones,Ità communiter *Thomiſtæ, Heruæus quodlib. 3.q. 3 art. 1. & in 1. d.2.q 2. Durandus q.3. Boniſius de Theologicis terminis tract, 2.c.21 2. Torres 1.p.q. 28.art.2. diſt.52.d.4 quos citant Gillius lib.2.tract.6. c.9.n.3.Amicus tract. 1. de diſt.q.15. dub.4. art.3.n.6.*

Non dubito,pro hac Sententia ſtare *Scotum cum ſuis*,& omnes illos, qui diſtinctionem formalem ex natura rei inter gradus Metaphyſicos admittunt, hi enim nihil aliud videntur intellexiſſe per diſtinctionẽ formalẽ ex natura rei, niſi diſtinctionẽ hanc ſecundũ præciſiones obiectiuas, aut ſi maiorem diſtinctionem poſuerunt,à fortiori minorem hanc diſtinctionem admittant, neceſsè eſt;ſed de hac re infrà fuſius.

Concluſio. inter gradus eſſentiales, ſeù Metaphyſicos datur præciſio obiectiua.

Probatur quia,vnus gradus eſſentialis, qui attingitur ab vna cognitione,præſcindit omninò, & diſtinguitur ab alio gradu eſſentiali, qui attingitur ab alia cognitione; ergo datur inter illos gradus obiectiua præciſio. conſequentia tenet. Antecedens, (in quo eſt difficultas) probatur, quia vnus gradus eſſentialis eſt principiũ diuerſarum omninò operationum, ac ſit alius gradus, qui & ipſe eſt principium diuerſarum omninò operationum, ac ſit ille primus gradus, ergo iam hi gradus inuicem præſcindunt, & diſtinguuntur; conſequentia videtur eſſe clara quia,ex diuerſitate operationum colligitur diuerſitas

Digitized by Google

ratione, & ex corruptione. Identitas realis contrario modo, contrarijs regulis, & ſignis inueſtigatur, & deprehenditur.

Diſtinctio modalis ponitur inter rem, & modum; vbi ſicuti nomine rei venit id, quod habet ratum, & firmum eſſe, itàut poſſit exiſtere, & eſſe ſinè alio, ità nomine modi venit id, quod habet eſſe ità imperfectum, & tenue, vt neque de abſoluta potentia queat exiſtere ab alio ente ſeparatum, atque diſtinctum; ità duratio, & res durans, vbi, & res vbicata; fundamentum, & relatio modaliter diſtinguũtur. ab alijs modus dicitur eſſe is, qui non habet exiſtentiam ſuam ſeparatam, aut ſeparabilem ab exiſtentia rei, cuius eſt modus.

Quòd ſi vlterius quæras; quid ſit, habere eſſe ratum, & firmum; Reſpõdet *Trombetta in tract. de Formalit.* rem accipi tribus modis; primò pro exiſtentia; ſecundò pro ſubſiſtẽtia, tertiò pro eſſentia; ea, quæ exiſtunt, & ſubſiſtunt, ſunt res, & dicuntur habere eſſe ratum, & firmum: ea quæ ſunt eſſentiæ, non habẽt eſſe ratum, & firmum, ſed ſunt formalitates rerum.

Nonnulli diſtinguunt modos, itàut alios dicant eſſe intrinſecos, alios extrinſecos; modos intrinſecos appellant illos, qui ſunt de eſſentia rei, licèt non ſint de primo conceptu, ità ſunt Inaleitas reſpectu Accidentis, Perſeitas reſpectu Subſtantiæ. modos extrinſecos appellant illos, qui non ſunt de rei eſſentia, ità vbi non eſt de eſſentia rei vbicatæ, duratio non eſt de de eſſentia rei durantis.

Hanc doctrinam non approbo, quia ſi modus eſt intrinſecus, & eſt de eſſentia rei, eſt quoque de primo conceptu, nam *eſſentia rei conſiſtit in priori*; vt eſt commune dictum communiter in Scholis receptum, non ergò benè diuiditur modus in extrinſecum, & intrinſecum, ſed omnis modus debet poni, vt quid extrinſecum, & accidentale rei, cuius eſt modus.

Denique diſtinctio realis formalis, ſeù formalis ex natura rei ponitur inter formalitates; vbi nomine formalitatum neque veniunt res, quæ habeant ratum aliquod, & firmum eſſe, quæ propterea capaces ſint realis diſtinctionis, & ſeparationis, neque veniunt entia rationis, inter quæ ponatur diſtinctio rationis, ſed veniunt entitates quædam mediæ inter res, & entia rationis, ità ſunt omnes gradus Metaphyſici, ſeu prædicata eſſentialia rei; verbi gratia, in homine Animal, & rationale, ſunt formalitates eiuſdem hominis, quia ſunt eius prædicata eſſentialia, & gradus Metaphyſici, vt loquitur Schola. Dicitur hæc diſtinctio, *formalis*, ſeù *quidditatiua*; *ex natura rei*, & *Media*. Et quidem dicitur, *formalis*, quia eſt inter formalitates; formalitas ſic dicitur ducta analogia à forma phyſica, hæc enim eſt eſſentialis rei, & cõpoſito phyſico, ità formalitas eſt prædicatum eſſentiale rei, & compoſiti Metaphyſici, quod coaleſcit ex genere, & differentia; dicitur etiam, *quidditatiua*, quia eſſentia rei, & quidditas idem ſunt. dicitur, *ex natura rei*, quia oritur ex ipſa rerum natura, non per aliquam operationem, ſeù negotiationem intellectus; denique dicitur, *media*, quia reuerà media eſt inter diſtinctionem ſimpliciter realem, & inter diſtinctionem rationis ſimpliciter.

Auctor huius diſtinctionis, atque harũ formalitatum Inuẽtor communiter agnoſcitur Ioannes Duns Scotus, cui acutiſſima plurium quæſtionum, & præcipuè ſubtiliſſima harum formalitatum Inuentio, Doctoris Subtilis agnomẽ peperit, celebre iam, atque famoſum omnes inter Scholaſticos, & omnium Claſſium Doctores.

Hanc diſtinctionem formalem ex natura rei aſſeruit *Scotus in 2 d. 2. q. 7 & in quodlib. q. 2. & 7 Met. q 17. Scotum* ſequuntur omnes ex eius Schola, vno excepto *Herrera 1. tom d 8. q. 13. & diſp. 14 q. 1.* Ex Recentioribus hanc diſtinctionem agnoſcit, & defendit *Fonſeca 5 Met. c. 6. ſect. 1. AEgid de Præſent. lib. 5 de Viſione Dei q. 5. art. 4 §. 2. n. 35. Molina 1. p. q. 17 art. 2. diſp. 3. 4 5. 6. Barth. Amicus tract. peculiari de diſtinct., & Formalitat. tract. 1. q. 11 art. 2. Concluſ 2 n 4. & q. 14. art. 2. Concluſ. 2.* Nouiſſimè *Bernardinus Mazzotta in ſuis q. Select. q. 15. ſect. 2.* per totam, non minus fusè, quam eruditè oſtendit, hanc diſtinctionem formalem ex natura rei agnitam eſſe ab *Ariſtotele*, & alijs Antiquiſſimis Philoſophis; defendi etiam, & aſſeri à *Thomiſtis*; clariſſimè, & apertiſſimè traditam eſſe à *D. Thoma 1. p q. 50. art. 2. ad 1. & c. 4. de ente, & eſſentia. 7. Met. lect. 4.* quos omnes ipſe ſequitur, & acutiſſimè concludit, eam diſtinctionem dari inter gradus Metaphyſicos.

Ego ſanè ſemper eius fui Opinionis, & Voti, plures, eaſque celebriores quæſtiones tàm Philoſophicas, quàm Theologicas, eas præſertim, quæ de Vniuerſalibus, & de Diuinis Attributis, agitari ſolent, expli-

plicari,& intelligi omninò, & plenè non poſſe, niſi diſputantibus, eaſque quæſtiones ex inſtituto tractātibus,Scoticæ huius diſtinctionis lumen affulgeat.

Signa, & regulæ agnoſcendi diſtinctionem formalem ex natura rei ſex aſſignantur ab *Antonio Sirecto in t.de form.*& alijs.

Prima eſt, excluſio: quæ enim ità ſe habent, vt vnum non ſit de formali conceptu alterius, formaliter diſtinguuntur. Secunda regula eſt;definitio,nam ea, quæ habent diuerſam definitionem, formaliter diſtinguuntur; Tertia eſt, deſcriptio, nam etiam ea, quæ diuerſas habent deſcriptiones, atque adeò diuerſas proprietates,per quas deſcriptio traditur,formaliter diſtinguuntur. Quarta,eſt demóſtratio,quæ enim ità ſe habent, vt vnum de alio demonſtretur, non ſunt idem formaliter;idem enim formaliter non poteſt de ſeipſo demonſtrari; Quinta regula ex *Mayronio*.eſt reduplicatio, quando enim aliquod prædicatum conuenit cani, vt tali, & non alij, vel non vt tali, illæ taleitates formaliter diſtinguuntur. Sexta regula;fundare prædicata oppoſita,& cōtradictoria à parte rei, nam de eodem omninò, & formaliter non diſtincto,prædicata contradictoria verificari non poſſunt. Identitas formalis contrario modo, contrarijs regulis,& ſignis inueſtigatur,atque deprehenditur.

LECTIO VI.

An detur Diſtinctio, ſeù Præciſio ſecundum conceptus Obiectiuos inter Gradus Metaphyſicos.

GRadus Metaphyſici, ſeù eſſentiales ſunt rationes formales, quidditatiuæ,& eſſentiales ſuperiores, ſeù vniuerſaliores & inferiores,ſeù minùs vniuerſales, aut etiam ſingulares. Dicuntur Gradus ducta ſimilitudine, & analogia à gradibus Scalarum, in quibus alij ſunt ſuperiores, alij inferiores.

Et ſanè certū eſt, inter huiuſmodi gradus non eſſe diſtinctionem realem rei à re, quia omnes hi gradus ſunt in vna re phyſica, neque eſſe diſtinctionem modi à re, quia nullus horum graduum eſt modus reſpectu alterius. difficultas eſt, an diſtinguantur tàm ratione ratiocinata ſecundum conceptus obiectiuos,quàm etiā ex natura rei: de priori diſtinctione in præſenti, de altera in ſubſequenti Lectione.

Quæritur ergò, an inter gradus huiuſmodi eſſentiales,ſuperiores, & inferiores, inter Animal,& Rationale,verbi gratia, ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ ſecundum conceptus formales tantum, an etiā debeat admitti diſtinctio rationis ſecundum conceptus obiectiuos.

Prima Sententia negans omninò dari hoc alterum membrū diſtinctionis, quod dicatur rationis ratiocinatæ ſecundum conceptus obiectiuos; docet, gradus Metaphyſicos,& eſſentiales ſuperiores,& inferiores diſtingui ratione ratiocinata ſecundum conceptus formales tantùm.

Ità *Ocham.in* 1.*d.*2 *q.*3.*Gabriel.q.*2.*Arimin d* 6.*q.*2. *art.*1. Ex Recentioribus hanc Sententiam ſequūtur *Hurtad diſp.* 6. *Met. ſect.*6.*Arriaga diſp.*5 *Log.ſect.*2.*Ouied.Controu.*4.*Met.p.*8.§.6.*n.*13.

Altera Sententia ponit obiectiuas præciſiones,Ità communiter *Thomiſtæ*, *Herueus quodlib.* 3.*q.* 3 *art.* 1. *& in* 1. *d.*2.*q* 2. *Durandus q.*3. *Bonifius de Theologicis terminis tract.* 2.*c.*21 2. *Torres* 1.*p.q.*28 *art.*2. *diſt.*52.*d.*4 *quos citant Gillius lib.*2.*tract.*6. *c.*9.*n.*3.*Amicus tract.*1. *de diſt.q.*15 *dub.*4. *art.*3.*n.*6.

Non dubito,pro hac Sententia ſtare *Scotum cum ſuis*,& omnes illos, qui diſtinctionem formalem ex natura rei inter gradus Metaphyſicos admittunt, hi enim nihil aliud videntur intellexiſſe per diſtinctionē formalē ex natura rei, niſi diſtinctionē hanc ſecundū præciſiones obiectiuas, aut ſi maiorem diſtinctionem poſuerunt,à fortiori minorem hanc diſtinctionem admittant, neceſsè eſt;ſed de hac re infrà fuſius.

Concluſio, inter gradus eſſentiales, ſeù Metaphyſicos datur præciſio obiectiua.

Probatur quia,vnus gradus eſſentialis, qui attingitur ab vna cognitione,præſcindit omninò, & diſtinguitur ab alio gradu eſſentiali, qui attingitur ab alia cognitione; ergo datur inter illos gradus obiectiua præciſio. conſequentia tenet. Antecedens, (in quo eſt difficultas) probatur, quia vnus gradus eſſentialis eſt principiū diuerſarum omninò operationum, ac ſit alius gradus, qui & ipſe eſt principium diuerſarum omninò operationum, ac ſit ille primus gradus, ergo iam hi gradus inuicem præſcindunt, & diſtinguuntur; conſequentia videtur eſſe clara quia,ex diuerſitate operationum colligitur diuerſitas

ſitas

ſitas principij elicitiui, ſaltem formalis, & proximi; dico, formalis, & proximi, quia planum eſt, ex vno, eodemque principio remoto prouenire poſſe plures operationes, eaſque ſpecie diuerſas, ità in Sẽtentia admittente diſtinctionem realem potentiarum ab Anima, diuerſæ omninò operationes, vti ſunt volitio, intellectio, auditio, viſio, & huiuſmodi, proueniunt ab Anima, tanquam à remoto principio.

Antecedens euidenter probatur, quia in homine animalitas eſt principiũ proximum ſenſationis, Rationalitas verò eſt principium proximum intellectionis, quę ſunt operationes omnino diuerſæ.

Reſpondebis primò. ex diuerſitate operationum non poſſe colligi diuerſitatem principij formalis, & proximi, nam ab eodem intellectu, tanquam à principio formali, & proximo, proueniũt tres actus, ſeù operationes omnino diſtinctæ, atque diuerſæ, ſimplex apprehenſio, iudicium, & diſcurſus. Similiter & à voluntate proueniunt diuerſæ, imò omninò contrariæ operationes, quales ſunt actus amoris, & actus odij.

Sed contrà eſt; quia diſtinctio, ſeù præciſio obiectiua ponitur inter ea, quæ habent æquiualentiam, & virtualitatem ad plura, diſtinctio enim, ſeù præciſio obiectiua ſpectat ad genus diſtinctionis ſecundum rationem ratiocinatam, eius fundamentum eſt virtualitas, & æquiualentia ad plura; at iſta æquiualentia, & virtualitas ad plura reperitur in homine, prout homo includit animal, & rationale, non eſt in intelllectu comparato ad ſeipſum, nec in voluntate ſimiliter ad ſeipſam cõparata; ideò in intellectu, & voluntate, tanquam in proximis, & formalibus principijs operationum diuerſarum non ponitur obiectiua præciſio.

Reſpondebis ſecundò. eo Argumento probari, præciſiones obiectiuas inter gradus eſſentiales, quò ad ea, quæ importãt in obliquo, & ſecundum connotata, non vero quòad ea, quæ important in recto, & formaliter, illæ etenim operationes diuerſæ ſunt in obliquo, non in recto importatæ ab ijs gradibus, animali, ſcilicèt, & Rationali.

Sed contrà eſt quia diuerſa connotata arguunt diuerſitatem Principij, à quo fluunt illæ operationes, nam hoc principium, vt formaliter productiuum huius operationis, differt ab alio principio, vt formaliter productiuo alterius omninò diuerſæ operationis; ſeù hoc rectum, vt eſſentialiter exigitiuum huius connotati, & obliqui, differt omninò ab alio recto, vt eſſentialiter exigitiuo alterius obliqui, & connotati, ergo diuerſitas connotati ſufficienter arguit diuerſitatem principij formalis, & proximi; explicatur doctrina hæc exemplo Relationum, quæ cum eſſentialiter exigant terminos, quamuis deindè termini comparati cũ relatione, in obliquo ponantur, non in recto, adhùc tamen ſpecie, & numero multiplicantur ad multiplicationem terminorum; ità in caſu noſtro, operationes diuerſæ, quæ ab Animali, & Rationali proueniunt, quamuis connotata ſint, & in obliquo ponantur, non in recto, ſufficienter arguunt diuerſitatem in ſuis principijs.

Probatur ſecundò *principaliter* Concluſio quia: quando minùs, & à longe video Animal ſe mouens, cognoſco clarè eſſe animal, & non cognoſco eſſe rationale. ergo animal præſcindit, & diſtinguitur à rationali, alioquin cognoſcens animal, ſimul cognoſceret Rationale.

Confirmatur quia. poſſum affirmare, eſſe animal id, quod video, & negare eſſe rationale, ergo ex parte obiecti *aliud* eſt, quod affirmo, aliud eſt, quod nego. implicat enim, quòd ex parte obiecti ſimul idẽ affirmem, & negem.

Confirmatur ſecundò quia: in conceptu animalis, verbi gratia, includuntur gradus ſuperiores, puta gradus entis, ſubſtantiæ, viuentis; at non includuntur gradus inferiores, hinc eſt, quòd valeat ſic argumentari, eſt animal, ergo homo, at non valet è contrà, eſt homo, ergo eſt animal.

Reſpondebis ad principale Argumentũ. ità per vnam cognitionem attingi animal, vt licèt explicitè, & clarè non cognoſcatur, neque attingatur Rationale; attingatur tamen, & cognoſcatur implicitè, & in confuſo.

Sed contrà eſt quia. iam velint, nolint, concedere tenentur Aduerſarij obiectiuas præciſiones; ſi enim quando cognoſcitur animal, non cognoſcitur rationale explicitè, & clarè; ergo iam animal à rationali præſcindit, & diſtinguitur ſecundum conceptum explicitum, ea enim ratione, qua cognoſcitur vnus gradus, & alius non, eadem ratione vnus ab alio præſcindit, & diſtinguitur.

Replicabis; rationem impliciti, & expliciti ſe tenere ex parte conceptus formalis, qui de obiecto non habet adæquatam claritatem, & ideò attingit vnum gradum cla-

Digitized by Google

clare non attingit alium, quia de alio non habet claritatem, vel eius claritas ad alium non poteſt pertingere.

Sed contrà eſt quia, ſi rationale, & animal eſſent vnum omninò obiectum, omninò impoſſibile eſſet, intellectum habere claritatem de animali, & de rationali; impoſſibile eſſet obiectiuè vnum explicare, & euoluere, vt ità dicam, remanente alio inuoluto, & tenebris offuſo, ergo verè ex ijs gradibus, vnus obijcitur intellectui, alter non, quia vnus non eſt alter, quia vnus præſcindit obiectiuè, & diſtinguitur ab altero.

LECTIO VII.

Soluuntur Argumenta Contraria.

ARgumentorum Solutione innoteſcet clariùs veritas aſſertæ Concluſionis.

Obijciunt ergo primò, ex *Ariſtotele 4. Met.t.8. & 9.* eſt adeò notum, non poſſe de eodem verificari duo prædicata contradictoria, vt impoſſibile omninò ſit, quòd aliquis ſibi perſuadeat, idem eſſe, & non eſſe, ſi enim aliquis ſemel ſibi perſuaderet, verificari poſſe duo contradictoria, verum quoque eſſet, duo contradictoria verificari non poſſe, quia poſſe, & non poſſe verificari contradictoria, ſunt contradictoria. Tum ſic, non minùs opponuntur cognoſci, & non cognoſci, quàm exiſtere, & non exiſtere, produci, & non produci; nam in iſtis propoſitionibus omnibus eſt immediata affirmatio, & negatio, immediata contradictio. Sed repugnat, animalitatem hominis produci, & exiſtere, & non exiſtere, aut produci rationalitatem, ergo etiam implicat, cognoſci animalitatem, & non cognoſci rationalitatem.

Reſpondeo primò retorquendo Argumentum, non minùs opponuntur, cognoſci, & non cognoſci, quàm opponantur cognoſci explicitè, & non cognoſci explicitè, ſed in Sentētia Aduerſariorum, animal cognoſcitur explicitè, rationale non cognoſcitur explicitè, ergo eadem contradictione premuntur Aduerſarij, qua nos premunt.

Replicabis, cognoſci explicitè, & non cognoſci explicitè, non eſſe contradictionem, quia negatio, & affirmatio non ſe tenent ex parte eiuſdem; ſiquidem aliquod principium cognoſci explicitè, eſt cognoſci eius formalitatem, & prætereà effectus, & operationes, quas connotat illud principium. vndè quando animal dicitur cognoſci explicitè, ſenſus eſt, quòd cognoſcatur non ſolum formalitas animalis, ſed etiam operatio ſentiendi, quam connotat; & quando deindè dicitur, rationale non cognoſci explicitè, non eſt ſenſus, quòd eius formalitas non cognoſcatur explicitè, ſed ſenſus eſt, quòd operatio connotata à rationali, quæ eſt intellectio, non cognoſcatur; ideòque cognoſci explicitè, & non cognoſci explicitè ſe tenent ex parte connotatorum, quæ ſinè dubio ſunt diuerſa, cum ergo affirmatio, & negatio ſe teneant ex parte connotatorum, non ſe tenent ex parte eiuſdem, ſed potiùs ex parte diuerſorum.

Sed contrà eſt, quia cognoſci explicitè aliquod principium, eſt cognoſci non ſolū formalitatem principij, ſed etiam eius connotatum, ſed quando cognoſcitur animal explicitè, non cognoſcitur connotatum rationalis, ergo explicitè non cognoſcitur rationale, ergo remanet contradictio penès cognoſci explicitè, & non cognoſci explicitè de formalitate, quæ eſt omninò eadem in Sententia Aduerſariorum.

Reſpondeo ſecundò directè ad Argumentum; diſparitatem eſſe inter produci, & non produci, exiſtere, & non exiſtere, ac inter cognoſci, & non cognoſci; nam productio, & exiſtentia faciunt rem ſimpliciter exiſtere à parte rei, illa quidem effectiuè; hæc formaliter; res autem dicitur eſſe, & exiſtere à parte rei, quando habet omnia ſibi realiter identificata, ſeù quando habet omnes formalitates ſibi eſſētialiter affixas, non ergo res eadem poteſt dici, exiſtere, & non exiſtere, produci, & non produci; cognitio autem non dicit, aut ponit, rem eſſe ſimpliciter in rerum natura, ideò quando res cognoſcitur, aut cognoſci dicitur, nō eſt neceſſe, vt habeat prædicata omnia, omneſque formalitates ſibi realiter identificatas, ideò benè poteſt intellectus ſumpta occaſione ex virtuali diſtinctione harum formalitatum, vnam formalitatem cognoſcere non cognoſcendo aliam in vna, eademque re.

Obijciunt ſecundò Nonnulli, qui licèt admittant inter genus, & ſpeciem, dari obiectiuam præciſionem, eam tamen negant inter naturam ſpecificam, & ſingularitatem; ſic autem arguunt; ideò datur obiectiua præciſio inter animal, & rationale, quia inter ea datur virtualis diſtinctio, tāquam fundamentum obiectiuæ præciſionis, ſed inter naturam ſpecificam, & ſingulare non datur virtualis diſtinctio, vnitas enim idem eſt, ac ſingularitas, at vnitas non poteſt præ-

ſcindere à ratione,ſeù natura ſpecifica,quia vnitas eſt eſſentialiter ens, & omne ens habet eſſe ſpecificum,ergo.

Reſp,Vnitatē entis neq;eſſe formalē,neq; eſſe numericā,ſed pręſcindere ab vtraq;,vnitas enim , quæ eſt paſſio entis , eſt vnitas trāſcendētalis,& analogica, ſicuti eſt ipſum ens,cuius eſt paſſio;& quando dicitur, vnitas non poteſt præſcindere à natura ſpecifica,id verum eſt de vnitate formali,& ſpecifica,falſum verò eſt omninò de vnitate numerica,& indiuiduali,ſeù ſingulari.

Obijciunt tertiò: datis obiectiuis præciſionibus nulla prorſus fieri poſſet contradictio , nā de quacunq; re Phyſica efformari poſſunt plures conceptus obiectiui , quibus contradictio tollitur,ergo,

Reſpondeo retorquendo argumentum contrà Aduerſ.; qui eas contradictiones, quas obiectiuè præſcindentes ſaluant per diuerſos conceptus obiectiuos, ſoluunt, & ſaluant per diuerſos conceptus formales.

Reſpondeo ſecundò directè, nō in omni re eſſe obiectiuam præciſionem,& ideò per obiectiuas præciſiones non tollitur omnis contradictio.

LECTIO VIII.

An inter Gradus Metaphyſicos detur diſtinctio formalis ex natura rei.

QVæſtioni reſpondent negatiuè inprimis *Nominales* , qui cum obiectiuas præciſiones negent, neceſſe eſt , negēt hanc diſtinctionē formalē, quæ coincidit cum obiectiua præciſione,vel maior eſt illa . Ex Recentioribus *Suarez diſp. 7.Met.ſect.1 n.16.Ouied Controu.4. Met p. 2. Zaccharias Paſqualigus d. 60. ſect. 2.* & alij plures toti ſunt in impugnanda , & proſcribenda è Scholis hac formali diſtinctione, an meritò,an verè aſſecuti mentem Scoti, qui huius diſtinctionis Auctor extitit, & Inuentor,argumentorum momentis, expendamus,oportet.

Affirmatiuè eidem Quæſtioni reſpondet Subtiliſſimus Ioannes *Scotus in 1.d. 2. q.1 quem* in primis ſequuntur eius diſcipuli, *Antonius Sirectus tract. de formalit. Stephanus Burlifer in Epith. formalit. Scoti. Antonius Trombetta in tract. de formalit. Antonius Andraas 5.Met.q 7.*

Ex Recentioribus hanc Sententiam ſequuntur *Molina 1.p.q.6. art.2. diſp 3.4.5.6. Fonſeca 5. Met.c.6 q.7. ſect.3. Mazziotta in q.Sel q.15.per totam.*

Verum *Hurtadus diſp.6. S. 49.* oſtendit, *Thomiſtas* obiectiuè præſcindentes coincidere cum Sententia Scoti,& apertè Scotizare; *Mazziotta* verò,qui Thomiſta totus eſt , eruditè , & fusè de more probat hanc Sententiā fuiſſe, & *Ariſtotelis*,& *D. Thomæ*; & quod maius eſt *Chryſoſt. Ianellus 12. Met.q.19.* docet;in aſſerenda iſta diſtinctione conuenire *Scotum,& D. Thomam* ; en verba. *Hac eſt ſumma opinionis Scoti , cum qua concordat in ſenſu via D.Thomæ , nam quando dicit Beatus Thomas , quòd diſtinguuntur ratione ex parte intellectus , & ex parte rei, comprehendit ſub primo diſtinctionem rationis,& ſub ſecundò diſtinctionem ex natura rei , & propterea dixit Stephanus Burlifer, quòd diſtinctio rationis ex parte rei ratiocinabilis eſt eadem cum diſtinctione ex natura rei, patet ergo, quòd non differunt in ſenſu.*

Concluſio. Inter gradus eſſentiales , ſeù Metaphyſicos datur diſtinctio ex natura rei, ſeù formalis.

Probatur primò quia.Gradus Metaphyſici, ſeù eſſentiales diſtinguuntur ea diſtinctione , in qua ſunt ſigna diſtinctionis formalis ex natura rei,ergo gradus illi formaliter ex natura rei diſtinguuntur;Antecedēs probatur,& quidem

Primò, quia de gradibus eſſentialibus, verbi gratia,de Animali,& Rationali,affirmantur prædicata contradictoria, nam verum eſt dicere,animal eſſe principium ſentiendi,non Rationale; Rationale eſſe principium intelligendi,non animal;ſed prædicata contradictoria non poſſunt de vna, eademque formalitate prædicari , & affirmari , ergo Animal, & Rationale non ſunt idem formaliter ; ergo diſtinguuntur formaliter.

Reſpondebis ; prædicata contradictoria eſſe formalia , & ſe tenere ex parte intellectus,non ex parte obiecti,& earum formalitatum.

Sed contrà eſt quia, omnis contradictio formalis , & ex parte intellectus fundatur in contradictione obiectiua , ſicuti enim intellectus nihil concipit,quod non ſit ex natura rei conceptibile , nihil cognoſcit,niſi ſit ex ſua natura cognoſcibile , ità nullam per formalem ſui actum contradictionem format , aut facit , quam in ipſis rebus , & obiectis non recognoſcat, quomodo enim affirmaret intellectus , animal eſſe principium ſentiendi , & negaret eſſe principium intelligendi, niſi animal ipſum de ſui natura , & circunſcripta quacunque negotiatione

tione

Digitized by Google

tione intellectus,eſſet principium ſentiendi, & non eſſet principium intelligendi; & ſimiliter quomodo intellectus affirmaret, Rationale eſſe principium intelligendi, & non eſſe principium ſentiendi, niſi Rationale ipſum tale eſſet in ſe, & ſui natura circunſcripto quocunque opere intellectus? intellectus enim eſt potentia neceſſaria, quæ non operatur,niſi determinetur ab obiecto, non affirmat quidquam,vel negat, niſi obiecta ipſa cogant intellectum ad affirmandum,vel negandum.

Secundò idem Anteced.probatur;quia circunſcripto omni opere intellectus, animal non eſt de conceptu Rationalis, nec Rationale eſt de conceptu Animalis, patet ex definitione vtriuſque,animal enim definitur eſſe principium ſentiendi, Rationale definitur eſſe principium intelligendi, ergo iam animal non eſt de conceptu rationalis, nec è contrà; imò ſi Rationale eſſet de cōceptu Animalis, vbicunque eſſet animal, ibi eſſet Rationale, quod enim eſt de conceptu alterius,inſeparabile eſt omninò ab illo;patet autem, in Bruto eſſe animal, & non eſſe Rationale, ergo Rationale non eſt de conceptu animalis;at ea,quorum vnum non eſt de conceptu formali alterius,diſtinguuntur formaliter,idem enim eſt,duo diſtingui formaliter,& non eſſe idem formaliter,& idem formaliſſimè eſt,duo non eſſe idem formaliter, ac vnum non eſſe de formali conceptu,& quidditate alterius:ergo.

Confirmatur primò quia; diſtingui duo formaliter,eſt diſtingui conceptibilitate intrinſeca, ſeù habere diuerſam conceptibilitatem intrinſecam:dico, intrinſecam, nam extrinſeca conceptibilitas poſterior eſt ad res ipſas à parte rei, & eſt pura denominatio extrinſeca proueniens ab intellectu, vt potente illas concipere; intrinſecè autem res, & formalitas eſt de ſe conceptibilis,& intelligibilis, ſed à parte rei,& circunſcripto quocunque opere intellectus, quilibet gradus eſſentialis eſt de ſe conceptibilis diſtincta conceptibilitate, poteſt enim concipi Animal, non concepto rationali,vt plures ex Aduerſ.obiectiuè præſcindentibus vltrò admittunt,ergò.

Confirmatur ſecundò quia. ſi animal intrinſecè,& formaliter includeret rationale, & irrationale, non eſſet vniuocum reſpectu ſuorum inferiorum, perindè enim ſe haberet,ac ſe habet ens reſpectu ſuorum inferiorum,quod ideò eſt analogicum,quia includit formaliter inferiora, & formaliter includitur in ſuis inferioribus, eodem modo animal formaliter includeret Rationale, & formaliter includeretur in Rationali,ergo eodem modo ſe haberet, ac ens; eſſet ergo analogicum,non vniuocum. & ſanè ſi animal non eſt vniuocum, quodnam aliud prædicatum in tota entium latitudine erit vniuocum?

Confirmatur tertiò quia: ſi animal in ſui formalitate includeret rationale, homo, & Brutum non conuenirent genericè, ideſt in ratione generica Animalis,nam animal, quod eſt in homine,eſt formaliter rationale, & animal formaliter rationale, non eſt formaliter animal, quod eſt in Bruto, quia animal, quod eſt in Bruto,eſt irrationale; rationale, & irrationale non conueniunt, ergo genericè non conuenirent homo, & Brutum in hoc,quod ſunt animal.

Confirmatur quartò quia; ſi animal includeret formaliter rationale, non poſſet contrahi à Rationali,quod enim contrahitur,intelligitur quid prius eo, à quo contrahitur, at ſi animal includeret formaliter rationale, non poſſet intelligi prius rationali,quia nihil poteſt intelligi ſinè eo,quod eſt illi formale, & eſſentiale,ergo.

Obijcies primò.impoſſibilis eſt omninò diſtinctio iſta formalis, & ex natura rei, ergo non debet admitti inter gradus Metaphyſicos, ſeù eſſentiales. Probatur Antecedens quia,ſicut inter ens reale, & ens rationis non datur medium, ità inter diſtinctionem realem, & omninò indepēdentem ab intellectu, & diſtinctionem rationis, & dependentem ab intellectu,non poteſt dari media,& formalis iſta diſtinctio.

Reſpondeo,quòd ſicuti id, quod eſt reale, & independens ab intellectu, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed patitur aliquam latitudinem,nam datur ens reale, quod dicitur,& eſt res;& ens reale,quod dicitur,& eſt modus rei, vt communiter omnes admittunt; ità vlterius progrediendo in ipſa entis realis latitudine, datur aliquod ens reale, quod non eſt res, neque eſt modus, ſed eſt formalitas, quæ quidem nō eſt res,quia non eſt tota eſſentia,non eſt modus, quia non eſt ratio aliqua accidentalis;eſt igitur verè, & propriè formalitas, quia eſt pars eſſentiæ: quarè iſta diſtinctio realis quidē eſt,non realis ſimpliciter, tanquam diſtinctio rei à re,ſed realis ſecundum quid, & cum addito,ideſt,realis formalis.

Replicabis. materia, & forma ſunt partes compoſiti Phyſici, & tamen inter ſe diſtinguuntur realiter diſtinctione reali ſimpliciter, & rei à re,ergo eodem modo, li-

cèt animalitas, verbi gratia, & rationalitas ſint partes eſſentiæ hominis, adhùc debent poni & diſtingui realiter diſtinctione reali ſimpliciter, & rei à re.

Reſpondeo. diſparitatem eſſe, tùm quia materia, & forma, licèt ſint partes incompletæ eſſentiæ phyſicę hominis, tamen poſſunt ſeparari inuicem, & ſeparatim exiſtere, ideò quia ſunt verę res, diſtinctio inter illas ponitur realis ſimpliciter, & tanquam rei à re; non ſic animalitas, & rationalitas; rationalitas enim non poteſt eſſe ſinè animalitate, vt iam contracta ad illam; nec animalitas, vt iam contracta ad rationalitatem, poteſt eſſe ſinè rationalitate. Prætereà diſparitas eſt, quia materia de ſe eſt aliquod totum Metaphyſicum, & eſſentiale; & ſimiliter forma de ſe eſt aliquod totum eſſentiale, & Metaphyſicum, non ſic animalitas, & rationalitas, vt patet.

Obijcies ſecundò, vel animalitas habet aliquod commune cum rationalitate, vel non habet; non primum; quia non eſt aſſignabile hoc commune, in quo conueniant. Si dicatur ſecundum; ergo iam animalitas, et rationalitas ſe totis differunt, at ea quæ ſe totis differunt, diſtinguuntur diſtinctione reali ſimpliciter, ergo vel gradus Metaphyſici diſtinguuntur diſtinctione reali ſimpliciter, vel non poſſunt diſtingui diſtinctione iſta formali, quæ non ſit realis ſimpliciter.

Reſpondeo. in primis iſtas duas formalitates habere aliquod vtrique commune, nempè exiſtentiam, cum enim ſint partes eſſentiæ, et ſimul vnitę faciant vnam totam eſſentiam, cui eſt debita exiſtentia, habent vtique formalitates iſtæ communem ſibi exiſtentiam illius eſſentiæ, cuius ſunt partes, & quam componunt. Prætereà, eſto formalitates illæ ſe totis differant, non licèt indè inferre, diſtingui realiter, quando enim dicuntur ſe totis differre, τὸ *totis*, dicit totalitatem formalitatis, ſuprà quam cadit; non dicit totalitatem rei, cum formalitas non ſit res, ſed formalitas.

Obijcies tertiò. non minus homo conſtituitur formaliter ſenſibilis per animalitatem, & formaliter rationalis per rationalitatem, ac conſtituatur Deus formaliter ſapiens per ſapientiam, formaliter bonus per bonitatem; atqui quamuis Deus ſit formaliter bonus per bonitatem, et formaliter ſapiens per ſapientiam, tamen bonitas, et ſapientia inter ſe, et cum Diuina eſſentia non habent diſtinctionem formalem, ſed potiùs in plenitudine infinitæ eſſentiæ Diuinæ abſque vlla diſtinctione continentur; ergo quamuis homo formaliter conſtituatur ſenſibilis per animalitatem, formaliter rationalis per rationalitatem, non proindè animalitas, et rationalitas debent diſtingui formaliter inter ſe, ſed potius in vna eſſentia, tanquam in ente perfectiori contineri ſinè vlla reali diſtinctione.

Reſpondeo in primis. *Scotum in 1. d. 2. q. vnica, §. ſed id conſtat*, admittere diſtinctionem formalem ex natura rei inter Attributa adinvicem, & cum Diuina eſſentia, vis enim præpoſiti argumenti æquè probat in homine formaliter diſtingui animalitatē, & rationalitatem, & diſtingui in Deo ſapientiam, & bonitatem; ſed etiam negata tali diſtinctione inter Diuina Attributa adinuicem, & cum eſſentia, adhùc diſparitas eſt quia; in Deo non reperiuntur ſapientia, & bonitas ſecundum proprias eſſentias, & quidditates, ſed prout eleuatæ in altiori quadam formalitate Diuinitatis, quæ vna, & ſimpliciſſima propter plenitudinem infinitæ ſuæ perfectionis, ſeipſa præſtat, quidquid præſtare poſſet tùm ſapientia, tùm bonitas, tùm quælibet alia perfectio in propria ſui natura, & quidditate. At in homine eſt ſenſibilitas ſecundum propriam ſui naturam, & quidditatem, & ſimiliter rationalitas præcisè, ſecundum propriam naturam, & quidditatem in homine eſt; quia verò natura, et quidditas ſenſibilitatis, et rationalitatis, ſe inuicem negant, et excludunt, ideò diſtinctæ formaliter remanent in homine, in quo ſunt, tanquam partes totius eſſentiæ eiuſdem hominis.

Obijcies quartò; vera eſt iſta prædicatio, rationale eſt animal, atqui talis prædicatio non eſſet vera, ſi rationale, et animal diſtinguerentur ex natura rei, ſicuti non eſt vera iſta prædicatio, albedo eſt dulcedo, quia albedo, et dulcedo realiter diſtinguuntur.

Reſpondeo. ideò veram eſſe illam Propoſitionem, rationale eſt animal, quia non prædicatur animalitas de rationalitate, ſed aliquod ſubiectum vtrique commune, hinc eſt, vt non ſit vera prædicatio in abſtracto, rationalitas eſt animalitas, ſicut neque altera Propoſitio, albedo eſt dulcedo; Cęterū ſicut vera eſt iſta Propoſitio, album eſt dulce, quia prædicatio illa fit in ſubiecto vtrique communi, ità vera eſt illa Propoſitio, rationale eſt animal, quia fit prædicatio in ſubiecto complectente ſimul vtrumque, rationale, ſcilicèt, et animal.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO SECVNDA:

DE PROPRIETATIBVS, SEV PASSIONIBVS ENTIS.

AD Ens conſequũtur quædam veluti Proprietates, ſeù Paſſiones. Dico veluti Proprietates, quia proprietates in rigore vel realiter, vel ex natura rei diſtinguuntur ab eſſentia, cuius ſunt Proprietates, & Paſſiones, at nihil tale aſſignabile eſt reſpectu entis, quidquid enim eſt, ens eſt; & ſolùm nihil, negatio, & ens rationis diſtinguũtur ab ente; Verum quia nomine Proprietatis venit etiam quidquid quomodocunque ſequitur, ſeù conſequenter ſe habet ad rei eſſentiam, ideò communiter tres aſſignantur entis veluti Paſſiones, & Proprietates, nempè, Vnum, Verum, Bonum; hæc enim tria conſequẽter ſe habent ad ens, omne enim quod eſt ens, debet conſequenter eſſe vnum, & indiuiſum; ſi enim eſſet diuiſum à ſeipſo, non eſſet ens, diuiſio enim negatio eſt, & non ens, ſi ergo ens eſſet diuiſum, & non vnum, eſſet ens, & non ens.

Similiter omne, quod eſt ens, debet eſſe verum, & bonum, quia omne ens eſt intelligibile ab intellectu; amabile à voluntate, atque adeo eſt obiectum materiale tùm intellectus, tùm voluntatis; at omne obiectum materiale debet participare rationem formalem eius potentiæ, vel habitus, cuius eſt obiectum materiale; ergo cum obiectum intellectus ſit verum, & obiectum formale voluntatis ſit bonum, ideò verum, & bonum conſtituuntur entis veluti Proprietates, & Paſſiones.

Cur autem hæ tantùm tres entis Paſſiones aſſignentur, non plures, aut pauciores, redditur Ratio facilè ex eo, quia hæc tantùm tria conuertuntur cum ente, & æquè latè patent, ac ens.

De

De Veritate ſatis egimus in Logicis: ſolùm Aduertendum eſt hic, veritatem Metaphyſicam, ſeù trãſcendentalem ſe tenere ex parte Obiecti, ſeù ex parte ipſarum rerum, obiectum enim, & res ipſa prout ità ſunt, vti cognoſcũtur, dicuntur habere veritatem Trãſcendentalem, & Metaphyſicam; ſicuti è contrà quando cognitio attingit obiectum ità, ſicuti eſt in ſe, habetur veritas Logica, ſeù Prædicamentalis. Agere de Bonitate partes ſunt Theologorum, vel Moralium Philoſophorum. Reſtringitur ergo præſens Diſputatio ſolùm ad vnitatem, de qua

LECTIO I.

Quid ſit Vnitas, explicatur.

VNitatem eſſe Indiuiſionem, & vnum eſſe indiuiſum, ſeù indiuiſibile, puto, certum eſſe apud omnes. Docet hoc maniſeſtè pluribus in locis *Ariſtoteles*, præſertim verò 10. *Met. t. 2. Propter quod vnum eſſe, eſt indiuiſibile eſſe ipſum reuerà ens, & inſeparabile aut loco, aut ſpecie, aut mente, aut toto, atque determinato.* Et t. 3. *vbique etenim menſuram, vnum quiddam, & indiuiſibile quærunt*. & paucis interiectis *vnitatem etenim ponunt, quæ omninò indiuiſibilis eſt.*

Sed, an vnitas, ſeù etiam indiuiſio formaliter dicat negationem, vel potius aliquod poſitiuum; variant Auctores.

Sententia ponens, vnitatem formaliter conſiſtere in poſitiuo tribuitur *Auicennæ lib. 3. Met. c. 2. & lib. 7. c. 1. Bonau. in* 1. *d.* 23. *art.* 1. *q.* 1. *Alenſi p.* 1. *q.* 13. *Mẽb.* 1. *&* 2. *Soto in Log. c. de propr. c.* 2. *ad* 2. tribuitur ẽt *Scoto in* 2. *d.* 3. *q.* 2. *Antonio Andr.* 4. *Met. q* 3.

Sed immeritò hęc Sententia Scoto, & Scotiſtis imponitur, nam loco cit. Scotus, quærens, per quid formaliter ſubſtantia ſit indiuidua, illique repugnet diuidi in plura; docet primò, repugnare illi diuidi in plura formaliter per ipſam repugnantiam, ſeù negationem diuiſionis in plura; docet ſecundò, fundamentum proximum, & intrinſecum talis repugnantiæ eſſe quid poſitiuum, quibus explicatis ſubdit; *eſt ergo intellectus Quæſtionis de hac materia, quid ſit in hoc lapide, per quod ſicuti per fundamentum proximum ſimpliciter repugnat ſibi diuidi in plura*. ex quibus patet, Doctorem Subtilem, vnitatem, & indiuiſionẽ ità ponere formaliter in negatione, vt tamen pro fundamento proximo, & intrinſeco talis indiuiſionis ponat entitatem poſitiuam.

Eſt igitur Communis Sententia ponens vnitatem conſiſtere formaliter in negatione diuiſionis; ità communiter ferè omnes, quos fusè relatos habes apud *Suarez diſp.* 4 *Met. ſect.* 2.

Concluſio. Ens vnum, quà vnum ità dicit negationem diuiſionis formaliter, vt tamen pro fundamento proximo, & intrinſeco dicat entitatem poſitiuam.

Quòd ens, quà vnum formaliter dicat negationem diuiſionis

Probatur primò Auctoritate Ariſt. locis cit.

Probatur ſecundò; quia per eſſe indiuiſum, ſeù per negationem diuiſionis contradiſtinguitur ens vnum ab eius oppoſito, quod eſt ens multiplex, ſeù multitudo, multitudo enim formaliter dicit diuiſionẽ, ergo vnum formaliter importat negationem diuiſionis, ſeù formaliter conſtituitur per negationem diuiſionis, per id enim formaliter aliquid conſtituitur tale, per quod formaliter diſtinguitur à ſuo oppoſito, & ab omni alio, quod nõ eſt ipſum, *idem eſt enim principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum*, ergo.

Noto tamen, non ità vnum formaliter importare negationem diuiſionis, vt nullã prorſus in ſe diuiſionem admittat, alioquin nullum ens compoſitum eſſet quid vnum, omne enim compoſitum diuiſibile eſt in ſuas partes, ex quibus componitur, vndè nec Petrus eſſet vnus, quia compoſitus ex ſuis partibus, corpòre, & anima. ſed vnum dicit negationem diuiſionis in ea ratione, qua eſt vnus, ſic Petrus in ratione hominis eſt vnus, quia in Petro ſecundum rationem hominis nõ aſſignatur homo diuiſus ab homine; binarius hominũ eſt vnus,

qu

quia in ratione binarij, non eſt aſſignare binarium diuiſum à binario, eſto in ratione Hominis ſit aſſignare, Hominem diuiſum ab Homine,

Quòd autem Vnum pro ſui fundamēto proximo, & intrinſeco importet entitatem poſitiuam; Probatur quia, omnis negatio cùm ſit non ens,debet fundari in aliquo ente poſitiuo,non ergo negatio diuiſionis eſt ſinè ente poſitiuo, in quo ſit,tanquam in ſui proximo fundamento.

Probatur ſecundò quia:ſi ens vnum,vt vnum, eſſet formaliter indiuiſum per ſolam negationem diuiſionis, & non diceret intrinſecum fundamentum ad talem negationem, ſequeretur,ablata, ſiuè per poſſibile, ſiuè per impoſſibile, tali negatione, non repugnaret illi diuiſio, atqui ablata iſta negatione diuiſionis, adhùc repugnat enti vni,vt vni formaliter diuiſio,ergo.

Reſpondebis, ablata ſiuè per impoſſibile, ſiuè per poſſibile negationē diuiſionis, ens non remanere vnum formaliter, ſed ſtatim fore diuiſum,atque multiplex.

Sed contrà eſt quia; ſicuti ſubſtantia ſpiritualis eſt indiuiſibilis formaliter per negationem quantitatis, & tamen ablata negatione quantitatis,adhùc eſſet indiuiſibilis, quia illi non repugnaret diuidi,eo quia de ſua natura, & veluti in actu primo(vt ità dicam)eſt capax diuiſionis, ità licèt ens vnum ſit formaliter indiuiſibile, ſeù indiuiſum per negationem diuiſionis, adhùc tamen ablata iſta negatione diuiſionis,remanet indiuiſum, & vnum, quia de ſua natura intrinſecè, & veluti in actu primo petit talem indiuiſionem, & eſt incapax diuiſionis, ergo de ſua natura intrinſecè petit eſſe indiuiſum; ens ergò eſt vnum completè, vt loquitur *Scotus* §. *ſimiliter*,non præcisè ex eo,quia quomodocunque habet negationem diuiſionis, ſed quia exigit intrinſecè habere talem negationem, & conſequenter ablata ſiuè per poſſibile,ſiuè per impoſſibile,tali negatione,adhùc ens remanet intrinſecè,& formaliter vnum,in actu veluti primo, & quòad intrinſecā ſui naturā,& exigentiā.

Confirmatur quia. nulla imperfectio alicui repugnat, niſi repugnet prædicato eius poſitiuo, nulla enim imperfectio repugnat alicui, niſi repugnet eius perfectioni, quæ eſt entitas poſitiua, ſed diuidi eſt imperfectio,patet,quia repugnat Deo, ergo ſi diuidi repugnat vni, vnum neceſſariò importat aliquod poſitiuum intrinſecum;cui tanquam propriæ, & poſitiuæ perfectioni talis imperfectio, & diuiſio repugnat.

Probatur ſecundò:quia ens non poteſt conſtitui in eſſe perfecto per aliquod imperfectum,ſed vnum eſt quid perfectum, ergo non poteſt conſtitui per negationē diuiſionis,quæ eſt quid imperfectū, quia negatio eſt,& non ens.Confirmatur quia, negatio diuiſionis eadem eſt in hoc, & in illo,in Petro,& in Paulo; quare ergo diuerſa eſt vnitas indiuidualis Petri, & diuerſa eſt vnitas indiuidualis Pauli?ſanè talis diuerſitas non poteſt peti ex negatione diuiſionis præcisè, cùm eadem ſit, ergo petenda eſt etiam ex entitate poſitiua & Petri,& Pauli.

Dices primò.Vnum non ſolùm eſt indiuiſum in ſe,ſed etiā diuiſum à quolibet alio,ergo non ſufficienter explicatur vnū per eſſe indiuiſum, & vnitas per indiuiſionem.

Reſp.Diuiſionem à quolibet alio, ſeù negationem identitatis cùm alio non ſpectare formaliter ad vnum, & vnitatem, ſed conſequenter, & veluti proprietatem;nam ſi per impoſſibile omnes Creaturæ implicarent, & eſſet tantum Deus, verè Deus eſſet vnus, & vnum ens, ſicuti modò vnus eſt,& tamen in eo caſu non eſſet diuiſus à Creaturis,quæ eſſent nihil, & non ens, nihili autem,& non entis,non datur negatio, aliàs daretur negatio negationis;diuiſio ergo,ſeù negatio identitatis cùm alio non eſt prædicatum eſſentiale Vnitatis, ſeù Vnius, ſed potiùs proprietas aliqua,& quædam veluti paſſio.

Ex quibus facilè intelligitur Doctrina *Henrici quodlib.*5 *q.*14. & aliorum pluriū Philoſophorum aſſerentium, Vnitatem conſiſtere in duplici negatione, nimirum in negatione diuiſionis in ſe, & in negatione identitatis cùm alio,ſeù diuiſione ab alio, nam prima negatio, quæ eſt negatio diuiſionis in ſe, ſeù indiuiſio,eſt prædicatum eſſentiale; altera negatio eſt prædicatum accidentale, ſeù proprietas, & paſſio vnitatis,& vnius.

Dices ſecūdò,Indiuiſio eſt negatio diuiſionis, diuiſio et eſt negatio,ergo qā vnū dicit formaliter indiuiſionem, ſeù negationem diuiſionis, formaliter dicit duas negationes,atque adeò datur negatio negationis formaliter; at duæ negationes affirmant, & dicunt quid poſitiuum, ergo à primo ad vltimum Vnitas, ſeù vnū dicit ſolummodò quid poſitiuum, & nullam importat negationem.

Reſpondeo, hoc argumento magis premi

uni Auctores contrariæ Sententiæ, quæ ponit vnum, ſeù vnitatem conſiſtere in ſola, & nuda negatione; dico igitur verè vnum, & vnitatem dicere, & reſolui tandem in aliquod poſitiuum, quod eſt proximum fundamentum intrinſecum illius duplicis negationis, lapis enim, verbi gratia, ideò eſt indiuiſus in ſe, & diuiſus à quolibet alio, quia eſt tale ens, quod exigit habere illas negationes.

Dices Tertiò: Negatio, & carentia multiplicatur ad multiplicationem formarũ, quarum eſt negatio, ergo negatio identitatis ab omni alio multiplicatur ad multiplicationem omnium aliorum, quorum identitas negatur, ſed lapis, verbi gratia, quando eſt vnus formaliter, importat negationem identitatis ab omni alio, quod non eſt lapis, ergo dicit, & importat plures, & plures negationes.

Reſpõdeo. verè vnum importare aggregatum quoddam plurium, & plurium negationum, quia quod eſt vnum, negat omnia alia entia, quæ non ſunt ipſum, & hæc cum ſint plura, & plura, ideò vnum non quidem formaliter, ſed ex conſequenti importat aggregatum plurium negationum.

Quotuplex ſit vnitas, & quæ ſit maior, aut minor; quæ ſpecifica, & quæ indiuidualis, non eſt, cur repetantur hic; ſufficiãt, quæ de his dicta ſunt *Diſp. 2. Log. Lect. V.*

LECTIO II.

Principium Indiuiduationis inueſtigatur.

SEnſus eſt, quodnam ſit radicale Principium, vndè habeatur rei alicuius indiuiduatio, ſeù quòd ſit hæc numero: & quia res eſt hæc numero, & indiuidua, quia non eſt vlterius diuidua, ſeù diuiſibilis; & quod in idem recidit, quia non eſt vlterius vlli alteri communicabilis, atque adeò eſt omnino alteri incommunicabilis, ideò idẽ eſt, quærere radicale principiũ indiuiduationis, ac radicale principium incommunicabilitatis; ſeù vndè habeatur, quòd res, quæ indiuidua, & hæc dicitur, non poſſit vlterius diuidi, aut alteri communicari.

Et quidem idem, quod in natura ſpecifica eſt principium indiuiduationis, eſt etiã principium multiplicationis indiuidualis; nam id, quod conſtituit indiuiduum, ſi plurificetur, & multiplicetur, conſtituit plura Indiuidua, aut ſi auferatur, remanet natura ſpecifica in eſſe ſpecifico, & communi pluribus; idem ergo quod eſt principium indiuiduationis, eſt etiam cauſa indiuidualis multiplicationis.

Celebris in hac re *Thomiſtarum* Sententia eſt; rem indiuiduari per materiam primam ſignatam quantitate; & quidem, ſi res careat materia prima, vti Angelus, neceſſe eſt, quòd careat etiam radicali principio indiuiduationis, & conſequenter nequeat intrà eandem ſpeciem numero, & indiuidualiter multiplicari.

Hinc quilibet Angelus eſt numero intrà eandem ſpeciem inmultiplicabilis, quia caret materia prima, quæ eſt radix vnitatis, & multiplicitatis indiuidualis.

Verum quid nomine materiæ primæ ſignatæ quantitate, debeat intelligi; variant inter ſe *Thomiſtæ*, & modo omninò diuerſo explicant, & declarant.

Primò Nonnulli per materiam ſignatã quantitate, intelligũt materiam affectam, & informatam à quantitate, ſeu compoſitum reſultans ex materia, & quantitate, quæ actu informet, afficiat, ſeù modificet materiam. I à *Soncinas 7. Met. q 34. & in Epitome M. Capreoli in 2. d. 3. q. 1. Ferrarien. 10. contra Gentes c. 21.*

Secundò alij Thomiſtæ, per materiam ſignatam quantitate intelligũt materiam, non quidem actu hac quantitate affectam, ſeù informatam, ſed materiam *per modũ* radicis præcontinentem, ſeù præhabentem hanc potius quantitatem, quàm aliam. Ità *Caiet. 1. p q 29 art. 1. Ban. 1. de Gen. c. 5. q. 3. art. 8 Iauellus 5. Met. q. 14. Mazziotta in q. Sel. q. 6. n. 36.*

Sed contrà hanc Sententiam vtroque modo explicatam eſt quia. multa dantur, quæ verè indiuidua ſunt, & indiuidualiter multiplicantur, & tamen neque habẽt materiam actu affectam quantitate, neque habent materiam præhabentem per modum radicis quantitatem ipſam, ergo radix indiuiduationis, ſeù etiam multiplicationis indiuidualis non habetur à materia, quæ aliquo ex aſſignatis modis habeat quantitatem.

Antecedẽs probatur pluribus exemplis, quæ vel à Thomiſtis ipſis vltrò conceduntur, nam plures actus Beatificæ Viſionis, Caritatis ſupernaturalis, habitus luminis gloriæ exiſtentes in pluribus intellectibus Angelorum, & Beatorum ſunt numero, & indiuidualiter diſtincti, & tamen non habent materiam informatam quantitate; ſimiliter actiones plures, quibus poteſt idẽ numero Angelus, aut anima Rationalis pluries, & pluries produci numero, quę indiuidualiter plures, ſeù multæ ſunt; denique, Animæ Rationales, quæ quia immortales, ſunt omnino independentes tùm à materia

ria

Digitized by Google

ria tùm à quantitate, numero plures ſunt, nam apertè damnata eſt Sententia eorum, qui vnam numero Animam fore in omnibus hominibus, aſſerebant, vt patet ex Bulla *Leonis X. cit ſuprà*.

Neque dicas; in his, & ſimilibus exemplis, aſſignabile eſſe aliquod loco, & vice materiæ ſubſtitutum; nam actus illorum habituum, & potentiarum indiuiduantur à ſubiecto, quod informant, & in quo recipiuntur; ſicuti et productiones illæ eiuſdẽ Angeli numero multiplicantur, quia dicũt diuerſos numero ordines eſſentiales ad vnum Angelum, qui vt producibilis per vnam actionẽ diuerſus eſt à ſeipſo, vt producibili per aliam, & aliam actionem, vndè licèt vnus actu ſit, virtute tamen multiplex eſt, & ſic in ratione ſubiecti earum actionum multiplex eſt, ideòque ab illo, vt à ſubiecto, actiones illæ indiuiduarentur; denique Animas Rationales indiuiduari per ordinem ad materiã, licèt enim à materia ſeparatæ naturaliter exiſtant, ordinẽ tamen, & reſpectum ad materiam ſemper dicunt.

Neque, inquam, hæc cùm *Thomiſtis* dicas, & reſpondeas. nam contrà eſt, quia ſaltem de abſoluta potentia poſſunt à Deo creari illi actus, atque adeo eſſe omninò independentes à ſubiecto, & eodem modo creari poſſet Anima Rationalis; quæ enim eſt in hoc excogitabilis repugnantia, aut contradictionis implicantia? ergo per ordinem ad ſubiectum, vel à ſubiecto non deſumitur vnitas, vel multiplicitas indiuidualis. Denique virtualis multiplicitas Angeli nõ eſt ſufficiens ad inducendam indiuidualem multiplicitatem plurium actionum, alioquin & vna numero materia poſſet eſſe principium plurium indiuiduationum, eadem enim numero materia, ſaltem ſupernaturaliter, poteſt recipere plures formas, atque adeò receptiua eſt plurium formarum.

Secundò principaliter contrà Sententiã *Thomiſtarum* eſt quia; Iuxtà *Thomiſtarum* principia datur Reſolutio vſque ad materiam primam in corruptione compoſiti naturalis, atque adeò non remanet quantitas, quæ prius erat in materia, & tamen remanet eadem numero materia prima, ergo ipſa in primis materia prima nõ indiuiduatur, & fit hæc numero per quantitatẽ.

Deindè Forma, quæ de nouo in illam materiam introducitur, iam eſt hæc, & ſingularis, aliàs productio talis formæ non haberet terminum hunc, & ſingularem, ſed in eo inſtanti non eſt quantitas, iam enim ſupponitur corrupta, & quæ de nouo aduenit, conſequitur ad formam, ergo iam intelligitur forma eſſe hæc, & ſingularis independenter à quantitate; imò & independenter à materia, quia iuxtà aliud principium eorundem *Thomiſtarum*, materia habet exiſtentiam à Forma, quæ proindè prius intelligitur dare exiſtentiam materiæ, & deindè in poſteriori ſigno intelligitur materia exiſtere, ſed in eo priori, quo forma dat exiſtentiam materiæ, iã eſt ſingularis, & indiuidua; ergo forma nõ indiuiduatur per materiam ſignatam quãtitate.

Reſpondebis. formam in illo priori antè materiam, & Quantitatem, eſſe quidem vnam, eſſe quidem hanc, indiuiduam, & ſingularem, ſed nõ eſſe capacem multiplicationis, niſi quatenus, vel intelligitur eſſe in materia, vel intelligitur, dicere ordinem ad materiam.

Sed cõtrà eſt quia: Illud ipſum, per quod res conſtituitur vna, & ſingularis, ſi ſupponatur multiplicari, & plurificari, reddit rẽ illam capacem multiplicationis, & plurificationis indiuidualis, nam dato, & non admiſſo, quod volunt *Thomiſtæ*, materiam ſignatã quantitate eſſe principiũ indiuiduationis, ipſa eadẽ materia, quæ conſtituit rẽ vnã indiuidualiter, ſi multiplicetur, & plurificetur, eſt cauſa multiplicationis, & plurificationis indiuidualis eiuſdẽ rei, ergo illud ipsũ, quod in priori reddit formã vnã, indiuiduam, & ſingularem, reddit illã capacem plurificationis, & multiplicationis, ſi plurificetur, & multiplicetur; & cõſequẽter independenter à materia prima ſignata per quantitatem, forma illa eſt vna, indiuidua, & capax multiplicationis indiuidualis.

Tertiò principaliter contrà Sententiam *Thomiſtarum* eſt, quia: Rem eſſe hanc, & indiuiduam, eſt quid ſubſtantiale, indiuiduum enim ab *Ariſtotele*, & Schola, dicitur prima ſubſtantia, ergo non poteſt conſtitui hæc, & indiuidua per quantitatem, quę eſt accidens, quomodo enim, vt benè loquitur *Ariſt. 2. Phyſ. t. 6. ſubſtantia ex non ſubſtantijs erit?*

Neque dicas; Rem conſtitui indiuiduã per quantitatem, tanquam per principium inadæquatum, alterum enim principium eſt materia prima, quam certum eſt, eſſe ſubſtantiam.

Contrà enim eſt quia, res indiuidua, tota, & quanta quanta eſt, eſt ſubſtantialis, ergo non habet quantitatem, neq; tanquã inadæquatum principium ſuæ indiuiduationis.

Digitized by Google

Et quidem hac vltima impugnatione, remanet etiam confutata Sententia *Porphirij c. de ſpetie*, *Boetij 1 de Trinit. c. 1. Auicen. 5. Met. c 4. Damaſceni lib. de duplici natura, & vna hypoſtaſi in Chriſto*; qui omnes ponunt, principium indiuiduationis eſſe congeriem plurium accidentium, nam ab accidentibus, quamuis pluribus, ſeù à congerie plurium accidentium non poteſt haberi ſubſtantialis indiuiduatio, plura enim accidentia, ſeù congeries accidentium non ſunt ſubſtantia, ſed accidentia, ergo ſemper remanēt in gradu inferiori ad ſubſtātiam, quamuis ſint plura, quamuis congeriem, & (vt ità dicam) exercitum faciant.

Dices. Principium indiuiduationis debet reddere indiuiduum vlterius incommunicabile; & prætereà debet eſſe radix multiplicationis; at res per materiam redditur vlterius incommunicabilis alteri; & per quantitatem fit diuiſibilis in plura, ergo materia ſignata quantitate eſt principium indiuiduationis, & ſimul multiplicationis indiuiduorum.

Reſpondeo. Per materiam reddi quidem indiuiduum incommunicabile alteri, vt ſubiecto, quia materia eſt primum, & vltimum ſubiectum; ſed non reddi ſimpliciter incommunicabile, imò per materiam habetur cōmunicabilitas ad omnes formas, materia enim omnium formarum capax eſt, omnes formas apta eſt recipere, & omnibus communicari.

Deindè; eſto à quantitate res materiales diuidantur in plura, at ſpiritualia, quia quātitatis expertia, à quantitate non diuiduntur, & tamen plura ſunt indiuidualiter; in re verò materiali, eſto per quantitatem fiat diuiſio, non tamen per quantitatem conſtituuntur plura indiuidua in eſſe indiuiduorum, res enim materialis non conſtituitur vna, aut multiplex ſpecie per quantitatem formaliter; ſed facta diuiſione per quantitatem, eaque poſita tanquam conditione, intelligitur aduenire rei id, per quod fit formaliter indiuidua, ſicuti facta diuiſione in partibus Continui, reſultat diſtinctio actualis vnius partis ab alia.

Dices ſecundò: ex *Ariſt. 4. Met. t. 12.* ea sūt vnum numero, quorum materia eſt vna, ergo materia, eſt principiū indiuiduationis,

Reſpondeo: ea eſſe vnum numero, quorū materia eſt vna, atque adeò materiam eſſe principium indiuiduationis quòad nos, & tanquam à ſigno, nam quæ habent vnam materiam, habent etiam vnum principium indiuiduans, quod tamen non eſt materia ipſa, ſed quid omninò diuerſum à nobis infrà mox aſſignandum. Prætereà Propoſitio illa non eſt vniuerſaliter vera, nam ea, quæ carent materia, adhùc ſunt indiuidua, & habent numericam vnitatem, & ſanè independēter à materia, quia ea carere, ſupponūtur.

LECTIO III.

Adducuntur aliæ Duæ Sententiæ, & Refutantur.

SVnt, & aliæ duæ Celebriores Sententiæ de Principio indiuiduationis, & quidē.

Prima ponit, indiuiduationis Principium eſſe formam ſubſtantialem. Ità ex Antiquis *Auerroes 2. de Anima Com. 7. Durandus in 2. d. 3. q. 2. Bonau. 1. p art. 2. q. 1. Carthuſianus in 2. d. 3. q. 3.* Ex Recentioribus *Suarez lib. 1. de Angelis c. 15. ſect. 3. n. 3. Hurtadus diſp. 12. Met. ſect. 3.*

Sed contrà hanc Sententiam eſt quia; Forma dat rei eſſe ſpecificum, ſed non dat eſſe indiuiduale, & numericum, ergo non à forma, ſed aliundè tanquam à prima radice, & primo principio ſumenda eſt vnitas numerica, & indiuidualis. Prætereà & ipſa forma eſt hæc, & indiuidualis; vel ergo ſeipſa, vel per aliam formam: non ſecundum, tùm quia hæc alia forma non videtur eſſe aſſignabilis, tùm quia videtur eſſe proceſſus in infinitum, abiremus enim ſemper in infinitum, inquirendo aliam, & aliam formam, tanquam radicale principium indiuiduationis. Si forma eſt indiuidua, & hęc numero ſeipſa iam progredimur ad alterā Sētentiam, quam mox refero, & ſimiliter reijcio.

Dices. ex *Ariſt. 2 de Anima c. 1.* Forma eſt, quæ conſtituit hoc aliquid, forma enim intrinſecè conſtituit hanc ſubſtantiam, ergo eſt principium indiuiduationis.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſi forma hoc aliquid conſtituit, per *vé, hoc aliquid*, non intelligitur indiuiduum, & vnū numero, ſed quid vnum ſpecie, forma enim dat eſſe ſpecificum, quia eſt præcipua, & potior pars Compoſiti.

Altera Sentētia ſatis famoſa, & hac tempeſtate ferè communis, ponit pro principio indiuiduationis ipſam rei entitatem, docet enim rem ſe ipſa indiuiduari; Ità *Aureolus apud Cap. in 2. d. 3. q. 2. Ocham in 1. d. 2. q. 46, alijque Nominales* Ex Recentioribus *Arriaga diſp. 1. Met. ſect. 3. ſubſect 9. n. 91. Morandus q. 7 Met. n. 401. Hurtad. diſp. 5. ſect. 2. Suarez diſp. 5 ſect. 1. & alij apud ipſum,*

Hæc Sententia adeò quibuſdam Recentioribus arridet, & placet, vt in eam trahere conentur etiam *D. Thomam, & Caiet. p. 1. q. 29. art. 1. Imò etiam Scotum in 2. d. 3. q. 6.* ſed quæ

Digitized by Google

quæ fuerit mens *Caietani*, & aliorum Thomiſtarum ſuprà vidimus; quæ fuerit *Scoti* Opinio,mox expendam;interim,

Contrà hanc Sententiam primò ſit quia, licèt primo aſpectu facillima videatur, reuerà tamen, vt benè aduertit *Fonſeca hic* 5. *Met.c.6.q.3.ſect.2.*eſt omnium implicatiſſima,& celebrem alioquin Controuerſiam,inſolutam,& in ſuis nudis terminis relinquit; nam quando dicitur,res eſſe ex ſe ſingularis, & indiuidua; vel particula, *ex ſe*,ſumitur prout idem eſt;ac eſſentialiter, ſeù ex propria ſui eſſentia, quidditate,& natura;& hoc modo,ſi homo, verbi gratia, eſſet ex ſe ſingularis, & indiuiduus,nulla ratione fieri poſſet vniuerſalis, & non ſingularis, ſicuti quia homo eſt ex ſe animal,& rationalis,nulla ratione poteſt fieri, vt ſit non animal, & non rationalis;ſi verò particula,*ex ſe*, idem ſit,ac non per aliud;tanquam per quid accidentarium; rectè quidem ſentiunt Auctores hi, quia eſſe indiuidui non eſt accidens, ſed ſubſtantiale quid in indiuiduo, quod aptè dicitur prima ſubſtantia, & magis ſubſtantia, quàm ſecunda.

At nec benè loquuntur, nec Quæſtionem propoſitam ſoluunt; non benè loquuntur, quia non benè quis diceret; Animal eſſe ex ſe hominem, quamuis animal non per aliquod accidentarium, & quod non pertineat ad eſſentiam hominis,ſit homo, ità non benè quis loquitur, dum dicit,hominem eſſe indiuiduum ex ſe, quia non per aliquod accidentarium, & non pertinens ad rationem indiuidui eſt indiuiduum.

Relinquunt Quæſtionem inſolutam, quia quæritur hic,per quid natura communis fiat indiuidua; Reſpondent hi, non fieri indiuiduam per aliquod ſibi accidentarium; non ergo reſoluunt, per quid fiat indiuidua, ſed per quid non fiat indiuidua, ergo poſitiua illa, & affirmatiua quæſtio, per quid natura communis fiat indiuidua, remanet inſoluta, & in ſuis primis,atque nudis terminis.

Dices primò: quæcunque ſunt talia ſecũdum rem,ſunt talia ex ſe, ſicuti quæ ſunt talia ſecundum rationem, ſunt talia per accidens, ſed quælibet entitas eſt ſingularis, & indiuidua ſecundum rem, & realiter,ergo eſt talis ex ſe,& ex propria ſui entitate.

Reſpondeo: plura eſſe talia ſecundum rẽ, quæ tamen non ſunt talia ex ſe,& ex propria entitate, ſed potius per ſuperadditam entitatem; ità animal eſt rationale ſecundum rem, & tamen eſt rationale non ex ſe, & ex propria ſui entitate, ſed per rationalitatem ſibi ſuperadditam; imò eſt album, muſicum omninò ſecundum rem,& tamen non eſt tale ex ſe,& ex propria ſui entitate,ſed per accidentia ſuperaddita,albedinem, & muſicã; eſto igitur homo,verbi gratia, ſit indiuiduũ ſecundum rem, non tamen tale eſt ex ſe, & ex propria ſui entitate,ſed per aliquod ſuperadditum,quod quærimus,quid ſit, & in quo conſiſtat.

Dices ſecundò: id,quod conuertitur cum ente, conuenit illi per ſe, & non per aliquod ſuperadditum, at eſſe indiuiduum, & vnum numero, conuertitur cùm ente, quia nihil eſt in rerum natura,quod non ſit indiuiduũ, omne enim ens,indiuiduum,& ſingulare eſt, ergo ens non eſt indiuiduum per aliquod ſuperadditum, ſed ex ſe, & ex propria entitate,ſeù quia ens eſt.

Reſpondeo. hoc argumento id ſolum euinci,ens eſſe indiuiduum, non quidem per nõ ens, aut per aliquod illi extrinſecum,ſed per aliquod ens,quod ſit illi omninò intrinſecum: at quid ſit hoc intrinſecũ, dans formaliter eſſe indiuiduum, ab his Auctoribus eo Argumento non probatur, aut explicatur, & aliàs certum eſt, ens non eſſe indiuiduum per aliquod ſibi extrinſecum, & conſequenter in hoc ſenſu, eſſe indiuiduum ex ſe ſe,ideſt, non per aliquod extrinſecum.

Dices tertiò: nulla natura communis ità eſt ſingularis, vt realiter poſſit eſſe alijs cõmunis, ergo eſt ſingularis ex ſe ſe, & ex propria entitate.

Reſpondeo,negando Antecedens, natura enim communis realiter eſt communis pluribus; eſto iſta communitas complete illi minimè competat, niſi accedat operatio intellectus perfectè præſcindentis illam à ſingularitate, quæ obſtat, nè proximè apta ſit eſſe in multis, atque adeò obſtat, nè ſit proximè multis communis, vt explicaui *Diſp.* 2.*Log. Lect.V.*

LECTIO IV.

Affertur Sententia Scoti, & Probatur.

PRæmitto hic. Difficultatem propoſitã non procedere de Principio indiuiduationis phyſico, & realiter cõſtituente indiuiduum, quo pacto materia, & forma conſtituunt Compoſitum phyſicum, & naturale, nam hoc modo,& in hoc ſenſu,ſolùm compoſita materialia ità conſtituuntur,& componuntur:& prætereà nec materia, nec forma addi poſſunt naturæ ſpecificæ, & communi, illamque reddere indiuiduam, & ſingularẽ, iam enim natura ipſa ſpecifica ſupponitur eſſe cõpoſita ex materia, & forma:

Prætereà etiam materia,etiam forma,debet intelligi, & eſſe indiuidua, atque adeò con-

Digitized by Google

conſtituta ex natura ſpecifica, & propria ſui indiuiduatione, non ergo poſſunt materia, & forma eſſe prima radix, & primum principium dans formaliter eſſe indiuiduum; debet ergo aſſignari Principium indiuiduationis, quod ſit omninò ſimplex in ſe, & non ſit compoſitum ex natura ſpecifica, & ratione alia indiuiduali, imò potiùs ſit vltima, & prima ratio indiuiduans, ſeù dans formaliter naturæ ſpecificæ, quòd ſit hæc, ſingularis, & indiuidua.

Scotus ergo in 2. d. 3. q. 7. ponit: Principiũ indiuiduationis eſſe differentiam, ſeù conditionem indiuiduantem, quæ ab eodem Scoto, & Suis, *Hecceitas*, ſeù *Hecceitas*, appellatur, quia per illam res conſtituitur hæc, & ſingularis. *Scotum* ſequuntur non modò celebres ex eius Schola Philoſophi, ac Theologi, ſed etiam Doctiſſimus *Petrus Fonſeca 5. Met. c. 6. q. 5. ſect. 1.*

Concluſio. Principium indiuiduationis eſt Conditio, ſeù differentia indiuiduans, Heccitas, ſeù Hecceitas.

Probatur quia. Principium indiuiduationis id debet conſtitui, quod eſt cauſa formalis vnitatis, & pluralitatis numericæ, & indiuidualis, ſed differentia, & conditio indiuiduans eſt huiuſmodi, quia differentia indiuidualis aduenìens naturæ ſpecificæ, facit illam vlteriùs incommunicabilem alteri, vt indiuiduo; & ſi multiplex ſit, multiplicat, & plurificat indiuidualiter naturam ſpecificam, ergo differentia indiuidualis, ſeù conditio indiuiduans eſt cauſa vnitatis, & pluralitatis numericæ.

Minor probatur quia. Differentia ſpecifica aduenièś naturæ ſpecificæ, reddit illam incommunicabilẽ alteri, vt ſpeciei; & ſi multiplex ſit, multiplicat, & plurificat naturam ſpecificam, vt patet, quia Rationale, & irrationale conſtituunt duas ſpecies, ergo ſimiliter differentia numeralis adueniens naturę ſpecificæ, illam facit vnam numero, reddit incommunicabilem alteri, vt indiuiduo, & ſi multiplex ſit, multiplicat naturam ſpecificam, ità Pauleitas, & Petreitas; verbi gratia, conſtituunt duos numero homines, duas naturas humanas ſpecificas.

Obijcies primò: differentia numerica eſt formale principium indiuiduationis, ſed in præſenti quæritur radicale principium, non formale, ergò adhùc quæſtio remanet inſoluta, & in ſuis primis terminis; aut ſanè nihil addit, quod vltrò non admittatur ab alijs Auctoribus, qui præter conditionem, ſeù differentiam indiuiduantem, aliud quid videntur expoſcere, & deſiderare, quod ſit radicale principium indiuiduationis.

Reſpondeo. Vel nomine radicalis Principij indiuiduationis venit id, per quod natura communis, & ſpecifica ſit formaliter incommunicabilis alteri, & quo ablato eſt alijs communicabilis; vel intelligitur ſubiectum primum, vndè oritur, ſeù in quo recipitur id, quod habet formaliter reddere naturam ſpecificam incommunicabilẽ; ſi primũ, iam optimè aſſignata eſt differẽtia, ſeù conditio indiuiduans, ſi ſecundum; concedo, ſubiectum receptiuum, & primũ fundamentum differentiæ indiuidualis eſſe naturam ſpecificam, hæc eſt enim, quæ per receptionem illius differentiæ redditur incommunicabilis.

Cæterùm differentia indiuiduans rectè dicitur principium radicale indiuiduationis, quamuis ſit ratio formalis indiuidui; nam etiam Rationale rectè dicitur principium radicale intelligendi in Homine, quamuis ſit ratio formalis hominis, & gradus Intellectiui, qui eſt in homine.

Obijcies ſecundò: Per materiã primam redditur res alteri incommunicabilis; per quantitatem res ſit partibilis, & diuiſibilis in plura, & per conſequens ſit communicabilis, ergo materia affecta quantitate eſt integrum principium indiuiduationis, & numericæ plurificationis.

Reſpondeo. Aequè per materiam, ac per formam, Indiuiduum eſt alteri incommunicabile, poſtquam enim Compoſitum naturale intelligitur conſtitutum per materiam, & formam, non poteſt alteri, vt formæ communicari; Imò etiam per ſubſiſtẽtiam ſit incommunicabile alteri, vt Suppoſito, & tamen nec ſubſiſtentia, nec forma conceditur à *Thomiſtis* eſſe principium indiuiduationis, ergo incõmunicabilitas Indiuidui, debet eſſe incõmunicabilitas alteri, vt indiuiduo, quæ incõmunicabilitas à conditione, ſeù differentia indiuiduali, ſeù hecceitate formaliter, & adæquatè habetur.

Obijciès Tertiò: Per hecceitatem non habetur vltima ratio incommunicabilitatis, ergo hecceitas non eſt ratio conſtituẽs indiuiduum in eſſe indiuidui. Antecedens probatur quia; duo indiuidua eiuſdẽ ſpeciei conueniunt in ratione indiuidui, magis enim conueniunt Petrus, & Paulus, quàm Petrus, & Bucephalus, ergo iam ratio indiuidui adhùc eſt communis, & cõmunicabilis.

Reſpondeo: Rationes indiuiduantes eſſe primò diuerſas, ideòque in ratione indiuiduali non conuenire Petrum, & Paulum, nec magis inter ſe conuenire, quàm conueniant Petrus, & Bucephalus, ideò in ratio-

tio-

Digitized by Google

tione indiuidui, non eſt præciſibilis illa ratio communis, aut communicabilis.

Dices, Petrus participat rationem indiuidui vt ſic, Paulus participat rationem indiuidui vt ſic, ergo conueniunt in ratione communi Indiuidui.

Reſpondeo: in Ratione communi Indiuidui conuenire, tanquam in ratione quadam analogica, non vniuoca; At conueniẽtia in ratione analogica non tollit differẽtias indiuiduantes eſſe primò diuerſas, & reuerà, ſimpliciter loquendo, inter ſe in ratione aliqua communi non conuenire; patet manifeſta inſtantia in Quantitate, & Qualitate, quæ etſi magis conueniant inter ſe conuenientia analogica, quàm cùm Relatione, aut cùm ente Rationis; non indè tamen ſequitur, illas non eſſe primò diuerſas inter ſe, & reuerà, ſimpliciter loquendo, in nullo conuenire.

Obijcies quartò: Quidquid conuenit vni Indiuiduo, & repugnat alteri eiuſdem Speciei, ſupponit illorum diſtinctionem; hecceitas Socratis conuenit Socrati, & repugnat Platoni, ergo ſupponit diſtinctionem Socratis à Platone, ergo non eſt principium diſtinctionis Socratis à Platone.

Reſpondeo, Hecceitatem Socratis eſſe primò diuerſam ab hecceitate Platonis, & ſeipſa differre, aliàs ſi p quid ſuperadditũ differret, abiremus in infinitum; non ergo ſupponitur talis diſtinctio, ſed fit, ſeù ponitur ab ipſamet hecceitate Socratis, qui indiuidualiter eſt primò diuerſus à Platone.

LECTIO V.

Nonnulla de Modorum Quidditate, & Natura explicantur.

AGendum eſſet hic de Partibus, ſeù Speciebus Entis, & de eius Diuiſione in X. Prædicamenta, quæ quia partim in Logicis, partim in Phyſicis, prout opportunitas ipſa exegit, diſputata ſunt ſufficiẽter; remanet vt ſolam rationem, ſeù quidditatem Modi, & aliqua de Subſiſtẽtia, quæ omiſimus; vltimis hiſce Lectionibus, concludamus; Quòd igitur ad modum ſpectat,

Nomine modi Schola intelligit entitatem minimam, & adeò imperfectam, vt indigna ſit nomine rei, res enim dicitur, quia habet ratum, firmum, & perfectum eſſe; at tale quid non habet modus. Verum in quo formaliter poſitum ſit, modum eſſe minimam, & imperfectam entitatem, quæ non habeat ratum, & firmum, ac perfectũ eſſe, non eſt vna omniũ Auctorũ explicatio.

Primò Recentiores nonnulli, hanc entitatem modalem omninò negarunt, nam quicquid eſt, habet eſſentiam, & exiſtentiã; at quicquid habet eſſentiam, & exiſtentiã eſt res aliqua; fictitiè ergo excogitata eſt hæc modi entitas, ſeù modalitas.

Sed contrà eſt quia in genere ſubſtantiæ datur vna ſubſtantia perfectior alia, & Deus eſt ſubſtantia omnium perfectiſſima, quamuis omnis ſubſtantia, vt ſubſtantia dicat per ſe exiſtere; ità licèt omne, quod eſt, habeat eſſentiam, & exiſtentiam; hoc quod eſt, habere eſſentiam, & exiſtentiam, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed admittit latitudinem. Similiter in genere Accidentis, datur vnum Accidens alio perfectius, vndè fit vnum Accidens eſſe per ſe ſenſibile, aliud non; Et denique in tota latitudine entis datur vnum ens alio perfectius, perfectior eſt ſubſtantia accidente, & tamen vtrumque eſt ens.

Confirmatur quia, in re morali nõ omnia Peccata, aut bona Opera, ſunt æqualia, ſed vnum peccatum grauius eſt alio; vnum opus bonum eſt melius, perfectius, & magis meritorium, quàm aliud, ergo etiam in re phyſica vnum ens perfectius eſt alio, & poteſt dici Res, aliud verò imperfectius, & poteſt dici modus.

Secundò Alij, vt explicarent, in quo conſiſteret modalitas iſta, & imperfecta entitas, dixerunt illam eſſe entitatem modalẽ, quæ nec diuinitùs poteſt eſſe ſinè re, cuius eſt modus.

Sed contrà eſt, quia. In Diuinis Pater nõ poteſt eſſe ſinè Filio; Creaturæ non poſſunt eſſe ſinè Deo; actus vitalis non poteſt eſſe ſinè principio vitali: Potentiæ nec diuinitùs poſſunt eſſe ſinè Anima, & tamen hæ omnes entitates ſunt Res, non Modi.

Tertiò Alij. entitatem modalem poſuerunt in hoc, quòd non ſit operatiua alicuius effectus,

Sed contrà eſt quia: omne eſſe eſt propter operari, nihil .n. otioſũ patitur natura, ergo modus, quamuis minima entitas ſit, alicuius tamen effectus eſt operatiuus. Prætereà modus, ſubiectum, in quo eſt, immutat, & ſuo modo alterat, dando ſeipſum, ergo habet aliquem effectum ſaltem in genere cauſæ formalis.

Denique Plures admittunt, materiam, & Quantitatem eſſe entia minimè operatiua, nullus tamen Philoſophorum adhùc cõceſſit, eſſe modos; ergo hoc, quod eſt, nõ eſſe operatiuum, non poteſt eſſe ratio formalis conſtitutiua modi.

Quartò alij explicant: Minimam hanc entitatem, & eſſe imperfectum modi; conſiſtere

Digitized by Google

conſtituta ex natura ſpecifica, & propria ſui indiuiduatione,non ergo poſſunt materia, & forma eſſe prima radix , & primum principium dans formaliter eſſe indiuiduum;debet ergo aſſignari Principium indiuiduationis, quod ſit omninò ſimplex in ſe , & non ſit compoſitum ex natura ſpecifica, & ratione alia indiuiduali, imò potiùs ſit vltima,& prima ratio indiuiduans,ſeù dans formaliter naturæ ſpecificæ , quod ſit hæc,ſingularis, & indiuidua.

Scotus ergo in 2.d.3.q.7. ponit: Principiũ indiuiduationis eſſe differentiam, ſeù conditionem indiuiduantem, quæ ab eodem Scoto,& Suis,*Hecceitas*,ſeù *Heccitas*,appellatur, quia per illam res conſtituitur hæc , & ſingularis. *Scotum* ſequuntur non modo celebres ex eius Schola Philoſophi,ac Theologi,ſed etiam Doctiſſimus *Petrus Fonſeca 5. Met.c 6.q.5.ſect.1.*

Concluſio . Principium indiuiduationis eſt Conditio , ſeù differentia indiuiduans, Heccitas,ſeù Hecceitas.

Probatur quia, Principium indiuiduationis id debet conſtitui , quod eſt cauſa formalis vnitatis, & pluralitatis numericæ , & indiuidualis, ſed differentia, & conditio indiuiduans eſthuiuſmodi , quia differentia indiuidualis adueniens naturæ ſpecificæ, facit illam vlteriùs incommunicabilem alteri, vt indiuiduo;& ſi multiplex ſit,multiplicat, & plurificat indiuidualiter naturam ſpecificam,ergo differentia indiuidualis,ſeù conditio indiuiduans eſt cauſa vnitatis , & pluralitatis numericæ.

Minor probatur quia , Differentia ſpecifica aduenięs naturæ ſpecificæ , reddit illam incommunicabilē alteri,vt ſpeciei; & ſi multiplex ſit,multiplicat, & plurificat naturam ſpecificam,vt patet, quia Rationale, & irrationale conſtituunt duas ſpecies,ergo ſimiliter differentia numeralis adueniens naturę ſpecificæ, illam facit vnam numero , reddit incommunicabilem alteri , vt indiuiduo, & ſi multiplex ſit, multiplicat naturam ſpecificam,itá Pauleitas,& Petreitas;verbi gratia, conſtituunt duos numero homines,duas naturas humanas ſpecificas.

Obijcies primò ; differentia numerica eſt formale principium indiuiduationis , ſed in præſenti quæritur radicale principium, non formale, ergò adhùc quæſtio remanet inſoluta , & in ſuis primis terminis ; aut ſanè nihil addit , quod vltrò non admittatur ab alijs Auctoribus , qui præter conditionem, ſeù differentiam indiuiduantem, aliud quid videntur expoſcere,& deſiderare, quod ſit radicale principium indiuiduationis.

Reſpondeo . Vel nomine radicalis Principij indiuiduationis venit id , per quod natura communis, & ſpecifica fit formaliter incommunicabilis alteri, & quo ablato eſt alijs communicabilis;vel intelligitur ſubiectum primum, vndè oritur,ſeù in quo recipitur id,quod habet formaliter reddere naturam ſpecificam incommunicabilē; ſi primũ,iam optimè aſſignata eſt differētia,ſeù conditio indiuiduans,ſi ſecundum; concedo,ſubiectum receptiuum, & primũ fundamentum differentiæ indiuidualis eſſe naturam ſpecificam , hæc eſt enim, quæ per receptionem illius differentiæ redditur incommunicabilis.

Cæterùm differentia indiuiduans rectè dicitur principium radicale indiuiduationis,quamuis ſit ratio formalis indiuidui; nam etiam Rationale rectè dicitur principium radicale intelligendi in Homine, quamuis ſit ratio formalis hominis,& gradus Intellectiui,qui eſt in homine.

Obijcies ſecundò: Per materiã primam redditur res alteri incommunicabilis; per quantitatem res fit partibilis, & diuiſibilis in plura,& per conſequens fit communicabilis,ergo materia affecta quantitate eſt integrum principium indiuiduationis,& numericæ plurificationis .

Reſpondeo.Aequè per materiam,ac per formam,Indiuiduum eſt alteri incommunicabile,poſtquam enim Compoſitum naturale intelligitur conſtitutum per materiam,& formam, non poteſt alteri, vt formæ communicari;Imò etiam per ſubſiſtētiam fit incommunicabile alteri,vt Suppoſito,& tamen nec ſubſiſtentia, nec forma conceditur à *Thomiſtis* eſſe principium indiuiduationis,ergo incõmunicabilitas Indiuidui,debet eſſe incõmunicabilitas alteri, vt indiuiduo,quæ incõmunicabilitas à conditione,ſeù differentia indiuiduali,ſeù hecceitate formaliter,& adæquatè habetur.

Obijcies Tertiò: Per hecceitatem non habetur vltima ratio incommunicabilitatis,ergo hecceitas non eſt ratio conſtituēs indiuiduum in eſſe indiuidui . Antecedens probatur quia ; duo indiuidua eiuſdē ſpeciei conueniunt in ratione indiuidui, magis enim conueniunt Petrus , & Paulus, quàm Petrus,& Bucephalus , ergo iam ratio indiuidui adhùc eſt communis , & cõmunicabilis.

Reſpondeo:Rationes indiuiduantes eſſe primò diuerſas,ideòque in ratione indiuiduali non conuenire Petrum, & Paulum, nec magis inter ſe conuenire , quàm conueniant Petrus, & Bucephalus , ideò in ratio-

tio-

Digitized by Google

tione indiuidui, non eſt præciſibilis illa ratio communis, aut communicabilis.

Dices, Petrus participat rationem indiuidui vt ſic, Paulus participat rationem indiuidui vt ſic, ergo conueniunt in ratione communi Indiuidui.

Reſpondeo: in Ratione communi Indiuidui conuenire, tanquam in ratione quadam analogica, non vniuoca: At conueniētia in ratione analogica non tollit differētias indiuiduantes eſſe primò diuerſas, & reuerà, ſimpliciter loquendo, inter ſe in ratione aliqua communi non conuenire; patet manifeſta inſtantia in Quantitate, & Qualitate, quæ etſi magis conueniant inter ſe conuenientia analogica, quàm cùm Relatione, aut cùm ente Rationis; non indè tamen ſequitur, illas non eſſe primò diuerſas inter ſe, & reuerà, ſimpliciter loquendo, in nullo conuenire.

Obijcies quartò: Quidquid conuenit vni Indiuiduo, & repugnat alteri eiuſdem ſpeciei, ſupponit illorum diſtinctionem; hecceitas Socratis conuenit Socrati, & repugnat Platoni, ergo ſupponit diſtinctionem Socratis à Platone, ergo non eſt principium diſtinctionis Socratis à Platone.

Reſpondeo, Hecceitatem Socratis eſſe primò diuerſam ab hecceitate Platonis, & ſeipſa differre, aliàs ſi p quid ſuperadditū differret, abiremus in infinitum; non ergo ſupponitur talis diſtinctio, ſed fit, ſeù ponitur ab ipſamet hecceitate Socratis, qui indiuidualiter eſt primò diuerſus à Platone.

LECTIO V.

Nonnulla de Modorum Quidditate, & Natura explicantur.

AGendum eſſet hic de Partibus, ſeù Speciebus Entis, & de eius Diuiſione in X. Prædicamenta, quæ quia partim in Logicis, partim in Phyſicis, prout opportunitas ipſa exegit, diſputata ſunt ſufficiēter; remanet vt ſolam rationem, ſeù quidditatem Modi, & aliquā de Subſiſtētia, quæ omiſimus, vltimis hiſce Lectionibus, concludamus; Quòd igitur ad modum ſpectat,

Nomine modi Schola intelligit entitatem minimam, & adeò imperfectam, vt indigna ſit nomine rei, res enim dicitur, quia habet ratum, firmum, & perfectum eſſe; at tale quid non habet modus, Verum in quo formaliter poſitum ſit, modum eſſe minimam, & imperfectam entitatem, quæ non habeat ratum, & firmum, ac perfectū eſſe, non eſt vna omniū Auctorū explicatio.

Primò Recentiores nonnulli, hanc entitatem modalem omninò negarunt, nam quicquid eſt, habet eſſentiam, & exiſtentiā; at quicquid habet eſſentiam, & exiſtentiā eſt res aliqua; fictitiè ergo excogitata eſt hæc modi entitas, ſeù modalitas.

Sed contrà eſt quia, in genere ſubſtantiæ datur vna ſubſtantia perfectior alia, & Deus eſt ſubſtantia omnium perfectiſſima, quamuis omnis ſubſtantia, vt ſubſtantia dicat per ſe exiſtere; ità licèt omne, quod eſt, habeat eſſentiam, & exiſtentiam; hoc quod eſt, habere eſſentiam, & exiſtentiam, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed admittit latitudinem. Similiter in genere Accidentis, datur vnum Accidens alio perfectius, vndè fit vnum Accidens eſſe per ſe ſenſibile, aliud non; Et denique in tota latitudine entis datur vnum ens alio perfectius, perfectior eſt ſubſtantia accidente, & tamen vtrumque eſt ens.

Confirmatur quia, in re morali nō omnia Peccata, aut bona Opera, ſunt æqualia, ſed vnum peccatum grauius eſt alio; vnum opus bonum eſt melius, perfectius, & magis meritorium, quàm aliud, ergo etiam in re phyſica vnum ens perfectius eſt alio, & poteſt dici Res, aliud verò imperfectius, & poteſt dici modus.

Secundò Alij, vt explicarent, in quo conſiſteret modalitas iſta, & imperfecta entitas, dixerunt, illam eſſe entitatem modalē, quæ nec diuinitùs poteſt eſſe ſinè re, cuius eſt modus.

Sed contrà eſt, quia, In Diuinis Pater nō poteſt eſſe ſinè Filio; Creaturæ non poſſunt eſſe ſinè Deo; actus vitalis non poteſt eſſe ſinè principio vitali; Potentiæ nec diuinitùs poſſunt eſſe ſinè Anima, & tamen hæ omnes entitates ſunt Res, non Modi.

Tertiò Alij entitatem modalem poſuerunt in hoc, quòd non ſit operatiua alicuius effectus.

Sed contrà eſt quia: omne eſſe eſt propter operari, nihil .n. otioſū patitur natura, ergo modus, quamuis minima entitas ſit, alicuius tamen effectus eſt operatiuus. Prætereà modus, ſubiectum, in quo eſt, immutat, & ſuo modo alterat, dando ſeipſum, ergo habet aliquem effectum ſaltem in genere cauſæ formalis.

Denique Plures admittunt, materiam, & Quantitatem eſſe entia minimè operatiua, nullus tamen Philoſophorum adhùc cōceſſit, eſſe modos; ergo hoc, quod eſt, nō eſſe operatiuum, non poteſt eſſe ratio formalis conſtitutiua modi.

Quartò alij explicant: Minimam hanc entitatem, & eſſe imperfectum modi; conſiſtere

Digitized by Google

ſiſtere in hoc, quod actualiter informet ſubiectum, ità, ſcilicèt, vt informare ſit eſſentia generica modi, quia eſt commune modis,& reliquis Formis, ſiuè accidentalibus, ſiuè ſubſtantialibus, actu verò informare,ſeù actualitas informationis ſit eiuſdem modi differentia eſſentialis.

*H*inc redditur ratio, cur modus nec diuinitus, & ſupernaturaliter poſſit ſeparari à ſubiecto illo, cuius eſt modus, quia eius eſſentia eſt actualis informatio in ſubiecto.

*H*inc etiam redditur ratio,cur Modus ſit eſſentialiter affixus vni tantum ſubiecto, & non ſit indifferens ad hoc, vel illud, informatio enim actualis, quia actualis eſſentialiter,eſt eſſentialiter ad vnum determinata; cum quo tamen ſtat,vt modus, quamuis eſſentialiter affixus vni ſubiecto, poſſit diuinitus eſſe vnitus alteri accidentaliter.

*H*inc etiam oritur, quòd modus ſeipſo, & non per alium modum vniatur ſubiecto, quia modus eſt eſſentialiter actualis informatio, quæ idem eſt,ac vnio.

*H*inc denique habetur ratio, cur aliqua, quamuis diuinitus inſeparabilia ab alijs, tamen non ſint modi,quia non ſunt actuales informationes, nec dependent à ſubiecto,quod actuent, & informent; eorum enim inſeparabilitas oritur ex neceſſaria connexione, quam habent adinuicem, vel in genere cauſæ efficientis, ſic dependent creaturæ à Deo, actus vitalis à principio vitali,potentiæ ab Anima;vel quia relationem perfectiſſimam habent adinuicem, & naturæ identitatẽ,vti ſunt Perſonę Diuinę.

Ità diſcurrit ſatis eruditè *Arriaga Diſp.* 1.*Met Sect.*1.*n.*3.4.5.6.

Sed primò contrà eſt quia: poſſe modũ ſimul informare duplex ſubiectum,non cohæret cum minima, & imperfectiſſima entitate,quam habet;nam Accidens reale nõ poteſt ſimul informare duplex ſubiectum; imò nec ipſa forma ſubſtantialis id habet, vt poſſit duplex ſubiectum informare,etiã de abſoluta potentia in Sententia *Thomiſtarum*; Quomodo ergo modus poterit ſimul duo ſubiecta informare, & eſſe vni affixus eſſentialiter, alteri accidentaliter; nã id,quod eſt affixum eſſentialiter vni,non poteſt neque accidentaliter ineſſe alteri, ſicuti enim,quia *H*omo eſt eſſentialiter rationalis, non poteſt accidentaliter eſſe irrationalis; ità quia modus eſt eſſentialiter affixus vni ſubiecto, non poteſt accidentaliter eſſe affixus alteri, nam eſſe eſſentialiter affixum,& eſſe accidentaliter affixum, videntur æquè opponi, ac opponuntur rationale,& irrationale.

Contrà ſecundò quia. Præter modum extrinſecum, dari etiam modos intrinſecos, docent ex Thomiſtis *Viguerius Bargius* 1.*p.q.*11.*art.* 2.*c.* 2. *&* 3.ex Scotiſtis, *Mayron.q.*16.*Prologi, & in* 1.*d.*2.*art.*2. *& d.*8. Ex Recentioribus *Fonſeca* 5. *Met.c* 6.*q.*6. *Suarez diſp.*2. *Met. ſect.*6.*n.*7. *& diſp.*7. *ſect.*1.*n.*18. *Barthol.Amicus tract.de diſt.q.*7.*dub.*3.*ar.*1.

Atqui modus intrinſecus non habet informare id,cuius eſt modus, ergo ratio modi aſſignata, quia non competit omni modo,non eſt ſufficienter aſſignata. quòd autẽ modus intrinſecus non habeat informare, patet, quia,nomine modi intrinſeci venit id, quod eſt de eſſentia rei; vel id, quod adueniens formæ, ſeù quidditati,non variat eius formalitatem, vt intenſio maior, vel minor adueniens quidditati albedinis, illam non variat,aut immutat,at intenſio maior,& minor non informat albedinem, vt patet, ergo actu informare non eſt ratio,quæ competat omni modo.

Dico igitur;Rationem modi communem ad omnem modum ſiuè intrinſecum, ſiuè extrinſecum eſſe, quòd ſit, entitas imperfecta, & minima; quid ſit autem,modum eſſe entitatem imperfectam, & minimam,non eſt eodem modo explicabile in modo extrinſeco,& intrinſeco,quia ratio modi vt ſic eſt analogica,& imperfectè vna, ideò non poteſt per vnam rationem formalem ſufficienter intelligi,& explicari.

Et quidẽ in modo extrinſeco eſſe entitatẽ minimã,& imperfectã,benè explicat *Arriaga* vbi ſupra, conſiſtere in actuali illa informatione,per quam ſit,vt neq;de abſoluta potẽtia poſſit eſſe modus ſinè re, cuius eſt modus.In modo verò intrinſeco,modum eſſe entitatem minimam,& imperfectam adhùc in gradu inferiori,conſiſtit in hoc, quòd neque conceptibilis ſit modus intrinſecus ſinè eo,cuius eſt modus,ità intenſio, & remiſſio qualitatis ſunt modi intrinſeci eiuſdẽ, quia non poſſunt intelligi, & concipi intenſio, & remiſſio ſinè qualitate. Ità *Antonius Trombetta tract.de formal.d.*8.*q.*3.*ad* 3.*principale, Smiſingus tom.* 1.*tract.*2.*d.*1.*q.*1. Cæterum ideò dicitur modus intrinſecus, quia intrinſecè exigitur ab eo, cuius eſt modus, ità intenſio, & remiſſio intrinſecè exiguntur à qualitate. Hæc dixi in gratiam eorum,qui modos huiuſmodi intrinſecos admittunt, ſuprà enim oſtendi tales modos non eſſe concedendos, quia ſi benè explicentur, idem eſt dicere modos intrinſecos, ac prædicata eſſentialia.

LE-

Digitized by Google

LECTIO VI.

Quid ſit Subſiſtentia, declaratur.

QVemadmodum Proprium, imò eſſentiale Accidĕtis eſt,alteri inhærere, ſeù ineſſe, ideòque Inaleitas aptitudinalis eſt eſſentialis Accidenti, ità Subſiſtentia,ſeù perſeitas,ſeù inſeitas,qua ſubſtātia ſubſiſtit per ſe,& in ſe,propria, imò eſsētialis eſt ſubſtāriæ,vt explicauimus iam *Diſ. 3.Log. Lect.*1. vbi nomine ſubſiſteutiæ venit independentia ab alio, vt à ſubiecto, & ſuſtentaculo; at hic non ſumitur ſubſiſtentia in hoc ſenſu, ſed prout eſt vltimus terminus naturæ ſubſtantialis,reddens illam alteri incommunicabilem, vt termino vlteriori; ſic accepta Subſiſtentia ſolet etiā appellari Suppoſitum; & Perſona à Latinis:à Græcis verò dicitur Hypoſtaſis: hi termini Synonimi ſunt;excipe terminum,*Perſona*,hic enim terminus attribuitur ſolum naturæ intellectuali,Deo,Angelis,Hominibus.

Antiqui Philoſophi non diſtinguebant ſubſiſtentiam, ſeù Perſonam à natura ſubſtantiali; Solo enim Lumine Fidei Diuinæ innotuit, ſubſiſtentiam eſſe quid diſtinctum à natura ſubſtantiali;docet enim Fides,Verbum Diuinum aſſumpſiſſe naturam humanam non aſſumpta ſubſiſtentia,ſeù Perſona; ex quo neceſſariò infertur,ſubſiſtentiam,ſeù Perſonam eſſe quid diſtinctū à natura, aliàs non verificaretur, aſſumptam eſſe à Verbo Diuino naturam humanam non aſſumpta Perſona, quæ enim idem ſunt, non poſſunt ità ſe habere, vt vnum aſſumatur alio non aſſumpto,aut alio relicto.

Hinc communiter Catholici omnes Philoſophi, ac Theologi reprehendunt,& impugnant Sententiam *Durandi in* 1.*d* 34.*q*.1 *n*. 15.vbi docet,ſubſiſtentiam,& naturam idem eſſe realiter, & ſolum diſtingui penès diuerſum modum ſignificandi, abſtracti,& cōcreti, natura enim ſubſtantialis in Sententia *Durandi* in abſtracto eſt ſubſiſtentia,in cōcreto eſt natura ſubſtantialis; ſi enim ità res ſe haberet, vt *Durandus* docet; haud poſſet verificari Doctrina Fidei, aſſumptam eſſe à Verbo Diuino naturam humanam non aſſumpta ſubſiſtentia, ſeù Perſonalitate.

Solet hic adduci Sententia Aſſerentium; ſubſiſtentiam conſiſtere in negatione quadā dependentiæ ab alio, vt à termino: in qua Sententia ſunt duo modi dicendi;primus eſt eorum, qui ponunt ſubſiſtentiam conſiſtere in negatione actualis dependentiæ ab alio, vt à termino, iuxtà quem modum, quando natura actu non dependet ab alio,vt termino,tunc eſt ſubſiſtens, quia tunc intelligitur vltimò terminata, actuata, vltimò perfecta, & completa.

Alter dicendi modus eſt eorum, qui ponunt ſubſiſtentiam conſiſtere in negatione duplicis dependentiæ,ſeù in duplici negatione dependentiæ tùm actualis, tùm aptitudinalis, ſecundum quem modum dicendi,tunc natura eſt ſubſiſtens, ſeù perſonata, quando nec actu dependet, nec eſt apta dependere.

Hic ſecundus dicĕdi modus à quamplurimis Recentioribus, & à Scotiſtis ipſis ſolet attribui *Scoto in* 3.*d*.1,*q*.1.§.*nō aſſerendo*.

Sed ſanè immeritò attribuitur *Scoto*, qui ſemper conſtantiſſimus fuit in aſſerĕdis entitatibus poſitiuis, nec vnquā auaritia multiplicandi entitates,peccauit; nam vel ipſam vnitatem, quam omnes communiter in negatione ponunt, & quam ne concipere quidem perfectè poſſumus ſinè negatione, in poſitiuo conſiſtere,aſſeruit;

Præterea *Scotus* loc. cit. relatis duabus Sententijs; quarum prima ponebat,ſubſiſtĕtiam conſiſtere ſolùm in aliquo poſitiuo, altera ſolùm in negatione actualis dependentiæ ab alio,vtramque impugnat, & proponit Sententiam mediam inter illas. audi verba. *nō aſſerendo poteſt mediari inter iſtas vias.* Sed Sententia media debet participare de extremis,ergo Sententia *Scoti* ponit,ſubſiſtentiam conſiſtere partim in entitate poſitiua,partim in negatione aliqua.

Et quidem apertè demonſtrat *Scotus*,nō ſufficere ad conſtituendam ſubſiſtentiam ſolā negatione actualis depĕdĕtiæ,ſed requiri præterea negationem aptitudinalis dependentiæ,ità vt illa natura,quæ nec actu depĕdet, nec eſt apta dependere,ſit per ſe ſubſiſtens,& perſonata,ſicuti enim ad hoc, vt ſubſtantia ſit per ſe ſubſiſtens, hoc eſt independens ab alio,vt à ſubiecto,non ſufficit,quòd actu non dependeat,ſed præterea requiritur, vt non ſit apta dependere,ad differentiam accidentis, quod licèt aliquando actu non dependeat, aptum tamen eſt dependere ab alio,vt à ſubiecto,atque adeò ſicuti ſubſtantiā eſſe per ſe ſubſiſtentem, & independentē ab alio,vt à ſubiecto,importat duplicem negationem, ità etiam per ſe ſubſiſtere, & eſſe quid independens ab alio, vt à termino,dicit duplicem negationem, nimirum negationem dependentiæ actualis, & negationē dependentiæ aptitudinalis.

Et ſanè à nullo videtur poſſe negari, quòd ſubſiſtentia, & perſonalitas importet aliquam negationem: quid enim eſt,naturā ſubſtantialem eſſe perſonatam; niſi eſſe incom-

Digitized by Google

communnicabilem alteri, vt termino, at eſſe incommunicabilem alteri, importat formaliter non communicari, non poſſe communicari, ergo incommunicabilitas importat duplicem illam negationem, nec poteſt intelligi, aut explicari, niſi per illam duplicem negationem.

Ex hoc tamen non ſequitur, quòd ſubſiſtentia, & Perſonalitas conſiſtat in duplici illa negatione adæquatè, & cōpletè; id enim impoſſibile eſt, nam ægrè poſſet ſaluari cōmunis Fidei Doctrina, quòd Verbum Diuinum aſſumpſerit humanam naturam non aſſumpta perſonalitate, ſiquidem de negatione, ſicuti non poteſt verificari, quòd aſſumatur, ità non poteſt negari, quòd non ſit aſſumpta, quia non entis non ſunt paſſiones.

Et quidem *Scotus* impugnat Sententiam aſſerentem, ſubſiſtentiam conſiſtere in ente poſitiuo, quia videbatur ponere ſubſiſtentiā adæquatè in ſolo ente poſitiuo; *H*inc Doctiſſimus inter Scotiſtas R*ada 3.p.Controu. 1.art.*1. vtramque Opinionem, tàm eam, quæ ſubſiſtentiam ponit in ente poſitiuo, quàm alteram, quæ ſubſiſtentiam ponit in duplici negatione, *Scoto* tribuit, & vtrāq; defendit.

Communis ergò Sententia ponit, ſubſiſtentiam conſiſtere in entitate poſitiua realiter diſtincta à natura, per quam fit, vt natura ſubſtantialis ſit incommunicabilis alteri, vt vlteriori termino, ſeù indepēdens actu, & aptitudine ab alio, tanquam termino.

Ità Recentiores omnes, & Antiquiores Philoſophi, ac Theologi, quorum longam ſeriem lege apud *Onied. hic Controu.4.puncto* 2.S.2.*n.*16.

Probatur vnico illo, & communi Argumento quia; à Verbo Diuino aſſumpta fuit natura humana non aſſumpta Perſonalitate, ergo aliqua realis diſtinctio eſt inter naturam, & ſubſiſtentiam; tenet conſequentia quia, ſeparari, vel poſſe ſeparari vnū ab alio, ſignum eſt infallibile realis diſtinctionis.

Verum quia ex alia parte non poteſt eſſe ſubſiſtentia ſinè natura ſubſtantiali, optimè infertur, inter naturam ſubſtantialē, & ſubſiſtentiam non intercedere diſtinctionem realem rei à re, ſed realem modi à re, vel formalitatis à re.

Quæres. poteſt nè vna natura duplici ſubſiſtentia, & perſonalitate terminari; aut etiam vna Subſiſtentia terminare duas naturas, ſaltem de abſoluta Dei Potentia?

Reſpondeo affirmatiuè ad vtrumque Quæſitum, nam ſicuti ex alibi *dictis*, vnum corpus poteſt de abſoluta potentia replicari in duobus locis; idē effectus poteſt produci à duabus cauſis totalibus ſimul applicatis, & ſimul concurrentibus; eadem numero Materia poteſt informari duabus formis totalibus, ità vna natura poteſt terminari, vltimò compleri, & perfici duabus ſubſiſtentijs: Et ſicuti vna forma poteſt informare duas numero materias, vnus Locus poteſt recipere duo corpora, ità poteſt vna Subſiſtentia terminare, vltimò perficere, & vltimò cōplere duas naturas ſubſtantiales.

Plura de Subſiſtentia proſequi, Theologorum eſt, non eius, qui initio huius Operis profeſſus eſt, res merè Philoſophicas, & naturales Lectionibus hiſce complecti, & explanare.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM, ET LECTIONVM.

LECTIONES LOGICÆ.

Prima Pars Introductionis.

Lectio I. T*erminus, & varia eius Diuiſio* 3
II. *Terminus Vocalis, & varia eius Diuiſio.* 4
III. *Vniuerſalia, & Prædicabilia.* 6
IV. *Prædicamenta.* 7
V. *Proprietates Terminorum.* 8

Secunda Pars Introductionis.

Lectio I. D*Efinitio, & Diuiſio Propoſitionis.* 9
II. *Oppoſitio Propoſitionum.* 10
III. *Æquipollentia Propoſitionum.* 12
IV. *Conuerſio Propoſitionum.* 12
V. *Propoſitiones Modales.* 13
VI. *Propoſitiones Hypotheticæ.* 14
VII. *Definitio, & Diuiſio.* 14

Tertia Pars Introductionis.

Lectio I. A*Rgumentatio Definitur, & Diuiditur.* 16
II. *Syllogiſmi Materia, & Forma.* 17
III. *Principia, in quibus fundatur vis Syllogiſtica.* 18
IV. *Modi Figurarum.* 19
V. *Inuentio medij Termini.* 20
VI. *Regulæ Generales, & Particulares Figurarum.* 20
VII. *De Reductione Enthymematis, Inductionis, & Exempli ad Syllogiſmum.* 21
VIII. *De varia Syllogiſmorum Diuiſione.* 22
IX. *De Syllogiſmo Sophiſtico, ſeu Fallacijs.* 23
X. *Regulæ Diſputantium.* 24

DISPVTATIO I.

De Natura Logicæ.

Lectio I. A*N Logica ſit Scientia.* 25
II. *An Logica ſit Ars.* 28
III. *An Logica ſit Virtus.* 30
IV. *An Logica ſit neceſſaria ad acquirendas alias Scientias.* 31
V. *Expediuntur aliæ Quæſtiones* 33
VI. *Afferuntur Definitio, & Diuiſio Entis rationis.* 34
VII. *An verè detur Ens rationis.* 36
VIII. *An Intellectus Diuinus faciat Ens rationis.* 39
IX. *Reſoluuntur Aliæ Quæſtiones.* 41
X. *Præmittitur Generalis Doctrina de Obiecto.* 43
XI. *An Res omnes ſint obiectum materiale Logicæ.* 44
XII. *An voces ſint obiectum materiale proximum Logicæ.* 45
XIII. *An Homo, vel Intellectus ſint obiectum materiale proximum Logicæ.* 46
XIV. *An Ens rationis ſit obiectum materiale Logicæ.* 47
XV. *Statuitur obiectum Materiale, & Formale Logicæ.* 49

Digitized by Google

XVI. *An omnes Operationes ſint per ſe Obiectum Logica.* 50

DISPVTATIO II.

De Vniuerſalibus, & Prædicabilibus.

Lectio I. *DE Vniuerſalibus, & Prædicabilibus.* 53
II. *An detur Natura Vniuerſalis* 55
III. *An Natura Vniuerſalis ſit à parte rei ſeparata à ſingularibus* 56
IV. *An Natura ſit Vniuerſalis à parte rei, vel per operationem intellectus.* 58
V. *Præmittitur Doctrina Generalis de Abſtractione, Vnitate, & Aptitudine naturæ ad eſſendum in multis.* 59
VI. *An detur à parte rei Vnitas minor Vnitate numerali.* 61
VII. *Diſſoluuntur Argumenta in oppoſitum.* 63
VIII. *Qualiter Natura Vniuerſalis per operationem Intellectus fiat propriè vna.* 65
IX. *Numerus Prædicabilium aſſignatur.* 67
X. *Affertur Definitio Generis.* 68
XI. *Quid definiatur in Definitione Generis.* 69
XII. *Affertur Definitio ſpeciei, & explicatur.* 71
XIII. *An Species poſſit cõſeruari in vnico Indiuiduo* 72
XIV. *De Differentia Tertio Prædicabili.* 74
XV. *De Proprio Quarto Prædicabili.* 76
XVI. *De Accidenti Communi, ſeù Quinto Prædicabili.* 76

DISPVTATIO III.

De Categorijs, ſeù Prædicamentis.

Lectio I. *ASſignatur Prædicatum formale ſubſtantiæ.* 73
II. *Affertur Diuiſio ſubſtantiæ.* 80
III. *An Deus ponatur in Prædicamento ſubſtantiæ.* 81
IV. *Affertur Definitio Relationis.* 83
V. *Affertur Diuiſio Relationis in Prædicamentalem, & Tranſcendentalem.* 85
VI. *Præmittitur Generalis Doctrina de vario Diſtinctionum Genere.* 86
VII. *Sententia Connotantium Reijcitur.* 87
VIII. *Refutatur Sententia ponens Relationem conſiſtere in coexiſtentia duorum Abſolutorum.* 89
IX. *Ponitur Relatio tanquam modus diſtinctus.* 90
X. *An Vna Relatio fundet aliam.* 92
XI. *An Relatio terminet ad Relationem.* 94
XII. *An multiplicentur Relationes ad numericam multiplicationẽ Terminorum.* 96

DISPVTATIO IV.

In Libros Perihermenias.

Lectio I. *AN Voces ſignificent naturaliter.* 97
II. *An voces ſignificent Conceptus immediatè.* 98
III. *De obiecto Propoſitionis Affirmatiuæ, vel Negatiuæ.* 99
IV. *An veritas ſit Prædicatum eſſentiale Propoſitionis.* 101
V. *An eadem numero Propoſitio poſſit mutari de vera in falſam ad mutationem obiecti.* 104

DISPVTATIO V.

In Libros Priorum, & Poſteriorum.

Lectio I. *QVomodo præmiſſæ concurrant ad concluſionem.* 107
II. *An Aſſenſus præmiſſarum neceſſitet Intellectum ad aſſenſum concluſionis.* 109
III. *De Præcognitionibus, & Præcognitis.* 111

IV.

IV. Quomodo præmiſſæ debeant eſſe veræ. 112
V. Quomodo præmiſſæ debeant eſſe certiores, & euidentiores. 114
VI. Explicantur aliæ Conditiones Demonſtrationis. 116
VII. Definitio Scientiæ, eiuſque Diuiſio afferuntur. 117
VIII. An Scientia ſit vna ſimplex qualitas. 119
IX. An Scientia, & Opinio poſſint eſſe ſimul de eodem obiecto. 121

LECTIONES PHYSICAE.

DISPVTATIO I.

De Principijs Rerum Naturalium.

Lectio I. Definitio Principiorum aſſignatur. 127
II. Statuitur numerus Principiorum. 128
III. Definitur Materia Prima. 130
IV. An Potentia paſſiua materiæ ſit eſſentialis. 131
V. An Materia prima propriam habeat Exiſtentiam. 134
VI. Dependentia materiæ Primæ à Forma. 136
VII. Aliæ Quæſtiones de materia prima Reſoluuntur. 139
VIII. De priuatione, & quomodo ſit principium. 141
IX. Definitur Forma ſubſtantialis. 142
X. An Forma ſit tota eſſentia Compoſiti. 143
XI. Formarum productio, & origo. 145
XII. An præter partes ponenda ſit vnio. 146
XIII. Aliæ Quæſtiones de vnione reſoluuntur. 148
XIV. An Totum diſtinguatur à partibus vnitis, et ſimul ſumptis. 149

DISPVTATIO II.

De Natura, & Cauſis.

Lectio I. Natura, & Ars Definiuntur. 153
II. An Ars efficere poſſit opera naturæ. 154
III. Definitur cauſa in Communi. 155
IV. An cauſæ definitio conueniat cauſæ remotæ. 157
V. An Cauſa dicat relationem ad effectum. 159
VI. Conditiones ad cauſandum requiſitæ. 160
VII. Cauſa Materialis, & Formalis definiuntur. 162
VIII. Cauſalitas, & Effectus vtriuſque cauſæ aſſignantur. 163
IX. Definitio, & Diuiſio Cauſæ Finalis. 164
X. Ratio formalis cauſandi in fine aſſignatur. 166
XI. Cauſalitas Finis declaratur. 168
XII. Cauſa exemplaris, ſeù Idealis explicatur. 169
XIII. Definitur cauſa efficiens, & varia eius diuiſio. 171
XIV. Cauſalitas Cauſæ efficientis. 173
XV. A quo determinetur cauſa ad Effectum in Indiuiduo producendum. 173
XVI. An Effectus productus ab vna cauſa, potuiſſet produci ab alia eiuſdem Virtutis. 177
XVII. An idem numero effectus poſſit eſſe ſimul à duabus Cauſis totalibus eiuſdem Generis. 178
XVIII. An ſit poſſibilis Reproductio effectus. 181
XIX. An Cauſæ poſſint eſſe ſibi inuicem Cauſæ. 183
XX. De Caſu, Fortuna, Fato, & Monſtris. 185

DISPVTATIO III.

De Quantitate, & Infinito.

Lectio I. Ratio formalis Quantitatis aſſignatur. 188
II. Soluuntur Argumenta in Oppoſitum. 190
III. An Partes in Quantitate ſint actu Diſtinctæ. 192
IV. Sententia Zenonis de Compoſitione Continui Reiicitur. 194
V. Sententia Zenonis Argumentis Ma-

Digitized by Google

Mathematicis, & Theologicis Reijcitur. 196
VI. *Duæ Aliæ Sententiæ Reijciuntur.* 197
VII. *Argumenta in Contrarium ſoluuntur.* 199
VIII. *Sententia Ariſtotelis Declaratur.* 202
IX. *Argumenta contrà Ariſtotelem ſoluuntur.* 203
X. *Eſſentia Infiniti Definitione, & Diuiſione inueſtigatur.* 205
XI. *An Infinitum repugnet.* 207
XII. *Soluuntur Argumenta in Oppoſitum.* 210
XIII. *Infinitum in Eſſentia Creata.* 211

DISPVTATIO IV.

De Loco Vacuo, & Tempore.

Lectio I. *Faciliora quædam de Loco expediuntur.* 214
II. *An vbi ſit quid diſtinctum à Locato.* 215
III. *Aduerſus Vbi argumenta diſſoluũtur.* 218
IV. *Aliæ Quæſtiones de Vbi Reſoluuntur.* 220
V. *Penetratio Corporum.* 222
VI. *Explicatur Modus,quo ſit Penetratio ſupernaturaliter.* 224
VII. *Replicatio corporis in duobus, aut pluribus Locis.* 228
VIII. *Quæ Accidentia Corpori Bilocato naturaliter deberent competere.* 230
IX. *Accidentia, quæ poſſunt competere corpori replicato.* 232
X. *An ſit Poſſibile Vacuum.* 234
XI. *An detur Spatium Imaginarium.* 236
XII. *Temporis natura Definitione, & Diuiſione veſtigatur.* 238
XIII. *An Duratio diſtinguatur à Re durãte.* 239
XIV. *Soluuntur Argumenta in Oppoſitum.* 242
XV. *Quomodo res incipiant, & deſinant.* 244

DISPVTATIO V.

De Motu.

Lectio I. *Motus definitur, & diuiditur.* 246
II. *Vnitas Specifica Motus.* 247
III. *Vnitas Numerica Motus.* 250
IV. *Velocitas,& Tarditas Motus.* 251
V. *An verum ſit,Omne,quod mouetur, ab alio mouetur.* 255
VI. *Aliæ Quæſtiones de Motu reſoluũtur.* 258

DISPVTATIO VI.

De Mundo,& Cœlo.

Lectio I. *An Ratione naturali demonſtretur,Mundum cœpiſſe in Tempore.* 261
II. *An Mundus potuerit eſſe ab æterno.* 263
III. *Cœli Natura,& Eſſentia.* 265
IV. *An Cœlum conſtet ex materia eiuſdem rationis cum materia ſublunari.* 267

DISPVTATIO VII.

De Proprietatibus, ſeù Accidentibus Cœli.

Lectio I. *An Cœlum moueatur,& quo motu.* 270
II. *Argumenta Contraria ſoluuntur.* 272
III. *Motor Cœli,& Rotator.* 274
IV. An *Cœli ſint ſolidi, vel liquidi.* 276
V. Argumenta *in oppoſitum ſoluuntur.* 280
VI. *Quæſtiones Aliæ Reſolutæ.* 281

DI-

DISPVTATIO VIII.

De Elementis.

Lectio I. Elementorum Eſſentia, & Natura. 283
II. Elementorum Qualitates Actiuæ. 285
III. Qualitatum Actiuarum Deſcriptio. 287
IV. Qualitates Motiuæ Elementorum. 288
V. Numerus Elementorum; & Situs. 289
VI. Tranſmutatio Elementorum. 291
VII. Elementorum Congreſſus, & Mixtio. 293

DISPVTATIO IX.

De Corpore Generabili, & Corruptibili.

Lectio I. Terminus formalis Generationis. 296
II. An detur Reſolutio vſquè ad materiam primam. 297
III. Soluuntur Argumenta Thomiſtarum. 300
IV. An detur forma Corporeitatis. 301
V. An in eadem Materia poſſint eſſe duæ totales formæ ſubſtantiales. 304

DISPVTATIO X.

De Augmentatione.

Lectio I. Termini magnitudinis, & paruitatis. 307
II. In quo conſiſtant formaliter Raritas, & Denſitas. 308
III. Argumenta in contrarium ſoluuntur. 311

DISPVTATIO XI.

De Alteratione.

Lectio I. In quo conſiſtat intenſio Qualitatis explicatur. 314
II. Affertur Sententia Scoti, & probatur. 317

DISPVTATIO XII.

De Actione, & Reactione.

Lectio I. An Subſtantia ſit immediatè actiua. 320
II. An idem poſſit agere in ſeipſum actione æquiuoca. 323
III. An idem poſſit agere in ſeipſum actione vniuoca. 325
IV. An Qualitas per Antiperiſtaſim intendatur. 326
V. An ſimile poſſit agere in ſubiectum ſibi ſimile in qualitate, & gradu. 328
VI. An agens naturale operari, & agere poſſit in diſtans. 330
VII. An detur Reactio. 333
VIII. An qualitates contrariæ poſſint eſſe ſimul. 335

DISPVTATIO XIII.

De Anima in Communi.

Lectio I. Quid ſit Vita, vt ſic, & in Communi. 340
II. An Anima ſenſitiua indiuiſibilis ſit. 343
III. An Sanguis ſit animatus. 34[illegible]
V. An Potentiæ ab Anima, & inter ſe realitèr diſtinguantur. 347
V. A quo potentiæ, & actus ſpecificentur. 351

DISPVTATIO XIV.

De Anima Vegetatiua

Lectio I. An Mater ad Generationem concurrat actiuè. 354
II. De potentia nutritiua, & eius actu. 356
III. De potentia Augmentatiua, & eius actu. 357

DSPVTATIO XV.

De Anima Senſitiua.

Lectio I. De obiecto ſenſibili. 360
II. Aliæ Quæſtiones reſoluuntur. 362

III. *An dentur Species.* 363
IV. *Aliæ Rationes pro Speciebus refutantur.* 366
V. *Quæſtio de Speciebus reſoluitur.* 367
VI. *Potentia Viſiua, eius obiectum, & organum.* 368
VII. *Potentia Auditiua, eius obiectum, & organum.* 370
VIII. *Aliæ Potentiæ ſenſitiuæ externæ.* 371

DISPVTATIO XVI.

De Anima Rationali.

Lectio I. *Immortalitas Animæ probatur Fide, Ratione naturali, et morali.* 373
II. *Argumenta in contrarium ſoluuntur.* 375
III. *Probatur Animæ Rationalis immortalitas Auctoritate Ariſtotelis.* 376
IV. *Quid ſenſerit Galenus de Animæ immortalitate.* 378
V. *Faciliora quædam de potentijs Animæ Rationalis expediuntur.* 379
VI. *Quid ſit Intellectio, & de Verbo mentis.* 380
VII. *An in potentijs Animæ Rationalis dentur habitus.* 382
VIII. *Habituum productio, & Deſtructio.* 384
IX. *An Anima ſeparata diſtinguatur ab Angelo.* 385

LECTIONES METAPHYSICAE.

DISPVTATIO I.

De Natura, & Formalitate Entis.

Lectio I. *An ratio Entis ſit Analoga reſpectu ſuorum inferiorum.* 390
II. *Quid ſit eſſentia ſecundùm eſſe poſſibile, variæ Sententiæ referuntur.* 393
III. *Probatur Sententia Scoti, & Argumenta in contrarium ſoluuntur.* 395
IV. *Diſtinctio eſſentiæ ab Exiſtentia.* 397
V. *Varia diſtinctionum Genera.* 400
VI. *An detur Diſtinctio, ſeù præciſio ſecundùm conceptus obiectiuos inter Gradus Metaphyſicos.* 403
VII. *Soluuntur Argumenta contraria.* 405
VIII. *An inter Gradus Metaphyſicos detur diſtinctio formalis ex natura rei.* 406

DISPVTATIO II.

De Proprietatibus, ſeù Paſſionibus Entis.

Lectio I. *Quid ſit vnitas, explicatur.* 410
II. *Principiũ indiuiduationis inueſtigatur.* 412
III. *Adducuntur aliæ duæ Sententiæ, & refutantur.* 414
IV. *Aſſertur Sententia Scoti, & probatur.* 415
V. *Nonnulla de Modorum quidditate, & natura explicantur.* 417
VI. *Quid ſit ſubſiſtentia, declaratur.* 419

Digitized by Google

INDEX
LOCORVM
ARISTOTELIS,
Qui in hoc Opere explicantur.

Priores Numeri Librum, & Caput, vel Textum Ariſtotelis, Poſteriores veró Paginam Operis indicant.

Ex Organo.

Prædicam. c. de ſubſt. Corruptis primis ſubſtantijs nihil aliud remanet.pag. 300
Prædic. c. de ſubſtan. Subſtantia autem dicitur, quæ proprijſſimè,& primò, maximèque ſubſtantia dicitur. 79
*Prædicam.c.de ſubſt.*ex eo,quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera, vel falſa. 101
Prædicam. c. de Adaliquid. Ea ſunt Adaliquid,quorum eſſe, idem eſt ei, quod eſt ad aliquid,aliquo modo ſe habere. 83
Prædic. c. de Adaliquid. Similia ſunt, quorum vna eſt ſpecie qualitas. 329
Prædicam. c. de Oppoſitis. A priuatione ad habitum non datur regreſſus. 182
Præd.c.de oppoſitis.non neceſſarium eſt, ſi contrarium alterum ſit, & reliquum eſſe. 74
1.*Perib.* 1 1. Vox eſt ſignum earum,quæ in animo latent,paſſionum. 4
1.*Perib. c.*5. Vniuerſale aliquid vnum aptum ineſſe multis, & de multis prædicari. 54
1.*Perib.*5. Cum rerum aliæ ſint Vniuerſales, aliæ particulares. Vniuerſale dico, quod de pluribus aptum eſt prædicari, &c. 55
1.*Perib.* 4. Opponi autem eam dico, quæ eſt eiuſdem de eodem, & non æquiuocè. 11
1.*Priorum* 1.Terminum voco, in quem reſoluitur propoſitio. 3
1.*Prior.*1. Syllogiſmus eſt Oratio,in qua quibuſdam poſitis.&c. 16
1. *Prior.* 18. Principium autem petere,eſt, quod in quæſtione eſt non probare, ſed ſumere. 23
1.*Poſt.c.*2.Fieri nequit,vt id,quod non eſt, ſciatur. 113
1.*Poſt.t.*149.Species valeant,figmẽta enim ſunt, & ſi ſunt, nihil ad ſermonem ſunt. 55
1.*Poſt.c.*25. Impoſſibile eſt, vt omnium Ratiocinationum eadem ſint Principia. 19
1.*Poſt.c.*1 1.Prima autem Ratiocinationis Figura,maximè ad Scientiam ipſam accommodatur,&c. 20
1.*Poſt.*2. Scire eſt rem per cauſam cognoſcere. 117
1.*Poſt. c.* 26. Manifeſtum eſt autem in his, quòd neque opinari ſimul idem, & ſcire, contingit. 122
1.*Poſt.*2. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale. 114
2.*Poſt.vlt.* Neceſſe eſt ipſa prima cognoſcere Inductione. 51
1.*Top.*9. Non oportet omne problema, & omnem poſitionem conſiderare. 24

1.*Top.*

Digitized by Google

1.*Top*.8.*Probabilis propoſitio*. Quæ videtur omnibus,vel pluribus, vel ſapientibus, & his omnibus,vel plurimis,vel maximè notis non inopinabilis. 24.275
1.*Top*.9.Non eſt ponendum,quod eſt contrarium multorum opinionibus. 223
2.*Top*.24. Motis nobis mouentur omnia, quæ ſunt in nobis. 231
2.*Top*.4. Eſt quoddam, & idē in Syllogiſmos peccatum, quando oſtenditur per longiora,quod contingit per breuiora. 24
2.*Top*.5. In orationibus promptum eſſe ad principia, & Propoſitiones memoria ſcire,oportet. 20
2.*Top*.2. Vt quod nuncupationibus quidem res appellare oportet, quemadmodum multi, quæ autem res tales ſint,vel non ſint, non amplius tribuendum multis. 368.375
Top.5. Omninò autem diſputationis gratia diſceptantibus tentandum afferre, aut Syllogiſmum de aliquo, aut propoſitionem,aut ſolutionem,aut inſtantiam,ſiuè rectè quis dicat,ſiuè perperam,&c. 24
6.*Top*.3. *Prohibentur definitiones negatiuæ*. 131
7.*Top*.*c*.1. Si alterum interimitur ipſorum altero remanente, profectò non idem ſunt. 193
7.*Top*.*c*.1.Quæ ſunt eadem vni tertio, ſūt eadem inter ſe. 18
8.*Top*.*c*.4. Nihil prohibet alicui videri, quæ non ſunt magis,quàm vera. 233
8 *Top*.3.Inopinabilem poſitionem cauendum eſt,ſuſtinere. 24
8.*Top*. *c*.3. Impoſſibile eſt, demonſtrare quidpiam eum, qui non incipit à primis principijs, & connectit vſque ad vltima. 18
8.*Top*. 2. Vtendum eſſe Syllogiſmo quidem ad Dialecticos magis, quàm ad multitudinem, Inductione verò contra ad multitudinem,&c. 17
2.*Elench*. *c*. 1. Vtiles ad Philoſophiam ſunt propter duo &c.*loquitur de Fallacijs*.23.

Ex Octo Libris Phyſicorum.

1. P*Hyſ.t*.50.Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. 268
1.*Phyſ.t*.42.Principia ſunt illa, quæ non ſiunt ex alijs,nec ex alterutris,*&c*. 127
1. *Phyſ*. *t*. 82. Etenim materia id dico, quod primum eſt ſubiectum,*&c*. 142
1.*Phyſ.t*.80. Exiſtente enim quodam Diuino,& bono, & appetibili. *loquitur de Forma*. 142
1. *Phyſ*. *t*. 81. Hoc eſt materia, ſicuti ſi fœmina maſculum,& turpe pulchrum. 142
2.*Phyſ.t*.6. Quomodo ſubſtantia ex non ſubſtantijs erit? 413
2.*Phyſ.t*.3. Natura motionis, & quietis eius rei, in qua eſt primum, per ſe, & non ex accidenti principium quoddam eſt,& Cauſa, 153
2.*Phyſ.t*.24. Vtimur omnibus, quæ ſunt propter nos,ſumus enim quodam modo & nos finis. 165
2.*Phyſ.t*. 31. Differt autem nihil dicere idem bonum, vel apparens bonum. 164
2.*Phyſ.t*.6. Vt ambulare, ſi purgationis gratia eſt; ſi verò non facta fuit ambulatio, fruſtrà dicimus ambulaſſe, & quòd ambulatio fruſtrà fuit. 166
2.*Phyſ.t*.29. Prætereà id, vnde mutationis,aut quietis primum eſt principiū, qualis cauſa eſt is,qui conſulit. 169
2.*Phyſ.t*.38. Præterea generum genera,& ſingulorum ſingula, vt Statuarius ſtatuæ,& hic huius. 175
2.*Phyſ.t*.30. Quædam verò viciſſim ſibi ſunt cauſæ,vt exercitatio boni habitus, & hic exercitationis, ſed non eodem modo. 283
2.*Phyſ.t*.59. Neque inanimatum nullum, neque bellua, neque infans, quæ delectum non habent, quidpiam agunt eorum, quæ fortuna eueniunt. 186
3.*Phyſ.t*.6.*Motus eſt actus entis in potentia,prout in potentia*. 246
3.*Phyſ.t*.33.Habet autem dubitationem ipſa contemplatio infiniti, nam ſi ponatur eſſe, impoſſibilia multa ſequuntur,& etiam ſi non eſſe ponatur. 207
3.*Phyſ*. *t*.63. Infinitum eſt, cuius ſemper aliquid extrà ratione quantitatis accipi poteſt. 205
4.*Phyſ*. *t*.1. Coriſcum tàm ambiri foro, quàm veſtibus, & tamen Coriſcum non dici eſſe in veſtibus, ſed in Foro. 215
4.*Phyſ.t*.8. Non eſt poſſibilis penetratio dimenſionum. 223
4.*Phyſ.t*.48. Vnumquodque impellente natura moueri ad ſuum locum, & eaduce in ſuo loco quieſcere. 215

4.*Phyſ*.

Digitized by Google

4.*Phyſ.t.*131. Impoſſibile eſt Tempus eſſe,ſi non ſit in Anima. 239
4.*Phyſ.t.*23. Non enim eſt præter partes, totum. 152
4.*Phyſ.t.*84. Sicuti ex calido fit frigidum, ità ex calido fit magis calidum. 317
4.*Phyſ.t.*84. Rarum,& Denſum idem, & vna materia ipſorum. 308
5.*Phyſ.t.*44. Cuius enim eadem eſt velocitas,is eſt vniformis, cuius verò non eadem eſt,is eſt difformis. 253
5.*Phyſ.t.*35. Vt motus ſit vnus, oportet Tempus vnum eſſe, & non intercapedines fieri. 253
6.*Phyſ.t.*12. Quare id, quod celerius, & velocius mouetur, plus magnitudinis in æquali tempore tranſit. 251
6.*Phyſ.t.*80. Tertia ratio ea eſt, quæ quieſcere dicit ſagittam,cùm fertur,accidit autem id ex eo, quia Tempus ſumitur ex momentis conſtare. 252
8.*Phyſ.t.*9. Si duplum non erat, & nunc duplum euaſit, ſi non vtrunque, alterum ſaltem mutatum eſſe, neceſſe eſt. 240
8.*Phyſ.t.*12. Tempus affectus quidam eſt motus. 242
8.*Phyſ.t.*26. Eorum quærere rationem, quæ melius habemns, quàm ſi rationis indigeremus,hominis eſt profectò male id, quod eſt melius, & id, quod eſt deterius,diſcernentis. 223
8.*Phyſ.t.*59. Minimè motuum,quod mouetur, dum fertur à ſubſtantia, diſcedit. 219
8.*Phyſ.t.*49. At verò ſit continuus eſt motus,vnus eſt. 250
8.*Phyſ.t.*69. In continuo ſunt infinita dimidia,non actu,ſed potentia. 192.202.
8.*Phyſ.*23. Neque augeri, neque minui poſſibile eſt continuè. 358
8.*Phyſ.t.*40. Neceſſe igitur eſt,omne,quod mouetur,eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia.
8.*Phyſ. t.*64. Motus eſſe contrarios, eo quòd inuicem ſe impediunt. 258
8.*Phyſ.t.*1. Motus eſt, vt vita quædam natura exiſtentibus omnibus. 340
8.*Phyſ t.*28. Omne,quod mouetur,ab alio mouetur. 255
8.*Phyſ.t.* 40. Solus motus circularis vniformis conuincitur. 253

Ex Libris Quatuor de Cœlo.

1. *Coeli.t.*22. Omnes enim Homines de Dijs habent exiſtimationem, & omnes eum,qui ſurſum eſt,locum, Deo attribuunt. 266
1.*Cæli.t.*20. In contrarijs eſt generatio,& corruptio. 268
1.*Cæli.t.*22. Videtur ratio ijs, quæ apparent atteſtari, & ea, quæ apparent rationi. 272.299
1.*Cæli.t.*32. Fruſtrà Calceamentum hoc dicimus,cuius non eſt calceatio. 269
1.*Cæli.t.*32. Deus,& Natura nihil faciunt fruſtrà. 268
1.*Cæli.t.*60. Fieri non poteſt,vt infinitum ab infinito aliquid patiatur. 209
1.*Cæli.t.*62. Videtur veneratione dignam eſſe magis, quàm temeritate reputantes promptitudinē illam, ſi quis propter Philoſophiæ ſitim,&c. 265
1.*Cæli.t.*72. Quo vna gleba,& tota Terra fertur, Ignis, & ſcintilla feruntur in eundem locum. 262.272
1.*Cæli.t.*92. Conſueuimus extremum, & ſurſum uocare Cœlum, in quo & Diuinum omne collocatum eſſe, dicimus. 295
1.*Cæli.t.*33. Vnus motus vni eſt contrarius. 268
1.*Cæli.t.* 68. Præterea Mundū Vniuerſum ex ijſdem naturis conſtare, neceſſe eſt. 267
1.*Cæli.t.*100. Patet ergo neque Locum extrà Cœlum eſſe,neque vacuum, neque tempus, quocirca, neque apta ſunt ea, quæ illic ſunt,eſſe in loco, neque tempus ſeneſcere ipſa facit. 218
1.*Cæli t.*37. Graue eſt illud,quod aptum eſt ferri ad medium; leue id, quod eſt aptum ferri à medio. 288
2.*Cæli t.* 13. Corpus enim quoddam Diuinum eſt. 265
2.*Cæli.t.*59. Nullum habet inſtrumentum ad motum. 274
2.*Cæli.t.*49. Nullum habent organum, neque dicendum eſt,Naturam habuiſſe curam Animalium, & hæc pretioſa deſpexiſſe. 274
2.*Cæli.t.*18. Neceſſe eſt igitur Terram eſſe,hæc enim quieſcit in medio. 271
2.*Cæli t.*18. Dato vno contrariorum, debet dari & alterum. 136
2.*Cæli.t.*59. Quoniam enim in omnibus in-

inquirimus, quod melius eſt deſiderare naturam ſemper, melius eſt autem eſſe, quàm non eſſe. 286.302
3.*Cæli.t.*31. Sit itàque Elementum illud Corporum, in quod alia corpora diuiduntur. 293

Ex Libris II. de Generat. & Corrupt.

1. DE *Gen.t.*19. Senſus Scientiæ habet virtutem. 299
1.*De Gen.t.*8. Calor eſt, qui congregat ea, quæ ſunt eiuſdem Generis: ſegregat, quæ ſunt diuerſi generis. 287
1.*De Gen.t.*23. Generatio eſt mutatio nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem. 300
1.*De Gen.t.*51. Neceſſe eſt Agens, & Paſſum genere quidem ſimile eſſe, & idē, ſpecie autem diſſimile. 333
1.*De Gen t.*53. Omne Agens patitur à patiente, vt quod ſecat, hebetatur ab eo, quod ſecatur, quod calefacit, refrigeratur. 334
1. *De Gen. t.*54. Non ſe extrudunt, quæ non contraria, neque ex contrarijs ſunt. 337
2.*De Gen.t.*24. Vniuerſaliter manifeſtum eſt, quod ex omni omne generari natum eſt. 291
2.*De Gen.t.* 25. In tranſmutatione Elementorum Symbolorum, vna qualitas, in qua illa conueniunt, remanet. 298
2.*De Gen. t.*53. Materiæ eſt pati, formæ agere. 320
2.*De Gen.t.*25. Facilior eſt tranſitus Symboli in Symbolum, quā Dyſſimboli in dyſſimbolum. 292

Ex Libris IV. Meteororum.

1. M*Eteor.c.*2. Neceſſe eſt Mundum hunc inferiorem contiguum eſſe ſupernis lationibus. 235.256
1.*Meteor.c.*3. Aether, quaſi nulli eorum, quæ apud nos ſunt, exiſtens idem. 265
1.*Meteor.c.*9. Eruditi eſt, eatenùs exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus dari eius natura patitur. 259.290
1.*Meteor. c.*3. Stellarum etiam diſcurſus ſatis declarant, cæleſte corpus, neque calidum eſſe, neque igneſcere. 280
1.*Meteor. c.* 12. Virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa. 330
4.*Meteor. c.vlt.* Quando oculus poteſt videre, & exercere functiones vitæ, oculus eſt; at quando functiones vitæ exercere non poteſt, oculus dicitur per communitatem nominis cum membris viuis. 303

Ex Tribus Libris de Anima, & de Paruis Naturalibus.

1. DE *Anima t.*11. Accidentia conferunt ſecundum magnam partem ad cognoſcendum ipſum quid eſt. 270
1. *De Anima. t.*19. Animatum ab inanimato duobus maximè differre, ſenſu, & motu. 340
1.*de Anima t.*23. Idem *eſt Anima*, & *Intellectus*. 349
1.*de Anima t.*8. Vniuerſale, aut nihil, aut poſterius ſingularibus. 58
1.*De Anima t.* 65. Si Senex haberet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis. 350
1.*de Anima t.*64. Humanitas non ambulat, ſed Socrates. 320
1.*De Anima t.*64. Animam iraſci ſimile eſt, ac ſi quis dicat, animam texere, aut ædificare. 275
2.*De Anima t.*6. Anima eſt actus Corporis, &c. in Proęm. 339
2.*De Anima t.*24. Anima eſt principium, quo viuimus, ſumus, mouemur, & intelligimus in Proęm. 339
2. *De Anima t.*41. Ignis augmentum in infinitum abit, quouſque fuerit combuſtibile. 307
2.*de Anima. t.* 43. Contrarium contrario alitur. 347
2.*de Anima t.*3. Naturaliſſimum operum, quæ in viuentibus quæcunque perfecta ſunt, & non mutilata, eſt facere aliud, quale ipſum. 353
2. *De Anima. t.* 41. Ignis concauſa quidem quodammodo eſt, non tamen ſimpliciter Cauſa, ſed magis Anima. 356

2.*De*

Digitized by Google

2. *De Anima t.* 121. Senſus eſt id, quod eſt ſuſceptiuum formarum ſine materia, ſicuti cera recipit in ſe figuram anuli aurei, vel ferrei. 366
2. *De Anima t.* 123. Manifeſtum autem ex his, & propter quid ſenſibilium exuperantiæ corrumpunt ſenſoria. 363
2. *De Anima t.* 161. Senſus Propriorum quidem eſt verus, aut quàm pauciſſimum habens falſum. 362
3 *de Anima c.* 2. Intellectus Hominis ſimilis tabulæ raſæ, in qua nihil eſt depictum. 367
3. *De Anima. t.* 30. & 39. Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari. 377
3. *De Anima t.* 4. Neceſſe eſt, quia omnia intelligit, immixtum eſſe. 377
3. *de Anima t.* 19. Hic intellectus ſeparabilis, & inmixtus, & impaſſibilis. 377
3. *De Anima t.* 4. Aliud eſt magnitudinis eſſe, aliud eſſentia. 398
Lib. de ſenſu, & ſenſilibus. Guſtus, & Tactus inſequitur omnia Animalia neceſſariò. 372
Lib. de ſenſu, & ſenſibilibus c. 4. Quà igitur ignis, & quà Terra nihil natum eſt agere, nec pati. 284. 322
Lib. de Iuuent. & Sentent. c. 1. Neceſſe eſt eandem eſſe, & vnam particulam, ſecundum quam viuit, & ſecundum quam appellamus ipſum Animal. 345

Ex Libris de Hiſt. Partibus, Gen. Animal. Rhet ad Theod.

1. *De Hiſt. Animal c.* 1. Cuſpis linguæ Organum eſt Guſtus. 372
1. *De Hiſt. Animal. c.* 15. Sanguis eſt animatus. 340
3. *De Hiſt. Animal c.* 19. Palpitat intrà venas ſanguis animalium. 340
2. *De part. animal c.* 16. Linguam natura Homini dedit ad percipiendos ſapores, & ad formandum ſermonem. 179
2. *De part. Animal. c.* 10. Sanguis non eſt animatus, nec ſenſu præditus. 340
1. *De Gen. Animal c.* 2. Marem id animal dicimus, quod in alio gignit, fœminam, quod in ſeipſa. 359
1. *De Gen. Animal. t.* 20. Natura rem quàcumque facit, quia neceſſaria eſt. 179
1. *De Gen. Animal. t.* 20. Natura rem quancunque facit, aut quia neceſſaria, aut quia melius ità eſt. 181
2. *De Gen. Animal. c.* 1. Semen habere animam, & eſſe potentia, palam eſt. 343
2. *De Gen. Animal. c.* 10. Semper, quod ſecundum naturam eſt, ordinem habet. 175
Lib. de Animal. Greſſu. t. 20. Natura nihil fruſtrà machinatur, ſed in ijs, quæ fieri poſſunt, ad id reſpicit, quod potius ſit, & melius. 181

Ex Libris Problem. Et Ethicorum.

Problem ſect. 3 1. t. 10. Contrariorum eadem eſt Scientia. 56
2. *Eth.* 1. Vt vno verbo dicam, ex ſimilibus operationibus habitus fiunt. 384
6. *Eth.* 3. Quinque ſunt habitus, quibus anima affirmando, vel negando, ſemper verum dicit. 25
8. *Eth. c.* 2. Amat vnuſquiſque non quod ipſi eſt bonũ, ſed quod apparet, ſed id nihil refert, quia amabile apparens erit. 167

Ex Libris XIV. Metaphyſicorum.

1. *Met. t.* 1. Omnes homines natura ſcire deſiderant. 117
1. *Met. t.* 21. Intellectus eſt cauſa ordinis. 275
2. *Met. t.* 8. Id cuius gratia aliquid fit, vt deambulandi ſanitas. 165
2. *Met. t.* 8. Dico autem materiam, quæ per ſeipſam non eſt quid, nec quale, &c. 131
3. *Met. t.* 18. Species neceſſe eſt, eſſe. 55
3. *Met. t.* 10. De omnibus demonſtrationem eſſe, impoſſibile eſt. 70
3. *Met. t.* 20. Quòd ſi Vniuerſalia non ſint, ſed vt ipſa ſingularia, non erunt ſcibilia. 55
4. *Met. t.* 2. Ipſum non ens eſſe non ens, dicimus. 40
4 *Met. t.* 18. Aliquid eſt magis verum, quã aliud, & pariter magis falſum. pag. 113
4. *Met. t.* 16. Ea quæ non ſunt, quomodo loquentur, aut ambulabunt? 161. 184

4. *Met.*

Digitized by Google

4.*Met.t.*10.Etenim omninò impoſſibile eſt omnium habere demonſtrationem, & ignorantia eſt, neſcire, quorũ oporteat habere demonſtrationem, & quorum non. 181

4.*Met.t.* 2. Non ens eſſe non ens, dicimus, 5

4.*Met.t.*22.Quærere veritatem, non eſſet, niſi volucres perſequi. 233

4.*Met.t.*5.Philoſophi eſt de omnibus ſpeculari. 265

4.*Met.t.* 21. Verum non pluralitate, neque paucitate iudicari, cenſere debent. 237

5.*Met.t.*2. Accidit inuicem cauſas eſſe, vt laborare bonæ valetudinis,hæc verò laborandi. 183

5. *Met. t.* 18. Quantum eſt diuiſibile, &c. 190.202

6. *Met. t.* 27. Priuatio eſt carentia formæ. 141

7.*Met.t.*27.Non forma ignis,nec candor, nec frigus fieri,dicendum eſt,ſed ignis candidum,frigidum. 128

7.*Met.t.*41. Idem eſt principium diſtinctiuum, & Conſtitutiuum. 144

7.*Met.in fine.* Neque idem poteſt manere,& non manere. 151

8.*Met.t.*15.Aes eſſe triangulũ,eſt eſſe coniunctionem æris,& Trianguli,album eſſe coniunctionem albedinis, & ſpeciei. 146.147

8.*Met.t.*11.Si materia diuerſa,& mouens, & ipſum, quod factum eſt. 177.182

8.*Met.t.*10. Eſſentiæ ſunt veluti numeri. 318

8. *Met. t.*12. Vbi materia eſt eadem, Agens idem, Effectus quoque idem erit. 182

11.*Met.t.*50. Patet igitur tria eſſe genera Scientiarũ ſpeculatiuarum, Phyſicam, Mathematicam, & Theologiam. 389

11.*Met.t.*3. Vnitatem enim ponunt, quæ omnino indiuiſibilis eſt. 410

12.*Met.t.*16.Cauſæ mouentes, tanquam anteà ortæ exiſtunt, quæ verò vt ratio ſimul ſunt. Forma æneæ ſphæræ, ſimul eſt cum ænea ſphæra. 117

12.*Met.t.*9. Reprehendit Anaxagorã refundentem omnia in Mentem, & Cauſam primam. 323

12.*Met.t.*42. Neceſſe eſt harum quoque lationum vnamquanque à parte immobili,& æterna ſubſtãtia moueri. 274

12.*Met t.*43.Quia Cœlum eſt irrequieſcibile, debet per ſe moueri à ſubſtantia per ſe immobili,& æterna. 275

12.*Met.t.*44. Pluralitatem lationum ex peculiariſſima Mathematicarum Sciẽtiarum, videlicet ex Aſtrologia,conſiderandam eſſe. 276



Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM
Prior Numerus Paginam. Poſterior Columnam ſignificat.

A

Abſurdum. *Ex duobus abſurdis minus eſt aſſerendum.* 323.2.

Abſtractio. *Quid ſit.* 59.1. *Duplex, perfecta; & imperfecta.* 59.2. *Abſtractus Terminus.* 4.2.

Accidens. *Poteſt adeſſe, & abeſſe à ſubiecto præter ſubiecti corruptionem* 77.1. *Aliud eſt Logicum, aliud Phyſicum* 77.1. *Eius eſſentia non eſt actu ineſſe, ſeu inhærere, ſed aptitudine* 77.1. *Poteſt per ſe ſubſiſtere.* 7.2. *Non eſt Inſtrumētū ſubſtantiæ.* 321.2. *Subiacet ſenſibus.* 360.1. *non migrat de ſubiecto in ſubiectum* 295.1

Accidentia. *Plura ſolo numero diuerſa ſunt in eodem ſubiecto, quando plures præſtant effectus.* 96.2. *Vnita cùm corpore replicato, replicantur.* 231.2. *Quæ repugnant corpori in vno loco, etiam alibi repugnāt.* 232. *Localia non replicantur.* 233.1.

Actus. *Prior eſt potentia.* 383.1. *ex frequentatis Actibus fit Habitus.* 384.2. *Eius ſpecificatiuum adæquatum eſt obiectum ſimul, & Potētia.* 352.1. *Actus nutritiuæ Potentiæ, eſt nutritio.* 356.2. *Augmentatatiuæ, Augmentatio.* 357.2. *Generatiuæ, Generatio.* 354.1. *Actus vitalis eſt eſſentialiter immanens.* 341.2. *Actus ſcientiæ, & opinionis ſimul.* 121.2.

Actio. *Eſt cauſalitas Agentis.* 173.2. *Sequitur ex Victoria Agentis ſupra Paſſum.* 333.2. *Actio in ſubiectum diſtans poſitū intrà ſphæram actiuitatis Agentis datur. Ibidem. Actio eſt ipſum fieri Termini.* 381.1. *Actio immanens, & tranſiens.* 419.2. *Actio perfectiua eiuſdem ad ſeipſum datur.* 324.1. *ceſſante fine, ceſſat.* 329.1.

Agens. *Intendit aſſimilare ſibi Paſſum.* 329.2. *Agendo repatitur.* 333.2. *Habet limitatam ſphæram actiuitatis ſuæ.* 332.1.

Aggregatum *per accidens non poteſt vnica definitione definiri.* 70.1.

Aeternitas. *Quid ſit ex Boetio.* 239.2. *Poteſt communicari Creaturis.* 212.1. & 263.2.

Aer. *eſt calidus, & humidus.* 287.1. *flabello vnitur.* 286.1.

Aeuum. *Quid ſit.* 239.2. *æuiterna quæ ſint. ibidem.*

Adaliquid. *Idem eſt, ac Relatio.* 83.2.

Alteratio. *Alteratio eſt acquiſitio Qualitatis.* 313.1. *Alterum denominatur ſubiectum, quando accidentaliter mutatur.* 74.1. *Alteratio in rigore eſt per qualitatem contrariam.* 313.1. *in Proæm.*

Alienatio. *quid ſit.* 8.2.

Aliud *dicitur ſubiectum, quando habet eſſentiam diuerſam. Alius, quando habet ſuppoſitum diuerſum.* 74.1.

Amor *Elicitus à Voluntate ratione bonitatis apprehenſæ eſt motio metaphorica, & cauſalitas finis.* 168.2.

Ampliatio. *Quid ſit, & quomodo differat à diſtractione.* 168.2.

Analogum. *Ens eſt analogum ad ſua inferiora.* 391.1. *Terminus Analogus quid ſit.* 5.2. *Analogia triplex, Inæqualitatis, Proportionis, & Attributionis.* 5.2.

Angelus. *Differt ſpecie ab Anima Rationali per quid.* 387.3. *non poteſt inducere vacuum.* 235.2. *mouet Cœlum.* 274.1. *non ſufficit vnus Angelus ad mouēdos omnes Cœlos.* 275.2. *Poteſt facere ens Rationis cōcipiendo non ens ad modum entis.* 41.2. *non eſt actus puriſſimus, ideò ponitur in Prædicamento ſubſtantiæ.* 82.2. *natura*

Digitized by Google

Angelica inmultiplicabilis, vt ſit, eſt natura ſpecifica Logicè.72.1.

Anima. *Dupliciter definitur.in Proœm.339.1.Cōparatur oculo ibid.Informat ſāguinē naturalem.336.2. Informat ſemen.347.2. non diſtinguitur realiter, ſed formaliter à Potentijs.349.2.*

Anima Vegetatiua. *Habet opera, generare, vt conſeruet ſpeciem; alimento vti, vt cōſeruet Indiuiduum.353.1.*

Anima Senſitiua. *Plures habet Potentias. in Proœm.359.1.*

Anima Rationalis *Eſſe immortalis conuincitur ex Scripturis.373.1.ex Cōcilijs.374.1.Ratione naturali.374.2.Ratione morali. 375. 2. Auctoritate Ariſtotelis.377.2. Auctoritate Galeni.378.2. diſtinguitur ſpecie ab Angelo etiam ſeparata. 387.2. Habet tres Potentias; Intellectum, Memoriam, & Voluntatem.379.1.*

Apricantes, *ad ſolem magis caleſiūt, ſi iuxtà parietem ſe collocent, & quare. 326.1.*

Apulia; *habet Stellionis Genus ad ſaltum mouens.332.1.*

Apparitio *facta D. Paulo à Chriſto Domino fuit vera, & realis.228.1.*

Appetitus. *metaphoricè attribuitur materiæ primæ 139.2.Appetitus diuiditur in Concupiſcibilem, & Iraſcibilem.359.1.*

Appellatio. *quid ſit 9.1.*

Apprehenſio *ſimplex quare dicatur indiuiſibilium intelligentia 2.1.*

Aqua. *Capax eſt ſoni.371.2.Cadens in Terram ſiccam, colligit ſeſe in globum.328.1. Aquæ ſubterraneæ æſtate frigidiores, hyeme calidiores.328.1. Aquæ conueniūt binæ qualitates, frigiditas, & humiditas, 287. 1. Aqua viua, Aqua vitæ quare dicantur.442.2.*

Arnoldus *de Villanoua Remundum Lulliū conuicit, exhibendo virgulas verè aureas, 255.1.*

Argumentatio. *Quid ſit. 17. 1. Quatuor eius ſpecies.ibidem. Argumentationis nota, eſt, ergo.ibidem.*

Ars. *Quid, & Quotuplex ſit.28,2. Quomodo diſtinguatur à Prudentia. 29. 1. Ars dubitatiua diſponit Intellectum ad verū. 30. 2. Arte Dedali ſtatuæ hùc illùc diſcurrebant.255. 2. Quomodò diſtinguatur à natura.154. 1. Chymica facit verū aurum.154.2.*

Archimedes. *Aeneam ſphæram, in qua ortus, & occaſus ſyderum videbantur, confecit.255.2.*

Architas *Tarentinus, ligneam columbam volare, docuit.ibidem.*

Aſſenſus *Præmiſſarum eſt ratio formalis motiua ad aſſentiendum Cōcluſioni.108.1. neceſſitat Intellectum ad aſſentiendum Concluſioni.109. 2. Poteſt eſſe ſimul cùm aſſenſu Concluſionis.109.1.*

Aſtronomis. *quando credendum ſit.276.1.*

Aſtra. *inclinant, non neceſſitant.282.2.ſapiens dominabitur Aſtris.ibidem. Communicant præter lumen, & calorem, qualitates occultas.ibidem.De ſua natura habēt aliquid luminis.282.1.Alia errantia, alia fixa.297. 2. notæ magnitudinis numero ſunt.1022.ibidem.*

Aurum. *Veri notæ Auri quæ ſint.255.1.*

Augmentatio *fit continuè, & non interrūpitur per morulas.358.1. Non durat toto tempore vitæ. 358. 2. à nutrimento, ſeù nutritione differt ratione, ideſt, quidditate.358.1.eſt exiſtentis magnitudinis additamentum.306.1.In non viuentibus non habet terminos.307.1.*

Axiomata. *nemo dat, quod non habet.320. 2. Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe.18.2. Dici de omni, & dici de nullo.ibidem. Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.87. 2. Ex obiecto, & Potentia fit magis vnum, quàm ex materia, & forma.366. 2. ex obiecto, & Potentia paritur notitia.ibidem. non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate. 26. 1. Quidquid corrumpitur à contrario corrumpitur 1. 267.2. Idem eſt principium diſtinctiuum, & conſtitutiuum. 118.2. non datur tranſitus ſubiecti de vno contradictorio ad aliud abſq; eius mutatione.90,2.Virtus vnita fortior.330.1. non datur tranſitus ab extremo ad extremum non tranſeundo per medium.292.1. Quod eſt primum in intētione, eſt vltimum in executione, & è contra.301.1. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale. 114.1. Vni duo non poſſunt eſſe cōtraria. 288. 1. modus operandi ſequitur modum eſſendi.315.2.374. 2. motus eſt cauſa caloris.282.1. oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari.374.2. Anima plus eſt vbi amat, quam vbi animat. 168. 1. nil volitum, quin præcognitum.167,2.Difficilius eſt reſpōdere, quā interrogare.20.1. Concluſio ſequitur deteriorem partem.20, 2.Abſtrahentium non eſt mendaciū.57. 2,*

B

Bonum *ex integra cauſa, malum ex vnico defectu.96.1.eſt obiectum voluntatis.375.2.*

Bonitas *ſiuè exiſtens, ſiuè apparens eſt ratio formalis cauſandi in fine.167.1.*

Bruta

Digitized by Google

Index Rerum Notabilium.

Bruta. Non operantur propriè propter finē. 169. eorum animæ diuiſibiles ſunt, & materiales. 343.2.

C

CAlor. congregat homogenea, diſgregat etherogenea. 287. 1. vnus ſpecie eſt in Igne, & Aere. 288. 1.

Calida magis in ſole, quàm in vmbra infridantur. 329.2.

Campana ſuſpenſa melius ſonat, & quare. 371.1.

Canaria. ſaltatio quid ſit, & quomodo fiat. 236.2.

Caritatis actus non poteſt eſſe à ſolo Spiritu Sancto. 342.1.

Cauſa. In communi definitur. 157.1. eius definitio non conuenit cauſæ remotæ. 158.1. in actu primo conſiderata eſt quid abſolutum. 159.2. Debet eſſe exiſtens, approximata, & prior natura. 161.1. Efficiens, & Formalis, in quo differant. 116.1. Cauſæ materialis, & formalis definitio. 162.1. earum cauſalitas eſt vnio. 163.1. Cauſæ efficientis definitio, & Diuiſio. 172.1. eius cauſalitas eſt actio. 137.2. non à Deo, ſed ex ſui natura determinatur ad producendum hunc effectum. 175.2. non poteſt à ſuo effectu recauſari. 184.2.

Certitudo. eſt eſſentialis ſcientiæ. 117.2. eſt firma adhæſio. ibidem.

Cœlum. eſt diuerſæ naturæ ab Elementis. 265.2. Conſtat ex materia einſdem rationis cùm ſublunari. 268.1. eſt omnino incorruptibile. 269.2. mouetur motu circulari. 271.1. mouetur ab Intelligentia, & quare 275.1. eſt liquidum, non ſolidū. 275.1. Vnum eſt, non multiplex. ibidem. eſt ordinatum ad regimen Vniuerſi. 281.2.

Cæcitas, & Mors non ſunt Accedentia. 77.2.

Chriſtus. Verè penetrauit Cęlos, intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis, clauſo exiuit utero Virginis, reſurrexit clauſo ſepulchro. 223.2. eius Corpus Sacramentatum totū eſt in tota Hoſtia, & totum in qualibet parte. 222.2. Idem eſt in pluribus locis. 228.2. Idem eſt eius Corpus viuū, & mortuum ratione formæ Corporeitatis. 303.1. Poteſt videri ab oculo glorioſo. 361.1. Chriſti Mors, & Incarnatio nobis non proficerēt, niſi anima eſſet Immortalis. 373.2. Chriſtus probat Animæ immortalitatē contra Sudducæos. 373.1. Chriſtus Dominus vſus eſt Logica. 32.2. operabatur miracula in diſtans. 231.1.

Chymici ponūt tria Elemēta, Sal, Sulphur, & Mercurium. 291.1. Chryſopæa, & lapis Philoſophorum. 155.1. Chymica ars facit verum aurum virtute naturæ.

Claritas. Orationis Anima 24.1. Claritas eſt euidentia obiecti. 117.2. Quando magis penetratur eſſentia Diuina, tunc maiori claritate attingitur. 316.1.

Clauus. media ſui parte in aurum conuerſus oſtenditur in Theſauro Magni Ducis Hetruriæ. 255.1. Clauis in tabula aſſimilantur ſtellæ fixæ. 279.1.

Color. Apparens eſt varia incidentia, & refractio lucis. 370.2. Color realis oritur ex mixtione primarum qualitatum. Ibidem. Non concurrit ex æquo cùm Lumine ad Viſionem. 369.1. noctu non videtur. 368.2. Dicitur ſanus, & quare 5.2.

Contradictio duplex, formalis, & obiectiua. 110.2. Contradictoriæ propoſitiones quæ ſint, 10.2. nō poſſunt eſſe ſimul veræ. 11.1. Cōtradictoria admittere nihil abſurdius 11.2. omnium maxima oppoſitio eſt contradictoria. 11.1. Idē ſubiectū non trāſit de vno contradictorio ad aliud ſinè aliqua ſui mutatione. 90.2.

Contraria. Cōtrariorū eadem eſt ratio Diſciplinæ. 58.2. contrariorū vno exiſtente, exiſtere debet & aliud. 74.1. contrariæ propoſitiones quæ ſint, & quas leges ſeruēt. 11.2.

Corporū penetratio eſt poſſibilis. 214.1. Corpora penetrata nō poſſunt ſe mouere. 228.1. Corporis replicatio eſt poſſibilis. 228.1.

Comprehenſio quid ſit. 316.1.

Creatura omnium perfectiſſima eſt infinita. 214.1. non poteſt exiſtere, & eſſe nullibi. 222.2. Poteſt illi communicari æternitas. 211.2. Vbiquitas quoq; et Immēſitas. 212.1.

D

DEfinitio. Quid ſit. 15.1. eſt Inſtrumentū ſciendi, 14.2. quotuplex ſit. 15.1. eius Leges, ibidem.

Deus. non ponitur in Prædicamento ſubſtātiæ. 81.2. nihil fruſtrà facit. 268.1. non eſt capax relationis prædicamētalis 92.1. Poteſt facere quidquid non implicat. 138.1. immediatè concurrit cùm cauſis ſecundis 172.2. omnia æquè clarè cognoſcit. 115.2. Hoc ſolo priuatur, ingenita facere, quæ facta ſunt. 182.2.

Dęmonia ſunt in Prædic. ſubſtantiæ. 82.2.

Demonſtratio. De omnibus obiectis afferre Demonſtrationem eſt impoſſibile. 70.2. Conditiones demonſtrationis. 116.1. Quotuplex ſit, & quid ſit Demonſtratio à priori, & à poſteriori. 112.2.

Denominatio. relatiua eſt à forma denominante relatiua. 90.2. Terminus denominans, & denominatus. 5.1.

Differentia. *accidētalis reddit ſubiectum alterum. Indiuidualis reddit alium; eſſentialis aliud.* 74.1. *Vltima differentia rei dicit aggregatum plurium negationum.* 75.2. *Differentia duplex generica, & ſpecifica.* 74.2. *Varia eius definitio. ibidem. Prout prædicatur de hac, & illa Differentia, eſt ſpecies.* 71.2.

Diuiſio. *quid ſit,* 15.2. *eius Leges.* 16.2. *Tunc eſt ſufficiens, quando eſt proportionata fini, in ordine ad quem eſt inſtituta.* 67.2. *Diuiſio ſubſtantiæ in Primam, & Secundam eſt analogi in ſua analogata.* 80.2. *eſt Inſtrumentum ſciendi.* 14.2.

Diſtinctio. *Varia eius Genera.* 401.1. *Formalis ex natura rei ponitur inter Gradus metaphyſicos.* 406.2. *Inuentor diſtinctionis formalis eſt Ioannes Duns Scotus.* 402.2.

Dolia. *plena Aquis in mari non grauitant, quare.* 289.2.

Duratio *eſt modus diſtinctus non ſecus, ac Vbi.* 240.1. *Alia eſt Permanens, alia fluens* 241.2.

Durandus. *Sententia eius de mediato Dei concurſu cùm cauſis reijcitur.* 174.2. *negauit poſſibilem eſſe penetrationem.* 224.1. *non diſtinxit ſubſiſtentiā à natura.* 419.1.

Dura. *& ſolida apta ad ſonum.* 317.1.

E

Eadem *ſunt, quorum vna eſt eſſentia,* 81.1.

Echo. *Quomodò fiat.* 325.2.

Eductio. *Formæ materiales educūtur de Potentia materiæ.* 145.2.

Effectus. *productus ab vna Cauſa potuiſſet produci ab alia* 177.2. *Idem numero poteſt produci à duabus Cauſis totalibus ſimul.* 178.1. *eius reproductio eſt ſupernaturaliter poſſibilis.* 182.1.

Elementa, *eorum eſſentia & natura.* 183.2. *manēt in mixto virtualiter.* 293.2. *quieſcunt in propria ſphæra.* 289.2. *Quatuor ſunt Elementa vulgata, Ignis, Aer, Aqua, & Terra* 290.1. *facilior eſt tranſitus ſymboli inſymbolum, quàm diſſymboli in diſſymbolum.* 292.2 *etiam diſſymbola immediatè tranſmutantur.* 291.2. *Elementum quaſi eleuamentum, vel alimentum.* 283.1. *Subſtātialiter eſt purum, ſed non qualitatiuè niſi in proprio centro* 285.1. *ſingulis Elementis binæ Qualitates ſunt debitæ; Igni calor, & ſiccitas, Aeri Calor, & humiditas. Aquæ frigus, & Humiditas, Terræ frigus, & ſiccitas.* 285.2.

Empyreum *Cælum non poteſt negari.* 280.2

Ens rationis. *eius eſſentia, & definitio.* 34.2. *eiuſdem Diuiſio.* 35.1. *eſt obiectum ſecundarium, & effectus ſecundarius Intellectus.* 37.2. *fit à ſenſibus internis, ſed non ab externis.* 42.2. *Poteſt fieri à Voluntate ſaltem ſecundariò* 43.1. *non poteſt eſſe obiectum materiale Logicæ.* 48.1.

Ens reale eſt *analogum reſpectu ſuorum inferiorum.* 391.2. *in quo ſenſu dicatur eſſe obiectum Intellectus.* 41.1. *Ideò eſt reale, quia exiſtens independenter ab opere Intellectus.* 34.2.

Epicicli. *non dantur, ſicuti neque Cæli partiales eccentrici, & concentrici.* 275.1.

Eſſentia. *formaliter diſtinguitur ab exiſtentia.* 398.1. *eſt ab æterno ſecundū eſſe intelligibile, ſeù diminutum* 395.2. *eſſentiæ ſunt veluti numeri.* 318.1.

Error *leuis nō repugnat ſtatui beatifico.* 41.2

Euidentia. *Quid ſit.* 117.2. *eſt eſſentialis ſcientia naturalis.* 117.2. *alia eſt euidentia conſequentiæ, & alia eſt euidentia conſequentis.* 118.1.

F

Fatum. *non eſt naturalis neceſſitas, ſed ordo inuariabilis Diuinæ Prouidentiæ.* 186.1.

Fames *appetitus calidi, & ſicci.* 356.2.

Ferrum. *vertitur in Cuprum, ſi quoſdam in Fontes gelidiſſimos montis Carpati in Hungaria conijciatur.* 255.1.

Figura. *prima Syllogiſmorum maximè accōmodata ad ſcientias acquirendas.* 20.1. *eſt quarta ſpecies Qualitatis.* 7.2. *eſt ſenſibile Commune.* 360.1.

Fides, *& ſcientia poſſunt eſſe ſimul.* 123.2 *Fidei Diuinæ ratio formalis eſt Diuina reuelatio.* 369.1. *Fidei actus quando elicitur ſimul cùm actu ſcientiæ non eſt liber.* 168.1. *Eius cauſalitas eſt motio metaphorica.* 123.1.

Finalis. *cauſa definitur, & diuiditur.* 165.1.

Formido. *radicalis quid ſit.* 121.2. *eſt de ratione formali ſcientiæ.* 121.1.

Flamma. *maior extinguitur à minori.* 329.2. *Ignis inflammat ſtuppam, & non inflammat aerem.* 332.1.

Forma ſubſtantialis. *dicitur à Platone Mēs, & Diuina Proles. Diuinum, pulchrum, optimum ab Ariſt.* 142.1. *Dicitur character, et ratio.* 142.2. *Definitur ratio ipſius, quod quid erat, eſſe. nō eſt Principium indiuiduationis.* 415.2. *non eſt tota eſſentia Compoſiti.* 143.1. *eſt ens ſimpliciter, quia primò intenta à natura.* 300.2. *formæ partiales probantur.* 300.2. *Plures Formæ, quamuis totales, diuinitùs poſſunt eſſe in eadem materia.* 304.2. *extenditur*

Digitized by Google

ditur capacitas materiæ, quando in ea sũt plures formæ totales.305.2.

Fortuna, *& Caſus in Deo locum non habẽt. 186.1. non eſt Diuinum aliquod Numen, ſed Cauſa per Accidens 185. 1. in Brutis, & Infantibus locum non habet.185.1.*

Frigus.*eſt qualitas poſitiua, non ſola priuatio.285.1.Congregat homogenea, & etherogenea.288.1.*

Fumus *flante Borea exiens à camino conglomeratur, & quare.328.1.*

Futura. *ſcit certò ſolus Deus.103.1.*

G

Generatio.*Vnius Generatio eſt corruptio alterius in ſenſu cauſali. 296. 1. Terminus formalis vnio. ibidem. Terminus totalis Compoſitum ibidem. Quando fit noua generatio, remanent aliqua accidentia corrupti compoſiti 298.2.*

Genus. *Definitur. 68. 2. eſt pars eſſentiæ. 69.2 explicatur termino ſubſtantiuo. ibidem. Genereitas principaliter, natura generica minus principaliter definitur.70.1. Poteſt in vnica ſpecie conſeruari.732. Debet eſſe vniuocum, 69. 1. Triplex eſt, ſupremum, medium, & Infimum.6.1.*

Glires *tota hyeme. cibo abſtinent & ſomno pingueſcunt.357.1.*

Gradus. *Qualitatis ſunt octo. 317. 2. ſunt homogenei, non etherogenei 318.2.*

Graue. *eſt, quod mouetur deorſum, & ad medium 288. 2. quod ſubſtat omnibus. 289.1.*

Grauitas. *Grauitas ſimpliciter, & grauitas ſecundum quid, quæ ſint. 288.1. differunt ſpecie. 289. 1. Grauitas in plures partes dilatata eſt ponderoſitas.288. 2. Grauitas diſtinguitur à ſubſtantia, quia eſt in Hoſtia conſecrata, vbi non eſt ſubſtantia. ibidem.*

Guſtus.*diſtinguitur à Tactu.372.2. eius Organum eſt Cuſpis Linguæ.ibidem.eius obiectum eſt ſapor.ibidem.*

H

Habitus.*omnino dantur, & ſunt diſtincti à ſpeciebus. 382. 1. producuntur per plures actus. 384. 2. Deſtruuntur per contrarios actus effectiuè, formaliter per habitus contrarios, per accidens ceſſatione ab actibus.385.1. Alij inclinant ad verũ, alij ad veriſimile 25. 2 Habituũ naturalium, & ſupernaturaliũ differentia.120.1.*

Habitualis *ſcientia, & actualis, in quo differant 119.2. eſt aggregatum ex pluribus habitibus.119.2.*

Habere.*eſt modus, & ideò conſtituit 10. Prædicamenta 91.1.*

Hecceitas, *eſt principium Indiuiduationis. 416.2.*

Herbæ *virentes in gelidiſſimos fontes iniectæ, lapideſcunt.225.1.*

Homo. *non eſt obiectum materiale Logicæ. 46.2. eſt Imago, & ſpeculum Diuinitatis. 63.1. Idem numero eſt, puer, & ſenex. 144.1.*

Horologij *motus eſt à natura. 225. 2. Vitio horologij errant aliquando Aſtronomi in ſuis obſeruationibus 276.2.*

Hoſtia *conſecrata rareſit per productionem Quantitatis miraculosè factam. eodem modo condenſatur per deperditionẽ quãtitatis.311.2. in ea remanet quãtitas deſtructa ſubſtantia.188.1. remanet odor.372.1.*

Humores *Corporis ſunt animati, quando ſunt naturales, & perfecti 145.2.*

Humiditas *competit Aeri, & Aquæ. 285.2. Humiditas eſt facilè terminabilis termino proprio, difficilè alieno.288.1.*

I

Idæa *eſt id, in quod Agens reſpiciẽs, operatur.170 1. reducitur ad Genus Cauſæ efficientis.170 2 Idæa Platonis impugnatæ. 56.2.*

Ignis. *minor extinguitur à maiori. 329.2. eius augmentum in infinitum abit. 307. 1. eſt calidus, & ſiccus.285.2. eſt ſummè actiuus.334.1.*

Imago, *effectiua non datur. 364.1. non debet produci ab eo, cuius eſt imago. 365.2. datur imago obiectiua, & expreſſa 368.1. Obiectiua poteſt eſſe inferioris conditionis reſpectu obiecti, cuius eſt imago 368.1.*

Imperare *in bonum alterius eſt miniſtrare, & ſeruire. 46.2. Definitio, Diuiſio, & argumentatio ſunt actus imperati à Logica, non eliciti.45.1.*

Immenſitas, *ſeù Vbiquitas, poteſt Creaturis communicari 212.2.*

Indiuiſibilia *non dantur, 195.2. non dantur inflata, & turgida.198.1.*

Indiuiduum; *non habetur radicaliter à materia ſignata per quantitatem 412.2. neq; à Forma ſubſtantiali.414.2. nec à propria rei entitate.415.1. ſed ab Hecceitate, ſeù Heccitate.416.1.*

Infinitum.*eius eſſentia.205. 2. eius Diuiſio in Categorematicũ, & Syncategorematicum.206. 1. non repugnat, 207, 2. eſſentia*

creata poteſt eſſe infinita in ſuo genere. 211.2. *Terminus infinitus quis ſit* 4.2.

Intellectus. *Intellectus Agens, & Paſſibilis quid ſint.* 379.2. *eſt æqualiter nobilis, ac ſit voluntas.* 380.1. *determinatur ab obiecto.* 101.1.

Intellectio, *eſt qualitas.* 381. 1. *Poteſt eſſe eſſentialis Angelo.* 212.1.

Inſenſibilia *non agũt propter finem.* 169.2.

Inſtrumentum, *Aliud eſt coniunctum, aliud ſeparatum.* 173. 1. *Inſtrumentalis cauſa requirit tres conditiones.* 172.1.

Introductio. *Quid ſit, quare ſic dicatur, eius Diuiſio in tres partes* 1. *Proœm. Log.*

Intenſio *non fit per maiorem radicationem, ſed per additionem gradus ad gradum,* 317.1.2.

Iudicium *eſt ſecunda operatio Intellectus.* 2. *in Proœm. Log. Iudicium conſequentis, & iudicium conſequentiæ quomodo differant.* 107.2. *Iudicium ſuſpendit, & Cõcluſionem non elicit Intellectus, quando præbuit aſſenſum Præmiſſis deducentibus ad contradictoria.* 111.1.

L

LEue *eſt, quod tendit ſurſum, & à medio.* 288.2. *quod ſuperemiņet omnibus,* 289.1.

Leuitas *Simpliciter, et leuitas ſecundũ quid, differunt ſpecie.* 989.1 *Leuitas ſimpliciter competit Igni; Leuitas ſecundum quid cõpetit Aeri.* 288.2.

Libera *eſt Voluntas, non Intellectus.* 110.2, *Liber eſt actus fidei, quando elicitur ſolus.* 123.1.

Locus; *eius eſſentia, & Diuiſio* 215.2. *Locus intrinſecus eſt diſtinctus à re locata.* 218. 2. *locus intrinſecus non dependet à loco extrinſeco.* 222.1.

Logica *eſt ſcientia practica* 26.2. *appellatur tribus nominibus, & quare* 2.1. *in Proœm. Inuenta eſt ad corrigendos errores Intellectus.* 26.2. *Logica docens, & vtens realiter non diſtinguuntur;* 28.2. *ea ſunt vſi Chriſtus Dominus, & D. Paulus.* 32.2.

Lumen, *eſt actus Perſpicui.* 370. 1. *Videtur ſinè colore.* 369. 2. *eſt qualitas realis & materialis.* 370.2.

Luna. *Partes eius denſæ magis illuminantur, raræ minus.* 326. 1. *Quid ſit eius Eclipſis.* 371.1.

M

MAgnitudo *eſt quãtitas continua.* 188. 1. *magnitudinis, & paruitatis Termini dantur in Viuentibus.* 307.1.

Mathematica *antiquitùs loco Logicæ addiſcebatur.* 32.1.

Mas, *& fœmina per quid differant.* 354.2.

Materia Prima *habet duas definitiones.* 130, 1. *habet propriam exiſtentiam.* 134.2. *habet propriam ſubſiſtentiam.* 136. 2. *naturaliter non poteſt eſſe ſinè forma ſubſtantiali* 137.1. *poteſt ſupernaturaliter.* 138. 1. *habet Appetitum ad Formas.* 129. 2. *eſt Ingenerabilis, & Incorruptibilis, & habet quantitatem interminatam.* 140.1. *Reſpicit formas in particulari.* 140.2, *non eſt principium Indiuiduationis.* 412.2.

Medij *termini diſpoſitio conſtituit tres Figuras Syllogiſmorum.* 17.2. *quomodo debeat inueniri medius Terminus.* 293.1.

Miraculum. *Penetrationis Corporum in quo conſiſtat.* 227.1. *Poſitionis duarum formarum totalium in vna numero materia, in quo conſiſtat.* 305.1. *Poſitionis duarum qualitatum cõtrariarum, in quo conſiſtat.* 337.2.

Mixtio. *& Congreſſus Elemẽtorum.* 293. 1. *In mixto ſunt Elemẽta virtualiter.* 293. 2. *Terminus mixtus non datur.* 4.2.

Modus *eius eſſentia.* 417.2. *modi Propoſitionum.* 13.2. *Modales Propoſitiones* 13.2.

Modus *intrinſecus, & extrinſecus.* 418.1.

Motus. *eſt actus mobilis, vt Mobilis.* 240.1. 1. *eius adæquatum ſpecificatiuum eſt Terminus ad quem ſubiectum, & Principium motus.* 248 2. *Ad eius vnitatem numericã requiritur vnitas numerica Motoris.* ibid, *Tarditas motus malè explicatur per morulas, benè per Vbi fluens.* 254. 1. *Contrarietas deſumitur ab iiſdem cauſis, à quibus ſpecifica diuerſitas.* 258. 1. *Motus circularis vniformis, & quare.* 253.2. *Motus circularis quomodo differat à motu recto.* 270.2. *Motus eſt, vt vita quædam exiſtentibus omnibus* 340.2. *Quando reflectitur motus naturalis, admittitur quies in puncto reflexionis. omne, quod mouetur, ab alio mouetur, eſt vera* Propoſitio. 246. 1. *eſt ſenſibile commune.* 360.1.

Monſtra *ſunt digreſſiones naturæ.* 186.1.

Mundus *eſt rerum omnium ordo, ornataque deſcriptio in* Proœm. 261.1. *cæpit in tempore.* 161. 1. *probatur ratione naturali, cæpiſſe in Tẽpore.* 261.1. *Potuit eſſe ab æterno ſecundum entia Permanẽtia.* 263.2.

Mutus *poteſt eſſe bonus Logicus.* 97.1.

N

NAtator *non ſentit pondus Aquæ ſuprà humeros.* 289.2.

Na-

Digitized by Google

Index Rerum Notabilium.

Natura *eſt Principium motus , & quietis.* 153.1. *differt ab Arte, quia eſt ſubſtantia, Ars verò eſt Accidens.* 154. 1. *ordinem amat.* 175. 2. *deſiderat ſemper id, quod eſt melius.* 202.2. *nihil fruſtrà facit.* 181.2. *natura noſtri amātiſſima.* 306. *in Proœm. Vna natura poteſt terminari duplici ſubſiſtentia.* 420.2. *Opus naturæ opus intelligētiæ.* 169.2. *Vacuū abhorret.* 235.2. *natura rei definitione concluditur.* 25. *in Proœm. naturæ Prioritas quid ſit.* 161. 2. *notiora ſecundum naturam, quæ ſint.* 114.1.

Naturalia *explicare per ſupernaturalia, & diuina, eſt machina ad Terras Deum deducere Tragicorum Poetarum more.* 88. 2. *naturale eſt obiectum formale Phyſicæ.* 369.1.

Neceſſitas *obiecti ſcientifici.* 117.2. *neceſſitas quòad ſpecificationem, & quòad exercitium.* 109.2. *neceſſitas ſimpliciter, & ſecundum quid.* 31.2. *neceſſitatur Intellectus poſitis Præmiſſis ad aſſentiendum Conclusioni quòad exercitium, & quòad ſpecificationem.* 110.1.2.

Negatio *eſt malignantis naturæ.* 12. 1. *duæ negationes affirmant. Plus negat negatio, quàm affirmet affirmatio.*

Nomen *ſignificat, & connotat Tempus, ſed non ſignificat cum tempore.* 97.1.

Nominales *cur ſic appellati.* 45. 2. *ſunt modorum omnium iurati Hoſtes.* 146.2.

Numerus *Principiorum aſſignatur.* 129. 1. *eſt quantitas diſcreta.* 188. *in Proœm numerus motus, eſt Tempus.* 238.1. *eſt ſenſibile commune.* 360.1.

Nutritiua *Potentia diſtinguitur à calore naturali, & à combinatione primarum Qualitatum.* 356.1. *omne viuens indiget nutriri, ſi ſanum ſit.* 357.1. *Animalia quædam nutriuntur elemento puro: Camaleon Aere, ſerpentes Terra, Piſces Aqua, Salamandra Igne.* 357.2.

O

Obiectum *quaſi obex, quid ſit, & varia eius Diuiſio.* 43. 2. *de eodem obiecto poſſunt eſſe opinio, & ſcientia.* 117.2. *Obiectum formale, & finis intrinſecus idem ſunt in Habitibus practicis, ſeù Artibus.* 44.1.

Obiectum Logicæ *non ſunt Res omnes, neque Voces; nec Homo, aut Intellectus, neque demum ens rationis, ſed ſunt tres operationes Intellectus.* 50.1. *non ſolum Tertia, ſed etiam Prima, & Secunda ſunt per ſe obiectum Logicæ.* 51. 1. *Phyſicæ eſt corpus naturale,* 126. *in* Proœm. *Metaphyſicæ eſt ens Reale;* 390. *in* Proœm.

Obiectum Propoſitionis. *non ſolum eſt Prædicatum, & ſubiectum, ſed etiam identitas obiectiua.* 110.2.

Officium Logicæ *eſt dirigere operationes noſtri Intellectus.* 2.1. *in Proœm.*

Oculus. *eſt Organum Viſus, ſed viſio propriè in Pupilla fit.* 370.2.

Odor. *non eſt ſubſtantia exhalata, ſed qualitas.* 372.1. *non nutrit ibidem.*

Olfactus. *habet pro obiecto odorem, pro organo tuberculas mamillares, ibidem.*

Operatio *Intellectus eſt motus eiuſdem.* 2. 1. *in Proœm. operari ſequitur ad eſſe.* 317. 2. *Quando ex diuerſitate operationum colligenda ſit diuerſitas formarum ſubſtantialium.* 302. 1. *Opus naturæ opus intelligentiæ.* 169.2.

Oppoſitio. *Propoſitionum quid ſit, & quotuplex.* 10.2.

Organum. *quare dicatur Logica.* 2. 1. *in Proœm.*

P

Pars. *Partes vnitæ, vt vnitæ cauſant Totum.* 146.2. & 150.1. *Partes Phyſicæ, corpus, & anima, materia, & forma. Partes metaphyſicæ, Genus, & differentia.* 15. 1. *Partiale obiectum quid ſit.* 43. 2. *Partes extremæ* Propoſitionis *ſunt Termini.* 3.1.

Paſſio. *Paſſiones entis numero tres, & quare.* 409. *in Proœm. Paſſiones vel realiter, vel formaliter diſtinguuntur ab eo, cuius ſunt paſſiones ibidem. Paſſionum animi ſigna ſunt voces.* 4.1.

Peccata. *quomodò diſtinguantur ſpecie, & numero.* 176. 1. *non omnia ſunt æqualia.* 417.2.

Petitio *Principij quid ſit.* 25.1.

Penetratio. *Vide Corporum.*

Perſona. *Perſonæ nomen quibus attribuatur.* 419. 1. *Ratio Perſonæ non eſt vniuoca relatiuè ad creatam, & increatam.* 71. 1. *& Relatiuè ad Increatam tantum, & Diuinam, non ſe habet, vt Genus, ibidem. Ratio communis in Deo reſpectu trium Diuinarum Perſonarum non ſe habet vt genus, quia eſt perfectiſſimè ſingularis.* 82.2.

Pia *affectio ad actum Fidei quare neceſſaria.* 110.2.

Planetæ *habent ex ſe ſe aliquid luminis.* 282. 1. *Plane idem eſt, ac errans apud Græcos.* 279.1. *Obſeruati ſunt Planetæ aliquando ad nos accedere, aliquando recedere, aliquando*

Digitized by Google

*quando ſtare; vndè dicti ſunt retrogradi, & ſtationarij.*276.2.
Plura *ſe habere ad modum vnius, in quo cõſiſtat.*109.1.*Plura ad modum vnius ſignificantur à Termino ſingulari.*5.1.
Plumbum.*In Aere aquè grauitat, ac Aqua* 289.2.*In Aqua magis grauitat.ibidem.*
Poſſibile. *eſt vnus ex quatuor modis Propoſitionum Modalium.*13.2. *Poſſibile eſt ens diminutum.*395. *Quare ſit poſſibilis lapis, Impoſſibilis Chymæra.ibidem.*
Potentia.*Potentia paſſiua eſt eſſentialis materiæ.*130.1. *Potentiæ ab Anima formaliter diſtinguuntur* 348.1. *Potentiæ vndè ſpecificentur.*348. 2. *Potentiæ Animæ Vegetatiuæ.*353.*in Proæm. Potentiæ Animæ Senſitiuæ quæ ſint.*359. *in Proæm. Potentiæ Animæ Rationalis.*379. 1.*Potentia libera eſt voluntas.*379.2.
Præciſio *duplex.formalis, & obiectiua.*401. 2.*Inter Gradus metaphyſicos datur obiectiua Præciſio.*403.2.*ratio vniuoca perfectè præſcindit.*390.3.
Præcognita.*quid ſint, quæ ſint.*11.2.
Prædicabilia.*quæ, & quot ſint* 67.2. *non eſt abſurdum dari Genus Generis, quia in actibus Intellectus directis, atque reflexis benè poteſt admitti Proceſſus in Infinitũ.* 68.1. *Conſtituuntur ex diuerſo modo eſſendi, & prædicandi de pluribus.*67.2.
Prædicatio. *eſſentialis vel accidentalis extrinſeca non requirit exiſtentiam ſubiecti quam tamen requirit prædicatio accidentalis intrinſeca.*27.1.
Præmiſſæ.*An neceſſitẽt Intellectum, quomodo concurrant ad Concluſionem.Vide. Aſſenſus.Debent eſſe veræ,*112.2.*non tamẽ veriores* 113 1. *debent eſſe præcognitæ.* 111 2.*debent eſſe Certiores, & euidentiores.*115.1.*Per accidens poteſt aliqua Præmiſſa eſſe vel æquè certa, vel etiam minus certa, quàm ſit Concluſio.*115.2. *Aliæ Cõditiones requiſitæ in præmiſſis.*116 2.
Præſentia,*ſeù Vbi, eſt Modus, non Res.*220. 1.*In vna re ſufficit vna præſentia, variabilis tamen ad variationem plurium entitatum in illa re exiſtentium.*221.2.
Præteritum. *Ad Præteritum non eſt potentia.*183.1.
Principia; *in quibus fundatur vis Syllogiſtica.an ſint illa duo. Dici de omni, & dici de nullo.*18. 2. *Prima Principia probãtur Inductione.*51.2. *Principiorum definitio, & Diuiſio.*127.2. *Principium idem eſt, ac Cauſa apud Græcos.*156.1. *Principia Rerum naturalium in fieri ſunt Tria, materia, Forma, & Priuatio; In facto eſſe ſunt duo, materia, & Forma.*129.1.
Prioritas *quid ſit, & quotuplex.*161.2.
Priuatio *Principiat in inſtanti antecedenti ad formam* 141. 2. *Priuationis definitio.* 141.1.
Proprium. *Quid ſit, & quotuplex.*9.2. *eius oppoſitio.*11.2. *æquipollentia* 12. 1. *Conuerſio.*13.2.*Modales quæ ſint.*13.2.*Hypothetica quæ ſit.*14. 1.*exponibiles quæ ſint.* 14.1.*Propoſitiones æternæ veritatis, quæ ſint.*341.2.
Proprium.*Quadruplex eſt.*7. 1. *Vt Prædicabile quid ſit.*7.1. Prædicatur neceſſariò; *& inſeparabiliter.Ibidem. Semper intrinſecè exigitur ab eo, cuius eſt Proprium.* 76.2.

Q

Qualitas. *Actiuarum Qualitatum deſcriptio.*287.2. *Qualitatis in ſubiecto maior radicatio difficilè explicatur à Thomiſtis* 315. 1. 2. *agnoſcit octo gradus, ſeù partes in ſui entitate.* 317. 2. *ex reflexione intenditur, & augetur.*325. 2.*In Antiperiſtaſi augetur per motum localem partium ſimilarium.*327.2 *Contrarietas eius cùm alia Qualitate oritur ex earum intrinſeca entitate, non ex incapacitate ſubiecti.*335.2.*Cõtrariarum Qualitatum Pugna impeditur à Deo, eas ponente in eodem ſubiecto.*337.2.
Qualitas motiua.*Deſcribitur.*288.2. *Qualitates motiuæ media ſpecie differunt ab extremis.*289.1.
Quantitas. *Realiter diſtinguitur à ſubſtantia.*188. 1. *Ratio eius formalis, eſt extreitas partium in ordine ad ſe.*189. 2. *Partes eius ſunt potentia, non actu diſtinctæ.*192. 2.*Eſt ſenſibile commune.*360.1.
Quantitas Continua. *Non conſtat ex ſolis Punctis ſiuè finitis, ſiuè Infinitis.*195 1. *non conſtat ex punctis inflatis.*196.2.*Conſtat ex partibus ſẽper diuiſibilibus.* 202.2.
Quies.*opponitur motui.*258.2.*Datur Quies in puncto Reflexionis in Motibus naturalibus, aut quando motus naturalis ſequitur Violentum.*258.2.*eſt ſenſibile commune.*360.1.

R

Raritas.*Rarefactio quid ſit, & quomodo fiat.*310.2.*Cauſa eius effectiua.*308.2. *Rarefit, & condenſatur Hoſtia conſecrata abſque nouo miraculo.*311. 2. *Rarefactio minus propria fit per ingreſſum aeris, at* non

Digitized by Google

non per ingreſſum corpuſculorum.312. 2.
Rara Corpora ſunt apta ad ſonum edendum, & recipiendum.371.1.
Recurſus ad Cauſam Primam, quando ſit reprehenſibilis.323.1.
Reflexio. Quid ſit.325.2. Conuenit non ſolũ lumini, ſed etiam alijs qualitatibus, Ibidẽ. An in puncto Reflexionis detur Quies. Vide Quies. Terminus Reflexus.4.1. Quare Intellectus poſſit ſupra ſeipſum reflectere, non ſic autem ſenſus.363.1. Logica, ſicuti & aliæ Artes, inuenta eſt ex Reflexione.34.2.
Regulæ Diſputantium.24.1. Regulæ Propoſitionum oppoſitarum.11.2.
Relatio. Benè definitur ab Ariſtotele.83.2. eam dari, probatur ex naturalibus, & ex Diuinis. Relatiua eſſe ſimul natura, opinio eſt Antiquorum, non Ariſtotelis.83.2. Cognito vno relatiuo definitè cognoſci debet & aliud. ibidem. Relatio tranſcendentalis vel eſt eſſentialis ſubiecto, vel modus ſubſtantialis. Relatio verò Prædicamentalis eſt merum accidens ſubiecti.86.1. Relationem ponere in duobus abſolutis eſt denarium numerum Prædicamentorum negare. 89.2. eſt modus diſtinctus à duobus abſolutis.91.1.
Relatiua opponi formaliter, eſt eſſe incõpoſſibilia in eodem ſubiecto.95.2. Termini Relatiui qui ſint.6.1.
Replicatio Corporis Vide Corporum.
Reproductio eſt poſſibilis ſupernaturaliter. 182.2. Reproductio eiuſdem numero Hominis mortui, eſt de Fide. Ibidem.
Rerum inceptio, & deſitio quomodo debeant explicari.244.2. Res quæ ſit, & quomodo differat à modo 417.1.
Reſolutio, vſque ad materiam primam non datur.298.2. reſoluitur in terminos omnis propoſitio.3.2. Qualibet res reſoluitur in partes, ex quibus componitur.3.2.

S

Sanum propriè dicitur de Corpore Animalis.5.2.
Sanguis naturalis, & perfectus, eſt animatus 346.2. ſpecie diſtinguitur ſanguis naturalis à nutrimentali.347.1.
Sapiens dominabitur Aſtris.282.2. Sapientis eſt imponere nomina rebus. 98.1. Sapientia numeratur inter quinque habitus, quibus Anima affirmando, vel negando, ſemper verum dicit.25.2.
Scientia. Quid, & quotuplex ſit.25.2.117.2. Practica, & ſpeculatiua quomodo differãt; 118.2. obiectum ſcientiæ debet eſſe neceſſarium; 117.2. ſcientia totalis non eſt ſimplex qualitas.119.2. Scientia, & opinio poſſunt eſſe ſimul.121.2.
Semen eſt animatũ.347.2. Crebrior ſeminis emiſſio mortem animalis cauſat. ibidem. Animal magis debilitatur ex emiſſione ſeminis, quàm ex emiſſione ſanguinis. ibidẽ.
Senſus. Non percipit ſenſationem ſuam.363.1. Læditur à vehementi ſenſibili.363.1. Percipit Vbicationem. 42.1. nihil eſt in Intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, non eſt propoſitio vniuerſaliter vera 37.2. habet pro obiecto, ens reale, corporeum, accidentale, ſingulare.360.1.
Separabilitas eſt ſignum realis diſtinctionis. 401.2. Multa diſtinguuntur realiter, quæ ſeparabilia non ſunt.92.1.
Siccitas conuenit Igni, & Terræ.285.2. eſt entitas poſitiua.286.2. eſt facilè terminabilis termino proprio, difficilè alieno. ibidẽ. morbi ſicci, quàm difficillimè curantur. ibidem.
Signum quid ſit.4.2. duplex eſt naturale, & ad placitum.4.2. ſignum formale, & Inſtrumentale.97.2.
Situs quid ſit.7.2. Situs Elemẽtorum.289.2.
Sitis appetitus frigidi, & humidi, ſicuti fames eſt appetitus calidi, & ſicci.356.2.
Socrates ſolitus ſemper fuit interrogare, & arguere, reſpondere autem profeſſus eſt, neſcire.
Sol. Pater eſt luminis.282.1. Quadripartita Anni diſtributio ab inæqualitate luminis ſolaris habetur 282.1. ſi lumen non impartiat Lunæ, fit Lunæ Eclipſis, & obſcuratio.282.2.
Sonus. non editur à motu Cœlorum. 281.2. non eſt motus corporum, ſed qualitas producta à tali motu, & ictu Corporum.370.2. Ad edendum ſonum tria Corpora requiruntur. 371.1. Conditiones requiſitæ in corporibus ad edendum ſonum ſunt quinque 371.1. Aqua ſonum excipit, ſed magis Aer 371.2.
Spatium Imaginarium non datur. 236.2. Deus quomodo dicatur eſſe in ſpatio Imaginario.237.2.
Species. definitur, & diuiditur.71.2. Poteſt conſeruari in vnico Indiuiduo.72.1. natura Angelica eſt ſpecies Phyſica, non Logica.72.1.
Species impreſſa, tanquam ſuperflua reijcitur.364.2. eius loco ſpecies obiectiua ſufficitur.368.1.
Species obiectiua non debet eſſe eiuſdem rationis cum obiecto, quod repræſentat. 368.
1. Con-

Digitized by Google

1.Conſeruatur ab obiecto, vel à Potentia, quando deeſt obiectum.368.1. eſt diuiſibilis in eſſendo,indiuiſibilis in repræſentando.Ibidem.

Subiectum.eſt id,de quo aliquid prædicatur. 9.2. Subiectum minus latè patet, quàm prædicatum.10.1.Subiectum radicale accidentium eſt ſubſtantia.80.1.Subiectum inhæſionis eſt materia,denominationis cõpoſitum.300.1.Subiecti capacitas ſufficiẽter expletur per vnam formam totalem. 304.1. Supernaturaliter eius capacitas ampliatur ad alteram formam ſimul habendam.305.2.

Subſiſtentia.non conſiſtit in duplici negatione.419.2. diſtinguitur à natura ſubſtantiali.419.1.duplici ſubſiſtentia poteſt vna natura ſubſiſtere.420.2. Vna ſubſiſtentia poteſt duas naturas terminare.Ibidem.

Subſtantia.eius ratio formalis eſt per ſe ſubſiſtere.79.1. eius Proprietates enumerantur.80.1. Secunda ſubſtantia eſt magis ſubſtantia,& quare.81.1. In Prædicam. ſubſtantiæ ponitur id, quod eſt capax Generis, & id, quod eſt capax Compoſitionis ex Genere,& Differentia.81.2. eſt immediatè actiua.320.2.

Suppoſitio.quid ſit,& quotuplex.8.1.Simplex,& Perſonalis. Perſonalis,diſtributiua,& collectiua.ibidem.

Syllogiſmus. Quid ſit.17.1.eius materia ſũt Propoſitiones,& tres Termini. Forma eſt diſpoſitio Propoſitionum, & Terminorũ. Ibidem.Figuræ tres, quia triplex eſt Terminorum diſpoſitio.18.1.

Syllaba,Ab. adducitur ab Ariſtotele, ad probandam diſtinctionem realem Totius à ſuis partibus.152.2.

T

TActus eſt omnium ſenſuum exteriorũ vltimus dignitate, primus neceſſitate. 372.2. Homo in Tactu vincitur ab Aranea,ibidem.

Trãſcendens Terminus quis ſit.5.1.Termini Tranſcendentes ſex.Ibidem.Terminus ſupertranſcendens.ibidem.

Temperies.Temperies,ſeù Temperamentum ad iuſtitiam de facto datur. De poſſibili poteſt dari temperamentum ad pondus in qualitatibus actiuis, ſed non in motiuis. 295.2. Temperies, & craſis primarum Qualitatum non eſt Anima neque apud Galenum. 78.2. ex temperie primarum qualitatum oriuntur veri colores 370.1.

Terra eſt immobilis.271.1.eſt Cẽtrũ vniuerſi, et quieſcit.171.2.eſt ſicca,et frigida.285.2. eſt inſtar puncti reſpectu Cæli.171.2.Terra nutriuntur ſerpentes.257.2. eius interpoſitione inter Solem, & Lunam fit Eclipſis.371.1.

Terminus in tota ſui latitudine quid ſit.3.1. Apud Logicos quid ſit,Ibidem.Copula non eſt terminus, & quare.ibidem.eius varia Diuiſio.3.2. Terminus ſupertranſcendens qui.5.2.

Temporis eſſentia,& Diuiſio.238.2. Tempus non eſt,niſi ſit in Anima.239.1.Tempus metimur Tempore,ibidem.

Theologi à D. Auguſtino appellantur Dialectici,& quare.33.2.Theologicum Axioma, quidquid eſt in Deo, eſt realiter ipſemet Deus.133.1. Quod ſemel Aſſumpſit, nunquam dimiſit.144.1.Theologica argumenta contrà Indiuiſibilia.199.1. Theologia eſt Scientia.118.1.

Thomiſtæ.negant materiæ primæ etiam propriam eſſentiam.134.1.Admittunt diſtinctionem formalem ex natura rei.402.2.

V

VAcuum.abhorret natura, & quare. 235.2. non fieret motus in inſtanti. 235.2. non poteſt in eo fieri motus progreſſiuus.236.1. Dominus eſt ſoni.371.1.

Vapor.habet eandem formam ſubſtantialẽ, quam habet Aqua,quamuis tendat ſurſũ, 288.2.euaporat humidum radicale vi caloris naturalis.329.2. trahitur à Sole per lumen.332.1.

Vas.eſt locus artificialis Aquæ.215.1.

Vbi.eſt modus diſtinctus à re vbicata,& loco extrinſeco 216.1. ſufficit in vna Re vnum Vbi,variabile tamen ad variationem entitatum in ea re exiſtentium.221.1. non dependet à loco extrinſeco.222.1. Creatura non poteſt exiſtere nullibi,ſeù nullum habere Vbi.222.1. Vbi aliud eſt definituum, quod conuenit Angelo, Animæ rationali, & Corpori Chriſti Sacramentato.& aliud eſt circumſcriptiuum, quod eſt proprium Corporis.222.2. Sentitur omnibus ſenſibus,ideoque eſt ſenſibile commune, ſicuti eſt motus.218.1. Aliud eſt Vbi fluens, & ſucceſſiuum,aliud permanens.222.2. 254.1.Per Vbi fluens explicatur velocitas, & tarditas motus 254.1. non benè per Vbi explicantur raritas,& denſitas.309.1.

Vegetatiuum.Vide Anima.

Ventriculi Animalium tempore hyberno magis incaleſcunt,& quare.328.2.

Ventus extinguit flammam, & ignem,quãuis

Digitized by Google

uis non ſit illi contrarius,337.1.

Verbum.*Significat cùm Tẽpore.* 197.1. *Verbum*,eſt,*Copula eſt inter Prædicatum, & Subiectum.* 9. 2. *Verbum mentis quid ſit.* 197.1.

Verbum Diuinum. *eſt terminus intrinſecus Vnionis hypoſtaticæ,qua humanitati vnitur.*148.2. *Dependet à Patre in Sententia Aliquorum.*156.1.*Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.*144.1.

Veritas.*eſt eſſentialis Propoſitioni.*102.1.*eſt conformitas cognitionis cum obiecto.*101.2.*duplex eſt,complexa,& incomplexa.*101.2.*Iterum duplex eſt tranſcendentalis, & prædicamentalis.*410. *in Proam. Conſiſtit in indiuiſibili.*113.1.

Verum.*Propoſitio ſemel vera non poteſt fieri falſa;*105.1. *Sequitur aliquando ex falſo vi formæ ſyllogiſticæ.*113.2.*Demonſtratio ad impoſſibile eſt vera,non quia procedit ex veris, ſed quia procedit ex conceſſis.* 114.1.

Vicaria. *Species impreſſa eſt, & dicitur Vicaria obiecti;*363.2.

Virgo *Maria, Virginitas eius.*365. 1. *actiuè ſe habuit in generatione Chriſti.* 356. 1. *Chriſtus exiuit ex eius vtero illibata eius Virginitate.*223.2.

Virtus.*quid ſit* 30.1.

Viſio.*eſt adeò certa, vt actus Intellectus dicatur Viſio à Theologis.*368.2.*non reſpicit ex æquo Colorem,& Lumen.*369.1.*præcipuè fit in Pupilla* 370.1.

Vita. *vt ſic, & in communi quid ſit.* 342.1. *Aqua Vita cur ità dicatur* 342.2.*Conſiſtit animalium Vita in calido, & humido radicali.*306. *in Prœm. nutritione conſeruatur. Ibid. Inedia per hebdomandam lethalis eſt Homini.*357.2.

Viuens.*habet determinatos terminos magnitudinis, & paruitatis.*307.2. *Viuentis tres ſtatus.*307.2.*non nutritur odore.*372.1.

Vnio *eſt modus diſtinctus.* 146. 2. *ipſa ſola producitur à generante Hominem.* 147.1. *ſufficit vna ad vnienda duo.* 148. 1. *Poteſt ſola creari in aliquorum Sententia.*148.2. *recipitur in materia, non in forma.*149.1. *eſt diſtincta ab Vnitione. eſt cauſalitas tàm materiæ,quàm formæ.*162.1.*eius terminus intrinſecus quare ſit forma.*148.2.

Vnitas. *Quid ſit, & quotuplex.* 60.1. *quare vnitas ſpecifica ſit minor numerica.& maior generica* 60. 2. *Importat aggregatum plurium negationum.*412. 1. *Vnitas ficta non requiritur ad Vniuerſale.*66.1.*Vnitas minor numerali datur à parte rei.*61.1.

Vniuerſale. *eſt vnum aptum eſſe in multis* 54.1. *Natura Diuina non eſt vniuerſalis, & quare.*54.2.*non debet prædicari in recto ibidem. non datur ſeparatum à ſingularibus.* 57.1. *non datur independenter ab intellectu.*65.1.*Aliud eſt Logicum,aliud Metaphyſicum* 65.2.

Vniuocum.*Vniuocorum definitio.*5.2.*Vniuocum debet eſſe Genus.*69.1.*æquiuocum poteſt eſſe Vniuocum.*5.2.

Voluntas. *eſt potentia libera.* 110.1. 379 2. *poteſt impedire actus aliarum potentiarum indirectè.*109. 2. *Poteſt ferri in incognitum in probabili Sententia.*167.2 *obiectum concurrit ad actum Voluntatis extrinſecè,ideſt,trahendo, & alliciendo.*168. 2. *actus Voluntatis eſt motus, ſeu motio* 168. 1. *Voluntas eſt potentia cæca.* 167.1. *Vnum obiectum vult, & amat propter aliud.*166.1.*nihil volitum,quin præcognitum.*167.2.*Anima plus eſt vbi amat,quàm vbi animat.*168.1.*facit ens rationis quaſi ſecundò deſiderando impoſſibile.*43.1.

Vota *D. Ambroſij, vt eum Deus liberaret à Logica D. Auguſtini.*32.1.

Vtilitas *Logicæ ex Ariſt.* 2. 1. *& ex D. Auguſtino.*2.*in proæmio.*

Vox. Voces. *Vox eſt ſignum earum, quæ in animo latent,paſſionum.*4. 1. *ſignificat ex hominum beneplacito.*97. 2. *Vocibus vtimur loco rerum* 98.2 *immediatè ſignificat res,non conceptus.* 99. 1. *Voces æquiuocæ poſſunt aliquando aſſumi in definitione,* 128.1.

Z

Zeno.*negauit relationes reales.*90.1.*Poſuit continuum conſtare ex indiuiſibilibus.*194.2.*negauit motum.*146.1. *Zenoni neganti motum reſpondit Diogenes ambulando.*146.*in proæm.&* 353.1.

Zoophita *marina quia non ità ſenſibiliter mouentur, dicuntur Plantanimalia.* 342.2.

Zonæ *ſeù faſciæ in Cælo non dantur.*280. 1.

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

Pag.	Col.	Lin.	Er.	Cor.
20.	1.	43.	in rationibus	In orationibus
45.	1.	32.	oibectum	obiectum
45.	2.	32.	obiectium	obiectum
70.	1.	2.	ab	ad
68.	1.	24.	Antecedens	maior
92.	1.	5.	aſbue	abſque
148.	2.	51.	vnia	vnita
128.	2.	1.	fruſtra	fruſta
318.	1.	29.	quantitati	qualitati
334.	1.	4.	æquallter	æqualiter
252.	1.	30.	Lect.	Sect.
345.	2.	37.	nis carnis	omnis carnis
404.	2.	19.	minus	eminus
244.	1.	32.	incipient	incipiant
262.	1.	2.	Circulo	Adhùc
262.	1.	10.	ciuium	virium
291.	1.	9.	ipſi	ipſi
318.	2.	1.	lignis	ligni
323.	1.	45.	cicacis	citatis
328.	2.	1.	fumo	fimo
352.	2.	1.	potentiarum	eſſentiarum
381.	2.	25.	poteſt prodire;	non poteſt prodire;
334.	1.	41.	quod ſecatur	quod ſecat.
387.	1.	42.	D.Bonauenturæ	D.Thomæ

Plura fortaſſe inuenies errata, quæ Tibi vel Aſteriſcus in margine oſtendet iam emendata, vel ipſe facilè poteris corrigere,& emendare.

LAVS DEO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google